per validè, non licitè. 36. 1.
Virginum consecratio novum adjicit vinculum. 34. 2.
Virginum in Ecclesia Alexandrina tantus numerus, ut ipsarum septingentas unus Arius seduxerit. 29. 1.
Virginum niger habitus in honorem D. Virginis. 34. 2.
Virginum professio in consecratione iterata. *ibid.*
Virginum professionem sine consecratione Canones vocant Sponsalia. 36. 1.
Virginum professio sine consecratione Episcopi an matrimonium dirimeret? 34. 2.
Virginum sacram vestem Orientalis Ecclesia appellat Angelicum habitum. 29. 2.
Vitalis Apollinarista non solùm Gregorium Nazianzenum, sed etiam Sanctum Damasum Pontificem ac Romanam Ecclesiam circumscripsit. 63. 2.
Voces eædem in ore hæreticorum suspectæ, non in ore Catholicorum. 61. 1. 64. 1.

W

S. WOlbodus Leodiensis Episcopus in Sancti Laurentii Monasterio sepultus jussu Abbatis à miraculis patrandis cessat. 256. 2.

Z

ZEno Princeps Stoicorum docet materiam æternam. 112. 2. Quæ illius Patria? 113. 1.
Zenones diversi. *ibid.*

*FINIS.*

(2)

# EPISTOLÆ, ET VITA D. THOMÆ

MARTYRIS ET ARCHI-EPISCOPI CANTUARIENSIS.

NEC NON EPISTOLÆ

ALEXANDRI II. PONTIFICIS,

GALLIÆ

LUDOVICI [illegible] IMI,

ANGLIÆ

HENRICI II. Aliarumque plurium Sublimium [illegible]rum: Concernentes SACERDOTII ET IMP[illegible]M.

*In lucem productæ ex Manuscri[illegible]udio*

F. CHRISTIANI [illegible]RENSIS,

Ord. FF. Eremit. S. AUGUSTINI, S. Th[illegible] Doctoris, ac Regii [illegible] Universitate

*Accedit Index Historicus & copiosissimus* [illegible] SACERDOTIO ET IMPERIO *facilè* [illegible]

EJUS OPERUM TOMUS DECIMUS,

STUDIO, AC LABORE

F. THOMÆ PHILIPPINI RAVENNATENSIS EJUSDEM ORDINIS.



VENETIIS, MDCCXXVIII.

Prostant APUD JO: BAPTISTAM ALBRITIUM & HIERON. ET SEBASTIANUM COLETI.

*CUM GRATIA, ET PRIVILEGIO.*

# EPISTOLÆ, ET VITA D. THOMÆ

MARTYRIS ET ARCHI-EPISCOPI CANTUARIENSIS.

NEC NON EPISTOLÆ

ALEXANDRI III. PONTIFICIS,

GALLIÆ REGIS

LUDOVICI SEPTIMI,

ANGLIÆ REGIS

HENRICI II. Aliarumque plurium Sublimium ex utroque Foro Personarum: Concernentes SACERDOTII ET IMPERII CONCORDIAM.

*In lucem productæ ex Manuscripto Vaticano: Opera & studio*

F. CHRISTIANI LUPI, IPRENSIS,

Ord. FF. Eremit. S. AUGUSTINI, S. Theol. in Alma Lovaniensi Universitate Doctoris, ac Regii Primarii Professoris.

*Accedit Index Historicus & copiosissimus, ex quo Res gestæ pro* SACERDOTIO ET IMPERIO *facilè queant intelligi.*

EJUS OPERUM TOMUS DECIMUS,

STUDIO, AC LABORE

F. THOMÆ PHILIPPINI RAVENNATENSIS EJUSDEM ORDINIS.



VENETIIS, MDCCXXVIII.

Prostant APUD JO: BAPTISTAM ALBRITIUM Q. HIERON. ET SEBASTIANUM COLETI.

*CUM GRATIA, ET PRIVILEGIO.*

Ecclesiastica Libertas

*Et*

Ecclesiæ Immunitas,

Violenter oppugnata

*Per*

ANGLIÆ REGEM HENRICUM II.

Christianissime Defensa

*Per*

GALL: REGEM LUDOVICUM VII.

Immobiliter protecta

In gloriosa confessione &
pretiosa Morte

# DIVI THOMÆ

Cantuariensis Archi-Episcopi
Et Martyris:

Et per Summum Pontificem

# ALEXANDRUM III

In Apostolica Petra, contrà Inferorum portas prævalente
immutabiliter confirmata.

## BARONIUS AD ANNUM 1162. Num. 21.

Odem anno Londini in Anglia generale Concilium celebratur, convenientibus omnibus Episcopis ad subrogandum Metropolitanum, totius Angliæ Antistitem, Cantuariensem Archi-Episcopum, defuncto feria secunda Paschæ Theobaldo Archi-Episcopo, cùm sedisset annis viginti duobus. Convenit simul & Rex ad hoc ipsum, communibusque omnium votis electus est THOMAS ex Cancellario. Hæc ex Actis vitæ ejus, scriptis ab *Eduardo* ejus æquali, prolixè satis, quæ in compendio redacta jam cusa (*Apud Surium Tom.6.die 29. Decemb.*) habes. Sed extant alia ab Authoribus quatuor, iisdem ipsius Thomæ discipulis, nempe *Hereberto* ipsius Clerico, *VVilhelmo* Cantuariensi, *Joanne* Saresberiensi & *Alano* Abbate Deoche, tribus libris conscripta, quæ habentur in Vaticana Bibliotheca, unà simul cum *Collectione Epistolarum* ad hæc negotia spectantium, Auctorum diversorum. Inter quas plures ejusdem S. THOMÆ & ALEXANDRI Papæ extant Epistolæ, omnesque simul *quinque libris* partitæ atque digestæ opera ejusdem Joannis Saresberiensis, OMNI THESAURO PRÆSTANTIORES: Ex quibus præsens Annalium tomus magis ac magis debeat illustrari. Extat codex ipse in Vaticana Bibliotheca. HACTENUS BARONIUS. *ibid.*

---

## *LIB. 5. EPIST. 47.*

D. Thomas post pacem scribens Gratiano Cardinali, sic habet in fine.

*PRovideat etiam vestra Discretio, ut urgentiores & efficatiores litteræ, quas Dominus noster* (Papa) *pro Ecclesia Regi Anglorum transmisit*, REGISTRO INSERANTUR. QUIA POSTERIS MAGNUM INCITAMENTUM VIRTUTIS EST, QUOTIES EOS ANIMAVERINT EXEMPLA MAJORUM. *Ad negotium spectantes litteras, quas accepimus, remittimus vobis: ut si forte editorum Exemplaria desint, ea mutuare possitis à transcriptis.*

EMINEN-

# EMINENTISSIMO
## AC
## REVERENDISSIMO PRINCIPI
## AC DOMINO
# D. PHILIPPO THOMÆ HOVVARDO
## DE NORFOLCIA,

*Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ad S. Mariæ super Minervam Presbytero Cardinali.*

## *EMINENTISSIME PRINCEPS,*

Belgio in Italiam, è Grudiorum Lycæo ad Urbem Orbis Dominam, *Romam* inquam, postliminio redeunt, unde eductæ sunt, præclarissimæ Sanctissimi *Cantuariensium Antistitis Thomæ Epistolæ*, luce & cedro dignæ, hactenus quasi obscuris silentii tenebris involutæ, nunc demum sub Sacræ tuæ Purpuræ auspiciis, præli beneficio publica luce donatæ. Quæ avida quadam cupiditate benignitatis tuæ adyta adire gestiebant, ut sub illustrissimi nominis tui umbra, quasi sub Ajacis clypeo adversùs æmulorum proterviam Aristarchorum tutæ latitarent; quia, quamquam suis sat radiis emicent, omninò obscuram lucem visæ sunt conqueri, nisi favoris tui radiis insigniantur: Radiis nimirum Nobilissimæ & Regiæ tuæ Prosapiæ, cujus claritudinem virtutibus supergrederis; Purpuræ deinde luminosissimæ, quam eximia morum innocentia, veluti pretiosissima gemma luculente exornas.

Porrò Eximius vir P. M. *Christianus Lupus*, Augustinianæ Religionis decus, de sacris litteris, potissimùm Ecclesiastica Antiquitate optimè meritus, uti jam vita defunctus, ita magnis pro Ecclesia & Romana Cathedra laboribus perfunctus; utpote cui reliquit egregia & *Christiana* volumina, in quibus *Christiani* genii & ingenii vestigia & scintillæ passim emicant; Quem semper virum à singulari eruditione, fide, integritate *Roma* venerata est & amplexa. Hic inquam, *Roma* redux in Belgium, præfatum è Vaticana Bibliotheca optimum & opimum *Epistolarum* thesaurum (Romana Curia *Christiano* calamo dignum censente) *Eminentissimæ tuæ gratiæ*, quam non semel faventem fuerat expertus, tuoque Clarissimo Nomini non uno nomine debitum nuncupare decreverat. Arbitratus huic operi, quamquam suis authoribus satis illustrato, si præfigeretur illustrissimum HOWARDI DE NORFOLCIA nomen, plus splendoris accessurum. Etenim si Clarissimi Stemmatis tui, seu ex Paterni, seu Materni sanguinis fonte, quod satis per universam Europam fortiter præclareque Gestis innotescit, originem prosequamur; illud ex Regum tum Angliæ tum Scotiæ antiquissimorum sanguine serie longa multis retroactis seculis gloriosissima oriundum reperiemus. Adeò ut *Hovvardica* Stirps etiam *Arundeliæ* & *Sarriæ* Comitatu gloriosa, tanta sit, ut ad gloriam illi nihil addi possit, cum aliis addat plurimum; ornare possit, non ornari; illustrare, non illustrari. Dum stirpis illius inclytæ Arondeliæ memini, partem præterire nequeo quam habuit non obscuram, in illa quæ Mundum commovit olim D. Thomæ Martyris Historia: Illustris ille Arondelius Comes, qui cum Episcopis & Baronibus à Rege Angliæ ad suam *Sanctitatem* missus Nuntius, solus dignus fuit placere Curiæ. Cujus (cum excessissent Episcopi) tylius modestiam sunt admirati: Et cum silerent universi, à discreta Eloquentia meruit commendari. (*In vita D. Thomæ fol. 74.*)

Verum non est animus hac in pagina Majorum tuorum seriem texere, omni libro, & calamo majorem. Ad te redeo, majoribus tuis majorem, cui virtus tua ad laudem abundè sufficit, quia supra laudem est. Ea est certè, quam sequi multi cupiant, assequi posse desperent. Quidquid laude dignum in viris magnis, in te admirantur omnes.

Et verò ad quem potiùs *Thomas* destinaretur, nisi ad sibi cognominem? Ita profectò res exigebat, ut Monachali habitu indutus Monacho, Anglus Anglo, Ecclesiæ Pontifex Ecclesiæ Principi, *suo sangaine*

 Purpu-

Purpuratus Purpurato Patri, verbo uno, *Thomas Thomæ* videndus & legendus sisteretur; idest, Viro qui in nomine reique omine cum *Thoma Cantuariensi Antistite* mores ita, resque conformavit non ini & Patrono, Ecclesiasticæ libertatis Assertori inconcusso, ut non jam denatum, sed in te renatum cogitet, qui propiùs intuetur. Nisi fortassis, ex quo *Spiritus Domini rapuit Philippum*, & Dominicanæ Familiæ Alumnum constituit, te *Thomæ Aquinati*, cujus nomenclaturam assumere voluisti, haud disparem dixerimus; utpotè qui, uti ille Aquinorum Comitum filius, prima ætatula ephebus, ante aras detonsa Cæsarie, sacræ Militiæ tyrocinium in *Dominici* castris aggressus; mox consanguineorum turba extrà claustrum ejectus, sanctæ Religionis schemate exutus, in ergastulum deditus, à proposito dimoveri non potuit; Ità tu lubricæ adolescentiæ illecebris, Aulæ delitiis divitiisque, Paternæ & Regiæ domus splendoribus libellum repudii scribens, ad suave jugum Christi convolas, in Dominicanæ Religionis tyrocinio crebro oppugnatus, quà Fratrum, quà consanguineorum ( *inimici enim hominis Domestici ejus* ) verbis sententiisque; sed irrito conatu: adhibito minarum, blanditiarum non levi pondere; sed nullius ponderis apud animum propositi tenacissimum. Fregisti caute firmior minarum fluctus, nec ullo blanditiarum æstu forte pectus potuit emolliri. Etiam *Thomæ Cantuariensi* haud dispar, qui pro Ecclesiastica libertate intrepidus Regiæ cupiditati, impiisque Decretis fortiter obstans, inter Anglicanæ persecutionis & exilii plusquam decumanas procellas, dexterrimè hac sinistra fortuna usus, in dissimilibus semper sibi similis, suisque perditis, suus semper perstitit. Qua tu quoque inconcussa constantia omnibus superior, Monasticæ Disciplinæ ab ipso statim, quam *Romæ* professus eras, Asceseos exordio severissimus custos, Patroni virtutes ex amussim jugiter conatus es exprimere. Unde dum juventutem tuam eruditis laboribus sacrisque litteris consecraveras, in maximum Virum illicò crevisti, quem continua rerum amplissimarum negotia, ceu cœlum indefessa actio exercere, fatigare nulla potuerunt. Adeò ut nihil viderit Ordo tuus pro Ordine te zelosiùs, pro fide Orthodoxa Ecclesia nihil te generosius. Certè fidei zelum in *Thoma* non stetisse, sed in te transfusum esse, tu pluribus datis experimentis docuisti, Ordo & Ecclesia acceptis didicerunt.

Ut silentio involvamus, te *Catharinæ magnæ Britanniæ Reginæ* Archi-eleemosynarium creatum, munus illud exactè adeò implevisse, ut verus Pauperum Pater, *manum tuam aperueris inopi, & palmas tuas extenderis ad pauperem*, qui antequam rogabaris, stipem erogare consueveras; non ignarus pietatem in egentes dum prodigit, colligere; dum amittit, acquirere. Quin imò deficiente publico ærario, unum tibi studium erat, tuis opibus indigentibus præstare opem. Intereà tuus in res Divinas ardor, in pietatis opera affectus, in Ordinis obsequia studium, in exilio animi magnitudo, omnes in stuporem rapiebant.

Enim verò hæ tot, tamque exquisitæ, quæ in te eminebant virtutes, non potuerunt unius Provinciæ cancellis circum-scribi: sed ad exteras Regiones diffusa fama in Romanam Curiam sese insinuavit, perstrinxit aures *Sanctissimi Patris Clementis* X. Pontificis Maximi, qui noluit te ultrà inglorium occultari; sed ad Purpuram, ad Galerum vocavit, ut in illo augustissimo Patrum Senatu nomen aliquod, decusque gereres. Teque tandem planè plenèque invitum, & modis omnibus pro ingenita tibi humilitate reluctantem, imò verò ad oblatam Purpuram plùs ipsa Purpura erubescentem, ex umbris *Bornhemii tui* quietis gratissimisque in medium protraxit, ut sederes cum Senatoribus Populi Dei, inter tot illustres Ecclesiæ Patres, inter *Romanos rerum Dominos, gentemque togatam*. Quo quidem præclarissimo in munere, tibi à numine delegato, sic omnibus præberis probarisque, ut unicam illam, in honoris fastigio raram & amabilem, quæ moribus tuis semper est comes, Comitatem omnes suspiciant. Est interdum alius atque alius qui secunda aura ad inopinos honores vectus insolescit, genii statum mutat, ( Sceptrum enim & Opes faciunt animos ) in Alto positus non nisi alta somniat; usque eò ut ejus supercilium vix quisdam ferre possit: Tu verò indolem ab usitata modestia, mansuetudine, comitate, affabilitateque nè latam stipulam dispescis: Interim aliarum tibi oblatarum dignitatum & gloriæ contemptu verè gloriosus. Nec jam erectiore crista, quàm prius, sed sub humili cultu vultuque delitescens, vita tua cunctis Regula est, ad quam omnes velut ad amussim exigant suam. Ea est pietas, & Regularis observantia, quæ summa: ea morum integritas, quæ perfectissima. Etenim viget etiamnum in te pro ordine tuo, fideque tuenda ac amplificanda zelus indefessus, in Pauperes amor, in omnes benevolentia; cùm ad tuum Palatium, afflictorum asylum, tam plana omnibus sit via, ut singulis sit obvia: cujus Domus sacrarium est pietatis, Pectus ara Consilii, Os Dei simul & Pontificis oraculum. Sed de laudibus tuis nihil ultra dicemus, cum iis expositæ sint Theatris ut nullam patiantur umbram aut recessum; tametsi omnia dicemus, si id unum dixerimus summam esse laudem tuam, *non velle laudari*.

Obsequimur ergo voluntati tuæ, *Eminentissime Domine*: Fruere igitur hoc opimo *Epistolarum* Thesauro, qui tibi Angliam tuam graphicè exprimet, quem sæpiùs inspectum inter cimelia tua collocandum censebis: vilescet aurum, quoties ejuscemodi gemmas intueberis. Et pignus hoc ex voto eximii Scriptoris nostri *Tuæ Eminentiæ* sacratum, læto benignoque, quo soles, vultu inter Palatii penetralia admitte, nostrumque Ordinem semper amare, tueri, ac fovere perge. Interim ut Ecclesiæ diu superstes, maximis laboribus pro Deo exantlatis, tandem felicissima *Præsulis Thomæ* societate perfruaris, animitùs vovet,

EMINENTIÆ VESTRÆ,

*Minimus famulus*

Lovanii in Festo SS. Petri & Pauli. 1682.

Fr. GUILIELMUS WYNANTS,
Ord. FF. Eremit. S. P. AUGUSTINI.

INDEX



# INDEX EPISTOLARUM

## LIBRI PRIMI.

EPIST. I. *Rev: D. & P. B. Thomæ Dei gratia Cantuariensi Archi-Episcopo, suus Joannes, eadem gratia Pictaviensis Ecclesiæ humilis Sacerdos, salutem & sanctæ perseverantiæ virtutem.* fol. 63
Epist. II. *Rev: D. ac Patri sanctissimo Thomæ, Dei gratia Cant. Archi Episc. suus Joannes Pictaviensis Ecclesiæ humilis sacerdos salutē & spiritū fortitudinis.* 64
Epist. III. *Ven. Dom. suo suus ille in eis, quæ Dei sunt, semper proficere.* 66
Epist. IV. *Alexander Papa Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo.* 67
Epist. V. *Alexander Papa Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo.* ibid.
Epist. VI. *Amantissimo Domino suo suus ille salutem, & bene semper valere.* 68
Epist. VII. *Ven. Dom. & Patri charissimo Thomæ, Dei gratia Cantuariensi Archi-Episcopo, & Anglorum Primati, fidelium suorum minimus salutem, & felices ad vota successus.* ibid.
Epist. VIII. *Rev. D. & P. Thomæ, Dei gratia Vener. Cant. Archi Episcopo, suus ille proprius in tribulatione patientiam non deserere.* 69
Epist. IX. *Modestissimo D. suo Thomæ, Dei gratia Cantuariensi Archi-Episcopo, suus Herveus salutem, & sinceræ charitatis obtentum.* 70
Epist. X. *Alexander Papa Rogero Eboracensi Archi Episcopo.* 71
Epist. XI. *Alexander Papa Rogero Eboracensi Archi-Episcopo.* ibid.
Epist. XII. *Rescriptum illarum consuetudinum, quas avitas vocant. Quando & coram quibus facta est recognitio regalium consuetudinum.* 72
Epist. XIII. *Has litteras misit Henricus Rex Angliæ singulis Episcopis Angliæ.* ibid.
Epist. XIV. *Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo quidam amicus.* ibid.
Epist. XV. *Has litteras misit Henricus Rex Angliæ singulis Vice-Comitibus Angliæ, in principio persecutionis S. Thomæ.* ibid.
Epist. XVI. 73
Epist. XVII. *Alexander Papa Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo. In initio tribulationis.* ibid.
Epist. XVIII. *Alexandro Papæ Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus.* ibid.
Epist. XIX. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Hunibaldo Ostiensi Episcopo.* 74
Epist. XX. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Bernardo Portuensi Episcopo.* ibid.
Epist. XXI. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Alberto Presbytero Cardinali.* ibid.
Epist. XXII. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Hyacintho Cardinali Diacono.* ibid.
Epist. XXIII. *Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Nuncius suus.* ibid.
Epist. XXIV. *Thomæ Cant. Arbi-Episc. Saresb.* 75
Epist. XXV. *Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Joannes Pictaviensis Episcopus.* 77
Epist. XXVI. *Alexander Papa Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo.* ibid.



Epist. XXVII. *Alexander Episcopus, servus servorum Dei, vener. fratribus universis suffraganeis Cant. Ecclesiæ, salutem & Apostolicam benedictionem.* 78
Epist. XXVIII. *Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo suus Ernulphus.* ibid.
Epist. XXIX. *Alexandro Papæ & omnibus Cardinalibus, inimici Thomæ Cantuariensis Archi-Episcopi.* ibid.
Epist. XXX. *Causa Thomæ Cantuariensis Archi-Episcopi ante Dominum Papam.* 79
Epist. XXXI. *Thomæ Cantariensi Archi-Episcopo Joannes Saresberiensis.* 80
Epist. XXXII. *Alexander Papa Londoniensi & omnibus Episcopis Cantiæ Provinciæ.* 81
Epist. XXXIII. *Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Joannes de Saresberia.* ibid.
Epist. XXXIV. *Thomas Dei gratia Cantuariensis Ecclesiæ minister humilis, dilecto in Christo filio, & amico, Nobili viro Roberto Comiti Leicestriæ, salutem cum benedictione.* 82
Epist. XXXV. *Thomæ Cantuar. Archi-Episc. Joannes Pictaviensis Episcopus.* ibid.
Epist. XXXVI. *Domino ac Patri suus ille, degener quidem, & ignaviæ suæ meritò derelictus, Christo sic compati, ut & conregnet.* 83
Epist. XXXVII. *Alexander Episcopus servus servorum Dei venerabili Fratri Gilberto Londoniensi Episcopo, salutem, & Apostolicam benedictionem.* ibid.
Epist. XXXVIII. *Patri suo & Domino, Summo Pontifici Alexandro Frater Gilbertus Londoniensis Ecclesiæ Minister, debitum sinceræ charitatis & humilis obedientiæ famulatum.* 84
Epist. XXXIX. *Alexander Papa Roberto Herefordensi Episcopo.* 85
Epist. XL. *Thomas Dei gratia Cantuariensis Ecclesiæ humilis Minister Venerabili Fratri Roberto, eadem gratia Herefordensi Episcopo, salutem, & per omnia benefacere.* ibid.
Epist. XLI. *Alexander Episcopus, servus servorum Dei, Venerabili Fratri Gilberto, Londoniensi Episcopo, salutem, & Apostolicam benedictionem.* 87
Epist. XLII. *Alexander Episcopus servus servorum Dei, Henrico illustri Anglorum Regi, salutem & Apostolicam benedictionem.* ibid.
Epist. XLIII. *Alexander Papa Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo.* 88
Epist. XLIV. *Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo quidam amicus.* ibid.
Epist. XLV. *Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Frater Nicolaus di Monte Rothomagensi.* 89
Epist. XLVI. *Idem eidem Archi-Episcopo.* 90
Epist. XLVII. *Dominus Cantuariensis Fulconi Decano Remensi, totique Capitulo.* ibid.
Epist. XLVIII. *Henrico Regi Angliæ quidam amicus suus.* ibid.
Epist. XLIX. *Alexander Papa Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo.* 91
Epist. L. *Thomæ Cantuariensi Episcopo Herveus Clericus.* ibid.
Epist. LI. *Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Otto Cardinalis.* ibid.
Epist. LII. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Mathildi Imperatrici.* ibid.
Epist. LIII. *Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Frater Nicolaus de Monte Rothomagensi.*



Epist.

Epist. LIV. *Alexander Papa Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo.* 94
Epist. LV. *Alexander Papa Comiti Flandriæ Philippo.* ibid.
Epist. LVI. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Stephano Cancellario Regis Siciliæ.* ibid.
Epist. LVII. *Serenissimę Dominæ, & in Christo charissimæ Mathildi, illustri Reginæ Siculorum, Thomas divina dispensatione Cantuariensis Ecclesiæ Minister humilis salutem, & sic temporaliter regnare in Sicilia, ut cum Angelis æternaliter exultet in gloria.* 95
Epist. LVIII. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus R... Syracusanæ Ecclesiæ Clerico.* ibid.
Epist. LIX. *Alexander Papa Regi Scotiæ.* ibid.
Epist. LX. *Dilecto filio Joanni, Aurelianensi Decano.* 96
Epist. LXI. *Alexander Papa Comiti Henrico.* ibid.
Epist. LXII. *Alexander Papa Abbati de Claro-Marisco.* ibid.
Epist. LXIII. *Reverendissimo Domino suo Henrico, Dei gratia illustri Anglorum Regi Duci Normannorum Comiti Andegaviæ, & Duci Aquitaniæ Thomas eadem gratia Cantuariensis Ecclesiæ humilis Minister, salutem, & per omnia bene facere.* ibid.
Epist. LXIV. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Henrico Regi Angliæ.* 97
Epist. LXV. *Domino suo & amico Henrico, Dei gratia illustri Regi Anglorum, Duci Normanniæ, Comiti Andegaviæ, & Duci Aquitaniæ, Thomas eadem gratia Ecclesiæ Cantuariensis humilis minister, suus olim temporaliter, nunc autem multo magis, in Domino salutem, & veram cum emendatione pœnitentiam.* 98
Epist. LXVI. *Dilectissimo Domino suo Henrico, Dei gratia Regi Anglorum, Duci Normannorum & Aquitanorum, & Comiti Andegaviæ, Thomas eadem gratia Sanctæ Cantuariensis Ecclesiæ Minister humilis salutem, omnique tempore perseverare in bono, ac renuti viriliter suggestionibus malignis.* 100
Epist. LXVII. *Alexander Papa Gilberto Londoniensi Episcopo.* 101
Epist. LXVIII. *Thomas Dei gratia Cantuariensis Ecclesiæ Minister humilis Venerabili Fratri Gilberto, eadem gratia Londoniensi Episcopo, magis in Christo gloriari, quam in sæculo, amplius sperare in Domino, quam in mundi amplexibus.* ibid.
Epist. LXIX. *Henricus Rex Angliæ Reginaldo Schismatico Coloniensi.* 102
Epist. LXX. *Fredericus Dei gratia Romanorum Imperator, & semper Augustus cunctis populis, quos clementiæ nostræ regit Imperium.* ibid.
Epist. LXXI. *Fredericus Imperator Stablaunensi Abbati.* 103
Epist. LXXII. *Alexandro Papæ quidam amicus suus.* 104
Epist. LXXIII. *Joanni Pictaviensi Episcopo Joannes Saresberiensis.* 105
Epist. LXXIV. *Alexander Papa Gilberto Londoniensi Episcopo.* 106
Epist. LXXV. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Guntherio dilecto suo.* ibid.
Epist. LXXVI. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Conrardo Moguntino electo.* 107
Epist. LXXVII. *Alexandro Papæ Thomas Cantuariensis Archi Episcopus.* ibid.
Epist. LXXVIII. *Alexander Episcopus, servus servorum Dei, Rogerio Eboracensi Archi-Episcopo, & dilectis filiis Canonicis Eboracensibus, salutem & Apostolicam benedictionem.* ibid.
Epist. LXXIX. *Alexander Papa Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo.* ibid.
Epist. LXXX. *Alexander Papa Clarenbaldo Sancti Augustini Electo, & Monacho.* 108
Epist. LXXXI. *Alexander Papa Abbati & Fratribus Pontiniacensis Monasterii.* ibid.
Epist. LXXXII. *Alexander Papa Cisterciensi & Pontiniacensi Abbatibus, & universis Fratribus Ordinis Cisterciensis.* ibid.
Epist. LXXXIII. *Alexander Papa Priori & Fratribus Cantuariæ.* ibid.
Epist. LXXXIV. *Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Ludovicus Rex Franciæ.* 109
Epist. LXXXV. *Venerab. & dilecto D. & Patri suo Thomæ, Dei gratia Cantuar. Archi Episc; ad prosperitatę & saluę Spiritu consilii & fortitudinis pervenire.* ibid.
Epist. LXXXVI. *Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo suus Ernulphus.* 112
Epist. LXXXVII. *Thomæ Cant. suus Hugo.* 113
Epist. LXXXVIII. *Joan. Saresb. cuidam amico suo.* ibid.
Epist. LXXXIX. *Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Petrus Papiensis Episcopus.* 114
Epist. XC. *Alexander Papa Rotrodo Rothomagensi Archi-Episcopo, & suffraganeis ejus.* ibid.
Epist. XCI. *Alexander Papa Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo & omnibus Episcopis Angliæ.* ibid.
Epist. XCII. *Alexander Papa Abbatibus & Fratribus Cisterciensis Ordinis.* 115
Epist. XCIII. *Joannes de Saresberia Magistro Waltero de Insula.* ibid.
Epist. XCIV. *Joannes Saresberiensis magistro Waltero de Insula.* 116
Epist. XCV. *Joannes Saresberiensis magistro Radulpho Lexoviensi.* ibid.
Epist. XCVI. *Thomas Dei gratia Cantuariensis Ecclesiæ Minister humilis, venerabilibus Fratribus suis, Londoniensi, cæterisque totius Cantiæ Provinciæ Episcopis, sic transire per bona temporalia, ut non amittant æterna.* 117
Epist. XCVII. *Thomas Dei gratia Cantuariensis Ecclesiæ Minister humilis venerabilibus Fratribus Cantiæ Provinciæ Episcopis universis salutem.* 118
Epist. XCVIII. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Gaufredo Ridel Archi Diacono Cantiæ.* 119
Epist. XCIX. *Thomas Dei gratia Cantuariensis Ecclesiæ Minister humilis, & Apostolicæ Sedis Legatus, Gaufredo inobedienti, Archi Diacono Cant. consultius sibi prospicere propter inobedientiam.* 120
Epist. C. *Thomas Dei gratia Cantuariensis Ecclesiæ Minister humilis venerabili Fratri Jocelino, eadem gratia Saresberiensi Episcopo, visis litteris nostris statim respiscere a malo, & de cætero constantius facere bonum.* ibid.
Epist. CI. *Thomas Dei gratia Cantuariensis Ecclesiæ Minister humilis universo Saresberiensis Ecclesiæ Capitulo scientiæ & consilii spiritum.* ibid.
Epist. CII. *Rotrodus Rothomagensis Archi-Episcopus Henrico Presbytero Cardinali.* 121
Epist. CIII. *Joanni Episcopo Pictaviensi Joannes Saresberiensis.* ibid.
Epist. CIV. *Thomæ Cantuariensi Archi Episcopo Jocelinus Saresberiensis Episcopus.* 122
Epist. CV. *Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Capitulum Saresberiense.* ibid.
Epist. CVI. *Henrico Regi Angliæ Gilbertus Londoniensis Episcopus.* ibid.
Epist. CVII. *Jocelino Saresberiensi Episcopo Joannes de Saresberia.* 123
Epist. CVIII. *Thomas Cantuariensis Ecclesiæ humilis Minister Gilberto Episcopo Londoniensi, quod semel hoc iterum, sic transire per bona temporalia, ut non amittat æterna.* ibid.
Epist. CIX. *Joannes Saresberiensis magistro Radulpho Nigro, &c.* 125
Epist. CX. *Idem eidem Radulpho Nigro.* 127
Epist. CXI. *Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Joannes de Saresberia.* ibid.
Epist. CXII. *Alexander Papa Episcopo Meldensi, & Abbati Sancti Crispini.* 128
Epist. CXIII. *Thomas Dei gratia Cantuariensis Ecclesiæ humilis Minister Venerabili fratri Henrico Dei gratia Vintoniensi Episcopo, scientiæ & consilii spiritum.* ibid.
Epist. CXIV. *Alexander Papa Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo.* ibid.
Epist. CXV. *Alexander Papa Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo,* 129
Epist. CXVI. *Alexander Episcopus servus servorum Dei, venerabilibus Fratribus Episcopis, & dilectis filiis Abbatibus, & aliis Ecclesiarum Prælatis, per totam Angliam extra Episcopatum Eboracensem constitutis, salutem & Apostolicam benedictionem.* ibid.
Epist. CXVII. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Herefordensi & Vigornensi Episcopis.* ibid.
Epist. CXVIII. *Alexander Papa Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo.* 130
Epist. CXIX. *Idem eidem.* ibid.
Epist. CXX. *Idem omnibus Episcopis Cantiæ Provinciæ.* ibid.
Epist. CXXI. *Thomas Cant. Archi-Episcopus Gilberto Londoniensi, & omnibus Episcopis Angliæ.* ibid.
Epist. CXXII. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Gilberto Londoniensi Episcopo.* ibid.
Epist. CXXIII. *Henrico Regi Angliæ Gilbertus Londoniensis Archi-Episcopus.* 131
Epist. CXXIV. *Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Gilbertus Londoniensis Episcopus.* 132
Epist. CXXV. *Alexandro Papæ Gilbertus Londoniensis Episcopus.* ibid.
Epist. CXXVI. *Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Clerus Angliæ.* ibid.
Epist. CXXVII. *Thomas Cant. universo Clero Angliæ.* 134
Epist. CXXVIII. *Clerus Cantiæ Provinciæ Alexandro papæ.* 139
Epist. CXXIX. *Alexandro Papæ Thomas Cantuariensis Archi Episcopus.* 140
Epist. CXXX. *Bartholomeo Exoniensi Episcopo Joannes Saresberiensis.* 141
Epist. CXXXI. *Henrico Regi Angliæ Gilbertus Londoniensis Episcopus.* 144
Epist. CXXXII. *VVilhelmus Papiensis Gilberto Londoniensi Episcopo.* ibid.
Epist. CXXXIII. *Abbati Sancti Edmondi Joannes de Saresberia.* ibid.
Epist. CXXXIV. *Thomæ Cantuariensi Archi Episcopo quidam Cardinalis.* 145
Epist. CXXXV. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Hyacintho Diacono Cardinali.* ibid.
Epist. CXXXVI. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Bosoni Cardinali.* 146
Epist. CXXXVII. *Thomas Cant. Archi-Episcopus Fratri Nicolao de Monte-Rothomagensi.* ibid.
Epist. CXXXVIII. *Alexandro Papæ Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus.* 147
Epist. CXXXIX. *In eundem modum Conrardo Moguntino Archi-Episcopo, & Sabino Episcopo, & Domino Hyacintho, & Henrico Pisano, Cardinalibus, usque:* Nisi resipuerit. 148
Epist. CXL. *Bartholomeo Exoniensi Episcopo Joannes Saresberiensis.* ibid.
Epist. CXLI. *Joannes Saresberiensis Nicolao de Monte-Rothomagensi.* 151
Epist. CXLII. *Alexander Papa Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo.* ibid.
Epist. CXLIII. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Rotrodo Archi-Episcopo Rothomagensi.* ibid.
Epist. CXLIV. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Roberto Episcopo Herefordensi.* ibid.
Epist. CXLV. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Cicestrensi Episcopo.* 152
Epist. CXLVI. *Thomæ Cant. Archi-Episcopo Nicolaus de Monte-Rothomagensi.* ibid.
Epist. CXLVII. *Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Joannes de Saresberia.* 153
Epist. CXLVIII. *Alexander Papa Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo.* ibid.
Epist. CXLIX. *Idem eidem Archi-Episcopo.* 154
Epist. CL. *Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Joannes Saresberiensis.* ibid.
Epist. CLI. *Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Joannes Saresberiensis.* 156
Epist. CLII. *Joannes Saresberiensis Nicolao de Monte-Rothomagensi.* ibid.
Epist. CLIII. *Joannes Saresberiensis Radulpho de Bello-Monte.* 157
Epist. CLIV. *Joannes Saresberiensis VVilhelmo Supriori Ecclesiæ Christi Cantuariæ.* ibid.
Epist. CLV. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Nicolao de Monte Rothomagensi.* 158
Epist. CLVI. *Constantiensi Episc. Joannes Saresber.* ibid.
Epist. CLVII. *Joan. Sareber. Roberto de Feveresham.* 159
Epist. CLVIII. *Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo quidam amicus.* ibid.
Epist. CLIX. *Joannes Saresb. magistro Richardo.* 160
Epist. CLX. *Alexander Papa omnibus Episc. Angliæ.* ibid.
Epist. CLXI. *Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Joannes Saresberiensis.* ibid.
Epist. CLXII. *Herefordensi Episcopo Ermus. Abbas, & R. Prior Sancti Victoris.* 162
Epist. CLXIII. *Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Joannes Saresberiensis.* 163
Epist. CLXIV. *Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Joannes Pictaviensis Episcopus.* 164
Epist. CLXV. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Joanni Clerico suo.* ibid.
Epist. CLXVI. *Alexandro Papæ Lombardus Romanæ Ecclesiæ Sub-Diaconus.* 166
Epist. CLXVII. *Bartholomeo Exoniensi Episcopo Joannes Saresberiensis.* 167
Epist. CLXVIII. *Joan. Sareb. magist. Girardo Pucel.* ibid.
Epist. CLXIX. *Joannes Saresberiensis Richardo Pictaviensi Archi-Diacono.* 169
Epist. CLXX. *Joan. Saresb. Magist. Girardo Pucelle.* 170
Epist. CLXXI. *Joan. Sareb. Magist. Girardo Pucelle.* 171
Epist. CLXXII. *Idem Magistro Girardo Pucelle.* 172
Epist. CLXXIII. *Idem Magistro Girardo Pucelle.* ibid.
Epist. CLXXIV. *Thomas Cant. Archi-Episc. R.... Abbati.*

*bati, & Wilhelmo Priori de Valle.* 174.
Epist. CLXXV. *Alexander Papa Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo.* ibid.
Epist. CLXXVI. *Juramentum Magistri Girardi Pucelle, & aliorum à Schismate redeuntium.* ibid.
Epist. CLXXVII. *Alex. Papa Ludovico Regi Franc.* ibid.
Epist. CLXXVIII. *Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Ernulphus, Fidelium ejus minimus.* ibid.
Epist. CLXXIX. *Joanni Pictaviensi Episcopo Joannes Saresberiensis,* 176.

# INDEX

## EPISTOLARUM

### LIBRI SECUNDI.

EPIST. I. *Alexander Papa Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo.* 178.
Epist. II. *Alexander Papa Henrico Regi Anglorum.* ibid.
Epist. III. *Alexander Papa Episcopis Angliæ.* 179.
Epist. IV. *Thom. Cant. Archi-Episcopo Otto Card.* ibid.
Epist. V. *Thomæ Cantuariensis Archi-Episcopo V.... Bituricensis Archi-Diaconus.* ibid.
Epist. VI. *Thomæ Cantuariensi Archi-Episc. quidam familiaris,* ibid.
Epist. VII. *Alexander Papa Thomæ Cant. Archi-Epis.* 181.
Epist. VIII. *Wilhelmo Papiensi Joannes Saresber.* ibid
Epist. IX. *Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Wilhelmus Papiensis.* 182.
Epist. X. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Wilhelmo Papiensi.* ibid.
Epist. XI. *Thomas Cantuariensis Archi Episcopus Wilhelmo Papiensi.* ibid.
Epist. XII. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Wilhelmo Papiensi.* 183.
Epist. XIII. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Ottoni Cardinali.* ibid.
Epist. XIV. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Hyacintho Cardinali.* 184.
Epist. XV. *Joannes Saresber. Magistro Richardo.* ibid.
Epist. XVI. *Joannes Saresber. Magistro Laurentio.* ibid.
Epist. XVII. *Joanni Pictaviensi Episcopo Joannes Saresberiensis.* 85.
Epist. XVIII. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Ottoni Cardinali* ibid.
Epist. XIX. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Wilhelmo Papiensi.* 186.
Epist. XX. *Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Joannes Saresberiensis.* ibid.
Epist. XXI. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Conrado Archi-Episcopo Moguntino.* 187.
Epist. XXII. *Alexandro Papæ Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus.* 188.
Epist. XXIII. *Alexander Papa Wilhelmo & Ottoni Cardinalibus.* ibid.
Epist. XXIV. *Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Wilhelmus & Otto Cardinales.* 189.
Epist. XXV. *Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Joannes Saresberiensis.* ibid.
Epist. XXVI. *Joanni Pictaviensi Episc. Joan. Saresb.* ibid.
Epist. XXVII. *Verba Domini Cantuariensis cum Legatis inter Gisortium & Triam.* 191.
Epist. XXVIII. *Alexandro Papa Wilhelmus & Otto Cardinales.* 192.
Epist. XXIX. *Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Wilhelmus & Otto Cardinales.* 193.
Epist. XXX. *Alexandro Papæ Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus.* ibid.
Epist. XXXI. *Joanni Pictaviensi Episcopo Joannes Saresberiensis.* 196.
Epist. XXXII. *Idem Magistro Lombardo.* ibid.
Epist. XXXIII. *Alexandro Papæ Episcopi, & Clerus Angliæ.* 198.
Epist. XXXIV. *Alexander Papa Wilhelmo & Ottoni Cardinalibus.* ibid.
Epist. XXXV. *Alexandro Papæ Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus.* 199.
Epist. XXXVI. *Joannes Saresberiensis Conventui Cantuariensis Ecclesiæ.* ibid.
Epist. XXXVII. *Idem Magistro Nicolao.* 200.
Epist. XXXVIII. *Engelberto Priori de Valle Sancti Petri Joannes Saresberiensis.* 201.
Epist. XXXIX. *Joannes de Saresberia Radulpho de Arundel.* ibid.
Epist. XL. *Wilhelmo Suppriori Cantuariensi Joannes de Saresberia.* 202.
Epist. XLI. *Rex Angliæ cuidam Cardinali vel cœtui Cardinalium,* ibid.
Epist. XLII. *Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Mathildis Imperatrix.* 203.
Epist. XLIII. *Alexander Papa Ludovico Regi Francorum,* ibid.
Epist. XLIV. *Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Rotrodus Rothomagensis Archi-Episcopus.* 204.
Epist. XLV. *Alexandro Papæ Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus.* ibid.
Epist. XLVI. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Cardinalibus.* 205.
Epist. XLVII. *Alexandro Papæ Thomas Cantuariensis Archi Episcopus,* 206.
Epist. XLVIII. *Joannes Saresber. Petro Scriptori.* 207.
Epist. XLIX. *R... Abbati Persorensi Joan. Saresber.* 208.
Epist. L. *Alberto Cardinali Joannes Saresberiensis.* ibid.
Epist. LI. *Idem Joanni Pictaviensi Episcopo.* 209.
Epist. LII *Joannes de Saresberia Wilhelmo Suppriori Cantiæ.* ibid.
Epist. LIII. *Guilielmo & Oddoni Prioribus Cantuariensis Ecclesiæ Joannes de Saresberia.* 210.
Epist. LIV. *Alexandro Papæ Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus.* ibid.
Epist. LV. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Mamfredo Cardinalibus.* 211.
Epist. LVI. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Ricardo Electo Syracusano.* ibid.
Epist. LVII. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Bernardo Portuensi Episcopo.* ibid.
Epist. LVIII. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Humbaldo & Hyacintho Cardinalibus.* 212.
Epist. LIX. *Alexandro Papæ Ludovicus Rex Franc.* ibid.
Epist. LX. *Alexandro Papæ Joannes de Saresberia.* 213.
Epist. LXI. *Bartholomeo Exoniensi Archi-Diacono Joannes Saresberiensis.* ibid.
Epist. LXII. *Alexandro Papæ Carnotensis Electus.* 214.
Epist. LXIII. *Bartholomeo Exoniensi Archi-Diacono Joannes Saresberiensis.* 215.
Epist. LXIV. *Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Joannes Saresberiensis.* 218.
Epist. LXV. *Joanni Pictaviensi Episc. Joan. Saresb.* ibid.
Epist. LXVI. *Bartholomeo Exoniensi Archi-Diacono Joannes de Saresberia.* 219.
Epist. LXVII. *B..... Norwicensi Archi Diacono Joannes de Saresberia.* 222.
Epist. LXVIII. *Alexander Papa Episcopis Angliæ.* ibid.
Epist. LXIX. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Gileberto de Semplingeham.* 223
Epist. LXX. *Henrico Regi Angliæ Fratres Carthusiæ.* ibid.
Epist. LXXI *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Joanni Cardinali Joannis & Pauli.* ibid.
Epist. LXXII. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Canonicis Pantaneiæ.* 224.
Epist. LXXIII. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Henrico Presbytero Cardinali.* ibid.
Epist. LXXIV. *Alexandro Papæ Wilhelmus Carnotensis Electus.* 225.
Epist. LXXV. *Alexand. Papa Henrico Regi Angl.* ibid.
Epist. LXXVI. *Joannes Saresberiensis R.... Priori Wigornensi.* ibid.
Epist. LXXVII *Joannes Saresberiensis R.... Priori Moreton.* 226.
Epist. LXXVIII. *Joannes Saresberiensis Baldewino Archi Diacono Exoniensi.* ibid.
Epist. LXXIX *Thomæ Cantuariensi Archi Episcopo Denus Rex Gualliæ.* 227.
Epist. LXXX. *Thomas Cantuariensis Archi Episcopus Deno Regi Gwalliæ.* ibid.
Epist. LXXXI. *Thomas Cantuariensis Archi Episcopus Bangornensi Archi Diacono.* ibid.
Epist. LXXXII *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Arthuro de Burgis & Complicibus suis.* ibid.
Epist. LXXXIII *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Archi Diacono, & Canonicis Bagornensibus.* ibid.
Epist. LXXXIV. *Rex Angliæ Abbati Cisterciensi.* 228.
Epist. LXXXV. *Joannes de Saresberia Magistro Simoni de Bello.* ibid.
Epist. LXXXVI. *Thomas Cantuariensis Archi Episcopus Roberto Præposito Arcensi.* ibid.
Epist. LXXXVII. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Fulconi Decano Remensi.* 229.
Epist. LXXXVIII. *Thomas Cantuariensis Archi Episcopus Rogerio Vigornensi Episcopo.* ibid
Epist. LXXXIX. *Joannes Saresberiensis Wilhelmo Suppriori Cantiæ.* ibid.
Epist. XC. *G.... Ambiensi Episc. Joan. de Saresberia.* 230
Epist. XCI. *Joannes de Saresberia Magistro Humfrido Bon.* 231.
Epist. XCII. *H.... Bajocensi Episc. Joan. de Saresb.* ibid.
Epist. XCIII. *Rico. ... Constantiensi Archi Diacono Joannes de Saresberia.* 232.
Epist. XCIV *Alexander Papa Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo.* ibid.
Epist. XCV. *Magistro Sylvestro Thesaurario Pictaviensi Joannes de Saresberia.* ibid.
Epist. XCVI. *Rogerio Vigornensi Episcopo Joannes de Saresberia.* 233.
Epist. XCVII *Alexand. Papæ Wilhelmus Papiensis.* 234.
Epist. XCVIII. *Alexandro Papæ Cardinalis.* ibid.
Epist. XCIX. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Joanni Presbytero.* ibid.
Epist. C. *Alexandro Papæ Petrus Abbas S. Remigii.* 235.
Epist. CI. *Wilhelmus & Otto Cardinales Norwicensi & Cicestrensi Episcopis.* ibid.
Epist. CII. *Milonii Morinorum Episc. Joan. Saresber.* ibid.
Epist. CIII. *Alexandro Papæ Joan. Saresberiensis.* 236.
Epist. CIV. *Alexander Papa Wilhelmo & Ottoni Cardinalibus.* 237.
Epist. CV. *Joannes de Saresberia Roberto Archi-Diacono de Surreja.* ibid.



Epist. CVI. *Bartholomæo Exoniensi Archi-Diacono Joannes Saresberiensis.* ibid.
Epist. CVII. *Joan. Saresberiensis cuidam Amico suo,* 239.
Epist. CVIII. *Idem Bartholomeo Exoniensi Archi-Diacono.* 240.
Epist. CIX. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Alexandro & Joanni Fidelibus suis.* 241.
Epist. CX *Joannes Saresberiensis Magistro Balduino Archi-Diacono.* ibid.
Epist. CXI *Alexander Papa Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo.* 242.

# INDEX

## EPISTOLARUM

### LIBRI TERTII.

EPIST. I. *Alexander Papa Thomæ Cantuariensi Archi Episcopo.* 243.
Epist. II *Alexander Papa Henrico Regi Angliæ.* ibid.
Epist. III. *Alexander Papa Henrico Regi Angliæ.* 244.
Epist. IV. *Thomæ Cantuariensi Archi-Episc. Magister Vivianus.* 245.
Epist V. *Bartholomeo Exoniensi Archi-Diacono Joannes Saresberiensis.* ibid.
Epist. VI. *Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo quidam Amicus.* 246.
Epist. VII. *Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo quidam Amicus.* 247.
Epist. VIII. *Henricus Rex Angliæ Wilhelmo Senonensi Episcopo.* 248.
Epist. IX. *Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Magister Vivianus.* ibid.
Epist. X. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Magistro Viviano fideli suo & S. R. Ecclesiæ Advocato.* ibid.
Epist. XI. *Alexander Papa Henrico Regi Angliæ.* 249.
Epist XII. *Joanni Pictaviensi Episcopo Joannes Saresberiensis.* ibid.
Epist. XIII. *Rotrodus Rothomagensis Archi-Episcopus Regi Angliæ.* 250.
Epist. XIV. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Frog.... Sagiensi Episcopo.* ibid.
Epist. XV. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Meldensi Episcopo.* ibid.
Epist. XVI. *Alexandro Papæ Milo Morinorum Episc.* 251.
Epist. XVII. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Capitulo Cantuariensi.* 252.
Epist. XVIII. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus cuidam Amico.* 253.
Epist. XIX. *Joannes Saresberiensis Conventui Cantuariensi.* ibid.
Epist. XX. *Alexandro Papæ Henricus Rex Angliæ.* 254.
Epist. XXI. *Alexandro Papæ Rotrodus Rothomagensis Archi-Episcopus.* 255.
Epist. XXII. *Alexandro Papæ Bernardus Nivernensis Episcopus.* 256.
Epist. XXIII. *Alexandro Papæ Episcopi & Clerus Normanniæ.* ibid.
Epist. XXIV. *Alexander Papa Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo.* 257.
Epist. XXV. *Alexander Papa Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo.* ibid.
Epist. XXVI *Rex Angliæ Wilhelmo Senonensi Archi-Episcopo.* ibid.
Epist. XXVII. *Alexandro Papæ Vivianus.* 258.

Epist.

Epist. XXVIII. *Alexandro Papæ Mauricius Parisiensis Episcopus* . 259.
Epist. XXIX. *Henricus Rex Angliæ omnibus Abbatibus Cisterciensis Ordinis* . ibid.
Epist. XXX. *Wilhelmus Senonensis Archi-Episcopus Regi Angliæ* . 260.
Epist. XXXI. *Wilhelmus Senonensis Archi-Episcopus Gratiano, & Viviano Legatis* . ibid.
Epist. XXXII. *Amicus Amico* . ibid.
Epist. XXXIII. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Clericis Cantiæ* . ibid.
Epist. XXXIV. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Wilhelmo Suppriori, & Conventui Cantuariensi* 261.
Epist. XXXV. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Capitulo Rothomagensi* . ibid.
Epist. XXXVI. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Rothomagensi Archi-Episcopo.* 262.
Epist. XXXVII. *Dominus Gratianus S.R Ecclesiæ Sub-Diaconus & Domini Papæ Notarius, Gaufredo Ridel Cantuariensi Archi-Diacono, & Nigello de Sacca. Villa, & Thomæ filio Bernardi* . ibid.
Epist. XXXVIII. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Clerebaldo Electo, & Fratribus S. Augustin.* 263.
Epist. XXXIX. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Gilberto Londoniensi Episcopo* . ibid.
Epist. XL. *Thomas Cantuariensis Archi Episcopus Gilberto Londoniensi Episcopo* . ibid.
Epist. XLI. *Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Magister Wilhelmus* . 264.
Epist. XLII *Henrico Regi Angliæ Gilbertus Londoniensis Episcopus* . ibid.
Epist. XLIII. *Thomas Cantuariensis Archi Episcopus Clero Londoniensi* . 265.
Epist. XLIV. *Thomas Cantuariensis Archi Episcopus Norwicensi Episcopo* . ibid
Epist. XLV. *Thomas Cantuariensis Archi Episcopus Nigello Eliensi Episcopo & Rico Archi-Diac. suo.* ibid.
Epist. XLVI. *Henrico Regi Angliæ Gileberius Londoniensis Episcopus* . 266.
Epist. XLVII. *Henricus Rex Angliæ Gileberto Londoniensi Episcopo* . ibid.
Epist. XLVIII. *Alexandro Papæ Henricus Rex Angliæ* . ibid.
Epist. XLIX. *Alexandro Papæ Rotrodus Rothomagensis Archi-Episcopus* . 267.
Epist. L. *Alexandro Papæ Laurentius Abbas Westmonasterii* . ibid
Epist. LI. *Alexandro Papæ Abbas Ramesiensis* . ibid.
Epist. LII. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Henrico Vintoniensi Episcopo* . 268.
Epist. LIII. *Nomina Excommunicatorum* . ibid.
Epist. LIV. *Alexandro Papæ Thomas Cantuariensis Archi Episcopus* . 269
Epist. LV. *Thomas Cantuariensis Ostiensi Episc.* 270.
Epist. LVI. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Hyacintho Cardinali* . 271.
Epist. LVII. *Thomas Cantuariensis Wilhel. Papien.* ibid.
Epist. LVIII. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Joanni Cardinali Joannis & Pauli* . 272.
Epist. LIX. *Idem Portuensi Episcopo* . ibid.
Epist. LX. *Thomas Cantuariensis Archi Episcopus Joanni Cardinali Neapolitano* . ibid.
Epist. LXI. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Wilhelmo Senonensi Archi-Episcopo.* 273.
Epist. LXII. *Alexandro Papæ Magister Vivianus* 275.
Epist. LXIII. *Henrico Regi Angl. Magister Vivian.* ibid
Epist. LXIV. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Gratiano* . 276.
Epist. LXV. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Joanni & Alexandro Clericis suis* . ibid.
Epist. LXVI. *Alexandro Papæ Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus* . 278.
Epist. LXVII. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Alexandro & Joanni Nunciis suis* . ibid.
Epist. LXVIII. *Thomas Cantuariensis Clericis & Laicis Cantiæ* . 279.
Epist. LXIX. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Gaufredo Archi Diacono Cantuariensi* . ibid.
Epist. LXX. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Rotrodo Rothomagensi Archi-Episcopo* . ibid.
Epist. LXXI. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Dunelmensi Episcopo* . 280.
Epist. LXXII. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Clericis Cicestrensis Ecclesiæ* . ibid.
Epist. LXXIII. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus VVigornensi Episcopo* . 281.
Epist. LXXIV. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Gratiano.* 282.
Epist. LXXV. *Alexandro Papæ Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus* . 283.
Epist. LXXVI. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Alberto & Theobaldo Cardinalibus* . 284.
Epist. LXXVII. *Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Gratianus Romanæ Ecclesiæ Subdiaconus:* ibid.
Epist. LXXVIII. *Alexandro Papæ Senonensis Archi-Episcopus* . 285.
Epist. LXXIX. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Hostiensi Episcopo Humbaldo* . ibid.
Epist. LXXX *Amicus Amico* . 287.
Epist. LXXXI *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus VVilhelmo Papiensi* . ibid.
Epist. LXXXII. *Alexandro Papæ Baldewinus Noviomensis Episcopus* . 288.
Epist. LXXXIII. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Joanni Cardinali Joannis & Pauli* . ibid.
Epist. LXXXIV. *Thomas Cantuariensis Archi Episcopus Hugoni Cardinali de Bononia* . ibid.
Epist. LXXXV. *Alexandro Papæ G.... Altisiodorensis Episcopus* . ibid.
Epist. LXXXVI. *Alexandro Papæ Mauricius Parisiensis Episcopus* . 289.
Epist. LXXXVII. *Thomas Cantuariensis Archi-Episc. Rogerio Vigornensi Episcopo* . ibid.
Epist. LXXXVIII. *Alexandro Papæ VVilhelmus Senonensis Episcopus* . 290.
Epist. LXXXIX. *Alexandro Papæ Matthæus Trecensis Episcopus* . ibid.
Epist. XC. *Oddo Monachus Richardo Pictaviensi Archi-Diacono* . ibid.
Epist. XCI. *Henricus Vigornensis Episcopus Capitulo Cantuariensi* . 292.
Epist. XCII. *Alexandro Papæ Thomas Cantuariensis Archi Episcopus* . ibid.
Epist. XCIII. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Henrico Vintoniensi Episcopo* . 293.
Epist. XCIV. *Idem eidem.* ibid.
Epist. XCV. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Gileberto Londoniensi Episcopo* . 294.
Epist. XCVI. *Alex. Papæ Philipp. Comes Flandriæ.* ibid.
Epist. XCVII. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Stephano Meldensi Episcopo* . 295.
Epist. XCVIII. *Alex. Papæ Stephanus Meldensis Episc.* ibid.





# INDEX EPISTOLARUM LIBRI QUARTI.

Epist. I. *Alexander Papa Simoni Priori de Monte Dei, & Bernardo de Corilo* . 296.
Epist. II. *Alexander Papa Henrico Regi Angliæ* . ibid.
Epist. III. *Alexander Papa Henrico Regi Angliæ.* 297.
Epist. IV. *Alexander Papa Henrico Regi Angliæ* . ibid.
Epist. V. *Thom. Cantu. Archi-Episc. Henrico Regi Angl.* 298.
Epist. VI. *Alexan. Papæ Thom. Cantuar. Archi-Episc.* ibid.
Epist. VII. *Alex. Papæ VVilhel. Senonensis Archi-Episc.* 299.
Epist. VIII. *Alexandro Papæ Simon Prior de Monte Dei, & Engelbertus Pior de Valle S. Petri* . 300.
Epist. IX. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Simoni Priori de Monte Dei, & Bernardo de Corilo* . ibid.
Epist. X *Alexandro Papæ Simon Prior de Monte Dei, & Engelbertus Prior de Valle S. Petri* . 301.
Epist. XI. *Alberto Card. Simon Prior de Monte Dei* . ibid.
Epist. XII. *Alex. Papæ Thom. Cantuar. Archi Episc.* ibid.
Epist. XIII. *Alex. Pap. Thom. Cantuar. Archi-Episc.* 302.
Epist. XIV. *Alex. Papæ Thom. Cantuar. Archi-Episc.* ibid.
Epist. XV *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Conrardo Moguntino Archi-Diacono* . 304.
Epist. XVI. *Alex. Papa Thomæ Cant. Archi-Episc.* ibid.
Epist. XVII. *Alex. Papa Thom. Cant. Archi-Episc.* 305.
Epist. XVIII. *Alex. Papæ Ludovicus Rex Franciæ.* ibid.
Epist. XIX. *Alex. Papæ A..... Regina Francorum* . ibid.
Epist. XX. *Alex. Papæ Stephanus Meldensis Episc.* 306.
Epist. XXI. *Alex. Papæ N.... Senonensis Thesaurar.* ibid.
Epist. XXII. *Ludovicus Rex Franciæ Hostiensi Episc.* 307.
Epist. XXIII. *Alexan. Papæ Canonici Remenses* . ibid.
Epist. XXIV. *Alexand. Papæ Remensis Episcopus.* ibid.
Epist. XXV. *Alexandro Papæ Prior Sancti Victoris & R..... Abbas quondam S. Augustini* . 308.
Epist. XXVI. *Th. Cant. Archi-Episc. Wilhel. Papien.* ibid.
Epist. XXVII. *Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Bernardus Portuensis Episcopus* . ibid.
Epist. XXVIII. *Thom. Cant. Magistro Lombardo* . 309.
Epist. XXIX *Joannes Saresberiensis Simoni Priori de Monte Dei, & Engelberto Priori de Valle S. Petri.* ibid.
Epist. XXX. *Alexan. Papa universis Episc. Angliæ.* ibid.
Epist. XXXI. *Alexander Papa Joanni Cumin* . 310.
Epist. XXXII. *Idem Vigornensi Episcopo.* ibid
Epist. XXXIII. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Episcopis suis, & Dunelmensi Episcopo* . ibid
Epist. XXXIV. *Joan. Saresber. Conventui Cantuar.* 311.
Epist. XXXV. *Joan. Sares. Wilhel. Suppriori Cant.* 312.
Epist. XXXVI. *Idem Conventui Cantuariæ* . ibid.
Epist. XXXVII. *Alexandro Papæ Bernardus Noviomensis & Mauricius Parisiensis Episcopi* . 313
Epist. XXXVIII. *Thomas Cantuariensis Archi Episcopus Gaufredo Antisiodorensi Episcopo* . 314.
Epist. XXXIX *Joan. Saresber. Magistro Gaufredo.* ibid.
Epist. XL. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Roberto Vigornensi Episcopo* . 315.
Epist. XLI. *Alexander Papa Rogerio Eboracensi Archi Episcopo, & omnibus Episcopis Angliæ* . 316.
Epist. XLII. *Alexander Papa Rogerio Eboracensi Dunelmensi, & omnibus Episcopis Angliæ* . ibid.
Epist. XLIII. *Alexander Papa Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo, & omnibus Episcopis Angliæ.* ibid.
Epist. XLIV. *Thom. Cantuar. omnibus Episc. Angliæ.* ibid.
Epist. XLV. *Th. Cant. Archi-Episc. Vintoniensi Episc.* ibid.
Epist. XLVI. *Thom. Cantuar. Archi-Episc. Rogerio Eboracensi Archi-Episc. Similiter omnibus Episc. Ang.* 317.
Epist. XLVII. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus omnibus in Anglia constitutis, qui contra Dominum Papam Alexandrum juraverunt* . ibid.
Epist. XLVIII. *Th. Cant. Archi-Episc. quidam Amicus.* 318.
Epist. XLIX. *Joan. Saresber. Magistro Hereberto* . ibid.
Epist. L. *Alexan. Papæ Thom. Cantuar. Archi-Episc.* 319.
Epist. LI. *Alexan. Papa Ludovico Regi Francorum.* ibid.

# INDEX EPISTOLARUM LIBRI QUINTI.

Epist. I. *Alexander Papa Henrico Regi Angliæ.* 321
Epist. II. *Alexander Papa Rotrodo Rothomagensi Archi-Episcopo* . 322.
Epist. III. *Alexander Papa Rotrodo Rothomagensi, & Bernardo Nivernensi Episcopo* . ibid.
Epist. IV. *Alex. Papa Rothomag. & Nivernensi Episc.* 323.
Epist. V. *Idem eisdem* . ibid.
Epist. VI. *Alex. Papa Bernardo Nivernensi Episc.* 324.
Epist. VII. *Alexan. Papa omnibus Episcopis Cantiæ.* ibid.
Epist. VIII. *Alexander Papa Eboracensi, Dunelmensi, & Clero eorum* . ibid.
Epist. IX. *Th. Cant. Archi-Episc. Pictaviensi Episc.* 325.
Epist. X. *Alexander Papa Turonensi Archi-Episcopo, & Suffraganeis, & Clero* . ibid.
Epist. XI. *Thom. Cant. Archi-Episc. quidam Amicus* . ibid.
Epist. XII. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Nivernensi Episc. sub alterius nomine propter insidias* 326.
Epist. XIII. *Joannes Saresberiensis cuidam Amico.* 328.
Epist. XIV. *Rex Angliæ Rothomagensi Archi-Episc.* ibid.
Epist. XV. *Alexander Papa Rothomagensi & Nivernensi Episcopis* . 329.
Epist. XVI. *Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Rothomagensis Archi-Episcopus* . ibid.
Epist. XVII. *Alex. Papa Thomæ Cant. Archi Episc.* ibid.
Epist. XVIII. *Bartholomæo Exoniensi Archi-Diacono Joannes de Saresberia* . ibid.
Epist. XX. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Rothomagensi Archi-Episcopo:* 330.
Epist. XX *Thom. Cantuar. Archi-Episc. Alberto Card.* 331.
Epist. XXI. *Idem Gratiano* . ibid.
Epist. XXII. *Alberto Card. Coexules B. Thomæ Mart.* 332.
Epist. XXIII. *Gratiano Romanæ Ecclesiæ Subdiacono Coexules B Thomæ Martyris* . 333
Epist. XXIV. *Alex. Papæ Thom. Cant. Archi-Episc.* 334.
Epist. XXV. *Alex. Papa VVilhel. Archi Episcopus.* 335.
Epist. XXVI. *Alex. Pap. VVilhel. Senonensi Archi-Episc.* ibid.
Epist. XXVII. *Alexan. Papa Ludovico Regi Francor.* ibid.
Epist. XXVIII. *Alex. Papa Thom. Cant. Archi-Episc.* 336.
Epist. XXIX. *Alex. Papa Thom. Cant. Archi-Episc.* ibid.
Epist. XXX. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Rogerio Eboracensi Archi Episcopo* . ibid.
Epist. XXXI. *Alexander Papa Senonensi & Rothomagensi Archi-Episcopis* . 337.
Epist. XXXII. *Alexander Papa omnibus Prælatis per terram Regis Cismarinam* . ibid.
Epist. XXXIII. *Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo suus Fidelis.* ibid.
Epist. XXXIV. *Alexander Papa Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo.* 338.

Epist. XXXV. *Thomas Cantuariensis Archi - Episcopus Londoniensi Episcopo.* ibid.
Eodem modo Saresberiensi.
Epist. XXXVI. *Thomas Cantuariensis Archi - Episcopus Vtoniensi Episcopo* Eodem modo omnibus Episcopis Angliæ & Gualliæ. ibid.
Epist. XXXVII. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Conventui Cantuariensi.* 339.
Similiter Abbat. de Feveresham, & aliis Abbatibus, & Prioribus per Archi-Episcopatum constitutis: nisi quod non tenentur aliquid præcipere Decanis.
Epist. XXXVIII. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Decanis Cantiæ.* ibid.
Epist. XXXIX. *Thomas Cantuariensis Archi - Episcopus Clerebaldo Electo & Conventui S. Augustini.* ibid.
Similiter Westmonasterii, S. Albani, S. Edmundi & Malmesberiæ Abbatibus.
Epist. XL. *Alexander Papa Rotrodo Rothomagensi & Nivernensi.* ibid.
Eist. XLI. *Alexander Papa Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo & aliis Episcopis Angliæ.* 340.
Epist. XLII. *Thomæ Cantuariensi Archi - Episcopo Joannes Saresberiensis.* ibid.
Incipit concordia inter Henricum Regem Angliæ & Thomam Cantuariensem Archi-Episcopum. ibid.
Epist. XLIII. *Henricus Rex Angliæ Juniori Regi filio suo.* ibid.
Epist. XLIV. *Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Henricus Rex Angliæ.* ibid.
Epist. XLV. *Alexandro Papæ Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus.* 341.
Eipst. XLVI. *Joanni Saresberiensi quidam Amicus.* 344.
Epist. XLVII. *Thomas Cant. Archi-Epis. D. Gratiano.* 345
Epist. XLVIII. *Thomas Cant. Archi-Epis. Alban. Epis.* 346
Epist. XLIX. *Thomas Cant. Archi-Epis. Hostien. Epis.* ibid.
Epist. L. *Thomas Cant. Archi-Epis. Wilhel Papie.* ibid.
Ep. LI. *Thomas Cant. Archi-Epis. Hyacintho Card.* ibid.
Ep. LII. *Alexandro Papæ Thomas Cant. Archi-Epis.* ibid.
Epist. LIII. *Thomæ Cantuar. Archi-Epis. Nuncii sui.* 348
Epist. LIV. *Thomas Cant. Archi-Epis. Regi Angl.* 349
Epist. LV. *Alexander Papa Regi Angliæ.* ibid.
Epist. LVI *Alexander Papa Clero & Populo Regis Angliæ citra Mare & ultra Mare.* 350
Epist. LVII. *Thomas Cant. Archi-Episc. Theod. Card.* ibid.
Ep. LVIII. *Thomæ Cant. Archi-Epis. Theodvvi. Card.* ibid.
Ep. LIX. *Thomæ Cant. Archi-Epis. Petrus presb. Card.* ibid.
Epist. LX. *Tom. Cant. Archi-Epis. Hyacinthus Card.* ibid.
Ep. LXI. *Thomæ Cantuariensi Archi Episc. Host. Epis.* 351
Ep. LXII. *Thomæ Cant. Archi-Epis. Theodvvin. Card.* ibid.
Epist. LXIII. *Joan. Saresb. Convent. Cantua.* ibid.
Epist. LXIV. *Joan: Saresb. Petro Abb. S. Remigii.* 352
Epist. LXV. *Alex. Papa Thomæ Cant. Archi-Episc.* 353
Ep. LXVI. *Alexander Papa London. Saresb. Exoniensi, Cestrensi, Roffensi, de S. Asaph, & Landav. Episc.* 354
Epist. LXVII. *Alexander Papa Eboracensi Archi-Epis. & Dunelmensi Episcopo.* 355
Epist. LXVIII. *Alex. Papa Lond. & Saresb. Episc.* 356
Epist. LXIX. *Alex. Papa Lond: & Saresbe. Episc.* ibid.
Ep. LXX. *Tho. Cant. Archi-Epis. dil. filiæ suæ idoneæ* 357
Ep. LXXI. *Alex. Papa Rotrodo Rothoma. Archi-Epis.* ibid.
Epist. LXXII. *Joan. Saresb. Petro Abb. S. Remigii Dom. suo unico Joan..... salutem, & utriusq. vitæ successus.* ibid.
Ep. LXXIII. *Alex. Papæ Thomas Cant. Archi-Epis.* 358
Ep. LXXIV. *Thomas Cant. Archi-Episc. Hugoni Com.* 360
Epist. LXXV. *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus VVilhelmo Norvicensi Episcopo.* ibid.
Epist. LXXVI. *Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo VVilhelmus Norvicensis Episcopus.* ibid.
Ep. LXXVII. *Alex. Papæ Ægidius Ebroicensis Epis.* ibid.
Epist. LXXVIII. *Alex. Papæ Ludov. Rex Franciæ.* 361
Epist. LXXIX *Alex. Papæ Ernulphus Lexoniensis Episcopus post mortem Sancti Thomæ.* ibid.
Ep. LXXX. *Alex. Papæ VVilhel. Senon. Archi-Epis.* 362
Epist. LXXXI. *Alex. Papæ Theobaldus Bleseiter.* 363
Ep. LXXXII. *Alex. Papæ Vilhel. Senonensis Arch-Epis.* ibid.
Epist. LXXXIII. *Clerici Regis Angliæ Regi Angliæ.* 364
Ep. LXXXIV. *Nuncius Regis Pictav. Archi-Diac.* 365
Epist. LXXXV. *Alex: Papa Rothomagensi Archi-Episc. & Ambiensi Episcopo.* 366
Epist. LXXXVI. *Alexander Papa Rothomagensi Archi-Episcopo & Ambiensi Episcopo.* ibid.
Ep. LXXXVII. *Alex. Papæ Roger. Eborac. Archi-Epis.* ibid.
Epist. LXXXVIII. *De Reconciliatione Regis.* 367
Ep. LXXXIX. *Regi Angl. Albertus & Theodeb. Card.* 368
Epist. XC. *Senonensi Archi - Epis. Joan. Saresb.* ibid.
Epist. XCI. *Senonensi Archi-Episc. Joan. Saresb.* ibid.
Epist. XCII. *Alexand. Papa Capiculo Cantuariensi.* 369
Epist. XCIII. *Alexander Papa Clero & Populo totius Angliæ de Canonizatione Sancti Thomæ.* ibid.
Epist. XCIV. *Alex. Papa Aversano Episcopo.* ibid.
Epist. XCV. *Alex. Papa Alberto & Theodeberto Cardin. de Reconciliatione Cantuar. Ecclesiæ.* 371
Ep. XCVI. *Albertus & Theodeb. Card. Convent. Cant.* ibid.
Epist. *Honorii tertii Papæ, de translatione Beati Thomæ Archi-Episcopi & Martyris.* ibid.
Tractatus *Domini Stephani Cantuar. Archi-Episcopi de Translatione B. Thomæ Martyris.*

FINIS.

NO

# NOI REFORMATORI

## Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed approbazione del P. F. Tomaso Maria Gennari Inquisitore nel Libro Intitolato: *Epistolæ, & Vita Divi Thomæ Martyris & Archi-Episcopi Cantuariensis, &c. Fr. Christiani Lupi, &c.* non v'esser cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro; niente contro Principi, e buoni costumi, concedemo Licenza a Sebastian Coleti Stampatore, che possi esser stampato, osservando gli Ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. 28. Gennaro 1727.

(Carlo Ruzini Cav. Proc. Ref.
(Alvise Pisani Cav. Proc. Ref.
(Z. Pietro Pasqualigo Ref.

*Agostino Gadaldini Segr.*

20. Marzo 1728.

Registrato nel Magistrato Eccellentiss. degli Essecutori Contro la Bestemmia.

*Antonio Canal Nod.*

PRO-

# PROLOGUS

## In Vitam & Epistolas Divi Thomæ Cantuariensis.

### AD LECTOREM.

MORTI adscribe Lector, quod CHRISTIANUS LUPUS, Authoritatis Ecclesiasticæ defensor Catholicus, Notis non exposuerit Sanctum suum Martyrem Thomam Cantuariensem, Libertatis Christianæ vindicem. O! si Fata non invidissent! Quo *Eliæ* spiritu & virtute ductus fuisset pius Senex, ut Canones, inter quos est mortuus, exhiberet Episcopis non clamantibus nisi, *reddite Cæsari quæ sunt Cæsaris*, & cogitantibus interea, *non habemus Regem nisi Cæsarem*, CRUCIFIGE CRUCIFIGE PONTIFICEM! O! si per Deum viveret! Quomodò hic, si alibi, Apostolicæ Majestatis dexteram collocaret supra Concilia! Quomodò exhiberet Orbi Vicarium Christi, successorem D. Petri, Patrem Universi. Ad quem Reges appellant, ad quem Cæsares, Episcopi, & ex omni Mundi parte Clerici & Laici. *Qui Fredericos dejicit Imperio, qui Anathemata fulminat in* Principes, *qui undequaque evocat Episcopos, judicat, absolvit & damnat*: Constitutus à Deo super gentes & Regna, *ad alligandos Reges eorum in compedibus, & Nobiles eorum in manicis ferreis*. Historiam loquor præteriti temporis, quam sæculo duodecimo tulit sed vicit Italia, fecit sed planxit Anglia, vidit & luxit Francia; *Ac universa est lamentata Ecclesia*. Henrico secundo Angliæ Regi, ante casum crudelem, non erat similis inter Filios hominum; sed fecit eum Corona tumidum, Fortuna intolerabilem, *Episcopi execrabilem*. Adeò ut Princeps, qui potestatem acceperat à Deo, subditum se vix crederet Dei Filio: *Et qui à Christo per Ecclesiam acceperat Regnum, inter se non distingueret &* CHRISTI VICARIUM. Ignorare non poterat, quod *haud Regi*, SED PETRO SOLI dictum erat, *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*; Reponebat tamen verba Apostoli, *qui potestati resistit Dei ordinationi resistit*, QUASI DISCIPULUS CONTRADIXISSET MAGISTRO. Confundebat Regnum & Sacerdotium, quæ distinxerunt Lex & Prophetæ. Verbotenùs se suosque subdebat *Romanæ Cathedræ*; & facto interea eludebat irrefragabile Salvatoris verbum, PASCE OVES MEAS: Et necessarium in Ecclesia Christi Privilegium, CONFIRMA FRATRES TUOS, Rex verò (cujus personam, item ac Mandata ejus, sacra deprædicabant sui) *Regulas, moresque & à Regno & Ecclesia Anglicana recepta instituta, Patrumque terminos, inconcussos* appellabat *Spiritu Dei conditos Canones*. Gloriabatur hasce *Coronæ* suæ esse *Dignitates*; Nec intelligebat aliud nisi *Avitas* suas, ut vocabat ipse, DAMNABILES, ut alii meritò, *Consuetudines*. *Consuetudines* quas per *Alexandrum tertium* damnavit *Cathedra infallibilis*, quas in *Divi Thomæ Sanguine* abluit Ecclesia Cantuariensis: quas cum Rege & Proceribus Franciæ abominata est ROMANÆ MATRI FIDELIS SEMPER IN CHRISTO FILIA ECCLESIA GALLICANA: & quas cum ipso tandem Rege Angliæ *Ecclesia proscripsit universa*. Regem movere non potuit Sanctus Thomas, memorem eum faciens extremi Judicii, ad quod communi Lege accederet non *Rex*, sed *homo* ad Judicem, solus, non stipatus milite à latere, nec Episcopo à pravo consilio: ubi non judicabitur secundùm terreni Regni Consuetudines, at juxta æternas Dei Leges. Regem pervertebant Episcopi, Clerici miserandi, subministrantes Arma iniquitatis: Similes facti Sacerdotibus Israel, à quibus Pollutio egressa est super omnem Terram. Regi dicebant REGNA SUPER NOS: *D. Thomam* in principio salutabant AVE RABBI: Et postea ut convincerent eum falsis testibus, clamabant *Quod recusaret tributum dare Cæsari*: adeò ut exclamare cogeretur pius Præsul, ET FILII MATRIS MEÆ PUGNAVERUNT ADVERSUS ME. Verumtamen stupentibus omnibus, gaudentibusque orthodoxis, *Deus, in cujus manibus sunt corda Regum*, gloriam ingloriam muravit in humilitatem quamvis seram, dùm præparatam Rex agnovit excommunicationis sententiam: Et qui acquiescere numquam potuit verbis monentis Præsulis, *quievit tandem confusus Sanguine Martyris*. Pro Notis Lector habes Indicem: utere, æquo animo ferendo laborem.

IN-



*INCIPIT*

# VITA BEATI THOMÆ

## MARTYRIS ET ARCHI-EPISCOPI CANTUARIENSIS,

*De plurium narratione collecta, magis extensa, quàm sit infrà, quam scribi fecit Dominus* PETRUS ROGERII, GREGORIUS PAPA XI.

POST summi favoris dote vestitos præclaros Pugiles, qui auspicato pugilari à cunis, ut vagiit, usque mucronem, quo occubuit, Thomæ depinxerunt universa, si in opus simile Pigmæam manum extendam ad calamum erga Benevolos deprecantur præsumptioni imperiosæ vires amoris in Martyrem. Porro Joannes Saresberiensis, Magister Heribertus de Bosaham, Wilhelmus Cantuariensis, Alanus Abbas Deobesberiensis, quatuor verè Clari, Deilinificæ Linguæ quadriga, per quatuor mundi climata nostri aurigarunt agonem Athletæ, & in mancis purpura eloquii excellentis inaurantes materiæ majestatem per se commendabilem potentia plùs placendi festinant historiam. At hic contractæ frontis imaginari mihi videor objecta: Quid igitur consummato opere tibi sumis operis, consumis operam, fessoque milite campo nudato, serus Prælator cassas ducis excubias? Quid sumpto Bravio Gigante sopito, inane se nanus præcingit ad stadium? Quid Cigneo illo tubis ductilibus decantato, fragili modulari paras avena? Cùm nec de dicendis aliquid omissum, nec quidquam de dictis limari timeatur.

Paucis, oro, sustineat Sugillator meus, si fortè nævum temeritatis queat eluere professio veritatis. Historiographos superiores relegenti occurret hinc mater tædii extensa prolixitas, hic exprimendæ veritatis noverca succincta brevitas. Heribertus, utpotè qui per singula dicere potuit ex sententia, *Qui quæ vidit & audivit testatur*, amore magno extra metas actus compendii, cùm nihil linquit intactum, narrationem protelat in immensum; Joannes, potestatis publicæ turbine mota procella, citra perfectum stylum excussit. Reliqui duo nec satisfecere, nec evaserunt supercilium. Hinc mihi studium opus compendiare sumptuosum, brevitate consulens delicatis, nec studiosos fraudare veritate. Ob id vel maximè cum Dilatatoribus, Heriberto scilicet & Wilhelmo, diffusioris sylvæ percurrens opaca; cum Castigatoribus, Joanne videlicet & Alano, contractioris hortuli sim ingressus, ex omnibus micantiores mihi flores, congessi, exceptorisque functus officio, aliena respersi Codicem redolentia: De totiùs structura Fabricæ nihil mihi approprians præter rudem sordulam, fundamenti locum mendicantem.

Sed & ne in aliquo liber furti obliteretur calumnia, Authores Domesticos gerit in margine pagina, ut de communi quid singuli sibi specificent operis, è regione locatum nomen loquatur Opificis. Sanè quia fine fili catena in vestem non conveniunt commissuræ, nec cæmenti fœdere lapides levantur in murum, ansas tantùm cortinis innexui, tabulisque inserui incrustaturas, quibus firmiùs cohæreant, quæ hujus contingant tectum fœderis. Ut autem in spatiosi campi latitudinem transvolandam equus admissus, si ad horam lora retrahas, pede parùm feriato novum ardentiùs fervet ad cursum, ità & nos ut Lectori subinde à cœpto respiranti demùm hilarior renascatur aviditas lectionis, in tres partes opus distinximus.

Prima à puero ad exilium extenta instar synapis minutissimæ fidem mentis serit in hortulo, quem primum præ parvitate resupinæ pompæ sæcularis fefellit intuitum, sed postea altiorem evadens in arborem, avibus cœli requiem ministravit & umbram.

Secunda sub exilio trituræ texit acerbitatem, ubi spe requiei, quam sibi præparavit in horreo, ab area resilire triticum supersedit.

Tertia in passione super eminentiorem aggressa viam Apostoli, ut Christum lucrifaceret, propriæ vitæ factus prodigus, cruoris profluvio, quòd nec gladius, nec mors eum separare prævaluit à Charitate Christi. Ibi nutantem Ecclesiæ libertatem in statum evehens firmiorem, sui objectu sanguinis imminentem jam repellit ruinam. Et quòd nos infirmiores, etiam ad nomen lupi trepidantes, eventu duximus impossibile, ipse Leoni occurrens factu facilè suo monstravit exemplo: Quòd scilicet, *bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis*.

Versùs in opusculi hujus laudationem edere exacuit livorem mordacium. Unum quòd objiciam, mutuò sumpsi Responsum:

*Omnibus invideas Livide, nemo tibi.*

*INCIPIT.*

# TRACTATUS DE VITA ET PASSIONE BEATI THOMÆ ARCHI-EPISCOPI ET MARTYRIS.

## CAPUT I.

*Qualis fuit in Adolescentia.*

WILHELMUS.

THOMAS Londoniensis Urbis indigena, Parentum mediocrium proles Illustris, quasi ex miricis Cedrus excrevit, & majores radice sua ramos expandit. Quem secundùm utrumque hominem multiplici naturalium gratia bonorum Bonitas ditavit Divina, ut in ministerium magnum vas videretur excisum, & ex naturæ Beneficiis futurus prædiceretur Antistes. Nam sermone jucundus erat & modestus, quem blandum pueri, comem juvenes, gratum senes mirarentur. Procerus ad elegantiam, morigeratus ad exemplum, prudens ad sapientiam, facie juvenilem venustatem præferebat, & virilem gravitatem. Postquàm verò litterarum studiis traditus liberales artes attigit, quatenùs lascivia ætatis & angustia temporis permisit, in illis profecit.

JOANNES.

AB ineunte autem ætate, sicut referre solitus erat, didicit à Matre timorem Domini, & Beatam Dei-Genitricem Mariam, tanquàm Ducem viarum suarum, & vitæ Patronam, dulciùs invocare, & post Christum in illam jactare totam fiduciam. Publicè mendicantibus pleno compatiebatur affectu, ut cum Beato Job dicere posset: *Ab initio coaluit mihi miseratio & Pietas de utero Matris meæ egressa est mecum.*

WILHELMUS.

MATRE verò defuncta, sibi Patrique relictus, quem incendia crebra attenuabant, vigesimum secundum ætatis annum otio impendit. Et tandem uni Civium vice tabellionis adhæsit. Liberalium denique disciplinarum Scholas egressus, ad Curiales se transferens occupationes, cœpit in florem sæcularis prudentiæ pubescere, & fructum discretionis polliceri.

JOANNES.

TANTO itaque rationis vigebat acumine, ut prudenter inauditas & difficiles solveret quæstiones, adeoque felici gaudebat memoria, ut quòd semel in sententiis aut verbis didicerat, ferè quoties volebat, posset sine difficultate proferre. Quòd multi litteratiores assequi non valentes, tantam mentis perspicacitatem, præsertim in homine variis occupationibus dedito. Nimirum dispensatio Divina, quem vocabat, ad majora ita erudiebat: Et exercebat in minoribus, quasi in quibusdam futurorum præparatoriis, ut in collationibus aut cursu sermonis, ut dici solet, ad manum necessaria haberet.

## CAPUT II.

*Qualiter ad Cantuariensem Archi-Episcopum se transtulerit.*

VIDENS verò, vas electionis futuræ, in Curiis Procerum plurima contra honestatem Cleri, & conjunctim eorum propositum, cui addictus erat, perniciosiùs adversari, instinctu potiùs gratiæ & ducatu, quam consilio Amicorum aut interventu, se ad Patrem piæ recordationis Theobaldum Cantuariensem Archi-Episcopum, quasi post biennium vel triennium contulit, & promerente industria, gratisque suffragantibus obsequiis, inter primos & præcipuos ejus familiares in brevi admissus est.

WILHELMUS.

QUI videntes eum in necessitatibus expediendis prudenter agentem, & in consilio providum, cum eo sociale fœdus inierunt, condicentes, ut de impetendis sibi Ecclesiasticis Beneficiis suffragium suum communicarent. Erant autem tres: Rogerus Neuvenensis, Joannes Cantuariensis, Thomas Londoniensis. Itaque Primas pauca agebat, quibus omnes vel unus ex istis non interesset.

JOANNES.

QUOT autem & quantos ibi pro Ecclesia Dei labores Beatus Thomas pertulerit, quotiesque pro expediendis necessitatibus Ecclesiasticis Apostolorum limina visitaverit, quàm felici exitu, quæ sibi injuncta fuerant, expedierit, nequaquàm dictu facile est. Ut verò in causis perorandis, & decidendis, & Populis instruendis à Deo prædestinato facilitas pararetur Antistiti, Juri Civili operam dedit.

HERIBERTUS.

CERNENS itaque Pontifex ex nova hac arbore nova quædam tunc virtutum germina pullulare, hanc Domini plantationem inter pomeria ac poma quasi in horto sponsi, plantare disposuit.

JOANNES.

ET ut per experientiam rerum faciliùs dispensationis Ecclesiasticæ usum consequeretur, à præfato Archi-Episcopo Sanctæ Cantuariensis Ecclesiæ, à cujus uberibus coaluerat, Archi-Diaconus constitutus est, ut sic, Deo ordinante, tempore suo, gradu suo, locoque suo, Archi-Diaconus in Archi-Episcopum promoveretur.

CA-



## CAPUT III.

*Quomodo Cancellarius factus est.*

WILHELMUS.

SUCCEDENTE itaque post modicum Henrico, Duce Nortmanniæ & Aquitaniæ, Stephano Anglorum Regi in Regnum, elaboratum est ab antedicto Archi-Episcopo, suspectam habente novi Regis adolescentiam, quam pravorum hominum consilia pervertere moliebantur, ut Archi-Diaconus suus efficeretur Regis Collateralis & Cancellarius, cujus ope & opera novi Regis, ne sæviret in Ecclesiam, impetum cohiberet, & consilii sui temperaret malitiam, & reprimeret audaciam Officialium, qui sub obtentu publicæ Potestatis, & prætextu juris, tam Ecclesiæ quam Provincialium facultates diripere conspiraverant. Cernebat quippe Pontifex juvenem, cujus mores & industriam in variis jam rerum eventibus expertus fuerat, in agendis strenuum, in consiliis fidum, in dubiis securum, in adversis magnanimum, in apparatu magnificum, in largiendo munificum, ad jussa promptum, in obsequio sedulum, in omni denique opere providum & circumspectum. Unde & talem Aula dignum, & Aulæ gratum futurum, nec immeritò, arbitrabatur, sperans exinde nihilominùs eo procurante inter Regnum & Sacerdotium deinceps pacis gratiam & unitatis vinculum firmiùs observari. Agente igitur & procurante Pontifice Thomas Aulam ingreditur, & tribuente Rege Officium Cancellariæ suscepit.

## CAPUT IV.

*Qualis fuit in Cancellaria.*

WILHELMUS.

ARCHI-LEVITA igitur Aulam ingressus, & in Aula, ut diximus, Cancellariæ officio mancipatus, Levitam pro tempore exuit, & Cancellarium induit. Regis siquidem se conformans moribus, pariter nugis vel seriis intendere, pariter venari, & idem prandendi, dormiendique tempus observare satagebat. Ad hæc Curiales facetias amplecti, numerosa Clientela gaudere, gloriam quærere popularis auræ, fallacibus delectari. Nam, ut de supellectili taceam, frænis utens argenteis, spumosus Thesaurum lupatis inferebat, mensas & expensas Comitum antecedebat, ut ex altero parum Archi-Diaconi videretur reminisci, ex altero maleficiis putaretur uti. Veruntamen licèt ei mundus in omnibus lenociniis suis adulari & applaudere videretur, tamen quod rariùs accidere solet, in affluentia rerum mirandus & imitandus erat corporis castitate, ut secundùm vanitatem & castitatem deriforem Beati Martini Britium videretur exhibere. Et quia tempus admonet, libet interim quòd occurrit expedire. Erat in Villa Stafordiæ usque Regales delicias mulier pulchra, ad quam Rex consuetudinem habuisse dicebatur. Quæ, quia Cancellario *in hunc locum* adventanti Xenia transmittebat sæpè & multa, æstimabat Oppidanus, qui eum hospitio susceperat, quòd mulier eum provocaret ad amplexum, novumque sibi procuraret amatorem, quæ propè contemptum, minùs solito fruebatur amore. De quo volens certiorari, intempestæ noctis silentio, sumpta lucerna, clam ad hospitis sui cubiculum ingressus est. Quem videns immotum, suspicabatur quòd ad eam transisset. Et extollens lumen vidit ante lectum virum procumbentem, pedesque & tibias discoopertum, qui post geniculationes & Orationes lapsus fuerat in somnum: Et factum est, ut Religiosus inveniretur, qui luxuriosus putabatur. Forsan ostendente Domino temeritatem nostram, qui facilè judicamus hominem, nescientes quid sit in homine.

## CAPUT V.

*Quibus obsequiis Regis gratiam sit adeptus.*

IN omnibus autem lenocinantis Mundi blandimentis, & prosperitatis arridentis applausu memor Thomas conditionis suæ, & honoris sibi impositi, quotidie, hinc pro Domini sui Regis salute & honore, inde pro necessitate Ecclesiæ & Provincialium contra bestias Curiæ pugnavit, & quatenùs Regia severitas & reverentia permisit, contra Regem contendens, tanquàm quodam futurorum præsagio sub pacis tempore dimicabat in acie.

JOANNES.

TOT itaque & tantas variarum necessitatum difficultates sustinuit, tot laboribus attritus est, tot afflictionibus ferè oppressus, tot insidiis appetitus, tot laqueis in Aula expositus à malitia inhabitantium in ea, ut sicut Archi-Episcopo suo & Amicis sub lacrymarum testimonio referre solitus erat, sæpè in dies singulos tœderet eum vitæ suæ, & post vitæ æternæ desiderium super omnia optaret, ut absque nota infamiæ posset à Curiæ nexibus explicari.

HERIBERTUS.

REX verò pro ætate sapiens & argutus, juxta jam sæpè dicti Pontificis opinionem & votum, præter alia gratiarum dona Cancellarium suum quotidie fidum experitur in consiliis & discretum, in dubiis providum & intrepidum, fortem verò in adversis & magnanimum. Unde apud eum ita gratia proficiebat in dies, ut in brevi, sicut magnificentia, ita & gratia omnes præcelleret. Qualiter verò & qua industria munitiones quinque munitissimas, Gisortium scilicet & alias quatuor in Franciæ & Normanniæ partium sitas confinio, Domino suo Regi, ad cujus tum jus ab antiquo spectare dignoscebatur, à Rege Francorum per Matrimonium absque gladio & hasta, in omni Regum dilectione acquisierit, quàm audenter, quàm strenuè ultra Guasconiam in partibus Tholosanis cum pauca manu militari, Domino suo Rege ab obsidione Tholosæ tunc recedente, remanserit, captasque in terra illa à Rege munitiones conservarit, aliasque in manu forti acquisierit, aliaque multa ipsius in Cancellaria opera magnifica, quæ mundus novit, hic pertranseo. Dum igitur tantis & talibus obsequiis summum apud *Regem* gratiæ gradum attigisset, jam quasi rerum summam ipsi committens, Filii sui Henrici, universorum hæredis, Rex tutorem fecit & Patrem, ut reputaret ipse filium per gratiam, quem Rex ipse genuit per naturam. Et Cancellarii quidem gratia apud Regem sic erat:

## CAPUT VI.

*Quomodo in Archi-Episcopum electus est.*

HIS itaque sic se habentibus, sæpè nominatus Cantuariorum Antistes Pater Theobaldus, vir omni Sanctitate & Religione perspicuus, qui Thomæ currus exstiterat & auriga, cùm Cantuariensem Ecclesiam per annos viginti duos strenuè & prudenter rexisset, Senex jam & plenus dierum, decretam universæ Carni viam ingreditur. Et statim cùm ad Regem & Aulicos pervenisset, suspicantur mox omnes & asserunt Cancellarium Archi-Præsulem defuncti successorem futurum. Et id ipsum præconizabat & Populus.

WILHELMUS.

REX autem videns eum officium suum prudenter agentem, & fidelissimum, sibi primæ Sedi Anglorum præficere cogitavit, credens ipsum tanti quidem honoris fastigio benè sufficientem, quem toties magnum nimiùm in magnis periculis expertus erat, speransque suis hæredibus ad adeundum Regnum eum profuturum, si se fatalis dies rebus humanis immaturè eximeret, se verò per eum Ecclesiastica, ut sæcularia, negotia pro libitu gesturum, si vita diuturniori fueretur.

HERIBERTUS.

VERUM Rex omninò dissimulat ad tempus: Nisi quia Archi-Episcopatus, sicut & Episcopatus & esse vacantes Abbatiæ solent, curæ Cancellarii & custodiæ traditur. Cancellarius verò, qui quasi præsagus quibusdam conjecturis jam de Regis voluntate præsumebat; tamen sicut & Rex dissimulans, rem tacitus considerabat. Rege itaque tunc in Transmarinis partibus agente, & Cancellario cum eo propter Gallentium infestationes, & alia quædam Regni negotia, Cancellarium Rex in Angliam mittere disposuit. Qui cum jam suscepta per dies Legationis forma, in ipso profectionis articulo ingressus Aulam apud Castrum, quòd Falleise dicitur, ut Rege dumtaxat salutato mox conficeret iter, vocato eo seorsim Rex instillat secretius: *Necdum*, inquit, *plenè nosti tuæ caussam Legationis*. Et adjecit: *Meæ voluntatis est te Cantuariensem Præsulem fore*. Cui Cancellarius stemmata quædam tunc usualia, quibus tunc indutus erat, subridendo ostendens, & quasi oculis ingerens, *Quàm Religiosum*, inquit, *Virum, quàm Sanctum in tam Sancta Sede, & super tam celebrem, & tam Sanctum Conventum Monachorum constitui desideras? Scio certissimè, quia si Domino disponente acciderit sic, citissimè à me auferes animum, & gratia, quæ nunc inter nos tanta est, in atrocissimum odium convertetur. Novi quippe te nonnulla exacturum, & in Ecclesiasticis te jam multa præsumere, quæ ego animo sustinere non possim. Et ita occasione nacta interponent se invidi, qui extincta gratia perpetuum inter nos odium suscitabunt*. O mira viri magnanimitas, Domino suo comminantis sic, in cujus manu erat adhuc honorem conferre vel adimere! O sincera animi puritas non honorem ambientis, non respuentis tamen.

JOANNES.

VIR enim experientissimus, & bene solitus futura metiri, tantæ curæ periculum satis acutè ponderavit, utpotè qui longo usu didicerat, quid Sedes illa haberet oneris, quid honoris. Noverat & mores Regis, & Officialium ejus improbitatem & pertinaciam, & in Curia illa quam efficax esset Delatorum malitia. Ex quibus vivacissimè colligebat, quia si oblatum subiret officium, Dei gratiam amissurus esset, aut Regis. Non enim Deo adhærere poterat Regiis moribus obsequens, aut Regem non habere inimicum, ei Sanctorum præferens Leges. Ob hoc quid potius sequeretur, non invenit.

HERIBERTUS.

CÆTERUM Rex in Proposito suo permanens, mox in ipsa Cancellarii præsentia, Sacro Metropolitanæ Ecclesiæ Conventui, & Regni sui Clero intimandum sedulè injunxit. Et ad unum inter Legatos præcipuum specialiter sermonem dirigens, Richardum scilicet de Luti, *Richarde*, inquit, *nonne si mortuus jacerem in Sandapila vel sudario, intenderes ut primogenitus meus Henricus in Regnum sublimaretur?* Et ille: *etiam pro posse*. Et Rex illi: *Adeò volo ut intendas ad Cancellarii in Sede Cantuariensi promotionem*. In quo certè, sicut in priori Cancellarii magnificentiam & animi absque ambitione puritatem, ita & in hoc perspicuè videre possimus constantem Regis gratiam, & Regiæ Magnificentiæ gloriam. Eo ipso, ni fallor, sicut & rerum citò probavit exitus, ad Cancellarii sui promotionem ferventior, quò ipsum magnificè locutum sic audierat, & quò minus ambitiosum pensabat.

JOANNES.

ALIQUAMDIU namque Regi & aliis eum promovere volentibus reluctatus est. Sed electio Divina tantùm prævaluit, ut suadente, & inducente, & instanter urgente venerabili viro Henrico Pisano, Presbytero Cardinali, & Sedis Apostolicæ Legato, desiderio Regis acquiescerat, & consiliis Amicorum. Maluit enim periclitari apud Regem, quam desolationem Ecclesiæ, quæ multis subjacebat *periculis*, ulteriùs prorogari: firmiter in animo suo statuens, aut eam de tantæ servitutis miseria liberare, aut ad imitationem Christi animam ponere pro ovibus suis. Potestas enim publica, Ecclesiæ Privilegium auferens, caussas indifferenter Ecclesiasticas, *sicut* mundanas, ad suum revocabat examen: Et conculcabatur ut Populus, sic & Sacerdos.

HERIBERTUS.

CANCELLARIUS itaque à Rege, ut diximus, in Angliam missus post paucos dies in Angliam applicuit. Regis autem voluntate & petitione citò ad primum Cancellarii adventum in Sancto illo & Religioso Sanctæ Cantuariensis Ecclesiæ Conventu, & Episcoporum quibusdam accitis super Cancellarii promotione declarata, mox, ut solet, varia diversorum fertur sententia. Et præsertim in Sacro illo Monachorum Conventu, utpotè quos præ cæteris contingebat negotium. Asserentibus his quia hoc fieri bonum, aliis verò è contra, immò malum. Hi Regis gratiam allegabant, & per hoc tam glorioso inter Regnum & Sacerdotium mediatore, Ecclesiæ deinceps pacem futuram, sicut securam, ita & prosperam. Alii verò è diverso illam Regis gratiam non profuturam, sed eò ipso plurimùm Ecclesiæ obfuturam opponentibus, eò quòd Officiales Regii, & præsertim quotquot Aulici, Pontifice, non de Ecclesia, sed de Aula assumpto, in Ecclesiæ bona liberiùs grassarentur. Et præterea, quòd nimis foret absonum, & omni Divino juri adversum, hominem militari potiùs cingulo, quàm Clericali Officio mancipatum, Canum Sectatorem, & Pactorem avium, ovium constituere Pastorem. Præsertim super tam Sanctum Monachorum Conventum, & super tam grandem & numerosum, qui per totam Angliam diffunditur, Dominicum Gregem. Hunc profectò Aulica cupiditate, & voracitate quædam lupina, totius Gregis Dissipatorem potius & Voratorem, quam Pastorem certissimè præsumendum: Et qui propter Popularis auræ flatum universa eventilet, & Aulico fastu expompet. O quàm multos in facto hoc supplantavit suspicio, & in vanitate deliruit sensus eorum! Cernebant quippe hominis vanitatem de futura, quam necdum videbant, veritate diffisi. O Divina judicia: Et si terribilia in consiliis super Filios hominum, nihilominùs tamen & jucunda! O temeraria hominum judicia! Quæ & si quando probabilia, fallentia tamen. Ita quidem Mundi homines de Mundi homine secundum judicium Mundi judicabant. Sed longè secùs, & satiùs, & jucundiùs de Mundi homine, non secundùm Mundi temerarium, sed secundùm jucundum Dei judicium accidit. Verè jucunda Dei judicia: Contra Mundi spem, contra omnem Mundi suspicionem, educentis mel de petra, oleumque de saxo durissimo, & de Lapidibus suscitantis Filios Abrahæ, auferentis etiam & amputantis opprobrium servi sui. Omni igitur in præsentiarum suspicione amputata, & altercatione omissa, Divinæ, cui cuncta militant, dispensationi Regio in hoc voto militante, Episcoporum Provincialium & Conventus Sanctæ Cantuariensis Ecclesiæ communi omnium consensu & unanimi, Thomas ejus Ecclesiæ Archi-Levita in Archi-Præsulem apud Londonias in Regio illo & Præclaro Monasterio, quod dicitur westmunster, eligitur. Eligitur, inquam, jam in Aula annis quinque functus Officio; ætatis verò vitæ annum agens circa quadragesimum quartum.

WILHELMUS.

SOLUS tamen Episcoporum Londoniensis oblocutus est. Sed qui nullis juvabatur studiis, & sua, non quæ Jesu Christi quæsisse videbatur, ea facilitate sententia plurimorum convinci meruit, qua contradicere præsumpsit.

HERIBERTUS.

ELECTUS igitur mox Filio Regis, Regni hæredi, Henrico adhuc puero, & quem de eximia Regis gratia Cancellarius quasi in filium & alumnum, sicut jam præfati sumus, susceperat, præsentatur, Regis Patris sui, de Mandato Patris, in hoc vices gerenti. Et electioni Ecclesiæ Regio assensu vel conniventia accedente, authoritate quoque Regia ab omnibus Curiæ nexibus absolutus, liber Anglicanæ Ecclesiæ redditur, & in ea libertate ab Ecclesia in Hymnis & Canticis spiritualibus, ut mos est, cum summa jucunditate suscipitur.

## CAPUT VII.

*Quomodo Electus ad se sit reversus.*

IGITUR Thomas, non jam Aulæ Cancellarius, sed Ecclesiæ Electus, mox quasi homo de gravi somno evigilans, quis jam diu fuisset, & qualis deinceps futurus esse debuisset, cum corde suo meditabatur. Et ex meditatione hac concaluit cor ejus, & sensim cœpit ignis exardescere, quo novus, qui extinctus putabatur, homo totus & coalitus cœpi paulatim coalescere, sed nondum caput erigere. Qui tamen novus homo, quadam discretionis cautela, veteris hominis habitu magis fuit opertus quàm oppressus à veteri, nisi quia ipsa operatis quasi oppressio fuit. Verùm mox in ipsa mutatione suæ novitatis novus homo & revelari appetit, & se diutiùs opprimi non permittit. Electus itaque Londonia, ubi erat ortus, cùm multorum & magnorum comitatu citò post Electionem Cantuariam propter Consecrationis gratiam proficiscebatur. Inter itinerandum verò unum ex Clericis suis accersivit, ipsi secretò inquiens se eadem nocte in visu vidisse venerandam quandam ipsi adstitisse, & decem ei talenta tradidisse. Et Clericus hic Heribertus de Boseham erat. Cujus quidem interpretationem Clericus minimè tunc advertens de somnii conjectura hæsitabat. Sed postquàm glorificatus est à Jesu, tunc intellexit hunc præsignatum in servo illo Evangelico, qui acceptis in sorte quinque talentis, alia quinque præter sortem negotiando superlucratus est. Et verùm fuit somnium, & interpretatio ejus. Adhuc autem eundem Clericum secretiùs alloquens subjecit: *Hoc volo, hoc tibi injungo, de cætero, quem me homines dixerint, confidenter & secretò mihi edicito; Et si quo vitio laborantem (multa quippe à multis de me dicentur, quæ non mihi dicentur, quemadmodùm & de aliis, & præsertim de Divitibus) pariter & excessum indica, si quo tu ipse me videris & judicaveris excedentem*. Et in calce sermonis adjiciens inquit: *Circumspeximus, & clariùs quatuor, quàm duo oculi vident*. O prudentia Viri! O forma jam in necdum Episcopo Episcopalis! Certè omnibus, & præsertim Episcopis & admiranda & imitanda. O Propheticum, o videns, o videntis animal oculatum, quòd ne in districtioris & anfractuosæ viæ & vitæ hujus nocte offendat ullatenùs, & ante & retrò jam sibi oculos coaptat. Electus enim iste, necdùm Episcopus, Episcopalem tamen jam formam induens, mox elegit quibus istam quasi propriam propriæ visitationis suæ curam injungeret.

## CAPUT VIII.

*Qualiter sit consecratus. Et à quo.*

LONDONIA, ut diximus, Cantuariam venit, in qua tanquam Metropoli, secundùm morem & Canonum formam, consecratio erat celebranda. Ad quam jam consecrationem, ob consecrandi Reverentiam, totum ferè Regnum confluxerat. Clerus quidem, ut ex debito, Proceres verò Regni & Magnates, ut Regi, cui opus adeò complacebat, pariter & Electo, qui de Aula prodierat, honoris impenderent gratiam & obsequium. Igitur in Sacramentali illo tempore, in illis tam miræ, quàm mirificæ unctionis diebus, in hebdomada Pentecostes, in Sabbatho temporis & Ordinis, ut mox claruit, consonantibus Sacramentis, Archi-Levita, Ecclesiæ Electus in Sacerdotem ordinatur, in crastino Dominicæ dici in Antistitem consecrandus. Verùm quis Pontificum Comprovincialium in Consecratione primam manum haberet, deliberabatur mox inter Pontifices, Londoniæ quippe Episcopali

pali Sede, ad quam id pertinere dignoscitur, tunc fortè vacante, Wintoniensis, qui absentis aut non superstitis Londoniensis vices in Provincia gerit, ad se omnimodis pertinere asserebat. At verò Roffensis, eò quòd ab Ecclesiæ suæ fundatione & jure specialis & peculiaris Archi-Præsulis Capellanus sit, id suum esse, & non alterius contendebat. Tandem verò ob quædam, quæ hic inserere prætermitto, salvo in hac parte jure Roffensis Ecclesiæ, de Roffensis consensu, Venerabili Viro, sicut generositate, ita Sanctitate præclaro, Henrico Wintoniensi Episcopo Archi-Præsulis consecratio est delata: & festivè super modum, & magnificè, sicut futurum tantum decebat Antistitem, in Octavis Pentecostes est consummata. Cujus profecto Consecrationi præter Procerum & Nobilium Regni tanquàm turbam innumeram, quibus & egregius ille adhuc puer Henricus, Regis Filius & Regni hæres, præeminebat, quotuordecim Comprovinciales Episcopi interfuerant, ipso qui consecrabatur Archi-Præsule decimo quinto.

Nuncii verò ad felicis memoriæ Alexandrum tertium, Romanæ Sedis Pontificem, confestim directi sunt, qui tunc propter schisma, quod in Romana Ecclesia tunc erat, apud Montem Pessulanum morabatur. Qui verò missi fuerant, Viri Religiosi, literati, & honesti erant. Quorum unus & præcipuus fuit amplectendæ memoriæ Magister Adam Abbas Eones-Hamensis, quem propter vitæ sanctitatem, & morum honestatem, & vitæ præeminentiam novus iste Consecratus, dum Cancellarii fungeretur officio, præfatæ Abbatiæ vacanti paulo ante præfecerat. Qui venientes Insigne illud Metropolitanorum, quod Pallium dicitur, instanter, sicut decebat, & fortiter postulabant. Quod tamen, quia favorabilis erat, ad cujus hoc usum petebatur, citiùs & faciliùs a Sede Apostolica obtinuerunt. Et in brevi cum Pallio lætabundi, & prosperè sunt reversi. Et ita Thomas, cum summa devotione suscepto Pallio, de Episcopo Archi-Episcopus factus est.

## CAPUT IX.

*Quomodo exuto veteri novum hominem induerit.*

### WILHELMUS.

CONSECRATUS igitur Beatus Thomas, ut cum Sacramento rem Sacramenti consequeretur, veterem hominem renovare disposuit. Unde tanquam jam transformatus in Virum alterum, factus est abstinentior, vigilantior, frequentior in oratione, sollicitior in prædicatione: Æstimans rectum renovationis progressum à se ipso incipere, tunc rectè se aliis dominari posse, si sibi ipsi priùs didicisset imperare. Corpus suum servituti subjiciens docuit ancillari, spiritum dominari, habituque Monachali cum cilicio suscepto, spiritualem hominem, quem sub honestate tamen vestium oculis hominum eximebat, meritis implebat. Pauvisque consciis sub lorica fidei militabat, gaudens quòd in triplici veste triplicem Personam gereret: Exteriori Clericum exhiberet, interiori Monachum occultaret, intima Eremitæ molestias sustineret. Gaudens quòd exteriori mundum falleret, interiori fratribus suis se conformaret, intima motus illicitos temperaret. Nam à quodam Cœnobita Cantuariensis Ecclesiæ sanctissimæ conversationis acceperat, cui Dominus in visione locutus fuerat, quòd si Monachum indueret, Dominum in negotiis propitium & coadjutorem mereretur. Gaudens quoque, quòd per hujus habitus susceptionem duorum Prædecessorum suorum vitaret excidium: Stigandi scilicet & Elfim. Ex quibus Stigandus in Clericali habitu Apostolica censura dignitate privatus vitam in carcere finivit. Alter autem Alpino frigore congelatus, & scissi jumenti stercore præceps involutus, non est permissus sacra Patrum Monachorum Sede non Monachus insidere.

### HERIBERTUS.

ECCE Thomas, alter Joseph, rejecto Pallio fugiens, jam adulteræ manus non veretur. Ecce Thomas alter in spiritu & virtute Elias, pilis Camelorum vestitus. Ecce Virgo alter electus à Domino, qui relicta sindone, cilicio super nudo amictus, viros sanguinum, inimicos Crucis Christi fugiens, novi Regis vexillum novus Tyro in cilicio sequitur. Verùm qui manum mittunt ad fortia, inter initia spiritu ferventes, processu temporis, quasi fatigati ex cursu, seu pressi nimis sub onere, solent sensim in dies tepescere, donec tandem sancti Officii suscepti debito inimica semper oblivio superveniens per seducibiles Carnis illecebras, per quotidiana vitæ hujus oblectamenta, & occupationes varias, spiritum inter initia tam fervidum in fine penitus extinguat. Quod oculatum animal hoc, Thomas scilicèt, operosè attendens, & studiosè præcavens, quodam sacri Ordinis Insigni, quod stola seu Orarium dicitur, utrumque, quod Sacerdotum est, humeram ambiebat, & hoc quotidiè & continuè in omnium visu gestabat, ut per hoc Sacerdos Evangelicus, quòd jam suscepit, Evangelicum jugiter recolat jugum, aut ad Confirmationis Sacramentum celebriùs peragendum semper foret paratior: Ad quod præ cæteris omni tempore promptissimus & devotissimus fuit. His ornatus Pontifex, quotidie procedebat in publicum, nisi quòd cilicium, juxta nominis sui rationem, & Religionis veritatem tenendam, celabatur admodùm occultè, nemine præterquàm aliquo, sine quo tale quid geri non poterat, conscio. Unde & istud sui Insigne tyrocinii toto tempore non deposuit, donec gloriosi certaminis sui consummasset triumphum. Verùm alterum illud, quod Orarium diximus, quod gestabat in publico, in exilium exturbatus mox deposuit: eò quod exulem in alienis Provinciis non deceret. Verùm in reliqua veste quotidiana & communi, toto quidem anno primo, more suo clarus & nitidus, sed Cleri postmodum, præsertim in habitu, mediocritatem est secutus, ita ut, juxta quòd ait quidam, nec essent neglectæ sordes, nec affectatæ deliciæ. Clausæ ipsius vestes erant, pullæ, & poderes. Et pelles non quidem pretiosæ, sed agninæ.

## CAPUT X.

*De vitæ & conversationis ejus modo.*

IGITUR post Pontificis habitum, quem describendo perstrinximus, vitam, & quemadmodùm vixe-



vixerit, intueamur. Nec enim fideliter cujusquam vita describitur, si quo vivitur, vel qualiter ipse vixerit, omittatur. Siquidem diebus singulis post Synaxim decantatam, quam citò post gallicinium sub profunda nocte decantare consueverat, mox clam in conclavi aliquo introducebantur Fratres tredecim, quibus ipse positis vestimentis suis, & se præcingens, discumbentibus, ministrabat, singuli quatuor argenteos largiens. Et hoc ita mandatum, furtivè magis, quam fur unus, per singulas noctes faciebat: veritus, nec immeritò, ne si sub luce faceret, illud ex visu hominum virtutum virus inanis inficeret gloria, quo, ut supra tetigimus, ipse, dum adhuc juvenis, quasi incurabiliter videbatur infectus. Unde & quò secretiùs, eò fiebat & securiùs. Vel ideò, ne aliorsùm, ut plerumque contingebat, eum traheret occupatio. Quod cùm contingebat, tunc quidem per unum Fratrem, ad quem pertinebat de egenis, hoc ipsum adimplebatur. Vel ideò certè sub nocte, quòd nequaquàm foret sub luce tam devota vacatio. Et verè tunc devota vacatio, & devotissima. In eo noctis vacans devotio. Cerneres quippe Pontificem in profundæ noctis silentio, quasi lucem in tenebris, singulorum pedibus advolutum, à singulis orationem petere, & plorare per singulos. Et velut aquarum exitus lachrymæ deducebantur per oculos, adeò ut lachrymis plus quàm aqua singulorum pedes lavari viderentur. Secundum verò fiebat convivium, non jam in furno noctis factum, sed diluculo. Ecce enim egredientibus è cœlesti convivio illis tredecim, quibus Pontifex præcinctus ministraverat, ingrediuntur alii duodecim, quibus discumbentibus Frater ille, qui ad usus pauperum portabat loculos, vice Pontificis, humiliter & devotè singulorum pedes lavans, ministrabat: Sine argenteis quidem, sed in cibis abundè. Tertium verò in processu lucis circa horam diei tertiam fiebat convivium, centum ex iis qui dicuntur Præbendarii, pauperibus introductis. Quibus duo Fratres, ad quos de egenis pertinebat, ministrabant. Et quidem triplex mensa Pontificis per singulos dies has quotidie tres mensas ponentis, quasi quotidie tres Missas celebrantis. Primam in nocte, secundam in aurora, tertiam sub luce plena. Reverà in hoc mysticè, unctione Magistra, edoctus, ut ita videlicet tribus mensis his, tanquàm tribus Missis, Deo gratis hostiis, nova Salvatoris nativitas suam in ipso novitatem, tanquàm nativitatem roboraret: Ut quem sub peccati jugo vetusta servitus tenuerat, nova Christi nativitas liberaret, & ita novus homo novum hominem Christum indueret.

Igitur post Synaxim decantatam, Evangelico illo convivio, in quo, ut diximus, ipsemet ministraverat, soluto, brevis somni ob sensus reparandos sopore prægustato, cæteris adhuc dormientibus, solus ipse ad sacros Codices manicabat. Et ad aperienda secum sacræ Scripturæ mysteria uno dumtaxat suorum, aliquantisper, ut sibi visum est, in his exercitato, accito, tanquàm apertis Cœli cataractis, summo manè in alimoniam spiritus Manna Cœlestis refectionis colligebat. Hic erat discipulus, qui testimonium perhibet de his, & vidit & scripsit hæc, scilicet Magister Heribertus de Bosehem. Per scripturarum quippe tot profunda & opaca, sicut ipse confitebatur, si absque duce incederet, semper metuebat errorem. Unde & in planis intelligentiæ suæ testem, & in obscuris semper me suæ inquisitionis ducem expetebat. Verùm finita collatione mox excludebatur, qui accitus fuerat, & solus Pontifex in conclavi suo remanebat inclusus, tanquàm in Sponsi cellam vinariam introductus, ad quem nulli nulla ex causa, etiam usque ad diei tertiam, ullus erat accessus. Ecce Thomas, qui etsi manum jam ad fortia miserit, & sicut prælatione, ita & quadam operum altitudine virtutum conscenderit speculam, tamen in scripturarum via, tam humiliter, tam simpliciter gradiebatur, ut in hac, nec Eruditorem præcurreret, nec præsumeret de se. Unde hic, qui inter vepres & spinosa sæculi à longo tempore jam inveteratam ruditatem contraxerat, adeo est in brevi eruditus à Deo Cœlesti illo Manna, quod in mane per singulos dies colligebat, refectus, ut & aliis jam eructaret, quod gustavit, & super omnem aquam nunc in Clero, nunc in Populo semen Verbi Dei seminaret. Tanto etiam Scripturarum amore ferebatur, ut sæpissimè inter viandum deflexo in partem equo, accito supra memorato Discipulo, in via sacræ eruditioni intenderet, hoc sæpiùs iterans: O, inquit, si mihi daretur, ut sæculi curis & causis semotis, in otio & quiete hujuscemodi possem intendere! Quàm fructuosam, favente Domino, his impenderem operam! Et quàm studiosè perditi temporis repararem jacturam! Scedulas in manicis suis laxis complicare consueverat ædificationis aliquid non spernendum continentes, ut ita Legendo semper promptiùs penes se haberet quod diceret. Illud etiam non tacendum, sed quasi extollendum præconio, quod semper secum habuerit multos & magnos viros, omni morum & vitæ honestate præditos, & scientiæ eruditione præclaros, in Scripturarum planis promptissimos, in Mysteriis exercitatos, in sacra verò collatione fructuosos, adeò ut inter istos quotidie quivis sapiens sapientior fieret. Quod multum Pontificis proposito & desiderio favebat. Cùm enim vacaret, non modicum ex his sapientia & scientia proficiebat in dies. Quorum Eruditorum Catalogum, favente Domino circa ultimam totius Historiæ hujus calcem seriatim, & singulorum ex ordine ponendo nomina, ordinabimus.

## CAPUT XI.

*Qualis fuerit in Officio Altaris.*

HORA igitur diei jam tertia egrediebatur Pontifex de conclavi suo, Sacerdotali ministerio Sacra Cœlestia consecraturus. Illos verò nunc pertranseo dies, quibus ipse solùm intererat. Non enim conficiebat hoc diebus singulis: Quod, ut ipsemet confitebatur, non negligentia, sed reverentia faciebat. Et quia inter bonos Sacerdotes & sanctos in hoc observantia variat. Quidam enim singulis, alii verò certis diebus conficiunt. In conficientibus quidem videre mihi videor grande conversationis sanctæ argumentum, in aliis verò reverentiæ & humilitatis indicium. Scripta verò Canonica, sicut nec jubent, nec inhibent, nec dissuadent aut suadent, ut Sacerdos quotidie offerat, sed hoc testantur, quòd una die semel offerre sufficiat, quemadmodùm & semel oblatus est Christus. Illum verò valde felicem prædicant,

cant, qui in die una dignè celebret. Illos autem in præsentiarum, nec memoratu dignos, non Christi, sed Mammonæ Sacerdotes prætereo, qui propter oblationum quæstum, unam Christi & semel oblatam hostiam quotidie non semel, sed libentiùs iterùm non tam consecrant, quam dilaniant, Filium Dei quæstui habentes & ostentui. Contemptis igitur his, ad magnum Sacerdotem nostrum revertamur, inter illos Reverendos Altissimi Sacerdotes numerandum, qui quotidie verentur & reverentur offerre. Igitur mox ut Beatus Thomas parabat se ut offerret, & mystica illa & Sacerdotalia indumenta offerebant Ministri, mox in primo visu, necdùm etiam his ornatus, totum se concussit & effudit. Effudit, inquam, cor & excussit adeò, ut quidam lachrymarum fons emanaret à capite. Cum verò Sacerdotalibus jam ornatus, Altari, pro suis & Populi delictis priùs oraturus, & post oblaturus, adstaret, adeò humiliatum erat cor ejus & contritum, ut inter sacra deprecatoria cum lachrymis singultus magis ponerentur, quàm Verba. Qui etiam ob vanas & vagas cordis cogitationes reprimendas inter celebrandum, dum Ministri in ea Missa, quæ Catechumenorum dicitur, spiritualibus intenderent Canticis, semper aliquem Ethicum in manu tenere consueverat. Et frequentiùs ea hora habebat in manibus quemdam Orationum libellum, quem unus prædecessorum suorum, vas Catholicum, hæreticorum baculus, malleus Tyrannorum, Scripturarum armarium, Evangelii tuba, & columna justitiæ, Beatus Anselmus stylo sicut salubriter pungitivo, vel pungitivè salubri & eleganti ex intimis sanctæ devotionis suæ medullis exceperat. Hunc, inquam, habebat ibidem ab oratione ad lectionem se excipiens. Deinde verò totum hoc speciale orationis genus, quod Missa dicitur, festinanter semper consummare consueverat: In Missæ introitu dicta una Collecta sæpiùs, interim tribus, pluribus verò, aut vix, aut nunquàm. Et primaria quidem institutio fuit, una tantùm diceretur: ut sicut est Epistola una, Evangelium unum, & Collecta esset una. Posteà verò processu temporis plures sunt additæ, quæ tamen secundùm formam Canonum, numerum septenarium non excedunt. Hanc autem in hoc speciali orationis genere brevitatem, & in Sacramentali carnium Agni immaculati esu festinantiam, propter illum verebatur Domini transitum, edoctus à Domino Sacerdos hujusmodi observabat, juxta quod in Lege scriptum est: *Et comedetis festinanter. Est enim phase, id est, transitus Domini*. Comedebat itaque festinanter propter emissiones per Angelos malos, perniciosum scilicet vanarum cogitationum superventum, in Sacramentali Dominici Corporis perceptione non tardus, non morosus, non nova præterquàm in Canone constituta sunt adjungens, verùm ea præsertim hora profundissimas tanquam ex intimis pietatis visceribus lachrymas profundebat & singultus, tanquàm attacta Christi vulnera tota intima cordis excutiens viscera, & effundens. Huic tantæ devotioni testimonium perhibere poterunt, quotquot sæpiùs publicè offerenti adstabant. Manus etiam suas excutiebat hic vir ab omni munere, & à domo sua sordes avaritiæ prorsùs eliminabat.

JOANNES.

UNDE & tunc temporis accidit, ut Abbas unus, negotium habens in Curia ejus, aliquot aureos nunc his, nunc illis, qui in judiciis præerant, offerret. Sed cum omnes respuerent, Abbas negotium peregit, aurum retulit, & recedens, inquit: *Curiam reperi superquàm auream, quæ non solùm post aurum abiit, sed aurum abjicit, spernit & calcat*. Et quidem de domo Pontificis Abbatis hoc gloriosum præconium. Erat quoque providus in consiliis, & in ventilatione caussarum diligens & modestus auditor, in interrogationibus subtilis, in responsionibus promptus, in judiciis justus, & personarum acceptione deducta juris per omnia rectissimus executor. Ostiatim mendicantium nullus ab ejus januis vacuus rediit. Domos ægrorum vel lares debilium per suos diligentiùs scrutabatur, & beneficiis visitabat, quamplures eorum quotidiano victu, vestituque sustentans. Cùm eis piæ memoriæ Theobaldus Prædecessor ipsius statutas Prædecessorum suorum Eleemosynas duplicare consueverit, hic religiosa æmulatione, duplum ejus censuit duplicandum. Ad cujus pii operis observantiam omnium, ex quocumque titulo percipiebat, decimas consecravit. Religiosos Viros tanta reverentia excipiebat, ut credi posset se in eis Divinam præsentiam aut Angelos venerari. In exercenda hospitalitate & aliis liberalitatis operibus sic pollebat, ut quodcumque erat in facultatibus ejus, commune bonorum omnium credi posset. Liberabat pauperem à potente, ut qui reverà datus erat pauperum Pater, & mœrentium Consolator. Arguebat liberè quarumcumque vitia Potestatum, sciens, quòd ubi Spiritus Domini, ibi consequenter est & libertas. Pensabat tamen vir discretus mores hominum, quos arguebat aut monebat, ne Sanctum daret canibus, aut Margaritas spargeret ante porcos. Et quia eum Cœlestis docebat unctio, sive litteratis, sive illiteratis loqueretur, mirum in modum eruditus, & eloquens apparebat. Et prædicatio ejus, tam pondere sententiarum, quàm puritate verborum placens erat & efficax. Et quamvis Domus ejus, pro more gentis, utensilibus pretiosis & gerendorum variis utensilibus nobilitaretur, divitias tamen & opes, & omnem Mundi supellectilem pro Christo parvi pendebat, transitoriis potiùs utens ad expediendas necessitates, quàm sitiens ad explendas concupiscentiæ voluptates.

## CAPUT XII.

*De sobrietate ejus. Et qualis fuerit in Ordinibus.*

HERIBERTUS.

TALIBUS igitur virtutum refertus odoribus circa diei nonam hic Pontifex noster ad corporalis alimoniæ se discubitum præparabat. Et mox cum nobili illo Eruditorum suorum Catalogo discubiturus procedebat in publicum. Et discumbens in medium à dextris Eruditos suos, Monachos verò & Religiosos statuit à sinistris: Milites verò, cæterique Potentes separatim semper & per se discumbebant seorsim. Ne videlicet ipsos non intelligentes molestaret lectio, quæ quotidiè in mensa Pontificis ab initio usque ad finem discubitus personabat. Vix etiam adventans Clericus quivis in propria Archi-Præsulis mensa discumbebat inter suos, nisi eum fortè Archi-Præsul vocans ex nomine multùm honorare decrevisset, magis semper sanctæ conversationis vel scientiæ, quàm dignitatis vel officii merito:



rito: Sed veniens quis honorificè quidem in aliqua mensarum discumbebat seorsim, crebris tunc ab Archi-Præsule mensalibus visitatus Xeniis. Et ob hoc id maximè fiebat, ne è mensa, in qua ipse Pontifex cum suis discumbebat, aliquod fortè verbum, sicut solet, tunc elaberetur, & præsertim coram extraneo, quòd aliquis meliùs tacuisset. In ejus mensa non audiebantur tubicines, non Cornicines, non Lyra; non phiala, non Coraula: Nulla quidem præter mundam, splendidam & inundantem epularum opulentiam gulæ lascivia, nulla penitus luxuriæ videbantur incitamenta.

Verùm cum qua sobrietate & temperantia mensæ assederit, dicendum est. Reverà inter tot & tantas delicias, quæ ei apponebantur, in nullo penitus Sardanapalum, sed solum Episcopum sapiebat: Nullius, ut notari posset, avidus, nec super ullam omninò escam se effundens. Et expressiùs audiamus abstinentiæ illius modum, & quibus ita consueverat. Tria namque sobrietas exigit: Quid, quando, & quantum sumamus, ne quid prohibitum, ne quid citra horam, ne quid ultra mensuram. Unde & Adam, qui primus comedit vetitum, confestim proscribitur. Jonathas, qui citra horam, maledicitur. Israel verò, qui ultra mensuram, mox punitur. Verùm Thomas in virtute sobrietatis cunctis præstans, de hora & mensura quotidie proposita, quibus uti consueverit, audiamus: Ne in hoc, quod facilè nimis justis & indiscretè Religiosis videri posset, videatur in aliquo, vel in modico, tantam, quam de eo prædicamus, sobrietatis decolorasse virtutem. Multa quidem offerebantur, apponebantur multa & varia, sed inter plurima ad esum proprium pauca retinebat. Et ea, quibus ipse utebatur, & delicatiora quidem & pretiosiora erant, quæ etsi non sint prohibita, à sobrietatis tamen perfectione, & à perfectè sobrio, his præsertim, quos diximus nimis justos, videri possent aliena. Unde cùm unus justorum talium super hoc inter discumbendum semel quasi subridendo notaret Pontificem, aliquantisper Zelo motus Pontifex, sic ei respondit: *Certè, Frater, nisi fallor, cum aviditate majori tu tua sumis fabam, quàm ego appositam mihi Phasidem*. Et erat tunc avis hæc ante Præsulem in paropside. Et Frater ille, aliquamdiu inter nos conversatus deliciosa non quærens, utpotè qui ad hæc consuetudinem non habuerat edulio grossiorum. Et bonum quidem & prudens Pontificis hoc & pro Fratris consuetudine, & pro veritate responsum. Nec enim refert, ut tradunt animarum medici Patres Orthodoxi, quid, quantumvè quis sumat, si solùm necessitati & valetudini suæ, non voluptati indulgeat. Unde & primus omnium Parens non propter esum Cervi vel Caprei, sed propter gustum pomi vetiti de Paradiso ejectus exiit. Et Esau non propter gallinaceum, sed vilis lentis edulium primogenita perdidit. Nihil verò, ut diximus, refert, quid quantumvè quis sumat, valetudini dumtaxat aut necessitati hoc, & non concupiscentiæ militet. Pontifex igitur, qui grossiora non poterat, utpotè minimè enutritus in his, deliciosa quidem sed parcè admodùm sumebat & sobriè, ita quòd, sicut ex ejus secreta Confessione quidam Religiosi ipsius familiares noverunt secretiùs, non magis cibatus, quàm jejunus, nec post vina plusquàm ante, ullam vix sentiret carnis rebellionem. Itaque finita mensa, hymnoque dicto, Pontifex cum Eruditis suis à mensa surgens thalamum ingrediebatur, ubi, aut in Scripturarum collatione, aut in agendorum erat consiliis. Et quidem quotidiè sic, nisi fortè pro tempore modico somno indulgeret.

JOANNES.

OTIUM enim summoperè fugiebat, ne viderent eum hostes, & deriderent sabbatha ejus. Quod autem nocturno somno sine grandi dispendio corporis deducere poterat lachrymis & orationibus indulgebat, & Meditationibus sanctis, castimoniam sectans in corpore, servans pudicitiam & modestiam in sermone, in opere justitiam: Ut quos erat eruditurus verbo, Sanctitatis suæ potentiùs moveret exemplo. Hæreticos Schismaticosque infatigabiliter expugnabat, & nunquam induci potuit, ut cum excommunicatis communicaret. Quisquis sanæ doctrinæ adversabatur, eum sibi hostem futurum in Christo non dubitabat. Justitiæ quoque zelo fervens, quod suum erat cuique servare videbatur, personarum prorsus & munerum acceptione deducta.

HERIBERTUS.

IN Ordinibus verò, ut verum fateamur, super cætera & præcæteris in hoc Pastoris officio pavidus admodùm fuit, & sollicitus. Legerat quippe illud Magistri ad Discipulum: *Manus citò nemini imposueris, ne communices peccatis alienis*. Et ex his, quasi terribili quodam tonitrui sono, toto corde concutiebatur & corpore. Unde & in Ordinandorum discussione erat indagator acerrimus. Primùm, ut Ecclesiastica habet institutio, si vita dignus. Secundò, si scientia ornatus: Pro gradu tamen, quem quærebat. Tertiò, si vitæ & scientiæ, vel gradui, quem quærebat, Ecclesiæ Beneficium esset competens: Ne postquàm promoti, palantes & vagi, seu conductitii, Sacros Ordines, non Religioni, sed potiùs quæstui haberent & ostentui. Verùm in his adeò erat indagator acerbus, ut vix absque se ipso hanc indagationem crederet. In tantum verebatur, ne peccatis alienis communicaret, vel ne pro templi Ministris in templo Dei idola erigeret; vel ne tanquàm trapezita, sed dolosus, summi Regis nummum adulteraret. Certissimè enim asserebat, quoniam qui indignum sciens, vel absque multa probatione ordinat, etiamsi ordinatus posteà corrigatur, graviter Deum offendit. Quod si Ordinatus non corrigitur, Ordinans Ordinati se peccatis maculat, his maximè, quæ post Ordinationis suæ diem Ordinatus perpetrat.

## CAPUT XIII.

*De prædiis & dominiis suis repetitis & revocatis.*

IGITUR his, quibus tam gloriosè vitam suam instituit vir Beatus, expeditis, ad alia transeamus. Jam enim qui huc usque in portu Ecclesiæ navigaverat, Mare sæculi ingredi incipiebat, & sæcularia tractare. Quod persæpè necesse Pontifici, sed sapienti Pontifici dulce nunquàm. Jam quibusdam Regni Magnatibus, viris magnis & Potentibus, de prædiis per Præcessorum impotentiam, seu incuriam Ecclesiæ suæ ablatis quæstionem movet: Quædam repetendo, nonnulla verò, ubi manifesta videbatur injuria, absque quæstione revocando. Conventus verò quare hoc faceret, respondit nullo modo se velle

velle litigare super his, quæ ad Dominium suum pertinere fuisset notissimum, etsi quocumque titulo injustè alienata. Et ita omnia prædia illa, quæ firmè feudales dicebantur, pro voluntate sua tenuit & ordinavit, donec exturbatus hæc & alia propter justitiam proscriptus perdidit. Unde hujuscemodi motis quæstionibus oriuntur Pontifici mox contentiones, & lites, & adversarii multi, sed propter Regis metum occultiores, eximiam illam, quam habebat adhuc, Regis gratiam verentes, & ob hoc Pontificis non modicum metuentes offensam. Verum qui se læsos sentiebant, aut lædendos verebantur, Regem extra Regnum agentem adeunt, & conquerentes exponunt, aliqui se passos, alii verò se passuros injuriam per Pontificem, nisi Regia Clementia Justitiæ adhibeat manum. Et constanter Regis ad Pontificem gratiam, vel in aliquo labefactare attentantes addunt, quòd nimia Regis gratia cornua daret Pontifici ad excedendum. Sed Rex, qui opere & veritate eum diligebat, à talibus avertebat auditum. Et quia in articulo erat transfretandi, in adventum suum in Angliam, querentes distulit. Quò tandem apud Suthantune applicito, confestim Archi-Præsul cum egregio illo puerò Henrico Filio Regis obviam venit. Et ecce illis Regis hospitium ingredientibus, Rege & universis occurrentibus, per totam Aulam fit gaudium & exultatio. Ita ut videretur Rex se totum propter Pontificem in omne gaudium dilatare: Utpote, qui nunc primò suum quondam Aulæ Thomam videret Pontificem. Et maximè ob hoc gaudebat, quia de Sanctitate Pontificis tot & tanta, secreto jam perstricto, acceperat. Cùm verò per aliquot dies sic congratularentur ad invicem, tandem Pontifex cum alumno suo præfato à Rege in summa gratia abscessit. Præfati verò Queruli videntes & audientes sic abscondunt se, & querelas dissimulant.

## CAPUT XIV.

*De profectione ejus ad Concilium Turonense.*

ET ecce post modicum felicis memoriæ Alexander Papa per universam Catholicorum Ecclesiam, erat quippe in Romana Ecclesia tunc Schisma, Concilium convocat. Unde & Archi-Præsul in omnibus magnus, magnificentissimè ad transfretandum se præparabat. Et Rege adito alumnum suum Patri restituit, & sic cum summa gratia licentiatus à Rege, tandem, aura flante prospera, Mare ingressus, in Flandria in Portu, qui dicitur Gravelinga, prosperè applicuit. Cui mox Proceres & Nobiles terræ illius occurrerunt, omnem honorem exhibentes certatim, & sua & quæ poterant offerentes. Deinde verò per Nortmanniam & Cenomanniam transiens, in omni Regis Anglorum ditione honorificè quidem tanquàm Rex ipse excipiebatur; Turonis verò jam appropinquans, tertio ni fallor die ante celebrandum Concilium, Civitatem ingressurus, audito ejus adventu, mox universa Civitas commovetur, & obviam exeunt universi: Non solùm Cives & indigenæ, sed & Personæ Ecclesiasticæ, quæ ad Concilium jam ferè omnes convenerant, diversarum nationum Archi-Præsules & Pontifices, & quod minimè tacendum, præter Romanæ Ecclesiæ morem Domini Patres & Rectores Ecclesiæ Cardinales universi, longè priùsquàm Civitatem ingrederetur, occurrerunt. Præterquàm duo tantùm, qui Domino Papæ, ne in tam celebri frequentia sine lateribus esset, confidebant. Tanta verò fuit sequentium turma, ut Archi-Præsule ad Dominum Papam ingrediente Palatium Papæ, Papa quasi ex necessitate, ne comprimeretur, in quo erat exiret thalamum, & ingrederetur Palatium. Et Dominus quidem Papa Archi-Præsulem benignissimè tunc suscepit. Et eo quidem benigniùs, quòd ex multo tempore cupiens erat eum videre, qui tam multa audierat de eo. Et ut videbatur super itinere ei compassus, citò dimisit eum. Et Archi-Præsul sic recedens in Arcem Regis, quæ propè Palatium erat, hospitio se recepit. Itaque per aliquot dies celebrato Concilio, ad Archi-Præsulis nostri petitionem nonnullis Ecclesiæ suæ Privilegiis renovatis, vir Apostolicus in osculo pacis dimisit eum cum benedictione sua & gratia. Et quidem æquore & aere faventibus, in Angliam citò cum gaudio reversus est, secundo jam anno Consecrationis suæ. Et à Rege, pro more & debito, tanquàm Pater à Filio in omni gaudio suscipitur.

## CAPUT XV.

*De Consecratione Episcoporum Vigornensis & Herefordiensis.*

HIS diebus duæ vacabant Sedes Episcopales in Provincia, Vigornensis videlicet & Herefordiensis, prioris Sedis Pontifice jam mortuo, sed altero ab Herefordiensi ad Londoniensem sedem translato. Translatus Gilbertus Folioth vocatus erat nomine proprio, cognomento Folioth. Has igitur duas sedes vacantes cùm Rex aliquamdiu tenuisset, à novo Metropolitano suo sæpiùs est conventus, nunc rogatus, nunc monitus, interdum & acriter, sed amicè correptus, quòd in sedibus vacantibus Clero de substituendis Pastoribus non consentiret. Mos enim prophanus in plurimis jam Regnis inolevit, quòd Episcopatus vacantes & Monasteria Reges pro voto per annos tenent, & quasi Christo proscripto applicantur Fisco dos Viduæ & Crucifixi Patrimonium, calamitosorum refrigeria & egenorum subsidia. Hæc Archi-Præsul recolens, & attendens sui esse officii talia non sustinere, Regem, quem super hominem diligebat, nunc monebat, ut sedes diu vacantes ordinari permitteret, in temporalibus, & spiritualibus quæ inde constabant mala non tacens. Et Rex tandem ad multam Archi-Præsulis instantiam Pontifices fieri annuit. Et ita ad duas sedes prænominatas Pontifices sunt electi, Viri certè omni sanctitate perspicui. Ad Vigornensem electus est quidam ætate quidem juvenis, sed morum gravitate senex, nomine Rogerus, magni viri Roberti quondam Glavorensis Comitis Filius, cujus adhuc virtus insignior sanguinis generositatem superabat.

## CAPUT XVI.

*Commendatio Episcopi Vigornensis.*

SI mihi nunc liceret, & cœptæ Historiæ lex sic permitteret, virum justum pro virtutum suarum meritis efferre condignis præconiis, certè totam



tam hanc Martyris historiam quasi Cœlestis Firmamenti Stella Matutina illustraret, aut velut carbunculus aliquis ardentissimus, in his præsertim vitæ nostræ tenebris, præ cæteris ardens & lucens. Quem quoties ad mentem revoco, alterum mihi officio Simonem, Oniæ Filium, Sacerdotem magnum, qui in vita sua suffulsit domum, & in diebus suis corroboravit templum. Qui quasi arcus refulgens inter nebulas, & quasi lilia, quæ sunt in transitu aquæ. Quasi flos rosarum in diebus vernis, & quasi Thus in igne ardens. Quasi vas auri solidum, vas pretiosum, vas sanctificatum in honore, & vas verè utile in Domo Domini. Verùm præsentis materiæ meæ proposito reclamante, per amæna virtutum ipsius prata stylo nostro effodiente nequaquam nunc rivus, sed nec rivulus ducendus est, nec tanquàm amœnans & speciosa florum, gratiarum suarum varietas depingenda: Quantæ videlicet fuerit puritatis lilium, quantæ verecundiæ rosa, quàm Cœlestis conversationis viola, quàm jucundæ societatis musica, & super omnia quantæ justitiæ columna, & ad cæterorum præsidium quàm infrangibilis constantiæ adamas. His igitur solùm sic tactis, hic ætate juvenis, sed moribus grandævus & virtutibus, cum omnium, ad quos id spectabat, voto electus, primus fuit quem Beatus Thomas Archi-Præsul in Episcopum Vigornensem consecravit. Qui posteà & in prosperis & in adversis ipsi semper erat obediens, etiam usquè ad damna, usque ad proscriptionem & pericula multa; Turpe judicans, si Imperatore in Castris, miles Domi quasi inter mulierum colos, seu calathos puellarum, balneorum & unguentorum uteretur fomentis.

Alium verò in Herefordensem Episcopum consecravit Robertum nomine de Meleduno, sæcularium & sacrarum litterarum in scholis Magistrum præclarum, in vita etiam, quàm in scientia, multò magis præclariorem. Cujus & ille sacerdos magnus priùs consecratus in scholis Discipulus fuit. Hic quippe Doctor magnus tam vita, quàm scientia, tanquàm luminare magnum, per universarum Ecclesiarum Orbem erat rutilans, & Discipulorum multitudinem eruditam, tanquàm varios per Orbem lucis suæ radios, à se emittens. Et ita in duobus his Pontificibus consecratis, omni sanctitate conspicuis, Beati Thomæ propositum stetit firmum, & ab Altissimo desiderium est impletum. Proposuerat enim, & Altissimo supplicaverat, ut Archi-Episcopatus sui tempore contra conscientiam suam nemini præterquàm digno Consecrationis præsertim manum imponeret.

Post modicum verò Archi-Præsul, plerisque Comprovincialibus Episcopis convocatis, nobile illud & Regale Monasterium de Radinges, in quo Divæ recordationis Henricus quondam Anglorum Rex, secundi Henrici Regis Avus, in Mausolæo gloriosè quiescit, & ipse fundator exstitit, magnificè dedicavit, Rege volente sic, & præsente. Et eodem quoque anno Londoniæ apud westmunster gloriosi & verè Sancti Regis Edwardi corpus, tanquàm clarum admodum & pretiosum vas perfectæ continentiæ, de terræ pulvere extulit, & ob multa & præclara Regiæ vitæ merita solemniter quidem & sublimiter ibidem in Ecclesia inter Sanctorum corpora collocavit, Rege itidem volente sic, & præsente.

Et erat, sicut prælocuti sumus, illustris Regis & Sancti Pontificis cor unum & anima una in Deo, Regno per hoc & Sacerdotio in summa pace & tranquillitate concurrentibus, Deo pacis & dilectionis sic agente. Sed proh dolor, & verè dolor! Nihil in humanis diuturnum, nihil permanens, sed juxta Sapientis dictum, *Omnia tempus habent, & suis spatiis transeunt omnia sub Cœlo. Tempus flendi, & tempus ridendi. Tempus dilectionis, & tempus odii. Tempus pacis, & tempus belli. Omnia tempus habent.* Magna certè nomina & chara fœdera tanti Regis & tanti Pontificis. Reverà tantum Regem & tantum Pontificem in alio Mundi Regno inveniri simul difficile esset, & tantam inter tantos concordiam. Grandis quidem concordia, sed brevis hora. In brevi quippe extrema concordiæ dissensio occupat. Nec per alium, quàm per totius pacis & dilectionis inimicum miserè & infeliciter istud tantum & tam firmum concordiæ vinculum dissolutum, ad Regni & Sacerdotii unitatem solidandam tam necessarium.

## CAPUT XVII.

*Qualiter inter Regem & Archi-Episcopum dissensio orta est.*

### JOANNES.

VIDENS igitur hostis antiquus tantum virum Ecclesiæ Dei plurimùm profuturum, invidit, & ne sperata pace terra diutiùs frueretur, Zizania superseminavit, quæ fructum veteris amicitiæ Regis & Pontificis suffoearent.

### WILHELMUS.

ET inde seminarium sumpsit. Nam cùm Primas onere Pastoralis curæ premeretur, mittens Regem rogavit Cancellarium sibi providere. Quia ipse vix uni, ne dum duobus Officiis poterat sufficere. Secundam verò causam iræ dedit. Nam publicæ Potestatis Ministri per Regionem Anglicanam de consuetudine sibi de singulis Hidis, ut verbis Comprovincialium utar, pecuniam colligunt, tamquàm laboris mercedem, quem tuitioni Patriæ impendunt. Quam pecuniam tamen Rex tanquàm reditum nitebatur in fiscum redigere. Obstitit Primas, dicens ne oporteret pro reditu computari, quod suo & aliorum arbitrio daretur. Sed & tertium fuit, quod iram Regis accendit.

### HERIBERTUS.

CONTIGIT ut quidam Operarii Diaboli, nomine dumtaxat Clerici, sed de sorte satanæ, de maleficiis accusati, capti tenerentur in vinculis, inter quos Sacerdos unus erat de homicidio infamis, & accusatus à propinquis defuncti. Iste ob privilegium Ordinis ad Diœcesanum Episcopum Saresberiensem captus dirigitur, Regis Officialibus & propinquis defuncti accusantibus, & acriter instantibus, ut Episcopus exhiberet justitiam. Sed Sacerdote constanter inficiante, cùm non posset per accusatores convinci, Canonica indicitur Purgatio accusato. Sed eo in Purgatione deficiente, mittit Episcopus ad Archi-Præsulem de jure consulens, & ut in exequenda pœna procederet securiùs. Archi-Præsul verò consultus mandavit, ut omni privatus Ecclesiastico beneficio exautoraretur, & in Monasterio ad agendam perpetuam vitæ districtissimæ pœnitentiam perpetuò recluderetur. Et quidem Clerici in hunc modum super maleficiis accusati & convicti, vel deprehensi, vel infames & in Purgatione adjudicata deficientes, absque omni mutilatione vel deformatione mem-

ne membrorum ex decreto Archi-Præsulis, pristinis authenticorum Canonum sanctionibus roborato, per Provinciam percellebantur. Pœna tamen exasperata vel emollita pro qualitate flagitii, pro gradu etiam & ordine delinquentis, & modo & causa delinquendi.

Illud etiam minimè prætereundum, quod circa idem tempus Philippus quidam de Brois Canonicus justitias Regis probrosis quibusdam contumeliis affecerat. Propter quod Rex non solum adversùs ipsum, sed potiùs adversùs totum Regni Clerum exasperatus videbatur. Solet quippe mox in totam Officii professionem conferri, si quid fortè turpiter vel enormiter ab aliquibus de professione admittitur. Verùm querela ad Archi-Præsulem delata, citatus Clericus, & supra modum delicti, ut vel sic faciliùs quiesceret Regis indignatio, est punitus: Publicè scilicet virgarum disciplinæ adjudicatus, & per annos aliquos ab omni Officio & Ecclesiastico beneficio, quod in Regno habebat, suspensus. Verùm cùm Regi non sufficeret hoc, videbatur Rex potiùs reum Clericum ad aliquam pœnam corporalem deposcere, sed verebatur hoc exprimere, jam advertens Archi-Præsulis rigorem non posse flecti ad hoc. Arctabatur itaque Rex, arctabatur & Pontifex. Rex etenim Populi sui pacem, sicut Archi-Præsul Cleri sui zelans libertatem, audiens per hujusmodi castigationes talium Clericorum immò veriùs coronatorum Dœmonum flagitia non reprimi, sed potiùs in dies Regnum deterius fieri, Archi-Præsulem & Episcopos ad temperandum Regni Clerum Londoniæ apud Westemunster convocat.

## CAPUT XVIII.

*De allegatione Regis & Responsio Pontificis.*

REx itaque, causa vocationis exposita, mox instanter exigit, ut deprehensi vel convicti Clerici in tam enormibus flagitiis exponantur suis lictoribus, Ecclesiæ præsidio destituti: adjiciens ad nocendum fore promptiores, nisi post pœnam spiritualem corporali pœnæ subdantur. Et pœnam parùm curare de Ordinis amissione, qui Ordinis contemplatione a tam enormibus manus continere non verentur. Et tanto deteriores esse in scelere, quanto sunt cæteris Ordinis privilegio digniores. Unde & sæverioribus coercendi vindictis, quando reperiuntur in scelere. Hoc ergo Rex, quorundam olim fretus consilio utriusque juris se habere peritiam ostentantium, instantissimè postulat, ut tales mox submoti à Clero Curiæ tradantur, quod non solùm jus humanum, sed & ipsius Divini juris sanxit authoritas. Unde & qui pro Rege, ob Regium favorem videbantur scienter edocti, allegabant tales nequaquàm ex illo ulli Monasterio; sed Canonibus sancientibus sic, potius tradendos Curiæ: Et hoc esse tradi Curiæ, judici videlicet sæculari tradi puniendos.

Verùm Rege & suis sic allegantibus Archi-Præsul unà cum Provincialibus Episcopis, & cum præfatis Eruditis suis librato consilio, cum plurimùm & ipse pro Cleri libertate secundùm Antiquorum Patrum canonicam institutionem luculenter satis & probabiliter respondisset, in fine sermonis cum omni devotione Regiam obsecrabat Clementiam, ne sub novo Rege Christo, & sub nova Christi Lege, in nova & peculiari Domini sorte contra Sanctorum Patrum instituta novam per Regnum suum induceret conditionem. Et hoc quidem pro se, & pro Regni sui stabilitate obsecrabat humiliter & frequenter, crebrò interadjiciens se hoc sic nec debere sustinere, nec posse.

## CAPUT XIX.

*De exactione Regiarum Consuetudinum.*

VErum Rex nihil motus ad hoc, sed eò ampliùs commotus, quòd cerneret Archi-Præsulem & Episcopos adversùs ipsum, ut reputabat, unanimes sic & constantes, scisciitabatur mox, an Consuetudines suas Regias forent observaturi: Replicans illas tempore Avi sui ab Archi-Episcopis & Episcopis Privatis & Privilegiatis observatas, non oportere suo tempore tristi judicio damnari. Ad quod Archi-Præsul, præhabito cum Fratribus suis consilio, respondit illas se & Fratres suos observaturos, *salvo ordine suo*. Et id ipsum etiam ex Ordine responderunt Pontifices singuli, singulatim & à Rege interrogati. Unus autem, Hilarius scilicet Cicistrensis Episcopus, audiens ob hanc omnium vocem Regem magis exacerbatum, Archi-Præsule & Co-Episcopis inconsultis mutavit verbum, dicens se Regias Constitutiones observaturum bona fide. Et profectò pro bono, ut reor, ut vel sic Regis sedaret animum. Sed Rex nihil mitigatus ob id, & ipsum quibusdam contumeliis affectum sprevit. Et ad Archi-Præsulem, & Episcopos se convertens, omnium scilicet una & eadem voce audita, dicebat aciem contra se firmatam, & venenum verbo illi inesse, & captiosum esse, *Salvo ordine suo*. Unde petebat ut absolutè & absque adjectione Regias Consuetudines se observaturos compromitterent. Archi-Præsul respondit ad hoc, quòd *fidelitatem* ei juraverant, vitam scilicet, membrum, & honorem terrenum, *Salvo ordine suo*: Et quòd in honore terreno Regiæ Consuetudines fuissent comprehensæ. Et ad earum conservationem se minimè in alia forma obligaturos, nisi in qua priùs juraverant. Cùm verò multum inclinata esset jam dies, tota die Rex vexatus, insalutatis Pontificibus, in ira & indignatione multa, subitò recedit ab Aula. Pariter & Pontifices tota die vexati recedunt, & in hospitia se recipiunt. In recessu verò Episcopus, quem supradiximus, ab Archi-Præsule acriter est objurgatus, quod & se & Co-Episcopis inconsultis commune omnium verbum mutare præsumpsisset. In crastino verò Rex munitiones & honores quos Archi-Præsul à Rege jam à tempore Cancellariæ in custodia habebat, repetita recepit: Et nec salutans, nec salutatus à Pontificibus, immò nescientibus ipsis, clam & ante lucanum Londonia recessit. Et quidem hoc grandis iræ & indignationis argumentum exstitit.

## CAPUT XX.

*Qualiter Episcopi Archi-Præsulem deseruerint.*

### WILHELMUS.

ACcidit post modicum Episcopum Lexoviensem reconciliandi gratia Regem ex Transmarinis adjisse. Nam ab amicitia ejus exciderat. Cui, forsan ut recuperaret gratiam, quam perdiderat, consilium



filium dedit, utinam non in læsione nominis sui, ut ad se partem Cleri converteret, ne prævalerent adversùs eum, dum simul quasi conferta acie starent, & communicato suffragio sibi subvenirent. Igitur elaboratum est, ut unanimitas Ecclesiæ scinderetur, & in partes Regis Episcopi converterentur, quatenùs & Archi-Episcopus converteretur, aut si solus staret facilè contereretur. Conversis igitur Episcopis, quibus ab antiquo Regis odio dispendium membrorum & salutis imminere videbatur, conversi sunt & alii, qui domum suam super arenam posuerant, & fluminis impingentis impetum non sustinebant.

### HERIBERTUS.

ET præter Archi-Præsulis sui conscientiam, cum quo priùs, sed ad horam steterant, Regis voluntati se parituros promittebant. Reliquis itaque, tanquàm palea à grano, eventilatis & excussis, solus remansit Archi-Episcopus, paucis cum eo Episcopis remanentibus. Et hi tamen occulti propter metum.

### JOANNES.

REX verò conabatur Archi-Episcopum promissis & blanditiis ad suum inclinare consensum. Sed Vir Dei fundatus in petra & solidatus, nec blanditiis emolliri potuit, nec minis terreri, ut à cultu Justitiæ deviaret.

### HERIBERTUS.

INTERIM verò multi & magni videntes sic, & condolentes, crebrò inter Regem & Archi-Episcopum commeantes, multis modis Archi-Præsulem ad Regis gratiam exhortantur. Nunc familiaritatem pristinam, nunc impensos honores, nunc collata beneficia, hinc quantum pacis bonum, inde verò quantum dissensionis malum, proponentes. Adjicientes & quanta foret insipientia, unius verbuli contentiosi occasione bonorum tantorum ingratitudinis incurrere notam, tam diligentis & tam dilecti tantam perdere gratiam, & tot & tantorum malorum radicem fovere dissensionem. Hoc enim solùm agebatur, unc, ut verbum illud, scilicet, *Salvo Ordine*, quod Regem offenderat, aut supprimeret Archi-Præsul in Regiarum consuetudinum obligatione, quam sibi fieri petebat Rex, aut mutaret. Et præ cæteris suadebat, quibus poterat modis, & impellebat Archi-Præsulem ad verbi hujus mutationem Hilarius Cicestrensis, vir certè multum pectoris habens, & sermone potens.

### WILHELMUS.

SED & quadam die Præsul Herefordiensis Robertus, & Comes Vendonnæ, Abbasque de Eleemosyna super prædictis consuetudinibus cum Primate sermonem diutius habuerunt. Asserebat autem Abbas se à Romano Pontifice directum, qui Regis eum voluntatibus obtemperare persuaderet, dicens Dominum Regem jure jurando cavisse, quia nihil in præjudicium Ecclesiæ postularet, sed honorari coram Optimatibus suis dumtaxat exoptaret, & per hoc postulationibus ejus vel umbratilem & qualemcumque consensum sufficere ad reformationem pacis. Si quid sic præsumetur, Dominum Papam sibi malle imputari, quàm pacem non reformari. Non credimus ambigendum viros bonos bonum Ecclesiasticæ pacis optasse, minùs tamen tanti Patres attendebant, quia immodestia postulationis Rex excederet, & in locum præsumptionis germina promissionis degenerarent.

### JOANNES.

NITEBANTUR tamen plurimi supplantare Virum Dei, sed hostes familiares perniciosissimè perurgebant.

### HERIBERTUS.

SUADENT igitur hi, suadent illi, sed super omnia, quam Archi-Præsul ad Regem habebat, urget charitas. Unde & persuasus tandem super omnia urgente charitate, apud Oxenefordiam ad Regem accessit, & verbum, quod Regi scandalo erat, se mutaturum promisit. Unde Rex jam aliquantisper sedatus multum se exhibebat sereniorem Archi-Præsuli, necdùm tamen ut solitum. Dicebat autem Rex obligationem de Regiis consuetudinibus observandis velle sibi fieri in forma hac: In Episcoporum & Procerum Regni conspectu & audientia publica.

## CAPUT XXI.

*De vocatione Archi-Episcopi apud Clarendonam.*

### WILHELMUS.

REX igitur Regni & Sacerdotii, ut videbatur, pacem zelatus, sed sibi & Archi-Præsuli suo minùs providens, apud Clarendune Regnum convocat universum. Quò cum Præsules & Proceres convenissent, exegit Rex instantiùs, ut promissa sibi solverentur. Verùm Archi-Episcopus licèt Regi assentire promisisset, suspectam tamen habens Regis promissionem, & quia frequenter Principes ad indebita manus extendunt, modum ignorantes, elegit potiùs apud Regem, quàm in lege Dei periclitari, in eumque serpentem conterere, priusquàm pravitas in populo Dei pullularet. Itaque quamvis exilium vel carcerem metueret, Deum tamen pluris æstimans ex adverso ascendit. Ille minatur, ille refragatur, ille delirat, iste tacita prece suspirat. Intereà Episcopi Alesbiensis & Norvicensis, quos ab antiquo odio pœna manebat, timentes sibi ex impacati temporis occasione, verbis lachrymabilibus Archi-Episcopum exorabant, quòd sui misereretur Cleri, quòd animi pertinaciam relaxaret, ne ipse carcerem, Clerus exterminium, ipsi capitis damnationem incurrerent. Sed Comites duo, potentissimi in Regno, ipsum aggressi dicebant, quod nisi ille voluntati Regis acquiesceret, ex Regis jussione ipsi ad violentiam cogendi erant, quæ Regi, sibique perpetuam erogaret infamiam. Vir igitur invictæ constantiæ, & in petra Christi fundatus, nec blanditiis emollitus, nec terroribus concussus, tandem à gremio veritatis, & sinu matris avellitur, cujus libertati adhærebat. Et ne victor in lite per superbiam tumesceret in mente, inde decidens unde proficere deberet, derelinquitur ad horam sibi, ut cadat; post casum resurgat, cadens humanam fragilitatem agnoscat, resurgens circa se Divinam miserationem intelligat. Sic ne quis de virtute sua confidat, Princeps Apostolorum Petrus, & David sanctus ceciderunt. Non tamen cadendi proponimus exemplum, sed si ceciderit quis, resurgendi. Cecidit siquidem Petrus, sed respiciente in eum Domino, flens amarissimè fortior resurrexit. Cecidit David, sed propheta eum redarguente, lapsus culpæ pœnitendo delevit, & pœnam evasit. Sic Beatus Thomas tentationi relinquitur ad horam, ut postmodùm fragilitatis propriæ memor, for-

fortior resurgat ad pugnam. Igitur cùm tertiò per Richardum, magni nominis virum, qui templo Hierosolimytano tunc præerat, sibi cavere moneretur, & Clero misereri, non tulit eorum supplicationes, non geniculationes. Nam tanquàm in ipsius verticem vibratos gladios viderent, plangere videbantur, & funus præsens futurum facinus lugebant. Unde potiùs super Clerum, quàm super se motus miseratione, annuit de consilio illorum Regiæ voluntati parere. Primus igitur ante omnes Archi-Præsul in prætacta forma se obligat, quòd videlicet Regias Consuetudines foret observaturus bona fide, verbo illo suppresso, scilicet, *Salvo Ordine*. Et quasi juratoriam adjiciens cautionem, hæc se facturum in verbo veritatis spopondit: peccatum peccato adjiciens.

ET id ipsum in eadem forma singulatim universi Pontifices jurarunt. Et incontinenti facta obligatione in forma hac per quosdam Regni Proceres, qui has nosse debuerant, facta est Regiarum Consuetudinum recognitio, & sicut publice, ita & expressim recensentur. Verùm ut pleræque jam fuissent expressæ, & multò plures, ut videbatur, forent exprimendæ adhuc, Archi-Præsul interlocutus est, dicens se nec esse ex antiquioribus Regni, ut pristinas Regni Constitutiones sciret, nec in Archi-Præsulatu diu fuisse: unde & dicebat se nescire de his. Et præterea inclinata esset jam dies, tantùm differendum in crastinum. Placuit sermo, & in sua se receperunt hospitia, in crastinum revertentes in id ipsum. Et quæ pridiè intermissæ fuerant Consuetudines Regiæ, recognitæ sunt & expressæ, & in scriptum Chyrographi modo confectum, redactæ, & Regiarum Consuetudinum nomine censitæ. Quarum tamen multæ, ut perhibebatur, nequaquàm Regiæ, sed odio Archi-Præsulis ad ancillandam Ecclesiam evomitum æmulationis & invidiæ virus, ipso etiam Rege ignorante, quod homines inter ipsum & Archi-Præsulem suum hac astutia dissensionis zizania seminare intenderent. Nec enim Rex, qui adhuc juvenis, sicut nec Archi-Præsul novus, pristinas Regni Consuetudines nisi ex aliorum relatu cognoscebat. Quales verò hæ Regiæ Consuetudines fuerint, si quis pleniùs scire desiderat, eas in fine hujus historiæ scriptas inveniet.

## CAPUT XXII.

*Qualiter Archi-Episcopus ad se reversus facti pœnituerit.*

SCRIPTIS igitur Consuetudinibus, & ad formam chyrographi redactis, postulat Rex ab Archi-Episcopo & Co-Episcopis, ut ad cautionem majorem & firmitatem sigilla sua appendant. Verùm Archi-Præsul, etsi vehementer contristatus, dissimulat tamen, Regem contristare tunc nolens. Et cautè quidem de plano non negabat, sed differendum adhuc dicebat. Etsi parati essent ad faciendum, dicebat tamen propter negotii magnitudinem decere dilationem vel modicam, cùm juxta Sapientem absque consilio nihil faciendum grave, & exinde post deliberationem aliquantulam ipsum & Episcopos alios super hoc decentiùs requirendos. Scriptum tamen dictas Consuetudines continens recepit, præmeditè quidem & providè, ut causam videlicet suam secum scriptam haberet. Aliam verò scripti partem suscepit Eboracensis Archi-Episcopus. Rex verò ipse tertiam, in Regum Archivis reponendam, & sic à Curia recedens versùs Vintoniam Archi-Præsul proficiscebatur.

### ALANUS.

EO itaque sic recedente, ob iter inter familiares ipsius orta est murmuratio, his, ut assolet, suggerentibus sic fieri oportere propter temporis instantiam, aliis indignantibus Ecclesiasticæ libertatis authoritatem ad unius hominis libitum deperire. Inter quos unus apertiùs institit dicens: *Publica Potestas perturbat omnia. In ipsum Christum delirat iniquitas. Synagoga Sathanæ prophanat sanctuarium Dei. Sederunt Principes, & convenerunt in unum adversus Christum. Nemo tutus, qui diligit æquitatem. Mundo judice soli sapiunt, & venerantur hodie, qui Principi obsequuntur ad libitum. Concussit hæc tempestas etiam Columnas Ecclesiæ: Et dum Pastor despuit, oves dispersæ latitant sub lupo. De cætero quis erit locus innocentiæ, quis stabit ex adverso, vel quis triumphabit in prælio, Principe devicto?* Hæc quidem hic murmurabat qui Crucem ferebat ante Archi-Episcopum. Cæteri obmutuere præ angustia. Et adjecit audaciùs, assumens parabolam in hunc modum. *Quorsùm*, ait Archi-Episcopus, *hæc fili? Quid*, inquit *virtutis sibi retinuit, qui conscientiam prodidit & famam? Et ipsum*, inquit, *id respicit, qui hodie omninò prodidisti conscientiam & famam, Deo odibili & honestati contrario exemplo impostorum relicto, cum manus tuas Deo sacratas ad execrandas consuetudines observandas extenderes, & in confusionem libertatis Ecclesiasticæ cum nefariis Sathanæ ministris communicares.* Ingemuit igitur Archi-Episcopus, & suspirans ait: *Pœnitet, & graviter eum perhorrescens excessum, me ipsum indignum judico de cætero ad eum accedere in Sacerdotio, de cujus Ecclesia tam vile contraxi commercium: Silebo itaque sedens in mœrore, donec me visitaverit Oriens ex alto, ut per ipsum Deum & Dominum Papam mereat absolvi. Nec mirum.*

### HERIBERTUS.

*Videre enim jam mihi videor, quòd per me, peccatis meis exigentibus, debeat ancillari Anglicana Ecclesia, quam mei Prædecessores inter tot & tanta, quæ Mundus novit, pericula rexerunt tam prudenter. Pro qua & inter hostes ejus militarunt tam fortiter, & triumphaverunt tam potenter. Et quæ ante me exstitit Domina, nunc per me miserum videtur ancillanda. Qui utinam consumptus essem, ne oculus me videret. Et Ecclesia quidem meritò passura hæc est per me, & meo tempore, qui non, sicut Prædecessores mei, de Ecclesia, sed de Aula assumptus sum ad hoc Officium. Non de Claustro, nec de loco Religionis aliquo, nec de schola Salvatoris, sed potiùs de satellitio Cæsaris, superbus & vanus. De Pastore avium factus sum Pastor ovium. Dudum fautor histrionum, & canum sectator, tot animarum Pastor. Posuerunt enim me nescio qui custodem in vineis, qui meam propriam non custodivi, sed neglexi. Longè certè à salute Ecclesiæ aut acta vita mea: Et nunc hæc opera mea. Unde & plus video me jam à Deo derelictum, & à Sede sancta, in qua locatus sum, jam abjici dignum.* Dum igitur dolor eum sic urgeret, exitus aquarum deduxerunt oculi ejus, ita ut inter continuas lachrymas singultibus crebrò erumpentibus, compelleretur magis rumpere sermonem, quàm finire.

### WILHELMUS.

ET pœnitentia ductus, quamvis temerariè consensisset illicitis, quamvis ex magnorum virorum persuasione culpam



culpam excusaret, quamvis ex Cleri causa causam suam justificaret, tamen à seipso, tamquàm pro seipso commisisset pœnas exegit, jejunio & asperitate vestimentorum se affligens, & se interim ab Altaris officio suspendens.

### HERIBERTUS.

POST paucos verò dies, eò quòd ex Gestis cauteriatam gereret conscientiam, cum multa festinatione ad Romanum mittit Pontificem, utpotè cujus est sanare contritos corde, & alligare contritiones eorum. Igitur sicut absens per scripta poterat, vulnus detegit, medicinam quærit, toto interim tempore se affligens, donec reverso Nuncio, à summo Pontifice, qui propter schisma Senone morabatur, super his, quibus se accusabat, per Apostolica Scripta absolutionis gratiam obtineret. A quo præter absolutionis beneficium, multam consolationem accepit. Qui etiam, ut Pastoralem sarcinam fortiter & alacriter sustineret, & strenuè ad opera Pastoralia se accingeret, paterno exhortabatur affectu. Unde & ipse Apostolicum Mandatum tamquàm hostiam cœlitùs sibi missam, in omni jucunditate suscepit, sicut qui & spiritu ferventissimus erat.

## CAPUT XXIII.

*De prima Beati Thomæ fuga.*

### ALANUS.

INNOTUIT interim id ipsum Regi, quòd Archi-Episcopus ab illa supradicta compromissione vellet resilire: in eo præcipuè dum palam restitit, ne Scriptum illarum Consuetudinum, sicut quidem fuerat, suo sigillo corroboraret. Exinde Rex asperatus gravioribus & exquisitis cœpit Archi-Episcopum vexare exactionibus, ita ut palam fieret intelligentibus, sanguinem ejus & vitam requiri.

### HERIBERTUS.

VERUM quia, ut diximus, Dominus Papa propè erat, videns & sciens vir Dei, quia Confessio per Scripta, nec fieri solet, nec debet, videns etiam qui propter ea, quæ suprà diximus, in Populo suo vix fructum faceret, in propria persona Summum Pontificem adire disposuit. Unde & suis ignorantibus, præterquàm duobus tribusvè, quos secum ducebat, noctu clam transfretare attentavit. Nec enim si palam vellet, pateret egressus. Inter cæteras quippe Consuetudines Regias fuit & hæc: Quòd nemo Pontificum vel Procerum Regni absque licentia Regis, vel Justitiarii ejus, terram egrederetur. Unde & Archi-Præsul clam egredi attentavit. Bis quidem mare ingressus, sed ingressus & repulsus, tanquam Deo per sua elementa ipsi in facto hoc resistente.

### ALANUS.

DENIQUE comperta discessio familiares ejus & famulos singulos dispersit. Cæteris tamen unus audacior, veniens Cantuariam, in Cameram ipsam Archi-Episcopi nocte se recepit. Et post cœnam sollicitus cœpit contristari de casu & angustia Domini sui. Plurima itaque parte noctis transacta, volenti quiescere, *vade*, inquit, *Puero, & claude ulterius ostium Aulæ, ut securiùs dormiamus*. Veniens autem illuc puer accenso lumine, aperto ostio, vidit Archi-Episcopum in angulo sedere, & solum. Quo viso territus aufugit, putans se Phantasma vidisse. Eo suggesto, Clericus ille nullatenùs voluit fidem adhibere, donec in sua persona verum probaret. Et veniens sicut dictum est invenit. Convocatis igitur quibusdam Fratribus Ecclesiæ Cantuariensis, exposuit eis Archi-Episcopus, quid sibi acciderit, & quia nondum fuerit voluntas Dei, ut recederet. Recreatus igitur breviori cœna quievit. Manè autem facto irruerunt Ministeriales Regis, ut Archi-Episcopo fugiente confiscarent omnia. Sed auditâ & visâ ejus præsentia confusi siluerunt.

### HERIBERTUS.

IGITUR intelligens Archi-Præsul Deo minimè placere quod attentavit, audiens etiam certissimè & sciens Regem ex hoc exacerbatum, propterea mœstus, quia adeò Regem diligebat, apud Regiam mansionem, quæ dicitur Wdestoc acceleratim accessit. Rex verò venienti ad se Archi-Præsuli honore, non tamen quem solebat, exhibito, dissimulabat audita. Quod tamen Archi-Præsul, & qui cum eo erant, minimè arbitrabantur. Dissimulavit, inquam, nisi quia velut jocando improperavit Archi-Præsuli, quarè terram suam deserere voluisset, tamquàm si ipsos duos simul capere terra non potuisset. Verùm jam deprehendit Archi-Præsul, qui Regem ex multo tempore familiaritate noverat, cor Regis elongatum à se. Et qui de Aula erant id ipsum jam prædicabant. Unde & quantociùs licentiatus à Rege discedens, & intelligens ab ipso, cui venti & Mare obediunt, egressum ejus de terra inhibitum, cogitabat jam intra se, & secretò etiam suis expressit, deinceps aut cedendum turpiter, aut certandum viriliter.

## CAPUT XXIV.

*De Zelo Archi-Præsulis pro dignitate Ecclesiæ.*

### WILHELMUS.

INTEREA elaboratum ab Episcopo Ebroicensi, ut Rex & Archi-Episcopus in gratiam revocarentur. Rex autem ad gratiam sine suarum legum confirmatione compelli non poterat, non attendens legislatorem dicentem: *Væ qui condunt leges iniquas, & scribentes scripserunt injustitiam, ut opprimant pauperes in Judicio & vim faciant humilibus Populi Dei*. Unde cùm Episcopus ad pacem instaret, & Archi-Episcopus Ecclesiæ profectum desideraret, qui sine pace provenire non poterat, mittit ad Romanum Pontificem, tamquàm rogans Consuetudines illas confirmari. Quæ tam subita viri mutatio, quæ tanta Constantis inconstantia, ut modò rogaret enormia confirmari, ad quorum consensum priùs non potuit inclinari? Nimirùm majoris arbitrio reliquit, & per se non præsumpsit, ut animæ culpam transferret, & Domino suo satisfaceret, sed Beati Papæ Religio circumveniri non potuit, qui Regis & Archi-Præsulis certamen ex ordine cognovit. Archi-Præsul itaque fultus Apostolica authoritate & exhortatione, sicut erat spiritu fervens, mox excussit se, cum Prophetico sarculo evellens, destruens, dissipans, & eradicans quidquid in horto Domini malè plantatum reperisset. Non quiescebat manus ejus, non parcebat oculus. Quidquid pravum, quidquid asperum, quidquid distortum, non jam cum Prophetico sarculo, sed in Evangelica securi dejiciens. Regias quidem & Ecclesiasticas Consuetudines bo-

nas conservans, alias verò in Ecclesiæ detrimentum, vel Cleri dedecus introductas, tamquàm spuria quædam vitulamina resecans, ne mitterent radices altas. Et tamquàm de silvestri nimis silva & vepresa, sic nitebatur pro viribus quidquid asperum, incompositum, indecorum, obviumvè foret, totum de Populo suo delere & exstirpare, ut faceret prava in directa, & aspera in vias planas.

WILHELMUS.

Videns itaque Rex, quia in his, quæ tentabat, non procedebat, ad id ex consilio malevolorum divertit, ut ad æmulum Domini Cantuariensis Legationem Apostolicæ Sedis transferret. Quod cum missis Nunciis postulasset, & non impetrasset, eò quòd ab antiquo Cantuariensis Ecclesiæ Legationis Privilegio gaudere dignoscitur, cognovit & conjecit Romanus Pontifex, cùm ex Nunciorum protestatione, tum ex nota Curialium crudelitate, quod vindicandum esset in Archi-Episcopum, nisi Regi permitteretur de voluntate sua Legationem cuiquàm suorum conferre. Unde literas censuit Regi dirigendas, quasi Legationem & Legationis officium concederent, & gravamen Archi-Episcopo inferre prohiberent. Igitur qui missi fuerant, cùm Sanctitatem viri ad aliud inclinare non possent, cum umbratili & vana Legatione reversi sunt. Quam Rex suspiciens gloriabatur, ut fertur, in nominis umbra, tamquam in Archi-Episcopum potestatem accepisset.

Sed nec in his finibus lis & ira subsedit, sed progressa est alterutrum mensura caput. Rex enim Clericos homicidas, fures, latrones, sicarios, aut aliis flagitiis deditos, ad sæculare judicium trahebat, ut confessi vel convicti de crimine, officio suo privarentur, privati Curiæ traderentur. Archi-Episcopus verò, quid cui Judici liceret in causis, considerans, nihil invenit quod habeat in Ecclesiastica causa criminali potestas sæcularis, quæ de Divinis rebus definire non potest, juxta Constitutionem illam, *Si crimen Ecclesiasticum est, tunc secundùm Canones ab Episcopo suo causarum examinatio & pœna procedat, nullam communionem aliis Judicibus habentibus in hujusmodi causis*. Hæc & his similia considerans Archi-Episcopus, Clericos infames non nisi apud Ecclesiasticos Judices permittebat conveniri, ubi convicti propriæ dignitatis officio spoliarentur, non mutilarentur. Quia non vindicat Deus bis in id ipsum. Vel ne fortè duplici pœna multati, Laicis infamibus conditione viderentur inferiores. Sed si post degradationem relaberentur in consimile flagitium, secundùm publicas Leges à sæculari Judice punirentur. Non enim decebat, ut dicebat, quamvis inordinatos, inordinatè judicari. Hæc & hujusmodi iram Regis accendebant. Et jam ira præceps ferebatur, & per diuturnitatem temporis invalescens in odium vergebat. Quapropter Episcopi non reminiscentes se super Gentes & Regna ad evellenda vitiorum plantaria constitutos, non modò non sumpserunt scutum Fidei, ut starent pro Domo Domini in die belli, & posuerunt corpus suum in terra, ut fieret via transeunti. Nihilominùs tamen Vir Dei, acceptæ potestatis memor, Deo sibique relictus, immobilis permanebat. Egerat in alum abies radices suas: Et licet defluentibus ramis suis, tamen ad turbinem ventorum dejici non poterat.

HERIBERTUS.

Sed heu, grandis quidem opera, sed parva mora. Jam enim eo ipso suscitantur ei Adversarii à dextris & à sinistris. Currebant hinc quotidiè ad Regem Rumigeruli, accusantes quòd Consuetudines Regias, quas Archi-Episcopus se observaturum juraverat, non observaret; inde verò pulsabant queruli, plangentes quòd de Regiæ gratiæ favore confisus eos exhæredasset. Sed super omnes æmuli Aulici pungebant & instigabant, improperantes jam manifestè tot & tantorum bonorum ingratitudinem.

JOANNES.

Et hanc circa Beatum virum dexteræ Excelsi mutationem maligna interpretatione conati sunt impii obfuscare, suspicioni adscribentes, quòd vitam duceret arctiorem. Zelum justitiæ crudelitatem mentiebantur. Quæ Ecclesiæ procurabat utilitas, avaritiæ attribuebant. Contemptum mundani favoris dicebant esse venationem gloriæ. Curialis magnificentia fingebatur elatio. Quòd divinitùs edoctam voluntatem sequebatur in plurimis, nota supercilii inurebatur. Quòd Antecessorum metas in tuendo jure sæpè videretur excedere, temeritatis arbitrabantur judicium. Nihil jam ab eo, vel dici vel fieri poterat, quod non malitia infelicium hominum depravaret: Adeò quidem, ut Regi persuaderent, quòd, si Archi-Episcopi Potestas procederet, Regia Dignitas esset procul dubio peritura. Et nisi sibi & hæredibus suis prospiceret, is demùm futurus esset Rex, quem Clèrus eligeret, & quamdiu placeret Archi-Episcopo.

CAPUT XXV.

*De citatione Archi Præsulis apud Northautune.*

ALANUS.

PRoinde igitur aggravabat Rex manum suam in Archi-Episcopum, eum citari faciens peremptoriè, ut die statuto Regi responderet, de his, quæ sibi forent objicienda.

HERIBERTUS.

Et præter tempus, locus etiam determinatur, nobile videlicet illud & Regium Castrum, quod dicitur Northautune. Ad diem & locum hunc ex Edicto Regio Regni Pontifices universi & Proceres districtissimè coguntur. Facta igitur Concione trahitur in causam Archi-Episcopus, quòd ad quamdam Regis citationem se in propria persona non exhibuerit. Qui licet se sufficientem Responsalem pro se misisse probaverit, tamen omnium Procerum & etiam Pontificum judicio mox omnia ejus bona mobilia sunt confiscata, nisi fortè Regia Clementia vellet temperare judicium. Quod ita vulgò dicitur: *De omni mobili suo in Regis misericordia judicatus est*. Dum verò audisset se jam judicatum sic; *Quale*, inquit, *sit judicium hoc, me etiam tacente, sæcula futura non tacebunt. Nova quippe judiciorum forma hæc est: Fortè secundùm novos Canones apud Clarendune promulgatos. Siquidem à sæculo non est auditum, quemquàm Cantuariensem Archi-Episcopum in Curia Regum Anglorum pro qualicumque causa judicatum: Tum propter Dignitatem Ecclesiæ, tum propter authoritatem Personæ, tum quia ipse Regum omnium, qui in Regno sunt, spiritualis Pater sit, & ob id semper ei deferendum ab omnibus*. Verùmtamen multò magis, quàm de



de judicio vel Proceribus judicantibus, de Confratribus suis & Co-Episcopis querebatur, novam dicens formam hanc, & ordinem judiciorum novum, ut Archi-Præsul à suis Suffraganeis, aut Pater à Filiis judicetur. Et hæc sententia sic lata in Archi-Præsulem, ferià quinta, prima fuit Concilii actio.

CAPUT XXVI.

*De opere secundæ diei.*

DIE verò sequenti Rex ipse exegit ab Archi-Præsule pecuniam, quam, ut asserebat, Cancellarius tunc à se acceperat mutuam: Argenteorum videlicet libras quingentas. Quas licet Archi-Præsul à Rege sibi donatas, non mutuo acceptas in veritate affirmaverit, has tamen Regi solvendas adjudicaverunt æmuli, eò quòd Archi-Præsul pecuniam illam, etsi donationis titulo, quem tunc probare non poterat, confessus est recepisse. Adjudicata sibi pecuniâ, exegit Rex cautionem. Quod cùm facere moraretur Archi-Præsul, dictum est ei in faciem, quòd aut caveret, aut remaneret. Verùm nonnulli, Rege jam ex directo adversante, videntes Archi-Præsulem ab omnibus, etiam suis Suffraganeis destitutum jam quodammodò naufragari, commoti aliqui eorum sponte se obtulerunt & fidejusserunt pro eo. Et erant fidejussores quinque: Unusquisque pro centum libris. Et hoc actum feria sexta fuit secunda Concilii actio.

CAPUT XXVII.

*De opere tertiæ diei.*

ALANUS.

IN crastinum verò cum sederet Archi-Episcopus seorsim in quodam conclavi cum suis Co-Episcopis, ex edicto Regis seris objectis, ne pateret exitus, propositum est ex parte Regni adversus Archi-Episcopum, quòd cùm haberet vacantes Episcopatus & Abbatias, & multos reditus Domini Regis per annos plurimos in manu sua, nullam ei super his reddidit rationem, quam nunc sibi Rex requirebat exhiberi.

HERIBERTUS.

ET reddente rationem, rationis summa taxata, videlicet ducenta triginta marcarum millia. In Palatio verò & qui ad Concilium venerant universi, jam audientes hoc obstupuerunt. Et jam passim submurmurabant solam captionem Archi-Præsulis superesse. Alii verò etiam graviora suspicabantur. Et hoc quidem jam passim. *Super his*, inquit verò Archi-Episcopus, *prudentiores volumus consulere, & de consultu respondere*. Dum igitur Pontifices qui aderant, quid super his respondendum, agendumvè esset requirerent, Henricus tunc Vintoniensis Episcopus, qui quidem Archi-Præsuli favit, sed propter metum occultè, quòd in electione Archi-Episcopi, tunc Cantuariensis Archi-Diaconi, & regis Cancellarii, ab omnibus Curiæ nexibus Anglicanæ Ecclesiæ redditus fuerit absolutus. Et quidem hujus tam evidenti testimonio reliqui Episcopi deesse non poterant.

ALANUS.

Verùm Londoniensis Episcopus Gilbertus, Decanus Ecclesiæ Cantuariensis, inquit: *Si Pater recollis, unde te Dominus Rex sustulerit, quid tibi contulerit, considerata temporum malitia, quàm ruinam Catholicæ Ecclesiæ & nobis omnibus paraveris, si in his Regi resistere volueris, non solùm Archi-Episcopatum, sed in centuplo, si tanti fuissent, cedere deberes. Et forsitan, si hanc in te Rex videret humilitatem, te in universum restituet*. Archi-Episcopus inquit: *Satis innotuit, quid consultò responderis*. Deinde Vintoniensis subintulit. *Hæc forma consilii, Catholicæ Ecclesiæ penitùs perniciosa, nos omnes obligat & confundit. Quod si Archi-Episcopus noster, & totius Angliæ Primas, nobis id reliquerit exemplum, ut ad nutum & comminationem Principis quisque Episcopus authoritati & curæ animarum sibi commissæ debeat cedere, quis erit de cætero status Ecclesiæ, nisi ut nulla agantur de jure, sed omnia confundantur pro libitu. Et sic erit Sacerdos, sicut Populus*. Hilarius Cicestrensis Episcopus, qui & ipse gloriosus in verbis, subjunxit: *Nisi temporis instantia, & Catholicæ Ecclesiæ perturbatio aliud exigerent, standum utiquè esset verbis sententiæ. Verùm ubi nutat Canonum authoritas, plurimùm substrahendum est severitati, ut in eo perficiat dispensatio, quod posset destruere severa correptio. Censeo igitur cedendum Regiæ voluntati, sed ad tempus: Ne properè procedamus id statuere, unde sequatur durior res, sive tristior*. Episcopus deinde Lincolniensis, simplex homo, & minùs discretus, ait: *Patet vitam hominis istius & sanguinem requiri, necessarioquè erit alterum horum, aut Archi-Episcopatui, aut vitæ cedendum. Quis sibi fructus de Archi-Episcopatu proveniet? sed proinde vitæ cesserit. Nec id vel aliud video*. Exoniensis autem Episcopus Barthomeus ait: *Palam est quoniam dies mali sunt. Et si possemus sub dissimulationis umbra hujus tempestatis impetum pertransire, elegi id præcipuè procurandum. Sed nec ad id facilè perveniendum, nisi plurimùm subtrahatur severitati. Temporis instantia id requirit, maximè cùm non generalis, sed personalis hæc persecutio. Satius est igitur unum caput in parte periclitari; quàm totam Anglicanam Ecclesiam inevitabili discrimini exponere*. Vigornensis verò Episcopus rogerus requisitus & ipse, quid inde sentiret, ita temperavit responsum, ut etiam negando palàm ostenderet, quid animi haberet. *Nullum*, ait, *in hac parte dabo consilium. Quia si dixero à Deo susceptam animarum curam ad Regiam voluntatem & comminationem oportere relinqui, contra conscientiam meam, & in capitis mei condemnationem loquetur os meum. Si sentiam Regi resistendum, ecce qui sui sunt, audiunt, per quos id ipsum innotescet Regi, statimque ejicerer extra Synagogam, & esset sors mea de cætero cum publicis hostibus, & condemnatis. Idcircò nec hoc dico*.

HIS ita gestis sederunt aliquamdiu sub silentio: Nec erat qui amplius his aliquid adjiceret. Et arte quæsita ut pateret eis exitus, inclusi enim erant; *Volo*, inquit Dominus Cantuariensis, *loqui cum duobus Comitibus, qui cum Rege sunt*. Quos & nominavit. Vocati illi apertis ostiis introierunt properanter, credentes aliquid audire, quod Regiam satiaret voluntatem. Adstantibus his ait Archi-Episcopus: *Super his, de quibus nos Dominus Rex convenit, contulimus. Et quia non habemus ad præsens eos, quibus res ipsa magis innotuit, ideò usquè in crastinum petimus inducias, tunc responsuri, sicut Deus nobis inspiraverit*. Ad hæc Regi deferenda missi sunt Londoniensis & Roffensis Episcopi. Londoniensis sub vulpe latens injunctum sibi pervertit negotium, dicens Regi Archi-Episcopum apud eum postulare indut

cias ad præparanda instrumenta, quasi statuto die rationem redditurus super objectis, ut sic magis obligaretur Archi-Episcopus ad executionem Regiæ voluntatis. Directi sunt igitur duo Comites ad Archi-Episcopum postulatas Regis ex parte deferentes: Si tamen ratum haberet, quod ex parte sua per Episcopos fuerat Regi suggestum. Quo audito ait Archi-Episcopus se id in mandatis non dedisse, nequè id, quod Regi suggestum fuerat, ratum habere; sed die sequenti, Deo Authore, & sicut datum fuerit, desuper responsurum. Erubuit ergò Londoniensis, dum videret se incidisse in laqueum, quem jecerat ad Patrem suum decipiendum. Soluto itaque Concilio eà die discesserunt ab invicem. Multitudo verò militum, & aliorum qui cum Domino Cantuariensi illuc convenerant, Regio metu perterrita fecessit in partem, & ampliùs cum eo non stetit. Quo comperto circuiri sepes & vicos, & ad se vocari pauperes, claudos, & debiles, dicens per talem militiam provenire posse celeriorem victoriam, quàm per eos qui tempore tentationis turpiùs recesserunt.

HERIBERTUS.

IMPLETA est igitur Domus ejus discumbentibus, & peracta dies illa in Domo cum lætitia, nulla mentione palàm habita de perturbatione pristina.

## CAPUT XXVIII.

*De opere quartæ diei.*

ALANUS.

IN crastino, verò, Dominica videlicet die, propter diem quievit, in secundam feriam citatus, & exspectatus Archi-Episcopus ad agonem. Verùm ea die, in ipsa etiam nocte diei, gravissima passione Iliaca percussus est. Nam & ea multoties vexabatur, eatenùs quòd non posset se directò erigere. Omnibus verò hanc fictam, non veram infirmitatem arbitrantibus, de Majoribus Regni Proceribus, qui convenerant, ad Archi-Episcopum mittunt, ut veritatem explorarent, & ad Curiam citarent. Quibus ille: *Hodie, sicut ipsi cernitis, ad Curiam venire nequeo, sed pro certo sciatis, favente Domino, cras exhibiturum me Curiæ, & nisi aliter datum, in lectica vehendus eadem.* Ea die sermo percrebuit, & à Nobilibus quibusdam Thomæ nunciatum est, quòd si sui copiam faceret in Curia, vel trucidaretur, vel in carcerem mitteretur. Timens igitur sibi Archi-Episcopus, eò quòd necdum se Martyrio sentiebat idoneum, à quodam Religioso accepit in monitis, quòd in honorem Beati Protho-Martyris Stephani die postera Missam celebraret, ne Adversariorum protervitas adversùs ipsum prævaleret.

## CAPUT XXIX.

*De opere ultimæ Diei.*

HERIBERTUS.

IN crastino verò, quæ vulgò dies Martis dicitur, quæ & Archi-Episcopo verè dies Martis illuxit, antequàm Curiam intraret, conveniunt ad eum Pontifices; attoniti quidem & exterriti propter audita. Unde non apertè propter enormitatem, sed sub quadam insinuationis specie, artificiosè ei suadebant, ut ipse de omnibus, & de ipso Archi-Episcopatu Regis se per omnia voluntati subjiceret & arbitrio: si fortè sic posset Regis ira sedari & indignatio. Adjicientes etiam, quia nisi fieret sic, jam audiret sibi in Curia perjurii crimen imponi, & tanquàm proditorem judicandum, eò quòd terreno Domino honorem terrenum, fidelitatis juramento comprehensum, non servaret: Regias videlicet ipsas Consuetudines non observans, ad quas etiam specialiter observandas nova juris-jurandi obligatione se adstrinxerat.

Quibus ipse respondit: *Fratres mei, sicut jam cernitis, fremit contra me Mundus. Insurgit inimicus. Sed quod plango lachrymabiliùs, quia cæteris est detestabilius, & filii Matris meæ pugnant contra me. Et si ego tacuero, sæcula post futura enarrabunt, qualiter me solum deseruerítis in certamine. Qualiter me Archi Præsulem Vestrum & Patrem, quantuscumque sim peccator, per duos continuos dies bis jam judicaveritis. Et adhuc conjicio ex his quæ dicitis, vos non solùm in Civili, sed in Criminali causa, in foro sæculari, judicare me paratos. Verùm communiter vobis omnibus in virtute obedientiæ, sub ordinis vestri periculo, hoc inhibeo, ne deinceps interfitis Judicio, quo mea persona judicatur. Quod etiam ne faciatis, Matrem nostram, omnium refugium oppressorum, Romanam Ecclesiam appello. Et si ut rumor jam in vulgo est, sæculares in me injecerint manus, vobis itidem in virtute obedientiæ præcipimus, ut pro Patre vestro & Archi-Præsule, quam decet, Ecclesiasticam exercentis censuram. Unum autem sciatis, quia fremat mundus, insurgat inimicus, cremet corpus, caro quippè infirma, ego tamen, favente Domino, nec turpiter cedam, nec creditum mihi gregem enormiter derelinquam.* Verùm contra prædictum Archi-Præsulis præceptum Londoniensis Episcopus confestim appellavit. Et Vintoniensis.

WILHELMUS.

*SUB tanta*, inquit, *partis utrimque, dissonantia pax perpetuùm relegatur, Nec spes quidem gratiæ poterit æstimari.*

HERIBERTUS.

IGITUR Pontifices omnes discedentes ad Curiam properabant, præterquàm duo, qui Archi-Præsulis thalamum tardiùs ingredientes, secretò confortabant, & animabant Archi-Præsulem. Nempe Dominus Vintoniensis Henricus: qui quia Archi-Episcopum consecraverat, ampliùs compatiebatur afflicto. Et Saresberiensis Joselinus. Et hi tamen propter metum occulti. Et post Episcoporum discessum citò intravit Ecclesiam, & ut præmonitus erat, Missam ipsemet de Beato Protho-Martyre Stephano celebravit. Et erat Missæ introitus: *Etenim sederunt Principes, & adversùm me loquebantur.* Et hanc quidem Missam, præter morem, eo die qui festus non erat, cum Pallio celebravit. Ministeriales verò Regis, qui ibi fortè tunc aderant, id tacitè considerabant, quibus visum est rem ipsam aliquid prætendere.

## CAPUT XXX.

*Qualiter Archi-Episcopus sit Curiam ingressus.*

MISSA tandem cum debita devotione celebrata, amoto ab humeris, ad quorundam amicorum & familiarium suorum suggestionem, Pallio cum Infula, cæteris indutus vestibus sacris, Cappa Clericali superjecta, processit ad Regis Curiam iturus.

HERIBERTUS.

ET quoniam ex auditis timebat sibi ut homo, secum ipsemet, sed clam Ecclesiasticæ Communionis portabat Viaticum, Eucharistiam scilicet. Unde jam audacior factus & securior, tanquàm si ad prædam, Leo iste Evangelicus, sicut dictum est, ad Curiam properabat.

ALANUS.

INTRATURUS Cameram Regis, ubi eum Rex præstolabatur, ad ostium ipsum à Crucis bajulo Crucem accepit, & palàm cunctis videntibus ipse eam bajulavit, sequentibus Episcopis, & id aliter quàm decuit, interpretantibus. Occurrens Robertus Herefordensis inquit. *Pater sustine, & ego Vice-Capellani Crucem deferam ante præsentiam vestram. Sic enim condeceo.* Archi-Episcopus ait: *Justum est me ipsam deferre, sub cujus protectione tutus maneo, & ejus viso vexillo non est mihi dubitandum, sub quo Principe militem.* Londoniensis ad hæc: *Si viderit Rex te armatum intrare, gladium suum fortiorem exeret in Caput tuum. Et tunc videbis, quid proderunt talia arma tua.* Archi-Episcopus inquit: *Hæc Deo committimus.* Et Londoniensis: *Stultus hactenùs fuisti, & ab hac stultitia, ut video de ceterò non recedes.* Et processum est. Audiens autem Rex Archi-Episcopum armatum venire, oblito vel deposito gladio illo de quo dixerat Londoniensis, citiùs recessit in conclave ulterius. Sedente hic seorsim Archi-Episcopo solo cum suis Episcopis ex adverso, & loco & animo adunatis.

## CAPUT XXXI.

*Qualiter judicatus sit.*

VOCATIS igitur Præconis voce Pontificibus & Proceribus universis, gravem & grandem Rex deponit querimoniam, quòd Archi-Præsul in ignominiam ejus & Regni sic intraverit Curiam, non tanquam Regis, sed Proditoris, se de proditione sic notabilem reddens. Inauditum à sæculo in Curia alicujus Regis Christianæ Professionis hoc factum. Cuncti ergò Regi testimonium perhibentes dicebant, illum vanum semper & superbum exstitisse: Et ignominiam hanc non in solum Regem, sed in Regnum totum, ipsos omnes redundare. Et hoc meritò Regi accidisse, qui talem fecerit sibi secundum in Regno, cui subjecerit omnes, & parem nullis. Omnes igitur passim & manifestè proditorem conclamabant, qui Domino suo Regi, à quo tot & tanta bona acceperat, non jam honorem terrenum, sicut juraverat, servasset, sed potiùs in facto hoc & Regi & Regno perpetuam proditionis maculam impressisset, & propterea in eum, tanquàm Regis perjurum & proditorem, animadvertendum. Et super hoc clamor invalescebat.

ALANUS.

UNDE & audientes hæc per totam Aulam, tremore & horrore concutiebantur. Exiens autem Rogerus Eboracensis Archi-Episcopus ait Clericis suis, quos ibi invenit (erant enim ibi Magister Robertus Grandis cognomine, & Osbertus Arundelli) *Recedamus hinc. Non decet nos videre quæ hic habent fieri citò de Cantuariensi.* Magister Robertus inquit: *Non hinc recedam donec videro, quid Dei voluntas super his judicaverit. Si pro Deo & ejus Justitia dimicaverit is usque ad Sanguinem, pulchriùs vel meliùs vitam finire non poterit.*

HERIBERTUS.

CUM autem quidam, qui ostiarii dicebantur, cum virgis & baculis de Cœnaculo, in quo Rex erat, cum magno impetu descendissent, & vultu minaci & digitis extensis versùs Archi-Præsulem respexissent, quotquot in domo erant Crucis se signaculo signantibus, Archi-Præsul inclinato capite sedenti ad pedes Discipulo inquit: *Timeo jam tibi. Verumtamen tu non timeas. Adhuc enim coronæ meæ particeps eris.* Cui mox Discipulus inquit: *Nec tibi timendum, nec mihi. Erexisti enim nobile illud & triumphale vexillum, omni Potestati sanctum & terribile, in quo multi bella multa vicerunt. Memento igitur te quondam exstitisse Regis Anglorum.....*

ALANUS.

DUM ergo Magister & Discipulus sic in aure colloquerentur, veniens Barthomeus Exoniensis Episcopus, procidens ad pedes Archi-Episcopi, ait: *Pater, miserere tui. Miserere & nostri. Omnes enim hodiè perimus odio Capitis tui. Exiit namquè Edictum à Rege, ut qui ampliùs cum Archi-Episcopo staret, publicus hostis judicaretur, in capite puniendus.* Dictum est etiam, quòd Joselinus Saresberiensis, & Wilhelmus Norvicensis Episcopi, qui adhuc restiterant, traherentur statim ad supplicium, in membris mutilandi. Qui & ipsi pro salute sua Cantuariensem rogabant. Intuens igitur Archi-Episcopus in Exoniensem, ait: *Fuge hinc, quia non sapis ea quæ Dei sunt.*

## CAPUT XXXII.

*Qualiter contra Archi-Episcopum appellatum est.*

HERIBERTUS.

PONTIFICES de licentia Regis separati à Proceribus per se seorsim inierunt consilium. Res enim in arcto erat. Siquidem aut Regis indignationem incurrerent, aut unà cum Proceribus Archi-Præsulem suum super caussa criminis condemnarent. Quod quidem propter nimis manifestam sanctarum Sanctionum prævaricationem non audebant. Unde in arcto positi volvunt & revolvunt, quid agendum. Qualiter hæc evadenda foret necessitas. Et demùm de communi omnium consilio hoc continuatum est, quòd Archi-Præsulem ad Romanam Sedem de perjurii crimine appellarent, & Regi se obligarent in verbi veritatis promissione, se omne opus & operam ad Archi-Præsulis depositionem pro viribus adhibituros sub hac conditione, ut Rex eos de beneplacito suo ab hoc, quod tunc imminebat Archi-Præsuli, absolveret judicio. Regi igitur se ità obligantes, exierunt à concilio Regis omnes simul Episcopi ad Archi-Episcopum. Quorum unus eloquens, Hilarius Cicestrensis Episcopus, prorumpens in vocem ait: *Quondam noster fuisti Archi-Episcopus, & tenebamur tibi obedire. Sed quia Domino Regi jurasti fidelitatem, hoc est vitam, membra, terrenam dignitatem sibi per te salvam fore, & Consuetudines, quas ipse repetit conservandas, & tu niteris eas destruere, præcipuè tamen quæ spectant ad terrenam ejus dignitatem & honorem, idcircò te reum perjurii dicimus, & perjuro Archi-Episcopo de cætero non habemus obedire.*

Nos

*Nos itaque & nostra sub Domini Papæ protectione ponentes, te ad ejus præsentiam appellamus, super his responsurum.* Et diem statuit. Archi-Episcopus inquit: *Audio.* Substrahentes seipsi seorsim sedere exadverso, diutiùs in summo silentio.

## CAPUT XXXIII.

*De pronunciatione judicii contra Archi-Episcopum.*

### HERIBERTUS.

JAM igitur terror & horror, plusquàm priùs, universos invasit. Rege enim cum Principibus, Pontificibus subtractis, sedente pro Tribunali, certissimè putabatur mox captio, aut aliquid deterius Archi-Præsuli imminere. Et tunc siquidem Principes, & quotquot Regni Majores, aperuerunt ora sua, sicut Leo rapiens & rugiens, & perjurum ac proditorem Archi-Præsulem judicarunt.

### ALANUS.

TANDEM à Rege processerunt Comites, Barones, & plurima turba ad Archi-Episcopum, quorum primus Robertus Comes Leicestriæ ait: *Mandat tibi Rex, ut venias redditurus rationes super objectis, sicut pridiè promisisti te facturum. Alioquin audi judicium.* Archi-Episcopus inquit: *Judicium?* Et surrexit dicens: *Imò Fili Comes, & tu priùs audi. Non te latet, Fili, quam familiaris Regi, & quàm fidelis secundùm statum hujusmodi fuerim. Cujus rei gratia placuit ei, ut promoverer in Archi-Episcopum Cantuariensis Ecclesiæ. Deus scit, me id non volente. Nota enim mihi fuit infirmitas mea. Et magis pro suo, quàm pro Dei amore acquievi. Id satis hodie palam est, dum Deus & se mihi subtrahit, & ipsum Regem. Veruntamen in mea promotione, dum electio fieret præsente Henrico, Regis filio & hærede, cui & hoc ipsum mandatum fuit, quæsitum est: Qualem me redderent Cantuariensi Ecclesiæ? Et responsum est: Liberum & quietum ab omni nexu Curiali. Sic igitur liber & absolutus super his, à quibus sum liberatus, nec teneor nec volo respondere.* Comes inquit: *Et hoc aliter se habet, quàm Londoniensis Regi suggesserat.* Adjecit Archi-Episcopus: *Adhuc, Fili Comes id attende. Quantò dignior est anima quàm corpus, tanto magis Deo & mihi teneris obedire, quam terreno Regi. Nec lex nec ratio permittit, ut Filii Patrem judicent vel condemnent. Unde Regis, & tuum, & aliorum declino judicium, sub Deo solo à Domino Papa judicandus, cujus coram vobis omnibus præsentiam appello, Ecclesia Cantuariensi, Ordine & dignitate mea, cum adhæc pertinentibus, sub Dei & sua protectione positis. Nihilominùs vos Fratres & Coepiscopi mei, quia magis homini quàm Deo obeditis, ad Domini Papæ audientiam & judicium voco. Et sic Catholicæ Ecclesiæ & Apostolicæ sedis authoritate hinc recedo.*

## CAPUT XXXIV.

*De recessu ejus à Curia.*

### WILHELMUS.

ABeuntem itaque Archi-Episcopum prosequuntur Curiales, Mundi contumeliis & injuriis lacessitum, proditorem & perjurum acclamantes. Ille autem gaudens ibat à conspectu Concilii, quoniam dignus habitus est pro nomine Jesu contumeliam pati. Hamedinum tamen Comitem, & Ranulfum quendam, præ cæteris ei maculam proditionis improperantes, tanquàm mentientes refellit, vicissim improperans, quod refellere non poterant, alterum Gartum & Spurium, nec viri reprehensione dignum; alteriùs verò cognatum quòd in sua minimè cognatione contigisset, ob crimen laqueo suspensum.

### ALANUS.

VENIENTI igitur ad ulteriorem portam clausa est janua, nec potuit exire, nullo ibi invento custode. Et dum res ageretur in metu & dubio, nutu Dei contingit claves plurimas in fasciculo pendere a muro, quas arripiens familiaris quidam Archi-Episcopi, unam post alteram attentavit, donec aperiret januam.

### HERIBERTUS.

EGRESSUS igitur à Curia, cùm in equo esset, vix potuit equum regere, Crucem portare, & benedictionem dare poscentibus.

### ALANUS.

OCCURRERAT enim ei multitudo maxima pauperum & infirmorum, acclamantium & dicentium: *Benedictus Deus, qui eripuit servum suum à facie inimicorum suorum:* Putabatur enim jam fuisse extinctus. Præcedente igitur & subsequente turba pauperum, cùm Clero & Populo, in gaudio & lætitia perducitur ad hospitium: Ad Ecclesiam videlicet Beati Andreæ Religiosorum Monachorum Conventuale Monasterium. Videns autem exultationem plebis sequentibus se dixit: *Quàm gloriosa Processio me conducit à facie tribulantis. Sinite Pauperes Christi, & nostræ tribulationis participes, omnes intrare nobiscum, ut epulemur in Domino ad invicem.* Et impleta sunt domus & atria circumquaquè discumbentium.

Inter epulas accesserunt Londoniensis & Cicestriensis Episcopi, ad mensam, dicentes se viam pacis invenisse. Requirenti Archi-Episcopo sub quali forma, inquiunt: *Quæstio pecuniaria igitur inter te & Regem. Si igitur nomine pignoris duo maneria vestra, Occeford & Muncheaham, Regi assignaveris ad tempus, credimus quod inde pacamus: Et maneria resignabit, & pecuniam remittet, & gratiam suam tibi tuùs restituet.* Ad hæc Archi-Episcopus: *Hecla manerium fuit quondam Cantuariensis Ecclesiæ, ut accepi, quod Rex modò tenet in Dominio. Et licet ad ejus restitutionem Cantuariensi Ecclesiæ competit rei vendicatio, tamen his fieri temporibus omninò non spero. Nihilominus vel cujuslibet turbationis sedandæ, vel recuperandæ Regiæ gratiæ causa, antiquo juri, quod in illo manerio Cantuariensis Ecclesia habere dicitur, renunciarem: Cuilibet periculo vel discrimini caput istud opponerem.* Et caput tetigit. Indignantes ergo Episcopi regressi sunt, hæc Regi nunciantes. Et accensa est in his Regis indignatio.

## CAPUT XXXV.

*De ultima Archi-Præsulis fuga.*

### HERIBERTUS.

PRANDENTE igitur Archi-Episcopo, inter prandendum, in Ecclesiastica Historia tripartita de persecutione Liberii Episcopi lectio fuit. Ubi cùm illicò Evangelii, scilicèt, *Si vos persecuti fuerint in ista Civitate, fugite in aliam*, interpositum audiret, respexit ad Discipulum qui scripsit hæc. Et ut cognosci poterat, sicut mox exitus probavit, Evangelicam jam animo conceperat fugam. Hymno verò dicto Archi-Præsul surgens à mensa, confestim Rogerum Vigornensem, & Robertum Herefordensem Episcopos, & Roffensem Episcopum, proprium Capellanum suum, ad Regem misit, postulans ab eo securum de terra sua egressum. Qui citò reversi retulerunt Regem respondisse, quod in crastino ad Concilium hoc differret.



### JOANNES.

IPSO die duo magni & fidelissimi Proceres ad eum in ipso noctis confinio accesserunt, vultu miserabiles & lachrymosi, tundentes pectora sua, & confitentes ac protestantes per tremendum Judicium Dei, quòd indubitanter sciebant viros magnos, & malefactis vel maleficiis insignes, utpotè multis pollutos facinoribus, in illius necem conspirasse, & se ad eum occidendum mutuis invicem adstrinxisse juramentis. Ne ergo causa Ecclesiæ, quæ nondùm plenè innotuerat, in morte ejus pateretur occasum, cœpit cogitare de fuga.

### ALANUS.

INTELLIGENSQUE moram sibi periculosam esse, & per eam sibi parari posse insidias, jussit in ipsa nocte in Ecclesia Sancti Andreæ parari sibi lectum inter duo Altaria. Quo accedens cùm paucis, prostratus cœpit psallere pœnitentiales cum Litania: Et singulorum Sanctorum nomina pronuncians singulas fecit genuflexiones. Quo completo, proinde fatigatus strato se projecit, capescendæ quietis simulans occasionem. Deinde secretò se subtrahens, & per posticum exiens, parum ante Gallicinium, clam destinavit fugam.

## CAPUT XXXVI.

*Visiones Propheticæ fugæ.*

### WILHELMUS.

ECCE fugitivus Ericius, de quo Diaconus quidam vidit in visione. Nam Rege Anglorum cum universitate suorum Archi-Episcoporum, Comitum, Procerum, Abbatum, & Priorum, in luco, qui dicitur Waberghe, exiliit Ericius de medio eorum, tanquàm tumultu venantium excitatus. Quem cuncti videntes agitare cœperunt, vociferationibus & insultationibus insectantes. Ipse autem multitudinem præcurrens, non in directum, sed per flexuosos calles ad mare festinabat, portans in dorso suo Librum intitulatum, *Actus Apostolorum*. Nemo autem eorum, qui sequebantur, erat sine vitio corporis, sed aut cœcus, aut luscus videbatur, aut claudus, aut labiis, aut naso mutilatus. Cumquè tandem venisset Ericius ad mare, misit se in illud, ulteriùs non emersit. Quod videntes, qui eum persecuti fuerant, reversi sunt. Et ecce suborta est nebula, devia & tenebrosa, occupans faciem terræ, quam sequebatur imber sanguinis. Divertit autem Rex in Salam Regiam fundatam in prædicto loco, & sedit in ea indutus veste candida, linea, & lata, caudisque vulpinis tanquam sertis cinctus. Non cessabat autem sanguis super eum distillare: Quia domus, utpotè deserta in loco deserti, sarta tecta non habebat, per quæ dependentes caudas vulpinas defluebat in sinum ejus. Cumque sinum & sinuosa vestis ejus volumina implesset, refluere cœpit & in os ejus & abundans implevit.

### HERIBERTUS.

EADEM quoque nocte, qua Sanctus Vir fugam iniit, quidam de Clericis, fugæ istius ignari, in thalamo quodam seorsim dormierunt. Quorum unus, ut ipse postea retulit, insomnis sonum vocis manifestè audivit, duos illos Psalmo-graphi versus decantantis: *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium. Laqueus contritus est, & nos liberati sumus.* O maledicta dies, o malignum consilium, ò verè & consilii actio omnibus post futuris sæculis detestanda, per quam tanti Regis & tanti Pontificis tam chara fœdera tam irreparabiliter sunt soluta. De cætero nunquàm Rege & Archi-Præsule se in Regno revisuris! O quanta ex his Gestis & Regno & Sacerdotio incommoda provenerunt! Quæ sequens ex parte historiæ ordo declarabit.

*Explicit Liber primus.*

INCI-

INCIPIT

# LIBER SECUNDUS.

## CAPUT I.

*Quid sit gestum in Curia, cognita Archi-Episcopi fuga.*

EXPEDITIS in superioribus his, ex quibus dissensionis inter Regem & Archi-Præsulem orta est materia, quantisquè & quibus injuriis appetitus, contumeliis lacessitus, & furoribus concussus, compulsus sit Beatus Thomas fugæ præsidium quærere ad exilii ejus Historiam, & in exilio Gestorum ordinem expediendum procedamus.

ALANUS.

MANE igitur facto subitus rumor & sinister de clandestina Archi-Præsulis fuga, eos qui ei adhæserant, invadens, omnes compulit latitando sibi consulere. Rex verò hæc audiens turbatus plurimùm, convocatis Pontificibus & Proceribus scisciatur quid agendum.

HERIBERTUS.

ET commune quidem consilium erat, ut quia Majores Episcoporum, juxta quod supra diximus, Regi se obligaverant, ad Romanum adirent Pontificem, de perturbatione Regni & Sacerdotii, & reatu perjurii eum accusaturi. Et interim omnia ejus in pace essent, donec quid Romanus Pontifex judicaret, reportarent. Undè & mox Regio Edicto præconis voce proclamatum est, ne quis homines Archi-Episcopi molestaret aut Personas, seu de rebus ejus quidquàm auferret, sed universa ipsius pacem haberent. Ita Pontifices cùm divitibus in occultis paraverunt laqueum fugienti. Et ita confestim arripiunt iter Rogerus Eboracensis Archi-Episcopus, Gilbertus Londoniensis, Rogerus Vigorniensis, Hilarius Cicestrensis, Barthomeus Exoniensis Episcopi. Præter hos verò & cum istis non nulli Aulici Clerici, & alii quidam Honorati viri & Magni, ab ipso latere Regis missi in testimonium illis. Missi quidem in magno apparatu, in donis & muneribus multis, quibus pro viribus judicium perverterent, & sapientum oculos excæcarent. Hoc etenim modo credebant Curiam Romanam, in hac parte quandoquè vacillantem, inclinari posse ad id quod querebant. Et hoc quidem consilium dederant quidam Pontificum contra Archi-Episcopum.

## CAPUT II.

*De itineratione Thomæ fugientis.*

HERIBERTUS.

IGITUR Archi-Episcopus, ut diximus, clam de nocte fugiens, Fratrem unum de Ordine de Simplingeham secum habens, me Ducem, versus Aquilonem ad nobilem illam Civitatem Lincoliniam tendebat: Siens & prudens nimium carpens, non viam, ut ita cautiùs, si qui post mitterentur, persecutores effugeret, declinaret insidias. Et nocte venit ad pagum, qui dicitur Grabam, & viginti quinque circiter milliaribus à Norhantona distantem. Ubi postquàm modico indulsit somno, in crastino arripiens iter venit lincolinam, itèrùm circiter viginti quinque milliaria, hospitatus in Civitate, in domo cujusdam felonis. Est ibi aqua, quæ fluit per Civitatem intrans, ad locum quemdam solitarium in medio aquarum situm, qui dicitur Eremitorium, pertingens ad domum de simplingeham: Per aquam venit millia circiter quadraginta. Ubi propter loci solitudinem, & propter difficultatem accessus, eò quòd in medio aquarum sit, per tres dies securus latuit, ad iter, quòd restabat vires reparans. Una verò dierum cum Frater, qui ipsi ministrabat, videret solum sedentem in mensa, & pulmentariis vesci, compunctus lachrymas continere non potuit. Et continuò exivit, ne inter epulas virum Dei lachrymæ effusæ perturbarent. De Eremitorio venit ad Sanctum Rotulfum, decem milliaria. Et inde ad locum venit, qui dicitur Haverolot, ad simplingeham pertinentem. Deinceps verò nocte solùm proficiscebatur, veritus deprehendi. Jam siquidem versus Orientem tenebat, ubi à Populo terræ facie magis cognitus erat. Nocte itaque ibat, & die latitabat, octo dierum conficiens noctibus iter.

HERIBERTUS.

TANDEM verò Estrejam veniens, Manerium pertinens ad Prioratum Cantuariæ, ibi per aliquot dies moram fecit in conclavi. Ubi facto in pariete foramine, fuit enim propè Ecclesiam, audivit Missarum Solemnia cum Plebe id ignorante. Presbytero verò Sacramenti perceptione perfruente, Clericus quidam hujus rei conscius, osculum pacis ad Archi-Episcopum deferebat. Recedenti quoque, post servitium Populo, nec id scienti, Episcopalem devotiùs impertivit Pontifex benedictionem. Latuit autem lux mundi futura, in pago hoc, usquè ad diem animarum, diebus octo.

## CAPUT III.

*Qualiter Archi-Episcopus mare transierit.*

HERIBERTUS.

DIE igitur animarum, qui fuit tertia feria, quintus decimus dies ab illa feria tertia, ab illo die martis, quo apud Norhamtune pugnarat ad bestias, nocte parum ante diem in Scapha intravit in mare. Et circa vesperam applicuit in quodam Maris latere, quod dicitur hodie in Bolonia, per unam leucam distans à portu, qui dicitur Gravelings.

ALANUS.

ET ivit vir Dei pedes, quia sic oportuit, indutus alba veste, & Monachali Cappa super Scapulas posita, in tempestate, & pluvia, & luto, non ex solito iter peragens. Et dum pertransiret, obiter accidit juniores stare, & eorum unum in manu sua tenere accipitrem: Visaquè ave, Archi-Episcopus eo intendit, memor conditionis, & oblitus exilii. Quo viso inquit unus; *Ni fallor, ecce hic est Cantuariensis Archi-Episcopus.* Alter ait: *Fatuus es, quid opus est Cantuariensi Archi-Episcopo, ut sic incedatur?* Expavit Archi-Episcopus, timens detegi. Et fortè timor ille, hujus vanitatis culpam, ipso tempore potuit diluere.



ALANUS.

VERUM quoniam per crebros & profundos maris jactus fatigatus erat, utpote in modica scapha transvectus, diu pedes ire non potuit. Unde post modicum iter reclinavit in terra, non valens procedere, & dixit Fratribus qui cum eo erant: *Hinc non recedam, nisi vehar à vobis, aut quæratis mihi vecturam.* Et quæsierunt ei jumentum pro uno argenteo. Et quidem hoc non frenum, sed tantum prolectam circa collum habebat. Et posuerunt vestimenta super dorsum, & eum desuper sedere fecerunt.

WILHELMUS.

ET paululùm progressus quosdam, de more gentis illius, armatos obviam habuit. Quibus percunctantibus, an ipse esset Cantuariensis Archi-Episcopus, verbo respondit: *Siccinè Cantuariensis phaleratus incedit?* Et non est agnitus ab eis, quamvis de se ipso, testimonium perhiberet.

HERIBERTUS.

O spectaculum! Cernere Thomam, quondàm in cutribus & in equis, super jumentum tunc sedentem, pro freno solam prolectam circa collum habens, & supra dorsum pro sella Fratrum pauperum panniculos. O quàm magna super te, Thoma, rerum mutatio! Ubinam sunt quondam tot equi tui, tot equites tui, & tam divites & ambitiosæ phaleræ tuæ? Ecce nunc omnia hæc ad jumentum unum, & prolectam unam redacta. Nec tamen jumentum tuum, nec prolecta tua, sed alterius. Te reverà transeunte transierunt & tua. Vetera enim tua transierunt, & facta sunt omnia nova. Verè mirabilis Deus in Sanctis suis: Deducens eos in via mirabili, de tribulatione lætificans, de pressura dilatans, de tentatione probans, destruendo ædificans, percutiendo sanans, occidendo vivificans.

Et quidem ad supradictum portum Gravelingæ venit sic sedens supra jumentum. Nescio verò quo rerum præsagio, si tamen præsagium dicendum est potiùs quàm eventus, tertia feria in transmarina applicuit. Et tertia à marinis recessit. Tertia iterùm revertens in Angliam applicuit, & tertia deinde feria gladio occubuit, ab eo die, quò rediens applicuit, mense solùm exacto, ut ita, quæ fuit dies martis, fieret & Martyris, in qua, velut quodam futurorum præsagio, frequenter sic parabatur ad Martyrium. Tertia itaque feria in transmarina, ut dictum est, applicuit, & in vespera Gravelingam venit.

## CAPUT IV.

*Quomodo ab hospite suo agnitus sit.*

CUM verò igitur discubuisset unà cum Fratribus tribus viæ sociis, ab hospite suo agnitus est. Cum tamen in mensa non magis ipsi, quàm aliis deferretur, immò minùs, ut potè qui in mensa primum nequaquàm teneret locum, sed extremum. Qui etiam per totum hoc itinerarium suum, sicut habitu, ita nomine mutato, à me & sociis Frater Christianus vocabatur: Nomen Christiani sortitus pro proprio, ne posset agnosci. Verùm tantus hic hospes notabat, quòd præ cæteris recumbentibus singularem habebat vescendi modum, & in distributione affectum. De illo siquidem modico, quod ei in mensa apponebatur, parvulis & aliis de domo singulis dabat. Præterea ad certius conceptæ jam agnitionis argumentum totius hominis compositionem intuebatur & gestum. Corporis videlicet proceritatem egregiam, frontem amplam, aspectum severum, faciem oblongam, venustam formam manuum oblongarum, & articulorum in manibus congruam & quasi exquisitam protensionem. Videns itaque hominem in modo edendi, in corporis qualitate & gestu, cæteris longè dissimilem, existimavit mox aliquem Virum magnum in hospitio suo suscepisse. Pro certo suspicabatur Cantuariensem hunc esse Archi-Episcopum: Eò quod jam diversus in terra circumquaquè percrebuerat rumor, Cantuariensem sic Norhamtune clam recessisse, & jam in partes illas aut applicuisse, aut in proximo fore applicandum.

Hospes itaque confestim rusticam suam seorsim vocavit, & secretiùs instillavit Cantuariensem esse, quem hospitio susceperant! At illa impatiens, vix verbo audito ad mensam properat, & post modicum intuitum mox rediens, & subridens inquit: *Certè bone vir, ipse est.* Rustica igitur mox sollicitior circa ministerium, discurrit, festinat, & nunc nuces, nunc poma, nunc catéolum ante Fratrem Christianum apponit. Frater verò Christianus suspicans se jam aliquibus indiciis deprehensum, carere mallet his, quæ Rustica affectuosè apponebat, & tamen dissimulabat. Cœna autem facta, hospes cum nova vetera hilaritate accedit propiùs. Quem cum Frater Christianus super sedem juxta se ponere voluisset, hospes constanter renuit, in terra secùs pedes ejus sedens. Et post modicum inquit: *Domine, gratias ago Deo, quod dignus fui, ut sub tectum meum intrares.* Cui mox Frater Christianus: *Quis igitur ego sum? Nonne ego quidam pauper Frater sum, & Christianus dicor?* Et hospes inquit: *Certè quicumquè dicaris, scio te magnum virum esse, & Cantuariensem Archi-Episcopum.* Igitur cum Frater Christianus nullis verborum involucris ab hospite suo se potuisse devolvere, quin horum alterutrum necesse haberet, aut de se veritatem fateri constanter, aut diffiteri mendaciter, confessus est quod ipse erat, & non negavit. Et ne se proderet, hospitem suum blandè demulcens, secum duxit in crastinum.

## CAPUT V.

*Quare in transmarinis partibus se absconderit.*

ECCE quàm longa viri Dei pericula, qui & jam in portu periclitabatur. Rex quippe nobili Comiti Flandriæ Philippo, germano suo, & Amicis suis Magnatibus terræ, scripto & verbo deseminaverat Thomam quondam Cantuariensem Archi-Episcopum, talis enim erat scripta conceptio, de Regno suo tanquàm proditorem suum fugisse. Unde & tam longa manus Regia & tam longa pericula Regiam manum fugienti. Et ideò omnia plena suspicionibus, & securitas nulla. Caussa etiam, quæ in illis partibus prodi metuebat, hæc erat: Procurante Rege Anglorum Matthæus, frater Philippi Comitis Flandriæ, tunc Boloniæ Comes, cum Abbatissa quadam, filia Stephani Regis Anglorum, matrimonium prophanum & detestandum contraxerat, Archi-Episcopo

scopo tunc Regis Cancellario propter enormitatem contradicente, & quoad potuit reclamante. Unde Comes Boloniæ ex tunc eum odio oderat. Non igitur sine caussa in partibus illis manifestari se noluit. Unde propter crastinæ diei longitudinem, & viæ difficultatem, & insidias quas verebatur, in crastino summo diluculo arripuit iter. Et de Gravelinga pedes ivit vir Dei tota ea die, via admodùm lutosa & lubrica, tempore præsertim hyemali: Et arca noctem venit ad Monasterium de Ordine Cisterciensi, quod Clermarreis dicitur. Iter duodecim leucarum terræ conficiens ea die. Est autem Monasterium hoc situm propè illud Castrum nobile sancti Audomari. Eadem verò noctè qua Archi-Præsul, Regis Nuncii præfati cum magno & multo apparatu mare intrantes, procella subitò suborta, in multa difficultate & periculo vix applicuerunt: Cum tamen Archi-Præsuli & suis in scapha mare pacatissimum foret. Testati sunt sic Fratres, qui cum Archi-Præsule in scapha, & alii ex parte adversa, qui in navibus transierunt. Ea quoquè die, qua & Archi-Præsul, ad Castrum Sancti Audomari venerunt. Et quia celebre erat in terra, quod Cantuariensis Archi-Episcopus ad Monasterium illud de Clemarreis, ad quod jam venit, adventare proposuerat, eadem nocte post synaxim nocturnam decantatam intravit quoddam, stagnum grande, super quod Monasterium illud situm, & in scapha venit ad locum quemdam abditum, aquis septum, qui ab incolis dicitur Aldemunster, quondam scilicet Eremitorium gloriosi Confessoris Bertini. Verebatur quippe, si in Monasterio illo usquè in crastinum moraretur, fortè ad aliquorum indicia indigenis, aut Regis Nunciis revelari: Qui fortè ad videndum eum diverterent, & videntes eum sic, fieret opprobrium abundantibus, & despectio superbis, & insultarent de facili, quod fatuè & inconsultè de tanta quondam gloria ad tantam nunc miseriam devenisset. Unde eadem nocte se subtraxit, & in dicto Eremitorio per tres dies latuit.

## CAPUT VI.

*De adventu Archi-Episcopi ad Sanctum Bertinum.*

### ALANUS.

DIE autem quarto ad petitionem Sanctæ memoriæ Hodestalli tunc Abbatis, & Conventus loci, ad Abbatiam Sancti Bertini navigando, erat enim eis iter per aquam, venire properabat. In eundo verò ait quidam: *Domine fatigatus es ex itinere, & venturi sumus hodie ad eximiæ humanitatis Viros, qui plurimum congratulantur tibi in Domino, quod illæsus evasisti. Fac igitur charitatem eis, ut pro adventu tuo comedant hodie pinguia.* Archi-Episcopus inquit: *Quarta feria est, & oportet nos hodie à talibus cessare.* Et alter subintulit: *Domine, forsitan non abundant piscibus, & oportebit nos eis condescendere.* Archi-Episcopus inquit: *Domine est, id providè.* Inter loquendum igitur ad nutum Dei exiliens de aqua grandis piscis, quem brennam vocant, projecit se cum impetu in gremium viri Dei. Et factus est transitus ille jucundus in laude Dei. Ductus itaque ad Sanctum Bertinum, & comiter satis exceptus est.

### WILHELMUS.

CONTIGIT eodem tempore Richardum de luti, familiarem Regis, peregrè redeuntem, ad eundem locum devenire. Qui audito Archi-Præsulis egressu à Britannia, accessit ad eum, promittens se ei gratiam Regis redditurum, si rediret. Præsul verò se non credebat ei, timens laqueos quos evaserat. Ille ergo, quem reducere non potuit, diffiduciatum dimisit, & debitam Domino Patriquè suo reverentiam non exhibuit.

## CAPUT VII.

*Quomodo Nuncii Regis, & post Nuncii Archi-Præsulis ad Regem Francorum venerint & qualiter sint excepti.*

### HERIBERTUS.

ARCHI-Præsulem itaque jam dicto Sancti Bertini Monasterio dimittentes, priùs viam & actus Nunciorum prosequamur. Qui mox in crastino sui adventus à Sancto Audomaro recedentes, tertio quartovè die per piæ recordationis Ludovicum Regem Francorum transitum fecerunt, quem apud Castrum Regium, quod Compendium nominatur, reperiunt. Et salutato Rege, litteras illi de nomine Regis Anglorum porrexerunt. Quarum forma vel similis erat, quas suprà diximus Comiti Flandrensi directas, videlicet quod Thomas quondam Cantuariensis Archi-Episcopus de Regno tanquàm proditor fugerit: Unde & ne ipsum in terra sua reciperet, tanquàm Dominum precabatur. Verùm ut audivit ex literarum initio, *Thomas quondam Archi-Episcopus*, Regem sicut Ecclesiæ filium devotissimum statim apprehendit æmulatio, & plurimùm ex verbo motus est. Verbum quippe insolens offensionem generat, & juxta Sapientis dictum, *Qui moderatur, omnes suos, doctus & prudens est.* Et Rex mox, Quis eum deposuisset iterùm atquè iterùm scisscitatus est. Et adjecit: *Certè sicut Rex Anglorum, ita & ego Rex sum. Verumtamen minimum de Clericis mei Regni deponore ego non valerem.* Et ita qui missi fuerant, nec ad Regis quæstionem prudens reddere responsum poterant, nec ad petitionem suam responsum pro voto retulerunt.

Magister verò Heribertus, qui & scripsit hæc & alius quidam de Archi-Præsulis Societate, cautus quidem & eruditus, de consilio & præcepto Archi-Præsulis Nuncios Regis quotidie, ipsis nescientibus, è vestigio sequebantur: Ita tamen quod illos sequentes unà die semper præcesserint. Et quidem ex industria factum est: Ut ita cautiùs & certiùs ipsorum verba & molimina explorarent. Cum verò ad illum Christianum Regem Francorum venissent, ipsum, mox ut accessum habere potuerunt, nomine Archi-Præsulis, quem à tempore Cancellariæ, propter hominis magnificentiam, probitatem, & industriam, reputabat strenuum, & habebat acceptum, devotè quidem & humiliter salutarunt. Et quia ei incogniti erant, crebrò an de Archi-Præsulis domo & familia essent, scisscitabatur. Quo cognito, mox eos suscepit in osculo, & benignè audivit. Qui cum, juxta Archi-Præsulis mandatum, lachrymabilem historiam laborum & periculorum ejus exposuissent, Regiæ clementiæ viscera commota sunt. Quibus itidem ipse referre dignatus est, qualiter contra Archi-Præsulem Rex ipse scripserit, & quid ipse responderit. Et adjecit: *Debuisset quidem Dominus Rex Anglorum, si ipsi placuisset, antequàm tantum Amicum suum Archi-Præsulem, & Personam tantam, tam durè & tam dirè tractaret, fuisse illius versiculi recordatus; Irascimini & nolite peccare.* Cui mox alter Nunciorum comicè respondit: *Domine fortè illius recordatus fuisset versiculi, si illum tam frequenter, ut nos in hora illa Regulari audisset.* Et subrisit Rex. In crastino verò, antequàm Nuncii recederent, cum hominibus suis, quos secum tunc habebat, consilio accepto ad petitionem Archi-Præsulis in Regno suo pacem & securitatem ei concessit. Et quidem adjecit: *Hoc de pristina dignitate, Diadematis Regum Francorum fore, ut Exules, & præsertim Personæ Ecclesiasticæ, Regum & Regni securitate & pace perfruantur, & à Persecutorum injuria defendantur.*



## CAPUT VIII.

*Quomodò Nuncii Archi-Episcopi ad Dominum Papam venerint. Et qualiter excepti sint.*

ITAQUE Regiæ pacis dono & securitate fruentes in exultatione & lætitia, Christianus ille Rex licentiatos Archi-Episcopos Nuncios dimisit in pace. Illi verò non statim ad Præsulem revertentes, nec quidquàm nunciantes de hoc, quia citò se reversuros sperabant, pro ut eis injunctum fuerat, ad Dominum Papam accelerabant. Et venerunt Senonis, quo Nuncii Regis proxima die, quæ præcessit, eos prævenerunt.

### ALANUS.

SANE in eorum adventu hinc timor publicæ perturbationis, quæ ex ira Regis posset oriri, inde spes quæstus quam plures Cardinalium mutare compulit. Et facta est inter eos dissensio, dum dicitur ab his Cantuariensem Ecclesiasticæ libertatis defensorem injusta causa fovendum, ab illis pacis & unitatis esse perturbatorem, & ideò præsumptionis impetum refrenandum potiùs quàm fovendum. Et eò usque prævaluit inimicorum suggestio, quod Nuncii Archi-Præsulis nec promeruerint à Cardinalibus vel in osculo recipi. Angustiantur proinde illi videntes caussam Domini sui imminere discrimini.

### ALANUS.

EADEM tamen die in vespera ad Dominum Papam habentes accessum, ipsum nomine Archi-Præsulis, tanquàm Patrem & Dominum, qua decebat devotione & humilitate, salutaverunt. Dicentes quod illi essent duo tantum, qui evaserunt de calore Domùs Rechap, & ad Sanctitatis suæ pedes venerant, ut nunciarent ei, quod Filius Joseph adhuc viveret, sed non dominaretur in terra Ægypti, quin potiùs ab Ægyptiis oppressus ferè fuisset & extinctus. Enarraverunt itaquè libenter audienti, & paterno compatienti affectu, filii sui Archi-Præsulis, pessimas angustias & dolores, pericula etiam in pugna illa apud Norhamtunam ad bestias, pericula in falsis fratribus, pericula in fuga, pericula in via, pericula in mari, in ipso etiam portu pericula, laborem, egestatem, erumnam, & ad declinandas insidias habitus sui & nominis mutationem. Et audiens hęc Pater omnium Patrum, commota paternæ pietatis viscerâ super filio, & paternum non valens dissimulare affectum, lachrymatus est. Et ita compunctus inquit eis: *Dominus vester in Carne adhuc vivit, ut dicitis? Magis tamen jam sibi in Carne vivens Martyrii gloriam vendicat.* Et quia jam valde ferò erat, Nuncios ex itinere fatigatos, data benedictione & consolatione Apostolica, ad hospitium citiùs remisit.

## CAPUT IX.

*Quomodò Nuncii Regis allegaverint coram Viro Apostolico contra Archi-Episcopum.*

### ALANUS.

IN crastino verò Dominus Papa cum Fratribus suis venerabilibus Cardinalibus, qui tunc ferè omnes in Curia præsentes aderant, Consistorium intravit. Advocataque concione, adsunt etiam Nuncii Archi-Præsulis, ut vel finem viderent. Consurgentibus igitur ex adverso Nunciis Regis, primus, & cæterorum signifer, in hunc modum inchoat Londoniensis: *Pater, ad vos spectat Catholicæ Ecclesiæ cura & sollicitudo, ut qui sapiunt per vestram foveantur prudentiam ad exemplum morum, & qui despiunt Apostolica authoritate corripiantur & corrigantur, ut sapiant. Sed apud vestram Sapientiam non creditur sapere, qui in sua sapientia confidens, & Fratrum concordiam, & Ecclesiæ pacem, Regisque devotionem perturbare contendit. Nuper siquidem in Anglia orta est dissensio inter Regem & Sacerdotium ex levi & minùs utili occasione, quæ faciliùs posset extingui, si adhibita ei fuisset moderata curatio. Verùm Dominus Cantuariensis suo singulari in hac parte, & non nostro usus consilio, acriùs æquo institit, non considerata temporis malitia, quod vel quale dispendium ex tali impetu posset provenire, & sibi & Fratribus suis contexit laqueos. Et si ei in proposito suo noster favisset assensus, jam res ipsa ad deteriorem calculum devenisset. Verùm quia nostram conniventiam, sicut nec debuit, ad id quò tendebat, habere non potuit, visus est in Dominum Regem, & nos, immò in totum Regnum, temeritatis suæ culpam retorquere. Quocirca ad decolorandam mutuæ Fraternitatis infamiam, vim nemine inferente, vel minas intentante, fugam inivit, sicut scriptum est: Fugit impius nemine persequente.* Ad hæc Dominus Papa inquit: *Parce Frater.* Et Londoniensis: *Domine parcam ei?* Et Dominus Papa: *Non dico Frater, quòd parcas ei, sed tibi.* Ad hanc igitur Apostolicam vocem & tubam sensus Londoniensis insatuatus est à Domino, ita demùm quòd amplius nutire non potuit. Excepit illum proinde sermonem facundus Hilarius Cicestrensis Episcopus, magis de sua confidens eloquentia, quàm de justitia & veritate: Quod ex post facto innotuit. *Domine Pater*, inquit, *interest Beatitudinis vestræ, quod perperam actum est in pernicie universitatis, ad pacis & concordiæ debitum statum citiùs revocare, ne unius hominis immoderata præsumptio multorum stragem & Catholicæ Ecclesiæ scissuram possit procreare. Id parùm attendit Dominus Cantuariensis, dum relicto maturiori consilio se solum consuluit, & sic sibi & suis, Regi & Regno, Populo & Clero graviores labores procrearet & angustias. Et circa virum tantæ authoritatis id non decuit, nec oportuit, nec aliquando oportuebat.* Ita grammatizabat Hilarius Cicestrensis dicendo: *Oportuebat.* Insuper suos, si saperent, non oportuebat sibi in talibus præbuisse assensum. Audito igitur,

tur, qualiter facundus ille Grammaticæ profiliret de portu in portum, soluti sunt in risum universi. Inter quos unus prorumpens in vocem inquit: *Malè tandem venisti ad portum*. In quo verbo Episcopum illum ita infatuavit Dominus, quòd de cætero factus est mutus & elinguis.

Eboracensis autem, priorum ruinam attendens, animi impetum studuit temperare. *Pater*, inquit, *mores Cantuariensis & studia nemini innotuere plusquàm mihi. Id animi ejus novi Propositum ab initio, ut quod semel arripuerit ex sententia, ab eo facilè non possit avelli. Quare faciliùs credi oportet ipsum in hanc obstinationem de sua levitate de more incidisse. Et aliam non video viam ad ejus correctionem, nisi ut vestra Discretio ad id efficiendum manum apponat graviorem. Intelligenti satis dictum puto.*

Episcopus Exoniensis subjunxit: *Pater non oportet multum in his immorari. Causa ista in Cantuariensis absentia non habet terminari. Petimus igitur Legatos, qui inter Dominum Regem & Cantuariensem possint causam istam audire, & auditam definire*. Et subticuit. Nec primo eorum aliquis Episcoporum ampliùs addidit. Id autem videns Comes de Arondel, stabat enim in ordine suo cum multitudine militum, postulat audientiam. Et facto silentio inquit: *Domine, quod locuti fuerunt Episcopi, nos illiterati penitùs ignoramus. Ideò oportet nos edicere, quomodò possumus, ad quod sumus missi: Non ad hoc utique ut contendamus, vel cuiquam faciamus contumelias, in conspectu maximè tanti viri cujus nutui & authoritati se de jure totus inclinat Mundus, sed ad hoc procul dubio venimus, ut Domini Regis nostri devotionem & amorem, quem circa nos gerere consuevit, & adhuc gerit, in præsentia vestra & totius Romanæ Ecclesiæ vobis præsentemus. Per quos, inquam? Per Majores & Nobiliores, quos habere potuit in omnibus terris subjectis sibi, hoc est, per Archi-Episcopos, Episcopos, Comites, & Barones. His superiores in sua potestate non invenit: Et si invenisset, utique destinasset ob Reverentiam vestram, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. His adjicimus, quam Paternitas vestra satis experta est in novitate suæ promotionis, Domini Regis fidelitatem & devotionem, dum se ipsum, suos, & sua omnia vestræ penitus exposuit voluntati: Et pro certo sub Catholicæ Fidei unitate, quam habes in Christo regere, ut credimus, fidelior eo non est, vel Deo devotior, seu ad eam, ad quam assumptus est, pacis conservationem moderatior. Nihilominus & Dominus Cantuariensis Archi-Episcopus in suo gradu & ordine æquè instructus, in his, quæ ad eum pertinent, providus & discretus, licèt ut quibusdam visum est nimis acutus. Et nisi ista, quæ nunc est inter Dominum Regem & Dominum Archi-Episcopum esset dissensio, Regnum & Sacerdotium mutuò congauderent ad invicem pace & concordia sub Principe bono, & Pastore optimo. Est igitur hæc nostra supplicatio, ut ad tollendam istam dissensionem, & ad pacis & amoris reformationem velit vestra Gratia invigilare attentiùs*. Hæc itaque Comes eleganter, sed in sua lingua proposuit, ita quod ab omnibus plurimùm commendaretur ejus modesta discretio.

## HERIBERTUS.

VIR verò Apostolicus, qui ex multorum fida, sed secreta relatione caussam dissensionis inter Regem & Archi-Præsulem, & Gestorum veritatem agnoverat, Criminatoribus non adhibuit fidem. Unde & qui missi fuerant, videntes sic fortiter & instanter Regis nomine postulant, ut Archi-Episcopum in Angliam remitteret; pariter & à Latere suo Legatum, qui remota appellatione caussam inter Regem & Archi-Præsulem audiret, & inter ipsos vel componeret, vel causam per sententiam terminaret. Verùm Papa necdum petitionem hanc vel concedens vel renuens hortabatur attentiùs, ut Archi-Præsulis ad Curiam expectarent adventum, & jam objecta eo præsente intentarent, aut nihil objicientes suam facerent petitionem: Adjiciens in absentia ejus nihil in eum statuendum, nec ipsos in forma illa, quam petebant, exaudiendos. At illi exspectare nolentes, eò quod, ut ajebant, ultra terminum à Rege sibi præfixum in Curia moram facere non audebant, crebrò postulant & instanter Regis petitionem adimpleri. Arctabatur itaque Romanus Pontifex. Cernens enim Regis juventutem, & Dominationem amplam, & durum illud & dirum, quod tunc erat in Ecclesia Dei, schisma, metuebat, quòd si ita omninò Rex pateretur repulsam, præsertim per tam Magnos & honoratos factæ petitionis, majus in Ecclesia schisma faceret. Quod & ipsi, qui missi fuerant, & præsertim Laici, minabantur. Inde verò verebatur Archi-Præsulem, in qua jam velut publicus hostis habebatur, & à qua cum tanta difficultate & hoc periculo, quasi ipso Domino educente, jam exierat, sua authoritate remittere: Ne sic Archi-Præsulis innocentia, & causa opprimeretur justitiæ, unde & in se Dei provocaret judicium, & toti Ecclesiæ scandalum foret. Fortè etiam tali mandato minimè parendum fore pensabat. Sic enim erat in insula contra Regem insularum contendere, tanquàm si vinculatus in carcere contra Magistrum & Dominum carceris dimicaret. Vir itaque Apostolicus coarctabatur, præsertim plerisque Cardinalibus suis, quibus ut Principibus & Magnatibus placeant studere mos est, adjudicantibus Regis petitionem fieri debere, aliis verò renitentibus. At tamen librato tandem consilio, & consilii ac fortitudinis desuper accepto spiritu, dictam Regis petitionem, in gravamen & oppressionem Archi-Episcopi conceptam, non adimplendam decrevit, nisi ejus ad Curiam exspectarent adventum. Alioquin in ipsius absentia nihil agendum contra ipsum. At illi expectare nolentes, voto frustrati, in Angliam non cum benedictione Apostolica, sed potiùs, ut credendum est, cum maledictione paterna reversi sunt, in se & in semine suo maledicti, qui Patris sui verenda non operuerunt, sed potiùs frontosè detegere nequaquam veriti sunt. Et quidem eò festinantiùs accelerave-runt, reveriti quod ipsis secretò nunciatum fuisset, nonnullos de militibus terræ, favore Archi-Præsulis, & ipsorum odio, sarcinis suis, in quibus non modicum argenti sperabatur, per viam paravisse insidias. Unde festinanter & subitò Franciam exeunt. Miro siquidem modo & incredibili, mox ut Archi-Præsule per universum Ecclesiarum orbem innotuit sic, omnium dedit ei Dominus gratiam & favorem: In adversantes verò è diverso omnium corda concitavit. Vix enim est ut non omnibus placeat, qui omnium procreat placere Authori, justa quod de omnium Sanctorum Legitur: *Quia quem perfuderat Deus gratia, ab omnibus amabatur*.





## CAPUT X.

*Qualiter Archi-Præsul à Rege Francorum sit exceptus.*

## HERIBERTUS.

ARCHI-Præsul verò, quem supra in Flandria apud Sanctum Audomarum in Sancti Bertini Abbatia dimisimus, propter terræ quas verebatur insidias, paucos ibi faciens dies, noctu Flandriam egreditur in equis & comitatu multorum. Siquidem bonæ memoriæ Milo, tunc Terruanensis Episcopus, & supra nominatus Sancti Bertini Abbas, ipsum propter viæ securitatem comitati eduxerunt de terra, & ad inclytam illam Galliarum Civitatem Suessionem perduxerunt. Ad quam, Domino procurante sic, in crastino sui adventus Rex Francorum Ludovicus venit. Qui mox ut Cantuariensem Archi-Episcopum in Civitate audivit, ad hospitium suum descendit, & in salutatione prævenit, ipsum in omni alacritate & exultatione suscipiens. Et Regia quidem clementia vexationi suæ & labori compatiens, ex Regia magnificentia pacem & securitatem donans, & ex Regia munificentia ad necessarios de fisco sumptus, quamdiu exularet accipiendos compellens. Archi-Præsul verò videns cor Regis ita erga se, Deo & Regi devotas gratias retulit: Illum præsertim & corde & ore summa prosequens gratiarum actione, in cujus manu corda sunt Regum. Et ita Dominus Rex & Archi-Præsul per aliquot dies in Civitate commorantes. Recessit in multa gratia Archi-Præsul à Rege, Senonis ad Dominum Papam properans, cui Rex statim de ministerialibus suis, qui ipsum per viam necessaria ministrando ducerent, commisit.

## CAPUT XI.

*Qualiter Archi-Episcopus à Viro Apostolico sit exceptus. Et exilii sui causa.*

## ALANUS.

ITAQUE Archi-Episcopus ad Dominum Papam Senonis venit, tepidè quidem exceptus à Cardinalibus, ad Domini tamen præsentiam est intromissus, qui venientem ad se paterna suscepit benignitate, super vexatione ipsius multimoda, & peregrinatione tam periculosa & dura paternè compatiens. Dumque hæc & illa verbotenus ibi agerentur, demum recepit in mandatis, in crastinum exilii sui causas coram Fratribus exponere. Sequenti ergo die dum quæreretur inter Sodales, quis eorum causam hanc exponeret, singulis sese excusantibus, verbi pondus apud Archi-Episcopum recedit. Doctus igitur à Deo, & per se inpremeditatus, dum primus à Domino Papa sederet, & propter reverentiam vellet surgere, jussus residendo caussam edicere, sic incepit: *Licèt non multùm sapientes, nec tamen usque adeò sumus fatui, ut Regem Angliæ, suos & sua, pro nihilo relinqueremus. Nam si vellemus suæ per omnia placere voluntati, in sua Potestate vel Regno non esset quis, qui nobis non obediret pro libito. Et dum sub hac conditione ei militavimus, quid fuit quod nobis non successit ad votum? Ex quo verò aliam ingressi sumus, memores Professionis & obedientiæ, quam pro Deo suscepimus, quem ad nos habuit, tepuit profectò prior affectus. Adhuc autem si ab isto Proposito vellemus resilire, ad ejus recuperandam gratiam nullius Personæ egeremus interventu. Verùm quia Cantuariensis Ecclesia Sol solet esse Occidentis & nostris temporibus obfuscata est claritas, quodlibet tormentum, sed & mille mortis genera, si tot occurrerent, libentiùs exciperemus in Domino, quàm sustineremus sub dissimulatione his diebus mala, quæ patitur. Porrò ne videar curiosè vel obtentu vanæ gloriæ hæc inchoasse, expedit ut oculata fide constet de effectu*. Et producens Scriptum, in quo continebantur consuetudines illæ, de quibus contendebatur, cum lachrymis inquit: *Ecce quæ statuit Rex Angliæ contra libertatem Ecclesiæ Catholicæ. Si hæc licet dissimulare sine dispendio animæ, vos videritis*.

Quibus perlectis moti sunt omnes usque ad lachrymas. Nec ii se continere poterant, qui priùs pro viribus adversabantur, communi voce Deum laudantes, dum vel unum sibi servavit, qui pro Ecclesia sua in illa tempestate ausus fuit ex adverso ascendere. Et qui ante videbantur super hac causa variè disceptare, jam in unam convenere sententiam, in Persona Cantuariensis Archi-Episcopi universali Ecclesiæ succurrendum. Verùm Dominus Papa, lectis & relectis, & diligenter & attentè auditis & cognitis singulis Consuetudinibus, acerrimè motus statim excanduit in Archi-Præsulem, arguens eum & durè increpans, quòd in illarum non Consuetudinum, sed tyrannicarum usurpationum assensu ipse, ut ibi confessus est, cæterique Episcopi Sacerdotio suo renunciaverint, & Dei Ecclesiam ancillaverint: Asserens multò satiùs omne sustinuisse discrimen, quàm tantis Legis Dei subversionibus præbuisse assensum. Et adjecit: *Verùm inter abominabilia hæc quæ hic lecta sunt & audita, nulla quidem bona, sed quædam tolerabilia sunt, quæ utcumque potest Ecclesia tolerare. Sed horum major pars reprobata, & ab Antiquis quidem & authenticis damnata est Conciliis, utpotè directè Sacris Sanctionibus adversa*. Et hæc quidem Dominus Papa in audientia omnium reprobavit, & ab Ecclesia imposterùm damnanda censuit. Et ad Archi-Episcopum se convertens inquit: *Tecum Frater, et tuus & Co-Episcoporum tuorum grandis fuerit excessus & enormis, agendum est parciùs. Qui etsi, ut confiteris ipse cecidisti, mox post casum tuum resurgere conatus es propter casum multa jam gravia & dura perpessus, & statim ut cecideras, cum adhuc esses in Anglia à nobis quæsisti & invenisti de Clementia nostra absolutionis beneficium. Undè & dignum est, ut nos tibi indulgeamus, aut in tuis adversis Clementiæ nostræ consolationem & gratiam præ cæteris Personis Ecclesiasticis tantò pleniùs & affectuosiùs sentias, quantò pro libertate Ecclesiæ, & pro fide & devotione vestra Majora reliquisti, & graviora perpessus es*. Et ita vir Apostolicus Archi-Præsulem primò paterna severitate, objurgans, & maternæ consolationis dulcedinem reparans tunc dimisit.

## CAPUT XII.

*Qualiter Domino Papæ Archi-Episcopatum resignaverit, & iterum receperit.*

## ALANUS.

POSTERA verò die in secretiori thalamo cum Domino Papa Cardinalibus residentibus, adfuit & Archi-Episcopus, hæc inquiens: *Patres mei & Domini, mentiri nemini licet alicubi, necdum*

*coram Deo & vestri præsentia, unde gemens fateor, quòd has Anglicanæ Ecclesiæ molestias mea miserabilis culpa suscitavit. Ascendi in Ovile Christi, sed non per ipsum ostium, velut quem non Canonica vocavit electio, sed terror publicæ Potestatis intrusit. Et licèt hoc onus susceperim invitus, tamen ad hoc me induxit humana, & non Divina voluntas. Quid igitur mirum, si mihi cessit in contrarium. Verùm si ad Regis comminationem, ut Coepiscopi mei persuasere instantius, renunciassem Episcopalis authoritatis mihi indulto Privilegio, ad Principum votum & voluntatem Catholicæ Ecclesiæ perniciosum relinqueretur exemplum. Distuli igitur usque ad vestri præsentiam. Nunc autem recognoscens ingressum meum minus Canonicum, & timens proinde exitum mihi provenire deteriorem, videns etiam vires meas oneri impares, ne gregi inveniar præesse ad ruinam, cui datus sum qualiterquè in Pastorem, in manu tua, Pater, Archi-Episcopatum Cantuariensem resigno.*

BENEDICTUS.

MOX transsumens annulum suum de digito suo rogat Ecclesiæ dignum Pastorem provideri, eò quòd ipse nomen Pastoris habens officium Pastoris non impleret. Complensque orationem in lachrymis, Dominum Papam, & omnes qui aderant, flere compulit.

ALANUS.

IMMO & hæc audiens quis poterit se continere à fletu? Seorsum igitur Archi-Episcopo sedente cum suis in hoc verbo scandalizatis, nimirùm qui cœperant desperare, Dominus Papa super his cum Cardinalibus cœpit conferre. Hinc inde varia & diversa est orta sententia. His visum est oblata occasione Regis iram sedari posse faciliùs, dum in alia Persona Ecclesiæ Cantuariensi conciliaretur, & Beato Thomæ possit alias competentiùs provideri. Hi siquidem erant ex Pharisæis: Aliis autem visum est in diversis, qui apertos habebant oculos. Quasi is qui pro tuenda Ecclesiæ libertate summo periculo & discrimini, non solùm divitias & gloriam, dignitatem & authoritatem, sed & vitam exposuit, ad Regis libitum deberet suo jure privari: Sicut forma fieret aliis in consimili causa Regibus resistendi, si ea Justitia servaretur illæsa. Si eo cadente caderent universi Episcopi, ut nullis futuris temporibus auderet quis obviare Principis voluntati: Et sic vacillaret status Catholicæ Ecclesiæ, & Romani Pontificis deperiret authoritas. *Expedit igitur*, inquiunt, *restitui etiam invitis omnibus, & ei, qui pro nobis dimicat, omnimodè succurrendum.* Placuit omnibus hæc sententia, præterquàm Pharisæis.

Vocato igitur Beato Thoma cum suis, Dominus Papa hæc ait ex sententia: *Nunc demum, Frater, nobis liquet, quem habuisti & habes Zelum pro Domo Domini, quoniam sincera conscientia te ipsum statuisti murum ex adverso. De tuo ingressu quam puram feceris Confessionem, resignatione facta, qua potuit & debuit dilui culpa delicti, jam secure de novo poteris de manu mea Pontificalis Officii curam recipere, dum te in integrum dicimus restituendum. Et meritò, quem multiplici genere tentationis virum probatum novimus, providum & discretum, Deo & hominibus charum, nobis & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ per omnia fidelem. Et sicut nostræ persecutionis factus es particeps & consors individuus, ita tibi, Deo Authore, in nullo deesse poterimus, quamdiu in hoc corpore mortali duraverit spiritus. Verùm hactenus deliciis affluens, ut de cætero discas esse, quod debes, pauperum consolator, nec id doceri poteras, nisi docente Religionis matre, ipsa paupertate, pauperibus Christi te duximus commendandum. Huic, inquam, Abbati Pontiniacensi.* Erat enim ibi præsens ex condicto. *Non, inquam, educandum splendidè, sed simpliciter, ut decet exulem, & Christi Athletam, inter quos cum paucis & necessariis, reliquis Sociis per Amicos divisis, oportet te conversari, donec adspiret dies consolationis, & tempus pacis desuper ad nos descenderit. Interim autem forti animo esto; & his qui pacem perturbant, resiste viriliter.*

CAPUT XIII.

*Qualiter habitum Monachalem de manu Papæ susceperit.*

ACCEPTA itaque benedictione Beatus Thomas cum paucis familiaribus, aliàs destinatis, ut dictum est, cæteris, Pontiniacum ingressus, judicavit se non dignè curam Pastoralem de manu Apostolica accepisse, nisi etiam & habitum Religionis reciperet: nimirùm qui in Episcopali sede primogenitos filios suos haberet tegere, & à prima fundatione Cantuariensis Ecclesiæ Archi-Episcopos didicerit ferè omnes Monachos fuisse, nec secundùm Veterum Historias aliquam Regni scissuram vel transactionem accidisse, nisi dum quis alterius Professionis Cantuariensi Ecclesiæ præfuerit. Missis igitur proinde Nunciis, remisit ei Dominus Papa habitum Monachalem, quem ipse benedixit, de laneo panno grosso & crudo. Unde & Nunciis injunxit dicens: *Dicite Domino Cantuariensi, quod habitum ei misimus, qualem habuimus, non qualem vellemus.* Pontiniacensis vero Abbas, dum cum paucis Beatum Thomam illo indueret habitu seorsim & secretò, adstans ibidem quidam familiaris, is utiquè qui pridie illud problema proposuit apud Clarendonam, scilicet, *Quid virtutis sibi retinuit, qui conscientiam prodidit & famam*, dum vidit in ipso habitu Capicium minoris quantitatis, quàm ut toti congrueret, ait: *Fuit tamen id seriò factum, utrùm regulariter, nescio. Liquet tamen Dominum Papam minùs congruè adunisse cucullæ capitium.* Subridens autem Beatus Thomas inquit: *Proinde ne & tu possis iteratò mihi illudere, sicut fecisti pridie.* Et ille: *Ubi & quando, Domine?* Et Archi-Episcopus inquit nudiustertiùs, dum Sacris vestibus induerer ad Missarum Solemnia, & zona præcinctus viderer suffarcinatus, requisivisti: *Unde posteriora mea inflata fuissent? Si igitur à scapulis dependens capicium majus ibi prætenderet formam inflationis, nihilominus posses deridere gibbosum. Idcirco cautius mihi est contra talium insultationes.* Videbatur reverà Archi-Episcopus Cilicio à nudicollo usquè ad poplites clam ipsius etiam familiaribus: Et dum cingeretur arctiùs, rigor Cilicii se extendebat, & videbatur grossior, qui fuit macilentus, sed jucundus facie.

HERIBERTUS.

TERTIO quartove igitur adventus ejus ad Pontiniacum die ingressus Capitulum, caussam Ecclesiæ, quam agebat, Deo & ipsorum orationibus commendavit. Igitur post tantas, quas supra ostendimus, ipsius turbationes, quasi post tensum tempus & nubilum ad serenitatem & tranquillitatem Divinæ lucis, cœpit se mox tota mente convertere ad lectionem. Fuit igitur illud Monasterium Archi-Præ-



Præsuli, & eis qui cum ipso erant, sicut certaminis palæstra, qua exercitabantur, ita & quædam virtutum schola, qua erudiebantur ad prælium.

CAPUT XIV.

*De proscriptione totius cognationis Archi-Episcopi.*

WILHELMUS.

REX autem cum redeuntibus Nunciis se in suis petitionibus dicidisset repulsum, res omnes Archi-Episcopi, suorumque confiscari præcepit; totam ejus cognationem, omnes qui eum familiaritate vel quovis titulo contingebant, proscriptos addixit exilio. Non infanti vagienti, non decrepito seni, non in puerperio mulieri decubanti parcebatur. Processit ulteriùs furor inanis, & piis auribus horrenda crudelitas. Nam compulsi sunt adulti jurare, quod contristandi caussa Archi-Episcopum, ubicumquè reperiretur, expeterent. Prohibitumquè est, ne pro eo oraret Ecclesia, quod pro hæreticis & schismaticis facere consuevit. Quotidiè igitur ad eum nova exulum confluebat multitudo: nisi quod plerìquè à præfato juramento authoritate Apostolica absoluti in Flandria remanserint. Hi præsertim qui propter ætatis vel sexus infirmitatem, & multam, quæ tunc erat, inclementiam temporis absquè multo sui dispendio ad Archi-Præsulem, sicut juraverant, proficisci non valebant. Cæteri verò quotidie glomerati veniebant ad eum ejulantes & plangentes, quod essent sic à natali solo expulsi, bonis suis proscripti, & ab Amicis & proximis suis elongati. Et ita quotidie virum Dei movebant. Quanta igitur anxietate, putas, premebatur, cum assiduè præ oculis haberet, quorum miseriæ caussa erat, & quibus præter compassionem parùm vel nihil conferre poterat! Nimirum inter incudem & malleum versabatur, & tot in se persecutiones excepit. Hinc ante Martyrium Martyr factus est, ante tunsiones latomorum angulari lapidi conquadatus, ante fornacem ex ære in argentum, ante molam ex palea in frumentum transformatus, & citra fracturam Alabastri nardi suavitatem redolevit. Vir itaque Apostolicus, & Fratrum Potentatus, Nationes & Regna, audientes hæc mox obstupuerunt, & factum admodùm profanantes, Archi-Præsuli & tali ac tantæ ejectorum turbæ totis pietatis visceribus compassi sunt. Unde Archi-Episcopus, eò quod tantam turbam secum ferre non posset, ipsos per diversas nationes & Provincias, ac diversas personas cum literis suis supplicatoriis transmittebat. Qui omnes ab eis, ad quos missi sunt, tum tantæ malitiæ odio, tum favore mittentis, benignè suscepti sunt. Omnibus itaque sic propitiante Domino provisum est in brevi, ut inter ipsos egens nullus esset: Plurimi etiam feliciùs in exilio, quàm in patria degerent.

CAPUT XV.

*Quomodo Archi-Episcopus cœpit arctiùs vivere.*

VERUM etsi proscriptis Deo miserante sic provisum fuerit, Archi-Præsul tamen attendens in tanta proscriptorum multitudine suum aggravatum exilium, & pœnam exasperatam, disposuit unà & pœnitentiæ suæ aggravare districtionem, ut præter illud, quod quotidie portabat, cilicium, & crebras, quas flagellatus furtivas accipiebat disciplinas, ipse quoquè districtiùs solitò viveret. Unde & uni Fratrum, qui ipsi in mensa ministrare consueverat, una dierum instillavit secretiùs, ut inter alios lautiores cibos, quibus uti solitus erat, cautè quidem, ita ut nullus adverteret, quotidie Conventualem sibi apponeret cibum, quibus solis uti disposuerat. Quod ut cautiùs fieret & secretiùs mensa ipsi soli seorsim à suis ponebatur quotidie. Et ita quidem per aliquot dies solis pulmentariis aridis & insipidis, juxta quod Cistertiensis Ordinis Regularis institutio habet, vescebatur. Verùm per aliquot tempus sic se mortificans, sic contra solitum vivens, post aliquot dies gravi decretus valetudine decubuit. In deliciis enim à primæva ætate enutritus, absque salutis detrimento grossioribus uti non poterat. Verùm ad cujusdam familiaris sui admonitionem, cui ægritudinis suæ caussam hanc, nec tamen sine importunitatis instantia, secretiùs judicavit, congruis sibi alimentis, sobrietatequè comite, utebatur. Unde Deo favente, in brevi restitutus est incolumis.

CAPUT XVI.

*De Nunciis Regis & Archi-Episcopi missis ad Dominum Papam.*

ALANUS.

DISCURREBANT interim hinc inde, & etiam à Domino Papa mittebantur Nuncii ad pacis reformationem. Tandem verò placuit utrobiquè Dominum Papam & Regem statuto die & loco ad invicem convenire, ut per mutuum eorum colloquium via pacis possit facilius inveniri. Rex ait ad id se venturum, sed in Archi-Episcopi absentia: Quia eo præsente demandat nec Domini Papæ faciem se visurum. Domino Papæ Archi-Episcopus significat nulla ratione Regis uti colloquio sine sui præsentia, cui mores illius noti fuissent: *Citiùs enim*, ait, *poterit Apostolica circumveniri Religiò ex varietate verborum Regis, si non adesset sedulus Interpres, qui Regiæ mentis propositum ex ipsius animi possit latebris elicere: Quoniam si Rex infirmiora Domini Papæ prænoscet, exitus viarum suarum obstrueret offendiculum.* Quo accepto, moderata responsione Regi renunciat Dominus Papa hoc inauditum à seculis, Romanam Ecclesiam ad alicujus Principis nutum quemquam à suo conductu rejicere, maximè pro justitia exulantem: sed & id privilegii & authoritatis esse indultum Apostolicæ Sedi, ut exulibus & oppressis subveniat, etiam contra Principum iras, & violentos impetus malignorum. Indignantes igitur Nuncii recesserunt, hæc Regi nunciaturi. Dominus verò Papa Romam reversurus iter ingreditur, quem prosequebatur Archi-Episcopus usque Bituricum. Ubi accepta licentia & benedictione regreditur Pontiniacum, ampliùs Domini Papæ faciem in carne ista non visurus.

HERIBERTUS.

IBI igitur in solitudine, inter petras & Monachos solitarius delitescebat, à sæculo jam remotus, eò liberiùs quò quietiùs, & eò fructuosiùs tota mente spiritualibus intendens. Tantus siquidem Sacra-

Sacrarum Scripturarum amator erat, ut post horas Regulares quotidie Sacri Codices vix de manu ejus discederent. Unde ex amore hoc Scripturarum & opera adeò in brevi profecit, ut sæpissimè in scrupulosis & nodosis Scripturarum sententiis etiam super Docentes se intelligeret.

## CAPUT XVII.

*Quomodo Rex Archi-Episcopum amoverit à Pontiniaco.*

### WILHELMUS.

INVIDET ergò tantis profectibus, qui Zizania superseminat in agro Dominico, & quia vir Dei de tribulatione profecerat, & ipse machinatione sua corruerat, bile, id est, felle vel ira majori motus hospitem, tanquam de loco crevisset, hospitio protrubare contendit. Cujus instinctu, ut credi fas est, direxit Rex Anglorum literas ad Generale istud Capitulum Cirsterciense, Ordini eorum plurimùm comminatus, si ulteriùs Adversarium suum apud se retinerent. Quod cum Archi-Præsuli nunciatum fuisset habito cum suis consilio mox respondit nulla ratione se velle, quod sui occasione Ordo læsionem ullam vel modicum aliquid damni ab hospitibus suis eveniret, qui vitam arcto, & sibi & suis tantam exhibuisset humanitatem. Et addidit, quod quòcumquè diverteret, ubicumquè caput suum reclinaret, ab eis se citissimè amoveret: *Domino*, inquit, *Si placet, mihi & coexulibus meis providente, qui volucres Cœli pascit & vestit lilia.* Misit igitur ad gloriosum illum Francorum Regem Ludovicum Nuncium, qui de recessu suo à Pontiniaco, & caussam recessus ei nunciaret. Quod cum audisset Rex plurimùm admiratus est, & mox suis, qui aderant, totum retulit quod audierat. Et iterando sic omnibus audientibus inquit; *O Religio, o Religio ubi es? Ecce enim, quos credebamus sæculo mortuos, sæculi minas timent. Et pro rebus caducis, quas se propter Deum contempsisse profitentur, à Dei opere, quod cœperant, convertuntur retrorsum, Dei caussa exulantem ejicientes à se.* Et convertens sermonem ad eum, qui missus fuerat, inquit: *Saluta Dominum tuum Archi-Præsulem, & fiducialiter ipsi meo nomine nuncia, quod si mundus, & etiam qui videntur mundo mortui eum deserant, ego tamen eum non deseram, sed quantacunquè Rex Anglorum, etsi Dominicus Homo meus sit, adversus ipsum moliatur & exerceat, ego tamen suscipiam propter Deum exulantem, & propter Justitiam adversa patientem. Nunciet ergo nobis ad quemcumque ditionis nostræ locum divertere maluerit, & paratum inveniet.* In brevi igitur reverso eo, qui missus fuerat, Archi-Præsuli nomine Regis reportata sunt hæc. Qui ad complendum cum suis peregrinationis suæ tempus residuum, præclaram illam & Regiam Civitatem Senonis, à Pontiniaco duodecim milliaribus distantem, elegit, tum propter loci plurimam commoditatem, tum propter Civium laudabilem moralitatem, & devotam præsertim advenis dapsilitatem, dulcemquè affabilitatem, & jucundam socialitatem. Biennio ergo peregrinationis suæ Pontiniaci jam expleto, à Pontiniaco discessit,

## CAPUT XVIII.

*De discessu à Pontiniaco, & revelatione martyrii sui.*

CUM itaque territorium Senonense petens, vale jam se deducentibus facturus esset, erupit in lachrymas, Quas increpans venerabilis Abbas loci inquit: *Quid agis? Miror Virum invictæ constantiæ feminam in mollitiem degenerare. Nunquid rei familiaris necessitas majores expensas exposcit? An Comitatus rarior, & famulatus minor lachrymas istas excutiunt? Si quid tua poscit indigentia, quod nostra facultas supplere possit, ostendatur, & fiet.* Respondit igitur Archi-Episcopus: *Nihil istorum, sed quæ de me sunt, finem habent. Dominus servo suo vitæ finem, finisque modum in visu præteritæ noctis præostendere dignatus est. Gladium spiculatoris subterfugere non potero.* Subridens Abbas inquit: *Ergo Martyrio interibis? Quid esculento, temulento, & Martyri? Non benè conveniunt, nec in una sede morantur calix vini quem potas, & calix Martyrii.* Archi-Episcopus inquit: *Fateor, caporeis voluptatibus indulgeo, bonus tamen Dominus, qui justificat impium, indigno dignatus est revelare mysterium.*

### HERIBERTUS.

ET cum instaret Abbas ut feriatim prosequeretur, subintulit: *Domine Abbas, etsi familiaris meus sit, non priùs edisseram, nisi eo pacto ut secretum teneas, quoad vixero ego.* Et Abbas mox pepigit. Et ipse: *Nocte hac visum est mihi, quod in Ecclesia, nescio tamen qua, contra Dominum Regem Anglorum in audientia Domini Papæ & Cardinalium pro Ecclesiæ caussa contenderim. Domino quidem Papa parti meæ favente, sed Cardinalibus adversantibus pro Rege contra me. Cum ecce subitò quatuor superveniunt milites, qui mox rapientes me ab auditorio, in eadem Ecclesia capitis mei summitatem, ubi coronæ meæ locus est, excoriarunt, adeoquè, ut mihi videbatur, angustiabar, quod videbar mihi defecisse. Per hanc, ni fallor, revelationem Dei credo, quod morte dura, sed spero pretiosa sim de hoc mundo transiturus. Nec tamen propter revelationem, pro qua potiùs Altissimo, quantas valeo, gratias ago, sic contristor, sed propter eos doleo, qui secuti sunt me, & tot & tanta sustinuerunt propter me. Certissimè enim scio quia me percusso dispergentur, quasi Oves non habentes Pastorem.* Hanc eandem visionem itidem retulit Abbati de Valle Lucenti, Amico & familiari suo, pacto simili, ne videlicet eam cuiquàm, donec visionis videret exitum, revelaret. Visionem itaque duobus his Abbatibus retulit, ut ita ipso eo modo, quo ex revelatione præmunitus fuerat, ex hoc mundo sublato, in ore duorum staret verbum revelationis hoc. Dicti vero Abbates relatam sibi visionem omni tempore siluerunt, donec ipsam incursus sui fine finis confirmaret.

## CAPUT XIX.

*Qualiter Senonis veniens exceptus sit.*

PROFECTUS igitur à Pontiniaco Senonis venit à piæ memoriæ Hugone tunc Senonensi Archi-Episcopo, & à Clero & Populo Civitatis in omni gaudio & alacritate susceptus, de fisco ad usum necessaria percipiens amplissimè. Rex verò omni tempore, quo ad Civitatem veniebat, sicut ubiquè moris sui erat, primò quidem ad Ecclesiam, & confestim, nisi major detineret causa, ad Archi-Præsulem videndum accelerare consueverat: cujus tunc prolixiori eloquio, & in magnis consilio, tamquàm viri exercitati & experti negotia Regia, fruebatur.



BIBLIOTECA UNIVE

## CAPUT XX.

*Qualiter Rex ex odio Archi-Præsulis Schismati consenserit.*

### WILHELMUS.

BEATO igitur Thoma Senonis sic residente, Rex Anglorum indignissimè ferens, quòd in petitionibus suis protegeretur Adversarius, Presbyterorum bona, per Diœcesim Cantuariensem decedentium, & vacantes Ecclesias occupavit, & pro voluntate personas instituit, & se ab Alexandro Papa, quem jam Dominus, Romanæ miseratus Ecclesiæ, in Sedem suam revocarat, abalienavit. Unde dolorem suum in fide vindicaturus, Clericos duos, Joannem videlicet de Oxemfordia, & Richardum de Ivelcestria, misit ad Imperatorem Alemanniæ Fredericum; qui coacto Concilio de Pace Romanæ Ecclesiæ tractabat, mandans, quod si nomen & obedientiam Alexandri Papæ abjuraret, participem se Schismatis haberet cum Episcopis. Ille cum Schismatis fautores haberet, de consilio Coloniensis Archi-Episcopi, qui Octaviano extincto successorem jam suscitaverat, consensit. Jurantibus itaque cum Imperatore Optimatibus, & Episcopis quibusdam obtrectantibus, & usquè in lachrymas renitentibus, Nuncii quoque Regis ex persona ipsius in consimilem formam jurarunt. Et tanquam si minùs adhuc peccavisset, Rex portus diligentissimè custodiri præcepit, feralia in eos statuens edicta, qui vel Papæ mandata, vel literas in Angliam deferrent, vel delatas reciperent. Præcepit etiam publicè, & compulit per vicos, per castella, per civitates, ab homine sene usque ad puerum duodennem Beati Petri successorem Alexandrum abjurare. Omnibus igitur capiti suo renunciantibus sic, revelabantur ex multis cordibus cogitationes. Tunc erat videre miseriam, Dathan & Abiron quamplures per fines Anglicanos passim emergere, & in lateribus Aquilonis Luciferum sedere.

## CAPUT XXI.

*De appellatione Pontificum contra Archi-Episcopum.*

POST modicum tempus convenientibus ad Urbem Londonias ex mandato Regis Episcopis & Abbatibus nonnullis, visum est contra Archi-Episcopum appellari. Timebatur enim, ne ipse in enormia, quæ per Regnum præsumebantur, manum correctionis extenderet. Appellarunt itaque primi Londoniensis & Saresberiensis, provocationis & prævaricationis fomites: Exonienfis ad appellandum cogi non poterat. Episcopus verò Roffensis per simulatam, ut dicebatur, infirmitatem excusavit suam absentiam. Sicut & suam Vintoniensis, per literas dicens: *Vocatus à summo Pontifice nec appello, nec appellare volo.* Et ex ambiguitate nominis putabatur ad summi Pontificis, idest, Domini Papæ vocatus audientiam. Ipse verò summum Pontificem, summum Judicem intelligebat, ad cujus Tribunal jam jam trahebatur examinandus, tamquàm qui in multis diebus processerat, & vitæ metis appropinquaverat. At Archi-Episcopus Regem sæpè paterna charitate commonuit, tum per scripta, tum per viros, qui pro sua reverentia meruerant audiri, ut ab Ecclesiasticæ libertatis oppressione desisteret. Sed & eundem super eodem Romanus Pontifex per Rothomagensem Archi-Episcopum, & per Imperatricem quondam Romanorum, Matrem ejus, & per Herefordensem, & Londoniensem. Dumque singulis circa mandata suam diligentiam adhibentibus, Herefordensis ipsum usque in finem Walliarum ductantem exercitum cum literis prosequerentur, nihil impetrarunt, nisi ut Archi-Episcopus repatriaret ultroneus, sicut ultroneus abscesserat. Credebatur tamen Londoniensem minùs fideliter mandata prosecutum, quia cum Domino Papæ rescripsisset super executione Mandati sui & responsione Regis, Ecclesiasticæ severitatis animadversionem, quam in prevaricatores intendebat, dehortari non erubuit, ut Ecclesia Cantuariensis perpetuum sui Pastoris exilium, suumque lugeret Anglicana naufragium. Sed successor Apostolorum & columna Ecclesiæ non movebatur. Noverat siquidem quis esset qui loquebatur. Unde eum modo non audivit, sed & Archi-Episcopi, & Ecclesiæ, cui præsidebat, juris & dignitatis providebat indemnitati, sicut ei ante exilium promiserat dicens: *Sanè indubitanter credere te volumus, & firmiter tenere, quod nunquàm in animum, Deo volente descendet, ut te vel Ecclesiam tuam alicui Personæ, velimus in Ecclesiasticis subesse, nec nisi tantùm Romano Pontifici obedire.* Nam quia audierat Eboracensem Archi-Episcopum Crucem suam in stipite elationis extulisse, & contra consuetudinem per Provinciam Cantuariensem deferre, prohibuit ne id de cætero facere præsumeret. Eboracensis igitur à temeritatis ausu prohibitus, & in Cruce sua cruciatus, associatis sibi Londoniensi, & Saresberiensi, unà cum Episcopis Angliæ congregatis, sicut dictum est, appellavit adversus Cantuariensem, scriptamque ei appellationem, & appellationis terminum innotuit. Ille verò in omni patientia & mansuetudine rescribens, & increpans, & objurgans animos inquietos, ad Ecclesiasticæ pacis unitatem retorquere frustra satagebat. Oportebat enim pati Christum Deum, & iniquitates amorrheorum completi.

## CAPUT XXII.

*De Legatis missis à Domino Papa.*

INTEREA ad instantiam Regis missi sunt à Romano Pontifice Legati duo. Quorum unus erat Wilhelmus Presbyter Cardinalis, Regis amicissimus, qui, sicut ipse Archi-Episcopus de eo dicit, potiùs elegit esse malleator Clericorum, Principibus obsequendo, quàm Regum offensione divinam gratiam consequendo. Alter Diaconus Cardinalis Otto nuncupatus. Et plus avaritiæ quàm Justitiæ studiosi, & nisi delegarentur à Domino Papa, potiùs relegatione, quàm Legatione digni. Acceperunt autem plenariam potestatem decidendi quæstiones, quæ vertebantur inter Regem & Archi-Episcopum, & debitum eis finem imponendi, remoto appellationis obstaculo. Archi-Episcopus verò sciens Regis amicissi-

amicissimum alterum, & instanter ab ipso petitum, alterum autem ex aliis causis suspectum habens, recusavit utrumque. Dicebat enim nequaquàm se Wilhelmi jurisdictioni in causa debere subjici, qui Regis instantia potiùs mittebatur, quàm ipse coactus & missus veniebat: Et quia non erat juri consentaneum subire ejus judicium, qui de sanguine suo sibi commercium facere quærebat, & de pretio nomen & gloriam. Adeò autem recusabat, ut excommunicationi subjici mallet, quam ejus judicium subire in aliquo extra Curiam Romanam. Nam ad judiciariam potestatem obtinendam super eum multiplici laboraverat ingenio. Dominus Papa tamen considerans malitiam temporis, ut mitigaret potentiam eorum, qui turbare poterant Ecclesiam, ad tempus eis potestatem judiciariam duxit concedendam. Unde cum in Franciam venissent, jactabat Wilhelmus, se in damnum & confusionem Domini Cantuariensis venisse ad faciendam voluntatem Regis. Hinc Gallicana verebatur Ecclesia: Et qui bonum pacis exspectaverant, dejectione Cantuariensis audita dejiciebantur. Sed qui confusionem intentabat, confusus & inutilis factus est, minùs exsecta fronte ventilando metuendus Adversario. Nam ante cognitionem causæ ab Officii suscepta potestate recidunt, Rege Francorum Domino Papæ *scribente*, quòd maximum ingereretur Ecclesiæ scandalum, si Defensor Ecclesiæ innocens deponeretur, & inde damnum dignitatis efficeretur, unde præmium promotionis promerendum esset. Unde Dominus Papa, quamvis in medio charybdis & scyllæ constitutus: Hinc enim Rex Angliæ donis, & promissis, & minis instabat, inde Rex Franciæ precibus & admonitionibus obstabat. Hinc turbatio Ecclesiæ, si reprimeretur arrogantia, inde infamiæ nota, si damnaretur innocens. Sententiam suam revocavit, scribens Legatis, ne ordine judiciario inter Regem & Archi-Episcopum præsiderent, sed plenæ inter eos paci componendæ omnimodis intenderent, ita quòd Archi-Episcopo & Ecclesiæ suæ antiqua jura integra & illibata servarent, nec in terra Regis aliquid magnum facerent, vel in Regnum ejus, si eos intrare vellet, intrarent, nisi Archi-Episcopus Regi primitus integrè reconciliaretur: Quia super his sibi & illis plurimùm detraheretur, & ipse communi voce cunctorum sinistra detractione laceraretur. Quæ cùm in mandatis accepissent, Legationis tamen reliquias prosequentes, Regem aditum tantò minùs lætificaverunt, quantò minus potestatis habuerunt: Qui jam sciebat, & gravissimè ferebat, quod potestas eorum exspirasset ex parte. Sed nè nihil ageretur, ad colloquium Archi-Episcopum vocarunt: Et præfixum est tempus & locus.

Igitur conveniunt hinc exul cum exulibus suis, inde Legati, adjunctis sibi Archi-Episcopis, Episcopis, & Abbatibus quàm plurimis. Nocte verò proxima ante colloquium Achi-præsul vidit somnium, sicut ipse suis manè secum ad colloquium euntibus retulit: Quod videlicet propinaretur ei venenum in calice aureo. Et quidem accidit sic. Alter quippe Cardinalium, præfatus videlicet Wilhelmus, elegantis eloquii, & verba habens persuasibilia, pacis quidem suaves & blandos sermones ei obtulit: & videbantur in superficie bona verba & pacifica, quæ tamen si quis interiùs adspiceret, Ecclesiasticæ paci & libertati non modicùm derogabant. Unde singula ferè, quæ à Cardinalibus de pace proponebantur, Archi-Episcopo & suis suspecta erant, metuentibus capi in sermonibus, qui molliti & melliti erant, & tamen ipsi nihilominùs jacula. Diutiùs igitur & inaniter protracto colloquio, tandem infecta pace, immò etiam absque omni spe pacis per ipsos deinde faciendæ, Archi-Episcopus & Legati ab invicem discesserunt, Legatis quidem ad Regem confestim revertentibus. In Cenomannia verò, in civitate ipsa Cenomannis, nonnullæ Regiæ Personæ jam convenerant: & videntes sic pacem nequaquàm per Cardinales posse fieri, in audientia ipsorum suas appellationes renovarunt, pro Rege, pro Regno, pro personis propriis, & pro Ecclesiis suis ad Sedem Apostolicam reappellantes. Post aliquantum verò temporis Cardinales, à Rege multum honorati, & ambitiosis onerati donis, Archi-Episcopi & Ecclesiæ pace infecta, ad Romanam reversi Ecclesiam.

## CAPUT XXIII.

*Qualiter Archi-Præsul de Episcopis quosdam, & multos de Aulicis excommunicavit.*

### WILHELMUS.

ARCHI-EPISCOPUS verò audiens novas & sciens enormitates cum veteribus, quæ in pessimos fructus excreverant, per Diœcesim suam quotidie pullulare, sciens à Propheta maledictum, qui gladium à sanguine prohibuerit, & qui opus Dei negligenter fecerit, nè non amputatis putridis ramis vinea Domini corrumperetur, accinxit se, & falcem Ecclesiasticæ severitatis in multos exercuit.

### ALANUS.

OBTINUERAT siquidem à viro Apostolico Apostolicæ Sedis Legationem super Angliam, & quidem ad cautelam, ut videlicet firmior & magis authentica Ecclesiastica quævis sententia haberetur, si deinceps ab eo aut in Regnum, aut in Regni personas ferretur. Et inprimis quosdam de Aulicis Clericis, qui ratione Ordinis seu Beneficii Ecclesiastici obligati sibi fuerant, & obedientiam exhibere tenebantur, distinctissimè citavit, ut ad ipsum venire non differrent. Quibusdam etiam in virtute obedientiæ sub Ordinis sui & Beneficii periculo nonnulla præcepit: sed non venerunt ii, nec paruerunt illi. Unde appellationi non deferens ipsos publicè anathematizavit, & anathematizatos denunciari fecit. Et non solùm de Aulicis Clericis, sed & de Laicis Aulicis: Et ob varias causas. Quosdam quia invasores, quosdam tanquàm rerum Ecclesiasticarum violentos detentores. Et non solùm ex his & illis, sed & aliquos etiam ex ipsis propter inobedientiam manifestam, & maximè quia inter Regem & ipsum totius dissensionis incentores exstiterant, quam & fovere in dies non desistebant.

DE Anathematizatis sic Londoniensis & Saresberiensis primi erant. Anathematizavit etiam Joannem de Oxenfordia, & Richardum de Ilvelcestria, qui in hæresim damnatam inciderunt, præstando juramentum schismatis. Richardum etiam de Luci, & Joselinum de Baillolio, qui pravitatum illarum authores & fabricatores exstiterunt. Ranulphum etiam de Broc, qui bona Ecclesiæ Cantuariensis, hominesque tam Clericos quam Laicos cepit, & in captione detinuit. Hugonem quoque de Sancto Claro, & Thomam Filium Bernardi, qui bona ejusdem & possessiones absque conniventia sua occupantes detinuerunt. Omnesque qui de cætero in possessiones & bona Ecclesiæ contra voluntatem suam & consensum manus violentas extenderent. Et hi quidem anathematizati ex Aulicis de magis familiaribus & Consiliariis Regis erant. Unde & ferè jam quotquot in Aula erant, aut nominatim excommunicati erant, aut excommunicatis participando, quos evitare nec poterant nec licebat, adeò ut vix in Capella Regis esset, qui in Missa pacis illud osculum Sacramentale Regi offerret, nisi excommunicatus ex nomine, vel ex participatione.



## CAPUT XXIV.

*Qualiter arctabatur Papa pro Nunciis Regis & Præsulis sibi invicem adversantibus.*

### HERIBERTUS.

AUDIENS autem Rex motus & turbatus est, & pars omnis adversa: Videlicèt quòd nec Aulicis deferretur propter Regem, nec appellationi propter Sedem Apostolicam. Et cum omni festinatione mittunt & remittunt, qui hæc viro Apostolico nuncient. Misit & pius Rex Francorum propter Cantuariensem ad virum Apostolicum, & ad familiares suos Cardinales, pias preces mandans & remandans, quòd qui Archi-Episcopum vel suos tangeret, tangeret pupillam sui oculi. Super omnia verò rogabat, ne Dominus Papa solveret, quos tam venerabilis, tam Sanctus Archi-Præsul tam justè ligasset, nec evacuaret quæ sibi fecisset ipse contra inimicos Ecclesiæ, Justitiæ opera. Id ipsum etiam Pontifices & Principes Franciæ Romano Pontifici & Cardinalibus, cum omni devotionis affectu monentes, supplicarunt.

Arctabatur itaque Romanus Pontifex. Quippe ne quæ Archi-Episcopus fecerat, irrita faceret, sed potiùs ut ipse apprehensus Apostolico zelo cum eo adversùs malignantes consurgeret, urgebat eum justitiæ causa, quam fovebat, cum Mundi favor in Archi-Episcopum, cùm pii Regis Ludovici & suorum desideria, & postulationes contrariæ. Considerabat itaque vir Apostolicus Archi-Episcopi æmulationem tam accensam, & Adversariorum obstinationem tam duram. Unde turpe & irreligiosum, & fortè damnabile sibi credebat, si Archi-Præsulem ex tam justa causa Sacerdotali zelo accensum ab officio suo suspenderet, seu ab ipso facta irritaret, & justitiæ opera, ex quo universæ Ecclesiæ grande & grave scandalum generaret, & Regis Francorum & Regni incurreret indignationem non modicam. Igitur quia se solùm videbat superesse Romanus Pontifex, inter Regem & Archi-Præsulem, paci amicabiliter reformandæ studere necessarium duxit. Sacros itaque apices suos Regi Francorum sæpiùs misit, mandans & rogans ut pacis mediatorem se interponeret. Misit etiam nunc ad hos, nunc ad illos, ad eos maximè, qui credebantur à Rege Anglorum libentiùs audiri & benigniùs, & quorum opere & industria verbum pacis sperabatur meliùs & efficaciùs promoveri.

## CAPUT XXV.

*De quodam Regum colloquio, ubi pacis impedimentum fuit hoc verbum, scilicet,* Salvo honore Dei.

### HERIBERTUS.

DOMINUS autem Rex Francorum videns Dominum Papam de pace sollicitum, tanquàm Filius Pacis, & obediens viro Apostolico, operosè & attente partes suas interposuit. Unde & ad pleraque colloquia, quæ inter ipsum & Regem Anglorum erant, Archi-Episcopum vocavit, pacis inter eos se mediatorem interponens. Inter quæ unum colloquium fuit, in quo suggestum est Regi Angliæ, Archi-Præsulem suo se arbitrio omninò velle committere, ideoque gratiùs ejus præsentiam acceptabat. Multis igitur utrimque ad id convenientibus, ad pedes Regis Angliæ Archi-Episcopus dicens: *Domine Rex, totam causam, unde inter nos orta est diffensio, tuo committo arbitrio, Salvo honore Dei.* Tali adjectione audita Rex vehementer scandalizatus est, multis ipsum contumeliis afficiens, multa improperans, plurima exprobrans. Arguens eum tanquàm superbum & elatum, & Regiæ munificentiæ circa ipsum impensæ immemorem & ingratum.

### ALANUS.

ET ait Regi Franciæ: *Domine mi, attende, si placet. Quidquid isti displicuerit, dicet honori Dei esse contrarium, & sic sua & mea omnia sibi vendicabit. Sed ne videar honori Dei, vel sibi in aliquo velle resistere, hæc offero. Multi fuerunt Reges in Anglia ante me majoris vel minoris authoritatis, quàm sum ego. Multi fuerunt ante eum Archi-Episcopi Cantuariæ, magni & Sancti viri. Quod igitur Antecessorum suorum major & sanctior fecit Antecessorum meorum minimo, hoc mihi faciat, & quiesco.* Acclamabatur undique: *Satis Rex se humiliat.* Dùmque Archi-Episcopus aliquantulùm subticuisset: Rex Franciæ adjecit: *Domine Archi-Episcope, vis esse major sanctis viris? An major prudentia? Quid dubitas? Ecce pax præ foribus.* Ad hæc Archi-Episcopus ait: *Verum est, Antecessores nostri multò me meliores fuerunt, & majores. Singuli autem suis temporibus, & si non omnia se adversus Deum extollentia, quædam tamen resecarunt. Nam si omnia radicitùs tunc extirpassent, quis nunc adversum nos ignem tentationis hujusmodi excitaret? Quo cum illis probati, digni inveniamur etiam cum illis, laude & gloria. Multò meliùs nobis Deo consulente actum est, ut sicut in eorum sorte & numero laboravimus, ita & illorum laboris & præmii simus participes. Nec si aliquis eorum tepuit vel excessit in aliquo, ejus in hoc temporis vel excessus exemplum sequi tenemur. Petrum etenim Christum negantem arguimus, sed Petrum usque in capitis sui periculum Neronis impetum arguentem omnibus modis commendamus. Sanè quia Petrus ei consentire noluit in eo, quod & dissimulare sine animæ suæ periculo non potuit, idcirco inimicorum victor in carne occubuit. Et talibus pressuris Catholica surrexit & crevit Ecclesia. Patres nostri passi sunt, quia noluerunt nomen Christi subjicere, & ego, ut hominis gratia restituatur, Christi honorem deberem supprimere? Absit.* Insurrexerunt itaque Magnates utriusque Regni in eum, impugnantes arrogantiam Archi-Episcopi, impedimentum pacis. Uno inter alios Comite palam protestante. *Quia Archi-Episcopus utriusque Regni consilio & voluntati*

*luntati resistit, de cætero neutrius dignus erit auxilio, sed ejectum ab Anglia non recipiat Francia.*

## CAPUT XXVI.

*Qualiter multi in recessu Concilii convitiabantur Archi-Præsulem.*

### HERIBERTUS.

SOLUTO igitur colloquio, non sine multorum murmure reditur ad propria, Coexulibus Archi-Episcopi in summa desperatione positis. Et Reges quidem festinantissimè in equis, nox quippe jam diremerat colloquium, recesserunt, nec salutantes, nec ab Archi-Episcopo salutati. Quin potiùs Rex Anglorum adhuc in recessu, etsi non in faciem Archi-Præsulis, à convitiis non cessavit, insultando dicens inter alia, quòd ea die de suo ultus fuisset proditore. Pariter & Aulici, & qui pacis mediatores exstiterant, in recessu multa, etiam in faciem, Archi-Præsuli objecerunt: Quòd videlicèt fuisset semper superbus, elatus, sapiens in oculis suis, propriæ semper sectator voluntatis & sententiæ, adjicientes grande fuisse hoc malum, & enorme Ecclesiæ damnum & periculum, quòd ipse unquàm Rector Ecclesiæ constitutus fuisset, & quòd peripsum ex parte jam destructa penitus citò destrueretur Ecclesia. Sed Archi-Præsul ponens ori suo custodiam, cùm consisterent peccatores adversùs eum, factus est ad exprobrantes & insultantes sibi quasi non audiens, & non habens in ore suo redargutiones. Nisi quòd uni de Ecclesiæ destructione humiliter quidem & mansuetè respondit inquiens: *Frater, cave ne destruatur Ecclesia Dei per te. Per me, favente Domino, non destruetur.* Et hic erat Joannes natione Anglus, Episcopus tunc Pictaviensis, Archi-Episcopo ex diutina conversatione & societate familiaris admodùm, charus, & acceptus. Ab aliis etiam convitiatus non reconvitiabatur, illius profectò discipulus, qui cùm malediceretur non remaledixit, cùm pateretur non comminabatur. Sic igitur recessit à colloquio nunc in Francia, sicut priùs in Anglia apud Northamtunam, factus opprobrium abundantibus & despectio superbis.

Et recedens sic cum suis Dominum Regem Francorum sequebatur, cujus erant præparata hospitia in Castro, quod Mons-mirabilis dicitur. Fuit & Archi-Episcopus in Castro hoc pariter hospitatus cum Rege, ipso semper per servientes Aulicos abundanter ei viaticum ministrante. Rex autem tunc non declinavit, quemadmodùm in aliis negotiis & colloquiis consueverat, ut Archi-Præsulem in hospitio suo videret. Unde & mox conjiciebatur cor Regis non ita cum Archi-Episcopo esse sicut heri & nudiustertiùs. Nihilominùs tamen Archi-Præsul hilarem & jucundum se exhibuit: Nec deprehendi potuit vultus ejus in diversa mutatus ob hoc. In quo adverti potest magna Viri constantia, fortitudo animi invincibilis, qui mundo jam sibi contrario nullam vel etiam modicam turbationem ex hoc, vel solliciti ostendit speciem. In crastino à præfato Castro recedens, & ea die Carnutum veniens, plerique, ut mos est, ipsi accurrerunt, ut transeuntem viderent, & quærebant quis esset qui transiret. Et cùm cognovissent, quòd Archi-Præsul hic esset Cantuariensis, ipsum mox digito notaverunt, aliis qui ignorabant indicantes, & dicentes invicem, murmurando tamen: *Ecce Archi-Præsul ille, qui in hesterno colloquio Deum propter Reges negare noluit, nec Dei honorem subjicere.* Postea etiam sæpissimè, cùm iter per Franciam faceret, multi in populo eadem de eo prædicarunt. A Carnuto verò recedens, quantociùs potuit, Senonis venit, ubi per dies salutare Dei præstolabatur.

## CAPUT XXVII.

*Qualiter Archi-Episcopus suos confortaverit. Et quomodò gratia Regis Francorum ei restituta sit.*

### ALANUS.

UNA verò dierum sedente Archi-Episcopo cum suis in hospitio, dum confabularentur ad invicem super his quæ acciderant, & secum quærerent, quò possent divertere, Vir Domini jucundo vultu, quasi nihil adversitatis habens, & ad omnes fortunæ impetus invincibilis, moderato risu condolentibus allusit dicens: *Solus impetor, & me sedente non erit qui vos persequatur acriùs. Confortamini igitur, & nolite expavescere.* Cui inquiunt: *Miseremur tui magis, dum nescimus quò possis divertere, vir tantæ Authoritatis, à summis & ultimis derelictus Amicis.* Archi-Episcopus inquit: *Deo nostri curam committimus. Et ex quo utriusque Regni nobis præcluditur aditus, nec ad Romanos nos expedit recurrere. Alia est nobis via procedendum. Audivimus siquidem circa Ararim fluvium Burgundiæ usque ad partes Provinciæ liberaliores esse homines. Ad hos ego & unus mecum ibimus, quia visa afflictione nostra forsitan nostri miserebuntur, victualia ministrantes ad tempus, donec nos visitaverit Deus. Potens est Deus & in ultimo miseriæ calculo suis adesse: Et infideli deterior est, qui de Dei desperat misericordia.* Et statim adfuit præ foribus Dei miseratio. Accurrit enim quidam serviens Regis Franciæ, qui diceret: *Dominus Rex vos ad curiam vocat.* Ad hoc ait unus eorum: *Ut ejiciamur à Regno.* Archi-Episcopus inquit: Non es Propheta, nec Prophetæ Filius, noli vaticinari sinistra.

Venientes ergò invenerunt Dominum Regem cum tristi vultu sedentem, & non assurgentem de more Archi-Episcopo. Et factum est in principio triste præsagium. Confidentibus illis adhuc tepidè vocatis, diutiùs facto silentio, Rex inclinato capite, quasi dolens & invitus cogitaret ut eos de Regno ejiceret, & illis id ipsum timentibus, obortis lacrymis profiliens cum singultu projecit se ad pedes Archi-Episcopi, obstupentibus his qui aderant. Archi-Episcopo verò se inclinante ad erigendum Regem, vix tandem Rex ad se reversus præ angustia ait: *Verè, Domine mi Pater, tu solus vidisti.* Et suspirans præ mœrore repetiit: *Verè, Pater mi, tu solus vidisti. Nos omnes cæci fuimus, qui contra Deum tibi dedimus consilium in causa tua, immò ad nutum hominis honorem Dei remittentes. Pœniteo, Pater, & graviter pœniteo. Ignosce ergò, & ab hac culpa me miserum absolve. Sed & Deo & tibi me ipsum & Regnum meum expono, & ab hac hora promitto, quòd tibi vel tuis non deero, quamdiu Deo Authore vixero.* Rege igitur absoluto, datque ei benedictione Archi-Episcopus Senonis ingressus est cum suis in gaudio, ubi eum Rex Franciæ regaliter exhibuit usquè ad regressum ejus in Angliam.

HE-



### HERIBERTUS.

ID ipsum etiam jam universa terra prædicabat, magnum videlicèt esse Virum, providum & discretum, Cantuariensem, nec ejus in terra similem, qui contra tot & tantos tam constanter, tam viriliter steterat: Qui solus evasit, ubi omnes alii præter ipsum capti sunt, & in sermone circumventi. Unde tota terra magis ipsum commendando ampliorem honorem & reverentiam exhibebat.

## CAPUT XXVIII.

*De Mandato Regis Angliæ.*

AUDIENS autem hoc Rex Angliæ contristabatur, Regique Franciæ mandavit se mirari plurimùm, quomodò vel qua ratione de jure posset contra eum fovere Archi-Episcopum, cùm in ipsius Regis præsentia ipse se ita humiliarit, ad omnem paratus Justitiam, nec per ipsum steterit, quominùs Archi-Episcopus pacem haberet, quam ipse arroganter & contumeliosè rejecit. Quocirca ait Regem Franciæ tali de cætero suo Regno non debere præstare subsidium, in sui fidelis ignominiam & ruborem. Ad hæc Rex Franciæ inquit Nuntiis: *Ite Regi vestro nunciantes, quia si Rex Angliæ Consuetudines Avi, avitas quas vocat Consuetudines, licèt minùs, ut dicitur, legi Divinæ congruas, tamen ut ad Regiam dignitatem spectantes non sustinet abrogari, multò minùs mihi licet jus illius liberalitatis subvertere, quod cum Corona Regni mihi jure competit hæreditario. Consuevit siquidem Francia ab antiquis temporibus omnes miseros & afflictos, maximè prò Justitia exsulantes recipere, & donec pacem habuerint, fovere & tueri. Cujus honoris & excellentiæ gratia, Deo propitio me vivente ad nullius personæ suggestionem in Cantuariensis exilio derogabitur.*

### HERIBERTUS.

Erant itaque deinceps Rex & Archi-Episcopus familiares & Amici, multò plùs quàm anteà.

## CAPUT XXIX.

*De Legatis secundò missis à Domino Papa.*

VIDENS itaque Archi-Præsul & sui, cor Regis Franciæ sic reversum ad se, Deo, in cujus manu sunt corda Regum, summas & devotas gratias egerunt. Videns etiam tempus opportunum, Regi supplicavit, utpotè qui ad Apostolicas preces mediator suus jam fuerat, ut viro Apostolico scriberet pacem non processisse, & qualiter hoc & quomodò steterit. Postulat & hoc ipsum à Pontificibus & Principibus, & præsertim qui colloquio interfuerant, ut rescribant & ipsi, & hi etiam, qui ex Mandato Apostolico, pacis mediatores exstiterant. Rege itaquè scribente, scribentibus & his, scribentibus & illis, sollicitabatur usque ad amaritudinem animæ Pontifex Romanus super diutina oppressione Anglicanæ Ecclesiæ.

### WILHELMUS.

HINC enim ingratitudinem timens, Regem respiciebat, qui in se beneficia conjecerat, dum schisma Romanorum declinaret; illinc periclitantem Ecclesiam, cùm transgressionem impunitam relinqueret. Tentaturusque si vel adhuc sine incisione vulneribus medicari posset, & citra rigorem severitatis Regis emmolire duritiam, missis duobus Viris literatis & discretis, altero suo Diacono & notario suo, altero Romanæ Curiæ Advocato, rogavit attentiùs, ut Archi-Episcopo Archi-Episcopatum suum cum sua gratia redderet.

### HERIBERTUS.

QUI venientes sæpè & sæpiùs Regem nunc in omni lenitate monendo & exhortando, nunc arguendo & increpando duriti, juxta injunctum sibi Apostolicum mandatum super Ecclesiæ pace & Archi-Præsulis convenerunt. In quo cùm nihil profecissent, tandem ad Archi-Episcopum venientes retulerunt se in omni negotio, ad quod venerant Regem reperisse tergiversatorem, versipellem, tortuosum, & ejus quod agebatur dissimulatorem, quærentem semper per quasdam ambages & excogitatas astutias pacis negotium protelare, & summopere molientem partem suam justificare & Archi-Episcopi deprimere. Unde certissimè advertentes, quòd salvo honore Dei & Ecclesiæ per ipsos pax processum habere non posset, citò & expeditè ad Romanam reversi sunt Ecclesiam.

## CAPUT XXX.

*Quomodò pacis fuit impedimentum negatum pacis osculum.*

### WILHELMUS.

SUB ea tempestate Rex Anglorum orandi gratia profectus est in Gallias, ubi rogatus à Rege Francorum, & Regni Optimatibus, apud Martyrum, divinæ Majestatis intuitu, Sanctorumque quos adorare venerat memorias Archi-Episcopo suo gratiam suam reddere omni deposita dissimulatione, simulatè, quamvis priùs conqueretur quòd sibi non occurrisset, concessit ut in pace & securitate reportaret, possessiones & Archi-Episcopatum suum reciperet, & eo jure & libertate teneret, quo Prædecessores sui tenere consueverant.

### HERIBERTUS.

ROGATUSQUE Rex osculum ei pacis dare in signum veræ dilectionis, se quidem hoc libenter facturum respondit, nisi quia iratus juraverat publicè se Archi-Præsuli nunquam pacis osculum daturum, nec tamen in corde iram ullam retenturus vel rancorem. Archi-Præsul verò inter cautos cautissimus, tamquam vir multa expertus, in primo auditu, sicut & alii, in suspicionem mox incidit, & ex his, quæ cautè & optimè interloquebatur, videri poterat futurorum sibi præsagus: Nec responsum suum ad Consilium distulit, sed mox absolutè & præcisè respondit se in præsentiarum cum Rege pacem non facturum nisi secundùm Domini Papæ consilium, dato videlicèt in pacis signum, pacis osculo. Et Responsum sic absolutum cum nocte, quæ jam imminebat, colloquium diremit. Rex verò Anglorum, tota die fatigatus, cui & adhuc noctis restabat iter, inter itinerandum Archi-Præsuli sæpiùs male-dicebat, recolens in via & repetens labores & tædia, quæ jam per eum sustinuerat. Recedente quoque Archi-Præsule, accessit ad eum unus de Clericis suis dicens: *Hodie de pace Ecclesiæ tractatum est in Capella, quæ Martyrum dicitur, & credo quia per solum Martyrium Ecclesia sit pacem consecutura.* Cui Archi-

chi-Episcopus breviter sic respondit : *Utinam vel meo sanguine liberetur*.

## CAPUT XXXI.

*De Coronatione Henrici Regis junioris.*

### WILHELMUS.

REX autem Anglorum citò post supradictum colloquium in Angliam transfretavit. Imminente verò solemnitate Beati Joannis Baptistæ, sub prætextu ordinandi Regni convocatis Regni Proceribus, primogenito filio suo Regni sui commisit habenas. Et erant qui dicerent, quia successuro sibi Rex præcaverit hæredi, asseverantibus aliis, quia in odium Archi-Præsulis, & in læsionem dignitatis Ecclesiæ Cantuariensis hoc fieret. Imposuit autem ei manum Archi-Episcopus Eboracensis in Cantuariensi Diœcesi, in Ecclesia videlicèt Beati Petri apud Westmonasterium contra dignitatem Ecclesiæ Cantuariensis & antiquam consuetudinem, assistentibus sibi & suffragantibus Præsulibus Londoniensi, Saresberiensi, & Rossensi, ne jus Ecclesiæ Cantuariensis *læderetur* protestantibus, ad cujus dignitatem & jus, Regum Anglorum Coronatio ab antiquo pertinere dignoscitur. Post Coronationem celebrato convivio, Rex Regi, Pater filio dignatus est ministrare, & se Regem non esse protestari. Pœnituit dicti processu temporis & facti, didicitque rei comprobatione, non tantùm Cantuariensem Ecclesiam læsisse, quantùm in vindictam eorum, quos persecutus est, adversarium sibi ipsi de suo fœmore suscitasse.

Audiens hæc Archi-Præsul in primis vix credidit. Ipse siquidem tanquàm vir providus, & cui de suis Adversariis suspecta erant omnia, à Romano Pontifice literas impetraverat, ad Eboracensem Archi-Episcopum & alios Anglorum Episcopos ante Coronationem directas, quibus authoritate Apostolica in virtute Sanctæ obedientiæ erant inhibiti, ne in præjudicium Archi-Episcopi Cantuariensis, qui propter justitiam exulabat, Regis filio diadema imponerent. Et directas has sibi literas quidam Episcoporum ante coronationem susceperunt. Alii de mandato præmoniti recipere noluerunt. Unde & contra inhibitionem Apostolicam Coronationi interfuerunt. Sed modicùm attendere libeat, quàm prophana unctio, quàm odiosa, quàm inimica fuerit hæc consecratio. Si tamen Consecratio, magis quàm execratio dici debeat Apostolica benedictione destituta, immò in transgressione contra virum Apostolicum facta. Quæ etiam ex mero odio, ira, & indignatione processit : Odio Patris spiritualis à Patre carnali excogitata. Probant hæc lugubres, & omnibus post futuris sæculis detestandi, qui ex hac Consecratione provenerunt, eventus. Sacerdotum videlicèt suspensio & anathematizatio. Archi-Præsulis occisio, semel & iterum inter Patrem & filium rebellio, & in fine egregii illius pueri consecrati sic in adolescentia omnibus post futuris sæculis præmaturæ mortis detestanda præventio. Unde & plangendum, & exclamandum : O mors tua, Henrice, O mors, quàm dira, quàm dura ? Et quàm amara memoria tua, quæ talem & tantam mundi gloriam, dum adhuc ordiretur, incidisti ! Quàm inconsiderata, quàm inhumana, quæ cunctam, ut putabatur, mundi spem, dum adhuc fructus in flore esset tam præclaro, unà in brevi flatus tui vehementia exsufflasti ! Sit mors tua ille, qui mors mortis est, ut vel per te transeat ad vitam, qui non sibi, sed mundo sperabatur victurus. Plura quidem de actibus Henrici hujus, etsi ætas tenera, strenuis tamen, & de modo ejus exitus avita inseruissem hic, nisi quia quam scribendam suscepimus lex historiæ obviat. Igitur ad cœptum ordinem revertamur.

## CAPUT XXXII.

*De suspensione Episcoporum.*

SCIENS itaque tandem pro certo Sanctus Thomas Coronationem factam sic, per Nuncios suos, quatenus pax processerit, & in quibus finibus steterit, & de Coronatione facta, Romano Pontifici totum & verbo & scripto intimavit, humillimè & lachrymabiliter supplicans, ut vel nunc se excuteret excussorum alius, & in falsos fratres maximè insurgeret, qui tanta læsione patris sui, propter ipsos exilium & proscriptionem sustinentis, & matris suæ Cantuariensis Ecclesiæ, tam manifesti erant etiam Apostolici mandati transgressores. Vir autem Apostolicus audiens universa, quæ & qualiter fuerant gesta, & in Regem & in Episcopos vehementer motus est, & Archi-Præsuli multò plus quàm priùs paterno compassus est affectu. Sollicitavit etiam eum Rex Francorum in virtute amoris, & sub impensi protestatione obsequii, ne ulteriùs dilationes frustratorias prorogaret, sicut Regnum Francorum diligebat, & honorem Apostolicæ sedis. Miseratus etiam Anglicanæ Ecclesiæ desolationem Wilhelmus Senonensis Antistes Sedem Apostolicam petiit, & à Romano Pontifice impetravit, ut Rex Anglorum, omni appellatione cessante, subjiceretur anathemati, & Regnum interdicto, nisi Cantuariensi Ecclesiæ pax redderetur.

### HERIBERTUS.

SCRIPSIT itaque Romanus Pontifex Rothomagensi Archi-Episcopo Rotherodo, & Episcopo Nivernensi Bernardo, mandans ipsis in virtute obedientiæ, præcipiens ut Regem Anglorum pro pace Ecclesiæ districtissimè convenirent, adjiciens quòd si Rex in obstinatione perdurans adhuc pacem nollet, tota ipsius terra, tam transmarina, quàm cis-marina, sub interdicto poneretur, omni Ecclesiæ cessante officio, præter baptisma parvulorum & pœnitentias morientium. Eboracensi verò Archi-Episcopo & aliis Episcopis, qui Coronationi interfuerant, literas direxit suspensionis. Quosdam etiam Episcoporum & ob id quod Coronationi interfuerant, & ob alias causas anathematizavit. Et has suspensionis, & anathematis literas Beato Thomæ destinavit, ut illis loco suo & tempore uteretur.

*Explicit Liber secundus.*

INCI-



*INCIPIT*

# LIBER TERTIUS.

POST fidei & spei viriliter jam transcursa studia, in quibus Beatus Thomas & summæ constantiæ & eximiæ patientiæ exemplum sæculis post futuris & argumentum exhibuit, ad supereminentioris viæ, Charitatis scilicet diffusionis, sudorem attentiùs contemplandum accingamur, per cujus ad metam perventum æternæ mercedis à summo Judice in participibus suis percepit bravium. In charitatis siquidem latitudine semitarum sic direxerat Deus gressus ejus & pedes perfecerat, ut nec minis persequentium territus à Dei sui dilectione aliquatenus deviaverit, nec promissis blandientium emollitus naufragantis matris Ecclesiæ vel fratrum proximorum justis profectibus studere omiserit, quin potiùs charitatis ardore succensus & pro lege Dei sui certavit usque ad mortem, & tandem animam suam pro ovibus sibi commissis posuit. Sed hæc studioso lectori subtiliùs perscrutanda relinquentes, cœptum historiæ ordinem prosequamur. Verùm ut Passionis & Triumphi Sancti Viri veritati certior fides habeatur, in hac particula testem quintum quatuor supradictis addimus, piæ videlicèt memoriæ Benedictum, postea multa ejus probitate proveniente Abbatem sancti Petri de Burgo, qui ipsa die, qua Martyr victor occubuit, inter familiares illius familiariùs illi assistens, quæ vidit & audivit, veraci stylo testis fidelis ex ordine singula digessit.

## CAPUT I.

*De reformatione Pacis.*

IGITUR Rothomagensis Archi-Episcopus & Nivernensis Episcopus, secundùm Apostolicum Mandatum, Regem pro pace sæpè & sæpiùs convenerunt : & nisi interveniret pax, censuram Ecclesiasticam, sibi & terræ suæ imminere in brevi asserebant, Domino Papa sic præcipiente : adjicientes nec minis, nec blanditiis, nec aliquibus verborum ambagibus seu tergiversationibus, se ullatenùs audere à Romano Pontifice statutum terminum præterire, qui mandatum sibi coercitionem exequerentur, nisi pax interveniret. Videns itaque Rex rem jam in tam arcto positam, certissimè promisit pacem. Unde in quodam Regum colloquio per magnos quidem mediatores, quibus Dominus Rex Franciæ Archi-Episcopum in recessu suo commiserat, ut de pace illius tractarent, pax inter Regem & Archi-Præsulem reformata est.

Facta est pax hæc die Beatæ Mariæ Magdalenæ, in prato amœnissimo, quod, sicut post innotuit, ab incolis dicebatur ex antiquo *Pratum proditorum*. Rex verò & Archi-Præsul soli duo seorsim in equis in quandam planitiem deflexerunt, secreto colloquentes. Ubi Archi-Præsul inter alia Regi supplicavit, ut injuriam, quam sibi & suæ Ecclesiæ suffraganei sui Episcopi unà cùm Eboracensi Archi-Episcopo in coronatione filii sui fecerant, per censuram Ecclesiasticam sine ipsius offensa punire sibi liceret. Et annuit Rex. Unde Archi-Præsul gratias agens de concesso, confestim in oculis omnium se ab equo dimisit, & humiliter se ad pedes Regis inclinavit. Dum verò Archi-Præsul equum suum reascenderet, Rex ascendenti adscensorium aptavit, & tenuit, omnibus qui aderant cernentibus, & mirantibus, causamque nescientibus, donec Archi-Præsul suis secretiùs hæc retulisset.

### WILHELMUS.

ET ait Rex ad Archi Episcopum : *Optas, ut dicis, in Gallias repedare, sed arbitror expedire tibi mecum dies aliquot commorari, ut palam videatur quod nondum existimant. Sciunt omnes inimicitias nostras, pax inita paucis innotescit.* Archi-Episcopus inquit : *Ingratus non immeritò reputabor, si benefactoribus meis vel vale non fecero. Ibo & revertar.*

### HERIBERTUS.

FACTI igitur, ut videbatur, ea die Rex & Archi-Præsul amici amicabiliter tunc ab invicem recesserunt. Et post dies paucos Nuncii Archi-Episcopi cum litteris Regis sunt missi in Angliam, quibus Rex Justitiariis suis de pace facta mandavit, præcipiens ut Archi-Episcopum & suos in sua in omni pace & securitate restituerent. Decrevit tamen Archi-Episcopus, utpotè vir summæ prudentiæ, alios adhuc, priusquam ipse in Angliam intraret, Nuncios præmissis majores, & plus industrios in Angliam mittere, qui testimonio famæ cautè explorarent, qui starent pro eo, & qui contra eum : & si qua occulta molirentur adversus eum.

Sed quoniam Rex pepigerat quædam prædia de feudo Cantuariensis Ecclesiæ se redditurum, misit ad eum Archi-Præsul sanctæ recordationis magistrum Joannem Saresberiensem, postea Carnutensem Episcopum, & magistrum Heribertum de Bosaham, injungens eis ut in Angliam ob dictam causam præcederent, si tamen Rex promissam restitutionem compleret, aliàs non, sed ad ipsum maturè reverterentur. Illi autem profecti Regem in Nortmannia reperierunt, & eum data copia nomine Archi-Præsulis super dictorum promissa restitutione convenerunt. Quos cum more suo aliquamdiu distulisset audire, tandem ad instantiam eorum, ad magistrum Joannem, qui loquebatur, specialiter sermonem dirigens inquit : *O Joannes, ullatenùs vobis, quæ petitis, non faciam, nisi videro priùs aliter vos gerere erga me, quam hucusque gessistis.* Et quidem ita intelligentes se minime tunc posse perficere, infecto negotio ad Dominum suum Archi-Episcopum in Franciam reversi sunt, narrantes quid à Rege audierint. Audiens autem Archi-Episcopus plurimùm motus est, vanas & semper deceptorias hominis promissiones detestans.

## CAPUT II.

*De primo accessu Archi-Episcopi ad Regem post pacem.*

VERUM Archi-Episcopus audiens inter Regem & Nobilem virum Blesensem Comitem Theobaldum colloquium futurum in proximo, pridiè ante colloquium Turonis ad Regem processit. Audiens autem Rex Archi-Præsulis adventum, quosdam ex Aulicis in occursum præmisit, & ipse-



met

met Civitatem exiit, & occurit. At cùm convenirent, non oculi, sed vultus Regis, sicut notari poterat, erat super eum. Unde & quod multum notabant qui cum Archi-Episcopo erant, nocte illa Archi-Episcopum in hospitio suo nec Rex respexit, nec suorum aliquis. Quin potiùs summo manè Rex in capella sua celebrari missam fecit pro defunctis, suspicans, ut dicebatur, ne si fortè Archi-Præsul alii Missæ interesset, in Missa osculum pacis sibi offerret, & quod ibi negare non esset Christiani, sed planè inimici Christi. Et Missa celebrata mox Rex civitatem exiit, ad colloquium properans. Archi-Præsul pariter, sed tardiùs, & ante colloquii locum consecutus est Regem, qui inter viandum mutuò se invicem objurgantes, uterque vicissim alter alteri collata pridem beneficia, exhibita obsequia improperavit. Cùm autem venissent ad colloquium, post diem multùm decursam tandem propter quæ ad colloquium venerant, inter Regem & Comitem sedatis omnibus, Archi-Præsule etiam inter ipsos sedulo cum aliis & efficaci mediatore, tandem Archi-Præsul Regem super dictarum possessionum promissa, sed non adimpleta restitutione acriter quidem & constanter convenit. Frequenter ex obliquo assuetam Regis arguens levitatem in verbo, & usitatas deceptiones in promissis. Quid multa? Jam dicto Comite & aliis Nobilibus se interponentibus, à Rege iterùm restitutio jam sæpè dictorum certissimè repromissa est. Volebat tamen Rex ut ante restitutionem ad Ecclesiam suam revertereturArchi-Episcopus, priùs, sicut ajebat, videre desiderans, qualem se in Regno exhiberet.

Post aliquot verò dies Archi-Præsul in Castro, quod Calvus-Mons dicitur, propè Blesis Regem, qui illò tunc venerat, revisere profectus est. Non quidem ut quidquam exigeret vel repeteret, sed solùm ut Regem videret, & si posset fieri sic, antiquam familiaritatem & amicitiam, quatenùs Deus permitteret, repararet. Et quidem Rex ipsum venientem tunc honorificè minùs, ut decuit, & ut videri poterat, gratanter plurimùm & affectuosè excepit. Qui cùm familiariùs colloquerentur & jucundiùs, inter alia Rex Archi-Episcopo inquit: *O quid est, quid voluntatem meam non facis? Et certè omnia traderem in manus tuas.* Et post dies Archi-Præsul hoc Regis verbum magistro Heriberto de Bosaham retulit adjiciens: *Et cùm Rex mihi dixisset sic, recordatus sum verbi illius in Evangelio*, HÆC OMNIA TIBI DABO, SI CADENS ADORAVERIS ME. Hæc & hujusmodi de Viro hoc sanctissimo historiæ huic curavi inserere, ut quemadmodùm in plerisque rebus deprehendi Sacerdotis potuit zelus, ita & in hoc cognosci possit purum in Sacerdote fuisse ab omni cupiditatis labe affectum.

## CAPUT III.

*De præparatione Archi-Episcopi ad repatriandum.*

IN crastino verò licentiatus à Rege, à castro illo recedens Archi-Episcopus cum suis ad Civitatem peregrinationis suæ Senonis remeavit, & maturè prout adhuc pauperes & exules poterant, iter ad repatriandum maturabant. Igitur Domino Rege Francorum & Principibus terræ, qui deferente eos mundo tam benignè, tamque magnificè susceperant, salutatis, licentiati ab eis ad portum, qui dicitur Witsand, devenerunt. Archi-Præsul verò hinc, antequàm naves adscenderet, Domini Papæ literas, quæ ut supradiximus, erant de generali Episcoporum per Angliam suspensione, & quorundam anathemate, præmisit. Quorum aliqui, Rogerus Eboracensis, & Gilbertus Londoniensis, & Joselinus Saresberiensis, transfretare volentes, in ipso portu suspensionis suæ & anathematis literas susceperunt.

### WILHELMUS.

UNA verò dierum deambulans Archi-Episcopus in littore maris cum suis, dum qualitatem elementorum, sicut transfretaturis moris est, consideraret, Milonem quemdam Boloniæ Decanum advenientem prospexit. Quem tanquàm ad naulum exigendum properantem subridendo prior occupavit. Et inquit Milo: *Non ad naulum exigendum, sed ad mandatum deferendum festinamus. Hæc tibi mandat Dominus meus Comes Bolonienſis: Provide tibi. Parati sunt qui quærunt animam tuam, portus transmarinos obsidentes, ut exeuntem te à navi rapiant & trucident, vel in vincula conjiciant.* Cui Archi-Episcopus: *Crede, fili, nec si membratim decerpendus sim, ab incepto itinere desisterem. Non metus, non vis, non cruciatus de cætero revocabit ulteriùs. Sufficiat Dominicum gregem Pastoris sui absentiam luxisse septennem. Hanc verò extremam petitionem à meis obtinere votis omnibus exposco, nihil est enim quod magis hominibus debeatur, quam ut suprema voluntas, postquàm aliud velle non possint, adimpleatur, quatenus ad Ecclesiam, à qua arceor vivens, vel mortuum ferre non graventur.*

### HERIBERTUS.

DUM hæc diceret, ecce navis ab Anglia ad portum velificans: Quæ cùm citò applicuisset, quæsitum est à nautis, quid in Anglia de reditu Archi-Præsulis diceretur. Et responderunt hoc quidem fore gratum valdè & toti terræ acceptum. Verùm unus eorum scisciantibus Archi Episcopi sociis respondit inquiens: *Miseri, quid quæritis, quid agitis, quo properatis? Certè in mortem vestram. Sic dicunt qui noverunt. Convenerunt enim milites in portu, quo applicare quæritis, certè, sicut dicitur, ut in Archi-Præsulem suas, mox ut applicuerit, manus injiciant. Commota est siquidem terra, & exasperata adversùm vos, & præsertim Regis fideles, eò quòd in adventu vestro etiam commovistis & conturbastis eam anathematizando Episcopos terræ & suspendendo.*

### WILHELMUS.

CONSPIRAVERANT siquidem adversùs Archi-Episcopum vel ex aliena voluntate, vel ex propria malignitate cum prædictis Episcopis Reginaldus de Warenna, Vice-Comesque Gervasius, & Ranulphus de Broc, quem pridem anathematizaverat, & cum armata manu littus obsidebant.

### HERIBERTUS.

QUIBUS auditis cœperunt quidam dissuadere Archi-Episcopo, ne transfretare præsumeret, donec pax firmaretur certior. Quibus ipse respondit: *Terram Angliæ video, & favente Domino terram intrabo, sciens tamen certissimè, quòd mihi imminet passio.*





## CAPUT IV.

*De his quæ in ingressu in terram facta sunt.*

ANNO igitur ab Incarnatione Domini millesimo centesimo septuagesimo, exilii verò sui septimo, secundo tertiovè die in Domini adventu, gloriosus Dei amicus, & propugnator Ecclesiæ constantissimus, Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus, nocte cum suis mare intravit, & ad votum aura prospera propter insidiarum, quæ sibi, ut audierat, jam parabantur, suspicionem, non in sinu maris, qui vocatur Sandunim, prosperè applicuit. In navi verò Archi-Præsul, vexillo Crucis, quod Archi-Episcopi Cantuariensis, tanquàm totius Angliæ primates, coram se semper bajulare consueverunt, erecto, per quod navis ejus ab aliis discerni poterat, cùm ad littus appropinquaret: videres turbam pauperum, quæ venerat in occursum, hos succinctos, ut prævenirent & patrem suum applicantem acciperent & benedictionem præriperent; alios verò se humi prosternentes, ejulantes, hos plorantes, illos præ gaudio, & omnes conclamantes: *Benedictus qui venit in nomine Domini, Pater Orphanorum, & Judex Viduarum!* Verùm milites, qui in alio sinu maris eum applicaturum fore speraverant, audientes eum jam applicuisse, illuc properè accelerabant. Et vix salutato Archi-Præsule, animosè sciscitabantur, quare in primo adventu suo in terram, qui tranquillitatis deberet esse & pacis, mox, etiam necdum ingressus, Episcopos Regis excommunicasset & suspendisset: & adjicientes comminabantur mox, cùm hoc Regi innotesceret, Regis futuram turbationem non modicam: Unde jam Regnum turbatum esset & sacerdotium. Archi-Præsul verò mansuetè respondit Regem non offendendum ob id, nec se ex hoc quidquam vel contra Regem vel Regnum fecisse, sed absque Regis & Regni injuria de ipsius Regis permissione sic factum, ut ita injuria, quam sibi & Ecclesiæ suæ in Coronatione Filii Regis Episcopi fecerant, inpunita non remaneret, ne tanta usurpatio de cætero traheretur ad consequentiam. Cùm igitur milites audirent Regem de facto laudari authorem, modestiùs sunt locuti, id tamen instanter postulantes, ut Episcopos excommunicatos vel suspensos absolveret. Quod Archi-Præsul ad consilium distulit, donec in crastino Cantuariam veniret. Et ita recesserunt tunc milites.

## CAPUT V.

*Qualiter Archi-Episcopus Cantuariensis à Populo terræ & Fratribus exceptus est.*

ARCHI-PRÆSUL verò in crastino à sinu illo, quo applicuit, distante à Cantuaria circiter sex milliaria, Cantuariam proficiscens, à populo terræ tanquam hostia cœlitus missa, tanquam ipse Dei Angelus, tam gratanter quàm ovanter exceptus est. Quacumque enim transibat, turbæ pauperum, parvuli & magni, senes cum junioribus glomeratim occurrebant, alii prosternentes se in via, alii verò exuentes vestimenta sua, & prosternentes per viam, illud frequenter iterantes & conclamantes: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Sacerdotes etiam Parochiani cum Parochianis suis ordinata processione cum Crucibus transeunti obviam exierunt, & patrem suum cum gaudio salutantes, benedictionem postularunt. Diceres profectò, si videres, Dominum secundò ad passionem appropinquare, & imminente passione in pueris lactentibus & pauperibus Domino præparatum occursum, & venire iterùm moriturum in Christo Domini pro Anglicana Ecclesia Cantuariæ, qui Hierosolymis pro totius mundi salute in se ipso semel mortuus est. Cùm verò, etsi via brevis esset, inter tot turbas occurrentes & opprimentes vix ea die Cantuariam veniret, in sonitu campanarum, in organis, in Hymnis & canticis spiritualibus, à Christi pauperibus Filiis suis, sacro videlicèt Conventu suo, debita Patri devotione & reverentia susceptus est.

### WILHELMUS.

ET ingressus Monasterium toto corpore prostratus formam humilitatis exhibuit. Deinde fratres omnes, à minimo usque ad maximum, cum lachrymis in osculo pacis suscepit. Nam quia quosdam ex eis excommunicatis communicasse audierat, cùm peregrè esset, per magistrum Joannem Saresberiensem & coexulem mense uno præ se præmissum fratri Thomæ venerabili viro potestatem solvendi injunxerat, ut quod contagionis in grege Fratrum ex scabie schismaticorum contractum fuerat, antidoto reconciliationis eraderet.

### HERIBERTUS.

OMNIBUS itaque ea die in Ecclesia celebriter peractis, in Palatium se recepit, totam diem lætam ducens & solemnem.

## CAPUT VI.

*De Militibus & Clericis Episcoporum missis ad Archi-Præsulem.*

IN crastino præfati milites suum super hesterna quæstione quærentes responsum reversi sunt. Venerunt & cum eis prænominatorum trium Episcoporum Clerici, ad Archi-Episcopum missi, nomine Episcoporum absolutionem postulantes. Respondit Archi-Episcopus & illos tres & alios Episcopos authoritate Domini Papæ quosdam anathematizatos, quosdam verò suspensos, nec ipsius esse à tanto judice ligatos, nisi fortè per ipsum posse solvere. Cùm verò Clerici & milites urgentissimè instarent, consilio præhabito tandem respondit Archi-Episcopus, quòd de Domini Papæ clementia fisus pro bono pacis in hoc articulo usurparet quæ Domini Papæ erant, præstita tamen cautione canonica, quòd super quibus excommunicati erant vel suspensi, Ecclesiæ judicio parerent: alioquin se facturum hoc nullatenùs præcisè respondit. Et hi quidem & illi audientes hæc indignanter recesserunt, in recessu multa in superbia & in abusione loquentes. Inter quos Ranulphus ille de Broc linguam suam in blasphemiis exaltabat. Sed Vir Domini admodùm patiens factus est sicut homo non audiens, nec habens in ore suo redargutiones. Clerici verò revertentes Dominis suis, quæ ab Archi-Episcopo acceperant, retulerunt: &, ut dicebatur, duo Episcopi, Londoniensis videlicèt & Saresberiensis, exactam ab Archi-Episcopo cautionem præstitissent, nisi tertius ille Eboracensis obstitisset. Verè enim scriptum est: *Quia lingua tertia multos commovet.*

## CAPUT VII.

*De Eboracensi Episcopo.*

WILHELMUS.

FERTUR enim dixisse Eboracensem: *Octo millia librarum numeratæ pecuniæ, Deo gratias, adhuc apotheca nostra reservat, quæ si tanta dispendia necessitas exegerit, ex asse demolienda erit ad reprimendam contumaciam Thomæ, dissipandamque arrogantiam, quæ major est quàm fortitudo ejus. Ne quæso, fratres, Religionem vestram circumveniat. Adeamus potiùs Dominum Regem, qui usque in hodiernum diem causam, quæ inter nos & illum diutiùs vertitur, fideli patrocinio consecutus, & de cætero, nisi per nos steterit, ad consummationem expediet. Si resilieritis adhærentes ei, quem habet adversarium (nunquam enim post tantas inimicitias, & inexorabiles redintegrabitur gratia) nos de ratione tamquam transfugas judicabit. Et si districtè egerit vobiscum, de juris æquitate à vestris possessionibus vos dejiciet. Quid ergò facturi estis? Dicite, quibus in terris, inopes rerum familiarium, mendicabitis? Si verò è converso steteritis cum quo stetistis, quid ampliùs facturus est qui vos damnavit? Fecit quod potuit in vos: Sententiam per pravam suggestionem extorsit.*

## CAPUT VIII.

*De Episcopis Regem iterum contra Archi-Episcopum instigantibus.*

HERIBERTUS.

ET ILLE tertius duos sic commovit, ut confestim transfretantes Regem adirent. Quem in Nortmannia reperientes paucis diebus ante Natalem Domini, salutato eo ad pedes ejus mox se prostraverunt, pro Regno, pro Sacerdotio, & pro semetipsis Regiam clementiam & justitiam pariter interpellantes: Unam contestantes ipsum debere læsis, lædenti alteram. Querulo itaque & exacerbativo sermone mox enarrarunt, quàm præcipitanter, quàm temerè, quàm superbè Archi-Episcopus in adventus sui initio Regnum turbaverit & Sacerdotium, pace de Regia miseratione concessa sibi & suis abutens.

WILHELMUS.

ET ait Eboracensis: *Domine Rex, mihi soli mutire permittitur, duobus sociis meis his, quibus aqua & igni interdictum est, confabulari nemo potest, nisi sententia damnationis eadem qua feriuntur, & ipse colloquens involvatur, quam ingratus ille, permissæ reversionis immemor, in illos & omnes Coronationi filii tui consentientes effudit. Nunc autem patria potiùs præcavens ne de cætero proscribatur, multo comitatu equitum peditumque præeuntium & subsequentium stipatus incedit, circuiens & quærens, ut in præsidia recipiatur. Non nos, Domine Rex, usque adeò vexationes assiduè movent, non labores frangunt, non damna enormia sollicitant, quæ pro minimo ducimus, dummodò tibi Domino Regi fide servata placeamus; sed frequentes exactiones, sed officii nostri mutilata dignitas, sed famæ periclitantis diminutio. Quasi flagitium perpetraverimus, spectaculum facti sumus, reique judicamur, cùm de puritate conscientiæ non dubitemur:* Respondit Rex: *Si omnes excommunicationi subjacent Coronationi Filii mei consentientes, ego, per oculos Dei, non excludor.* Sed intulit Eboracensis: *Æquanimiter ferenda tempestas est, quàm declinare non potes, ut ex quieta mente & modestia tolerantiæ lacessitus & passus injurias videri merearis. Quod facilè fieri potest, si dissimulare potes in præsentiarum irrogata, & injuriantem, quasi securum dimittis ad tempus.*

HERIBERTUS.

POST hæc & his similia, & majora his dietim per se, & per complices suos Regem in Archi-Præsulem instigabat. Verùm qualiter & quantùm Rex commotus, imò in qualem & quantum furorem, instigantibus talibus, conversus fuerit, sequens historiæ ordo declarabit.

## CAPUT IX.

*Qualiter Archi-Episcopus prohibitus per Regem ne procederet.*

ITAQUE, ut præfati sumus, Archi-Episcopus Cantuariam veniens post paucos adventus sui dies misit ad egregium illum puerum Henricum, Regis filium, tunc Regem à suspensis Episcopis coronatum, Richardum Priorem Sancti Martini, virum satis eloquentem & industrium, posteà in sede Cantuariensi suum successorem. Qui ad Regem veniens ipsum nomine Archi-Præsulis officiosissimè salutavit, & ejus adventum in terram nunciavit, ipsum de suspensione Episcoporum, sicut injunctum fuerat, excusans & quod de permissione Regis Patris sui factum fuisset sic. Verùm puer ille Rex nec nuncium, nec verba nuncii acceptare videbatur. Et hoc quidem, ut pro certo dicebatur, non de voluntate pueri provenit, sed quia aliter pro Rege Patre non audebat, nec pro Aulicis ipsius pædagogis, quibus *Filium* suum commiserat, qui plus Patrem quàm *Filium* verebantur. Unde nuncius, nec ab his nec, ab illis in Aula benignè acceptus, in brevi reversus nihil certum Archi-Episcopo retulit.

Verùm Vir Dei constans nihilominùs se præparabat ad iter, volens alumnum puerum videre Regem, & postea Provinciam à qua tamdiu absens fuerat, circumire properans, & anhelans ad discurrendum ubiquè, ut evelleret & eradicaret quæ in absentia sua in horto Domini distortè & incompositè excreverant. Itaquè post paucos dies à Cantuaria profectus in multo comitatu Londoniam venit. Cùm verò civitati appropinquaret universa Civitas commota præ gaudio, civesque universi Archi-Præsuli occurrerunt, ipsum cum gaudio & exultatione multa suscipientes. In crastino verò cùm se præpararet ad procedendum, ecce manè Regis junioris Nuncii, de nomine Regis Archi-Præsuli inhibentes ne procederet, sed ad Ecclesiam suam reverteretur. Archi-Præsul verò tanquam spiritu fervens mox respondit se nullatenùs propter inhibitionem hanc regressurum, nisi quia tunc tam solemnis urgebat dies, videlicèt Natalis Domini, quo Ecclesiæ suæ adesse voluit. Et ita Cantuariam reversus.

Audiens itaquè sic ne procederet, inimici ejus extulerunt caput, & ipsius jam capiti minabantur. Et præsertim progenies illa viperarum, quæ dicebatur de Brocheis, turpibus & ignominiosis injuriis Archi-Episcopum & suos lacescebant. Quorum unus, Robertus dictus de Broc, Clericus, in ignominiam & contemptum Archi-Episcopi jumentum



tum quoddam, quod quædam culinæ necessaria vehebat, in via forte sibi obvium, excurtavit. Jumentum hoc mutilatum sic ante Archi-Episcopum ductum est.

## CAPUT X.

*De gestis ejus in die Natalis Domini.*

DIES verò Natalis Domini, qui ab adventu suo in Angliam vigesimus septimus erat. Archi-Præsul ascendens pulpitum sermonem fecit ad Populum, prædicens post alia in calce sermonis, quòd instaret tempus dissolutionis suæ, & in brevi se migraturum ab eis. Et quidem cùm hæc de excessu suo prædiceret, lachrymæ magis erumpebant quàm verba. Pariter & auditorum corda supra modum commota sunt & contrita, ita ut cerneres & audires per totam Ecclesiam ejulatus & lachrymarum exitus emanare, & inter se submurmurare: *Cur tam citò nos deseris, Pater, aut cui desolatos relinquis?* Tandem verò post multum sermonem & de ædificatione, & de excessu suo præhabitum, non jam plangens, non lachrymans, sed ut audiri poterat & videri, post priores gemitus tam ferus, tam indignabundus, tam ardens, tam audens nominatim & expressim in cervicosos terræ & spureos invehitur, & plerosque de Aulicis Regi Patri magis familiaribus, & præsertim Domum illam exasperantem, de qua supra tetigimus, in spiritu judicii & spiritu ardoris anathemate percussit. Et nominatim Radulphum de Broc, & illum supradictum Robertum, qui in contemptum Archi-Præsulis Jumentum mutilaverat, perpetuo anathemati tradidit.

WILHELMUS.

CUJUS verò efficaciæ fuerit in eo sententia, in præsentiarum absolvemus. Cum enim præfatus Robertus in domo sua, quam de nemoribus Archi-Episcopi pro voluntate sua passim succisis in Cantuaria construxerat, quibusdam communicantibus ei convivium fecisset, canes panem, quem manus ejus contrectaverat, recusabant, qui de manibus aliorum quidlibet projectum avidè sumebant. Mittentibus cunctis & reliquias ejus fragmentis aliorum commiscentibus ab utrisquè tamquàm tactu contaminatis visi sunt Canes abstinere.

HERIBERTUS.

PERACTIS itaque quæ ad tantam solemnitatem pertinebant, per totam reliquam diem Archi-Præsul, sicut in mensa Dei se devotum, ita post in mensa sæculi, more suo, se jucundum exhibuit, ita etiam quòd ea die, quæ sexta feria erat, & Natalis Domini dies, carnibus, sicut alii, vesceretur: eas tali die sumere, quàm abstinere religiosius judicans.

## CAPUT XI.

*De furore Regis, & Carnificum præparatione.*

VERUM ut ad id, quod supra intermisimus, revertamur. Rex, ut prædiximus, à tribus præmemoratis Episcopis, eum instigantibus, in furorem omnibus post-futuris sæculis detestandum accensus est, adeò ut flammam jam continere non valens manifestè coram omnibus de Archi-Præsule tamquam de hoste conquereretur. Et sæpè & sæpius ex ira inflammatus, in funestam vocem erumpens, omnes quos nutriverat, qui familiaritatis gratia, & beneficiorum collatione sibi obnoxii fuerant, maledixit, quòd ipsum de Sacerdote uno non vindicarent, qui ipsum & Regnum suum sic turbabat, & suis dignitatibus exauthorare & exhæredare quærebat.

WILHELMUS.

ET adjecit: *Unus homo, qui manducavit panem meum, levavit contra me calcaneum suum. Unus homo, beneficiis meis insultans, dehonestat totum genus Regium, totum sine vindice conculcat Regnum. Unus homo qui manticato jumento & claudo, primò prorupit in curiam, depulso Regum stemmate, videntibus vobis fortunæ Comitibus, triumphans exultat in solio.*

HERIBERTUS.

QUÆ sæpius in furore suo replicantem de Aulicis Concubiculariis suis quatuor milites audientes de verbis auditis dicentis votum concipiunt, certissimè arbitrantes gratissimum se in hoc Regi præstituros obsequium, si Archi-Præsulem interficerent. Et ita conspirarunt in Archi-Præsulis necem.

WILHELMUS.

QUORUM nomina hæc sunt. Primus, Reginaldus, nullius, sicut asseverabant, sceleris metuens, & ab Urso patre belluinam feritatem trahens. Secundus, Hugo de More-Villa, mortis scilicèt, vel mortium Villa. Quocumquè modo dicatur, mortis virus exprimit. Hujus uxor, ut fertur, cùm Juvenem quemdam Lithulfum nomine ardenter amaret, & ille stuprum recusaret, exquisita muliebri versutia, petiit, ut vel educto gladio coram se ludentis speciem agens, admitteret equum suum. Quod cùm faceret, propria voce exclamavit ad præeuntem virum: *Hüze of Moreville yar, yar, yar Lithulf hafet his fyoro ydraye* .................... Quod latinè sonat: *Hugo de Morevilla, cave, cave, cave, Lithulfus eduxit gladium suum.* Quamobrem juvenis innoxius, tanquam qui ad fundendum sanguinem Domini sui manum extendisset, morti addictus, & aquâ ferventi decoctus, Martyrium complevit. Qui de genimine viperarum supererant. Nunquid de tribulis uvam, aut de spina ficum colligimus? Si arbor mala fructus bonos facere non potest, teste veritate, consequens est ut ex radice mala & virosa germen innocuum non surgat. Tertius, Wilhelmus de Traci, qui quamvis in congressu militari sæpè fortiter fecerit, tamen ejus conversationis fuit, ut exigentibus peccatis ad parricidium vel aliud flagitium devolvi meruerit. Quartus Richardus de Brito, qui ob pravitatem vitæ ex Britone brutus effectus est: dumque præliatur in Ecclesia pro nomine Tyronis, notam traditionis incurrit.

## CAPUT XII.

*De adventu Carnificum in Angliam.*

HERIBERTUS.

ISTI igitur quatuor in Viri Dei necem sic conjurati, sunt profecti in Angliam. In quorum profectione hoc quasi novum, imò miraculosum contigit. Cùm enim in hyeme inter crebras aëris & maris mutationes, & diversos portuum situs mare non simul in eodem

dem portu, sed in diversis intrassent, omnes tamen eadem die applicantes, imò ferè ejusdem diei eadem hora ad locum, quem statuerant, conveniunt, ad Castellum videlicèt, quod Saltwerde dicitur, distans à Cantuaria per sex milliaria: Domino quidem, cui venti & mare obediunt, ut videri potest, sacerdotis sui, immò ipsum sacerdotem suum, quasi gratam sibi victimam accelerante sic.

### WILHELMUS.

UNDE satellites Sathanæ, cœlum terramque suo sceleri putantes arridere, proniores & animosiores effecti, in blanditiis elementorum sibi blandiebantur. Aderat Ranulfus de Broc in occursum eorum, totaque commota Regione maritima, multo milite stipatus adventabat.

### HERIBERTUS.

TOTA itaque nocte illa de nece Archi-Præsulis in Castello illo contractantes, in crastino, qui fuit quartus Natalis Domini dies, videlicèt in sanctorum Innocentium die, cum complicibus suis Cantuariam venerunt, nihil secum præter arma sua militaria & inauditam sævitiam ferentes. Alii verò cum gladiis & fustibus venerunt, occultis tamen his omnibus adhuc, ne fortè Christus Domini fugeret, & absconderet se ab eis. Qui tamen, ut rei mox probavit exitus, magis de pugna, quàm de fuga cogitabat.

## CAPUT XIII.

*Qualiter Carnifices ad Archi-Episcopum accesserint, & eum convenerint.*

### BENEDICTUS.

DIE igitur Natalis Domini quinto, sedente Archi-Præsule in thalamo suo circa horam diei undecimam, confidentibus hinc & inde Clericis & Monachis nonnullis, de negotiis & utilitatibus cum Archi-Episcopo agentibus, ecce satellites quatuor prænominati, cum patre suo Sathana à facie Domini egressi, thalamum Archi-Præsulis ingressi sunt. Salutati, ut moris est, à nonnullis in introitu considentibus, resalutatis eis, sed voce submissà, usque ad Archi-Episcopum progrediuntur. Et considentes ante pedes ejus in terra, ipsum nec suo nec Regis nomine salutantes, utpotè à quibus longè erat salus, mors & perditio propè, venenum aspidum, quod sub labiis gerebant, ut posteà impetuosiùs erumperet, per moram aliquantulam compresserunt silentio, innocentissimo Christo Domini nihilominùs tacente.

Cùm ita sub silentio, non sine considentium admiratione, modicum temporis intervallum attrivissent, Reginaldus filius Ursi, mente potiùs ursinus quàm genere, sic Sanctum affatus est: *A Domino nostro Rege de partibus transmarinis ad te directi, Regia tibi mandata deferimus. Volumus igitur scire, utrum ea malis secretiùs, an publicè dici.* At vir Dei; nec prospera mundi sperans, nec adversa reformidans, simplici & supplici voce respondit dicens: *Hoc vestro arbitrio, vestræque relinquo voluntati.* Reginaldus ait: *Secretiùs ergò dicantur, iis qui præsentes sunt interim absentatis.* Sanctus verò, nec suorum multitudine confisus, nec solitudinem veritus, omnibus suis indixit egressum. Quibus egressis & solis illis quatuor satellitibus in thalamo cum Archi-Episcopo remanentibus, accurrens ostiarius ostium patefactum dimisit, ut qui extra confederant, ad Dominum suum, Christum Domini, oculos reflectentes, tam ipsum quàm illos Dei inimicos intueri valerent. Cùmque Reginaldus prædictus Regia quædam explicuisset mandata, & vir Dei prudentissimus luce clariùs perpendisset, quòd nec pacis nec alicujus boni speciem prætenderent, recolens etiam illius Evangelici quodam præsagio futurorum, *Jesus non credebat semetipsum eis, eò quòd ipse nosset omnes*, accersito ostiario, tam Clericos suos quàm Monachos, qui fortè ibi aderant, Laicis omnibus exclusis, adesse præcepit. Quibus ingressis, ait Sanctus ad satellites: *Ecce Domini, quæ vestræ placent voluntati, potestis iis præsentibus loqui.* Reginaldus ad hæc: *Ex quo ea in publicum potiùs venire delegisti, quàm secreta teneri, & nos nihilominùs ea, tuæ super hoc satisfacientes voluntati, præsentibus publicamus.*

## CAPUT XIV.

*Explicatio Mandatorum Regis.*

MANDATUM *tibi à Domino Rege deferimus, qui in partibus commoratur transmarinis, ut ad filium suum novum Regem cismarinum pergas, facturus ei quod Domino Regi facere debes.* Sanctus ait: *Et quid est quod ei facere debeo?* Et Reginaldus: *Hoc in tuam potius debet venisse notitiam, quàm nostram.* At ille inquit: *Si illud scirem, me profectò nullatenus id ignorare dicerem. Verùm existimo me prorsus ei fecisse, quidquid ei facere debeo.* Reginaldus contra: *Nequaquam. Multa adhuc facienda, multa sunt corrigenda.* Asseverante igitur Archi-Episcopo se nescire quid erga Majestatem Regiam emendare deberet, nisi illud eorum benevolentia, quæ utiquè nulla erat, ediceret, ait Reginaldus: Cùm te rei hujus penitùs confitearis ignarum, nos tibi quid agere debeas explicabimus. *Mandat tibi Dominus Rex noster, ut ad filium suum Regem, in finibus cismarinis commorantem, quantocìùs eas, fidelitatem ei interposito juramento facturus, & quæ in Regiam peccasti Majestatem emendaturus.* Respondit Vir Domini, & ait: *Unde illi fidelitatem tactis sacrosanctis debeo confirmare? Aut in quo Majestatis Regiæ Reus effectus sum?* Satelles autem posteriori quæstionis parte, quam solvere nullatenus poterat, omissa, sic denodavit anteriorem: *De Baronia, quam de Domino meo Rege tenes, exigitur à te cum juramento confirmata fidelitas. Et de Clericis quos in terram suam adduxisti, si in terra sua remanere voluerint, securitatis juramentum nihilominùs exigitur.* Archi-Episcopus ad hæc: *De Baronia Domino meo Regi, quidquid vis aut ratio dictaverit, facere paratus sum. Verùm omni ambiguitate remota pro certo teneat, quòd nec à me, nec ab aliquo Clericorum meorum juramentum aliquod poterit extorquere. Multa super modum extorta sunt, & jam perjurii & excommunicati nimirum videntur excedere. Sed jam plurimos, Deos gratias, tam à crimine perjurii, quàm anathematis vinculo colligatos absolvi, reliquos, cùm Dominus annuerit, ab eisdem periculis ejecturus.* Reginaldus inquit: *Intelligimus quòd nihil eorum, quæ tibi proposuimus, facturus sis. Præterea præcepit Dominus Rex, ut Episcopos suos à te absque licentia sua vel excommunicatos vel suspensos tam à damnationis, quàm à silentii absolvas sententia, tam super his, quàm super aliis quæ tibi volet objicere, juri parituros.*

ET Archi-Episcopus: *Episcopos quidem nec anathematizavi, sed Dominus noster Papa, cui dignoscitur esse à Domino collata potestas. Si super his causam voluerit instaurare, inter vos & ipsum caussa versetur: Mea nihil interest super his vobis respondere.* Reginaldus dixit: *Etsi id in propria persona non feceris, per te tamen & tuo factum est instinctu.* Et Sanctus inquit: *Si Dominus Papa nimiam Ecclesiæ meæ iniquè illatam respiciens injuriam vindicaverit, fateor mihi non displicere.* Impietatis autem filius, qui huc usque institerat viribus, quibus captiosè loquens prudentissimum Agnum Dei vel in sermone caperet, vel contra Dei & Ecclesiæ, cujus propugnator erat invincibilis, honorem à statu rectitudinis averteret, cùm vidisset quia ante oculos pennati frustra rete jecisset, convitiosis eum insimulationibus aggreditur, dicens: *Hoc tibi placere manifestis probas indiciis, qui in Regiæ Majestatis dedecus atque despectum, Episcopos suos ab Episcopalibus arces, & à sanctæ Matris Ecclesiæ sequestras liminibus, eò quòd Dominum nostrum novum Regem, ad quem de jure spectat hæreditas, utpotè Regis filium, & Regii signum etiam in humero ferentem Imperii, ausi fuerint coronare. Et cùm adversùs hanc ejus exaltationem insurgens rem talem præsumpseris, credibile satis, verique simillimum, quòd Coronam suam velis surripere, & Regno invaso Rex terræ nominari & esse. Sed annuente Deo nequaquàm usque ad dignitatis Regiæ nomen proficies.* Sanctus autem non immemor sententiæ, qua dicitur, *Vir iracundus suscitat iras, sapiens autem mitigat suscitatas*: amaricato satellitis animo mitis responsi apposuit medicinam, dicens: *Nequaquàm Reginalde, nequaquàm ad Regis notam vel dignitatem adspiro, nec Coronam suam ab eo avellere cupio; tres ei potiùs vel quatuor Coronas tales, si mihi pro voluntate facultas responderet, libenter impositurus. Nec æstimo quemquam, solo Patre suo, Domino meo, Rege excepto, in Mundo qui teneriùs illum me diligat, vel plus ei boni exoptet. Et hoc ei, vita comite, si Dominus annuerit opere comprobabo. Porrò super Episcopis, quos à me vel per me suspensos asseritis vel excommunicatos, pro certo noverit vestra discretio, quidquid actum est, Regio actum consensu atquè consilio. Cùm enim in festo Beatæ Mariæ Magdalenæ, reformata inter nos pace, in pristinam gratiam me recepissem, & super injuriis & violentiis mihi meisque illatis, maximè verò super Episcopis, qui in Matris suæ Cantuariensis Ecclesiæ despectum, quod mei erat officii usurpare non timuerunt, querimoniam apud ipsum deposuissem, ille sua gratia ut à Domino Papa juris & æqui vindictam, qualemcumquè possem impetrare concessit, adeò ut non solùm ad consensum inclinari, sed etiam spondere mihi dignaretur auxilium.* Exclamans autem Reginaldus, tam facetæ curialitatis vacuus, quàm furore plenus, inquit: *Audi, quid est tu dicis? Inexemplificata & inaudita proditio: Si Dominus Rex Episcopos suos excommunicandi vel suspendendi tibi contulisset licentiam, qui præcepto suo Filii sui Coronationi interfuere. Porrò nunquam ei in mentem venit. Te verò immensi mali noveris authorem, qui Dominum nostrum Regem tali proditione insimulas.* Archi-Episcopus inquit: *Reginalde, Reginalde, nequaquam Regem proditionis accuso. Veruntamen reformata inter nos concordia, & habitæ inter nos conventiones nequaquam ita latenter factæ sunt, quoniam Atchi-Episcopi, Episcopi, viri multi sublimes, viri valdè religiosi quingenti, etiam & eò ampliùs milites eis interfuerint, easque audierint. Sed & tu ipse, Domine Reginalde, interfuisti.* Respondit veritatis inimicus, & dixit: *Verè neque ibi præsens adfui, nec hæc vidi, vel audivi.* Sanctus autem, utpotè tam in verbo quàm in voce temperatissimus, suppliciter & simpliciter affirmans ait: *Imò Deus scit. Certus sum enim, quia te viderim ibi.* At ille rursus, quòd ibi non fuisset pejerando; seque pejerando inficiatus ait: *Mirum est & inauditum, quòd Domino nostro Regi tantæ proditionis notam imponis. Nec hoc poterit de te ullatenus sustinere. Nec nos, qui homines ejus sumus fideles, ulteriùs sustinebimus.* Exclamaverunt autem tunc & alii milites, in minas easdem prorumpentes. Per plagas Dei iterum atquè iterum jurantes, quòd eum supra modum sustinuissent. Turbati sunt igitur insipientes corde, & iniquitatem in excelso locuti: Convitia convitiis, minas minis accumulant. Vir autem Domini qui non solùm minis & convitiis venerat affligi, sed & caput gladiis pro tuenda libertate Ecclesiæ libenter exponere, juxta illud Ethici, *Dum furor in cursu est, currenti cede furori*, mitiùs respondit dicens: *Ex quo in fines istos cum Dei Regisque plenaria pace per ipsius conductum deveni, multas satis comminationes, multa opprobria, multa damna sustinui: Verbi gratia, de hominibus meis captis, & rebus eorum violenter ablatis; de equis meis, quos Robertus de Broc mutilavit cauda; de vinis meis, quæ Ranulphus de Broc violenter detinuit, quæ etiam Dominus Rex per medium terræ transmarinæ deduci fecit in Angliam. Aliis etiam injuriis & opprobriis multis affectus sum, cùm Dominus noster Rex filio suo Regi tam per Brevia, quàm Nunciorum viva voce mandaverit atquè præceperit mihi meisque firmam pacem haberi. Et super omnia hæc mihi comminari venistis. Noveritis quia talia valdè molestè fero.*

Reginaldus ad hæc: *Si quis aliquid forte præsumpserit, quod in tuam videbatur redundare injuriam, quare non illud exposuisti? Et quidquid jus dictaret, autratio, reportasses.* Archi-Episcopus inquit: *Apud quem querelam meam deponerem?* Et satelles: *Apud Regem cismarinum.* Archi-Episcopus inquit: *Amice, satis conquestus sum, satis illatas mihi injurias exposui, satis ad satisfactionem impetrandam incassum laboravi. Præterea tot mihi in dies cumulantur injuriæ, tot & tam tædiosis malis affligor, tot in auribus meis tam diebus quàm noctibus pauperum meorum hominum resonant querimoniæ, quòd ad singulas necessitates singulos nequeam Nuncios invenire. Sed injurias meas quamvis exposuero, juris mihi & rationis beneficium denegabitur. Rex enim Cismarinus, ejusque justitiæ, ex Domini Regis in finibus transmarinis commorantis pendentes consilio, nihil eò faciunt inconsulto: Mihi juris & æquitatis, meis transfretandi & Regem adeundi copia denegatur. Unde & malè nìmis mecum agitur. Verùm ex quo nec hinc nec illinc recti quidquàm seu justitiæ invenio, ego qualem potest & debet Archi-Episcopus exercebo, pro nullo mortalium id dimissurus.* Ad hanc vocem unus illorum exclamavit: *Minæ, minæ. Etiamnè totam terram Interdicti subjicies, & nos omnes excommunicabis?* Et alius: *Sic mihi Deus sit propitius, nequaquàm id efficiet. Multos supra modum in anathematis vincula conjecit.* Illis igitur exilientibus, & iræ & convitiis fræna laxantibus, chyrothecas contorquentibus, brachia furiosè jactantibus, & tam gestibus corporum, quàm vehementia clamorum manifesta insaniæ indicia dantibus Archi-Episcopus etiam surrexit. Jam verò præ nimietate tumultus & confusione nemo facilè noverat discernere, quæ verborum venena quisque illorum in Christum Domini spargeret.

Tandem verò Filii Belial ad Monachos, qui fortè ade-

tè aderant, conversi, his eos verbis in proprium & totius Patriæ Patrem armare, cassolicèt labore, conati sunt: *Ex parte Domini Regis præcipimus vobis, ut hunc hominem ne quoquàm divertat, diligenter custodiatis, rursus illum Regi, cùm ei placitum fuerit, repræsentaturi*. Cùm denique sermonem iterum iterumque replicantibus respondit pius Pater pro Filiis: *Quid est hoc? Nunquid me fuga labi velle putatis? Nec pro Rege, nec pro aliquo viventium fugam inibo. Non veni ut fugerem, sed ut grassantium rabiem, & impiorum malitiam exspectem*. Satellites inquiunt: *Verè, verè, volente Deo, non effugies*. Nec administraverat verbum istud viro Sanctissimo in Regis despectum inflata superbia, sed in virtutis exemplum fundata in Christo perfecta constantia: illis itaque intumultu maximo & contumeliis egredientibus, plurimùmque comminantibus, secutus est eos Archi-Episcopus usque ad ostium thalami, Hugonem de Morevilla, qui cæteris sicut nobilitate generis, ita & virtute rationis debebat præeminere, ut secum reversus loqueretur, inclamans. Verùm illo, reliquisque, utpote qui jam seipsos præ furore capere non poterant, cum superbia & indignatione abeuntibus, reversus vir Domini recedit, & de hujusmodi Regis Mandatis, ac satellitum contumeliosis verbis coram suis conquestus est. Unus autem Clericorum suorum, videlicèt Magister Joannes Saresberiæ, vir literarum multarum, eloquentiæ magnæ, profundique consilii, & quod his majus est, in Dei timore & amore fundatus, conquerenti tale dedit responsum: *Domine, res nimis admirabilis est, quòd nullius admittis consilium. Et quæ necessitas fuit excellentiæ viro ad ampliorem malignorum illorum exacerbationem surgere, & post eos ad ostium usque procedere? Nonnè satius esset, communicato cum his, qui præsentes sunt consilio, mitius eis dedisse responsum, qui tibi quidquid possunt machinantur mali, & ut te ad iracundiam provocatum in sermone saltem capiant*. Sanctus autem, qui pro justitia & libertate Ecclesiæ ad mortis angustias, tanquàm ad quietis delicias suspirabat, inquit: *Consilium jam totum acceptum est. Novi satis quid agere debeam*. Et Magister Joannes: *Utinam, annuente Deo, bonum sit*.

## CAPUT XV.

*Quomodò milites se armaverint.*

EGRESSI igitur milites prophani, & ad socios & complices suos in Curiam accelerantes, & se velociùs armantes, reversi sunt in loricis, cum gladiis & securibus, arcubus & sagittis, & bis acutis, & cæteris instrumentis, vel ad feras & ostia demolienda, vel ad excogitatum flagitium mancipandum effectui. Præcurrentes verò aliqui ad Archi-Episcopum clamabant: *Domine, Domine, armant se*. At ille: *Quæ cura? finite armare*. Erat in detestanda illorum societate perditionis ille Filius Robertus de Broc, quem propter scelerum suorum enormitatem die natalis Domini anathematizatum, à communione fidelium prosciderat, qui introitus & exitus Curiæ noverat universos, utpotè qui dum exularet Archi-Episcopus, sub Domino suo Ranulpho de Broc totius Archi-Episcopatus habuerat custodiam. Dum igitur ostium Aulæ occupare festinarent, præcaventibus famulis exclusi sunt. Cùmque ostio clauso & objectis obicibus, prorsus eis denegatus esset introitus, ducatu præfati Roberti ad gradus quosdam secretiores, per quos de thalamo exteriori in pomerium erat descensus, quantociùs diverterunt, proximaque fenestra demolita, etiam ostium reserarunt. Cùmque fortissimo Dei athletæ à præcurrentibus famulis undique acclamatum esset ut fugeret, ille cui nihil vilius erat quàm mortem timere pro Christo, nec loco nec animo motus est. Instantibus etiam tam Clericis quàm Monachis, & oppidò illum ad fugam hortantibus, nihilominùs sedebat intrepidus, nesciens cum his, qui ad tempus credunt, in tempore tentationis recedere. Monachi verò, qui fortè pauci aderant, seram ostii, quod Ecclesiam per Claustrum ducebat, confungentes, Patrem suum, licèt invitum, educere satagebant, honestiorem ei discedendi caussam proponentes, horam videlicèt esse, qua eum in Ecclesia vespertinas laudes oporteret exsolvere. Tunc Sanctus, Dominicum illud præceptum etiam ad litteram non immemor observare, *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat Crucem suam, & sequatur me*, Crucem præferri sibi præcepit. Egressus autem cùm à commeantibus accelerare cogeretur, quasi fugam erubescens gradum fixit. Instantibus autem nihilominùs Monachis, & ut procederet oppidò compellentibus, sive quia irreverentiùs solitò, sive ut suos confirmaret & consolaretur, hæc eis verba sæpiùs replicabat: *Quid est hoc, Domini, quid formidatis?* Cùmque ad ostium Claustri appropinquassent, & nec illud confringere possent, nec clavem præ manibus haberent, ecce Cellerarii duo Cantuariensis Ecclesiæ, Richardus & Wilhelmus, qui audito tumultu & collisione armorum per viam Claustri, illi præparabant ostium, idem avulsa sera venienti Archi-Episcopo patefecerunt.

WILHELMUS.

PRÆCURRERANT jam per medium fratrum vesperas cantantium duo pueri, plus furore quàm voce hostilem invasionem nunciantes.

## CAPUT XVI.

*De ingressu Archi-Episcopi in Ecclesiam.*

AUDITO igitur Armatorum superventu, quidam ex fratribus ad Orationem adhuc persistebant, quidam timentes diverticula petebant. Quibusdam verò subvenire volentibus, exivit quidam ex fratribus dicens: *Ingredere, Pater ingredere, mane nobiscum, ut si necesse est unà compatiamur & glorificemur. Exanimatos absentia tua præsentia consoletur*. Respondit: *Ite Divinæ servitutis pensum implete*. Et subsistens ad ostium inquit: *Quamdiu timebitis interitum, non introibo*. Cedentibus illis ingressus Monasterium substitit in limine, repellensque populares circa se quasi ad spectaculum constipatos, inquit: Quidnam metuit gens ista? Responsum est: Armatos in Claustro. Ad ipsos ait: *Exeo*. Prohibentibus autem Fratribus eum exire, cœpit circa limen observari, & cùm procedere moneretur, & ad sancta sanctorum se conferre, ut deferretur ei ex reverentia loci, non acquievit. Tumultuantibus intereà Clericis quibusdam fratribus, vestem ferreum obducentibus inquit: *Abite pusillanimes, sine miseros & cæcos delirare. Præcipimus in virtute obedientiæ, ne ostium claudatis. Non enim decet Ecclesiam incastellare*. Omissis igitur vesperis occurrunt quidam Monachorum, Pastoremque suum, licèt renitentem, introducentes, clausis Ecclesiæ valvis hostes festinant excludere. Regressus autem Pater sanctus quantocius increpabat eos dicens: *Dimittite meos intrare*. Et occurrens ostium aperuit, & hos & illos à valvis removens, suos qui deforis luporum morsibus relicti fuerant, sacratissimis manibus suis trahebat in Ecclesiam, dicens: *Introite, introite citiùs*. Ut dicere posset cum Domino: *Quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam*. Tandem verò filiorum suorum instantia violenter indè abstractus, hostibus jam propè positis ostia patefacta reliquit, ne impedimento illorum interim ejus impediretur Martyrium, quo se scierat & prædixerat futurum esse beatum. In finibus enim transmarinis adhuc positus duobus Abbatibus, Pontiniaci scilicèt & Vallis-lucentis, sicut præscipisimus, passurum se esse Martyrium, & in Ecclesia occidendum manifestè prædixerat. Utrique etiam prædixerat in Angliam se esse iturum, non tam propter Domini Papæ præceptum, quàm propter Martyrii sui revelationem.



## CAPUT XVII.

*De ingressu Carnificum.*

WILHELMUS.

VALVIS igitur apertis ecce lictores perscrutato Palatio Ecclesiæ conglobati per Claustra ruunt. Ex quibus tres in lævis secures, unus bis acutam deferebat, omnes verò in dextris gladios acutos vibrabant.

BENEDICTUS.

ET cùm vir Domini illam mortis horam satis declinasse potuisset, si vellet, intrantibus Monasterium prædictis satellitibus, & aliis, *Ubi est ille proditor*, aliis, *Ubi est Archi-Episcopus*, vociferantibus, sciens Sanctus in spiritu omnia, quæ ventura erant super eum, occurrit eis è gradibus, quorum aliquos jam conscenderant, vultu intrepido dicens: *Ecce ego, non proditor, sed Archi-Episcopus*. Dominum videlicèt imitatus, qui quærentibus se Judæis processit obviam, dicens: *Ego sum*. Accedens autem primus illorum dixit Sancto: *Fuge, Mortuus es*. Ait Sanctus: *Nequaquàm fugiam*. Sacrilegus autem satelles manu in eum conjecta, pileumque mucrone dejiciens, inquit: *Veni huc, captus es*. Sanctus ait: *Non veniam. Hic mihi facietis quæ facere vultis*. Palliique sui laciniam de manu ejus excussit.

WILHELMUS.

QUIBUS Verbis sicarius repercussus duos vel tres passus resiluit, similis factus illis, qui in passione Domini, Domino dicente, *Ego sum*, abierunt retrò & ceciderunt in faciem suam.

BENEDICTUS.

Et ad alterum loricatum, quem gladio nudato appropinquare videbat, conversus dicit: *Quid est Reginalde? Multa tibi contuli beneficia. Et ad me in Ecclesiam armatus accedis?* Nonne his verbis videbatur imitator Christi Christum exprimere Judæis dicentem: *Tamquàm ad latronem existis cum gladiis & fustibus comprehendere me*. Cui satelles spiritu furoris plenus inquit: *Jam scies. Mortuus es*.

JOANNES.

IMPOSSIBILE *est enim, ut ampliùs vivas*. Respondit Archi-Episcopus non minori constantia verbi quàm animi, quodque omnium Martyrum pace dixerim, nullo videtur isto constantior fuisse: *Et ego pro Deo meo paratus sum mori, & pro assertione justitiæ, & Ecclesiæ libertate. Quod si Caput meum quæritis, prohibeo ex parte Omnipotentis Dei, & sub anathemate, ne alicui sive Monacho, sive Clerico, sive Laico, majori vel minori, in aliquo noceatis, sed sint immunes à pœna sicut exstiterunt à causa. Non enim illis, sed mihi imputandum est, siqui eorum laborantis Ecclesiæ caussam susceperunt. Mortem libenter amplector, dummodò Ecclesia in effusione mei sanguinis pacem consequatur & libertatem*. Quis isto constantior, quis in charitate ferventior? Qui dum pro lege Dei sui persecutoribus se offerebat, in id solum sollicitus fuit, ne commissi sibi gregis in aliquo detrimentum pateretur. Christi nihilominùs & in hoc imitator effectus, dicentis: *Si me quæritis, sinite hos abire*.

HERIBERTUS.

ALTERUM etiam militem, qui priùs propinquaverat, manu mox apprehendens per loricam tam validè excussit, quod ipsum ferè ad pavimentum usque prostravit. Wilhelmus de Traci erat, sicut ipsemet posteà de se confessus est.

## CAPUT XVIII.

*De Martyrio, & Martyrii modo.*

JOANNES.

VIDENS verò Vir Dei mortem sibi jam imminere in modum orantis inclinavit caput, hæc novissima proferens verba: *Deo, & Beatæ Mariæ, & sanctis hujus Ecclesiæ Patronis, & Beato Martyri Dionysio commendo me ipsum, & Ecclesiæ caussam*.

WILHELMUS.

ACCELERANS igitur Ursides de primo ictu referre trophæum, & de festina proditione sua lucrum, prosiliit, & toto conamine suo capiti protenso vulnus inferre nitens, Clerici cujusdam brachio gladio grave vulnus inflixit.

HERIBERTUS.

CUJUS memoria ut in benedictione sit, nomen hic intercedimus, dictus videlicèt Eduardus Grim, Castello illo in Anglia, quod dicitur Cauthebruge, oriundus, & quidem adolescenti similis, qui secutus Dominum reliquit sindonem, sed eo longè dissimilis, quòd non fugit, immò quòd fortiùs, quòd fiducialiùs se exposuit, & inchoatæ jam immolationis primus primum principium habuit. Veruntamen cùm se cœsura sentiret, & pondus ictus sustinere non posset, confestim brachium suum retraxit. Et reliquum ictus in se Pontificis caput recepit. Et jam sacer ille sanguis cœpit emanare per faciem.

WILHELMUS.

HIC autem qui percusserat, exclamavit tanquàm de victo hoste triumphans. *Percute, percute*. Protinus quidam stantes adhuc ad orationem dispersi sunt, secundùm illud Evangelicum: *Percutiam Pastorem, & dispergentur oves gregis*. Non enim levem omnibus timorem Dominus incussit, sed magnum, & qui posset cadere in quemvis etiam constantissimum. Timens autem Clericus ille post vulnus vulnera;

post

post gravia graviora, ad altare proximum divertit, quò plures ex fratribus vitæ metuentes confugerant, nescientes à quo percussus fuerat. Sed de authore vulneris conjicimus, id est, suspicamur, quia Wilhelmus de Traci Cooperatoribus suis apud Castrum Salwerde, quantùm quisque sævisset in Martyrem referentibus, sceleusque suum jactantibus, dixerit se etiam brachium Joannis Saresberiensis præcidisse. Sed & unus de fratribus, circa Patrem, studio compassionis obversatur, ictum pertulit. Verùm oratio boni Pastoris obtinuit, ut grege non diminuto, ipse solus occumberet. Unde plano gladii percussus caput attonitum reportavit.

HERIBERTUS.

SENTIENS itaque Sacerdos ille altissimus, se ipsum Altissimo immolans, immolationem jam inchoatam, tam aquiloni regionis corpore, quàm vero aquiloni mente oppositus, attollens in Cœlum oculos, genuflexo, & orantis modo, junctis ante manibus, in templo ante Altare, obtulit se ipsum hostiam vivam Deo.

BENEDICTUS.

ET inclinato capite secundi vulneris præstolabatur adventum. Secundo verò vulnere capiti ejus inflicto, recto corpore quasi ad orationem prostratus in terram corruit. Tertius autem plurimam testæ portionem amputando vulnus præcedens horribiliter ampliavit. Quartus autem ab uno eorum quòd se ne tardaret correptus, in idem vulnus in manu gladium vibravit, gladioque in pavimento marmoreo confracto, tam cuspidem, quàm gladii sui capulum reliquit Ecclesiæ. Satisque veritati congruum esse videretur, quòd non nihil res ista protenderit. Quid enim gladii Adversariorum confractio, nisi potestatis adversæ dejectionem veram, & triumphalem per sanguinem Martyris, Ecclesiæ signare videntur victoriam? Nec sufficere videbatur eidem filio sathanæ in Dei Sacerdotem tantum perpetrasse flagitium, nisi etiam, quod dictu horribile est, injecto in sanctissimum caput ejus gladio, defuncto cerebrum ejiceret, & per pavimentum crudelissimè spargeret, sceleris ejusdem participibus clamans: *Mortuus est, quantocius eamus hinc*. Unde timuisse illos conjici potest, ne supervenientes aliqui de sancti Martyris Militibus vel famulis Domini sui sanguinem vindicarent. Unde exeuntes de Monasterio, sicut in prælio fieri solet, in victoriæ signum clamabant; *Regales milites, Regales*. Alii autem insultabant dicentes: *Voluit esse Rex. Voluit esse plusquàm Rex. Modò sit Rex, modò sit Rex*. Et in hoc similes illis, qui Domino in Cruce pendenti insultabant. Prætereuntesque capita sua moventes, & inter cætera dicentes: *Dixit enim, quia filius Dei sum*.

HERIBERTUS.

NECDUM satiabatur impietas. Nam illis quatuor cum profana cohorte sua Ecclesiam vix egressis, unus de Cohorte admirans si jam obiisset, revertens accessit propiùs, qui ut certissimè nunciaret mortuum, qui tamen jam mortuus erat, nimis hostiliter funus infestans vacuo vertici mucronem infixit. Ut dicebatur, de præfata illa viperarum progenie Robertus de Broc hic erat. Ecce Robertus Longinus hic alter, nisi quia certè Longinus ille ab isto justificatus est. Ille quippè Ethnicus latus Domini aperuit, iste verò Christianus Christi Domini capiti gladium infixit. Illis etiam in immanitate sceleris longè supereminens, qui Christi crura, quem jam obiisse viderant, non fregerunt. In omnibus autem, quæ invictissimus Dei athleta, & admirandæ constantiæ Martyr sustinuerat, ab hora qua vulnus primum suscepit, nec verbum protulit, nec clamorem emisit, nec gemitum edidit. Et quod maximè omni carni mirandum est, utpotè carnis naturæ prorsus contrarium, non manum aut vestem opposuit ferienti, sed caput, quod inclinatum gladiis opposuerat, donec consumaretur, tenuit immobile, tam denique, ut prædictum est, recto corpore in terram quasi ad orationem prostratus, non pedem movit aut manum. Et sic Dei athleta quarto Kalendas Januarii à sæculo migrans Cœlos victor introivit. Sed & hoc admiratione dignissimum, quòd non ei diversa vulnera inflixere, sed unum idemque vulnus ampliando coronam ejus, quæ magnæ amplitudinis erat, sicut visa fuit, ferè absciderunt. Et Martyris quidem consummatio sic erat.

## CAPUT XIX.

*Altior Consideratio Martyrii & argumentum.*

JOANNES.

IN tanto verò Divinæ dispensationis munere, hoc silendum non est, quod ad Dei & Martyris sui gloriam universi mirantur, quia sic omnes circumstantiæ concurrerunt in agone Pontificis, ut patientis titulum perpetuò illustrarent, & persequentium revelarent impietatem, & nomen sempiterno macularent opprobrio. Si enim personas hic inde intueri & metiri placuerit, occurrit hinc Religiosus Archi-Episcopus, Britannorum Primas, Sedis Apostolicæ legatus, judex incorruptissimus utpotè nec personarum acceptor nec munerum, assertor Ecclesiasticæ libertatis, & quasi turris erecta in Hierusalem contra faciem Damasci, malleus impiorum, sed pauperum & mœrentium consolator. Viderit qui voluerit, quis è regione procedat. Et si causa Martyrem facit, quod nulli sapienti venit in dubium, quid justius, quid sanctius caussa ejus, qui opes & omnem Mundi gloriam, & amicorum & totius cognationis affectionem pro Christi amore contemnens, exilium subiit, se & suos omnes periculo exposuit & paupertati, & evacuandis abusionibus veterum Tyrannorum certavit usque ad mortem, nec in aliqua obligatione, postquàm semel lapsus evasit insidiantium dolo induci potuit ut aliquid eorum, quæ exigebantur ab ipso, permitteret, quin in omnibus adjiceret honorem Dei & honestatem Ecclesiasticam salvam fore? Nec ad modicum, & quasi ad horam credens, & in articulo tentationis recedens, adversa perpessus est, sed exilium & acerbam proscriptionem in annum septimum protelavit, tanta quidem virtute constantiæ regia via incedens, & Apostolorum Christi vestigia sequens, ut invictus ejus animus nec fortunæ sævientis impetu frangi posset, nec blanditiis emolliri. Sed & ubi immolatus sit, advertite. Certè in Ecclesia, quæ caput Regni est, & aliarum omnium Mater in Christo: Coram Altari inter Consacerdotes & manus Religiosorum, quos armatorum carnificum tumultus fecerat ad stupendum & miserabile spectaculum convenire. Qui ergò seipsum à multo tempore exhibuerat hostiam vivam, sanctam, Deo placentem, qui carnen suam in orationibus & vigiliis, jejuniis & asperioris usu cilicii conviciis & concupiscentiis crucifixerat, qui dorsum, quod soli familiares ejus noverant, tamquàm Christi puerulus exponere consueverat ad flagella, qui Christi corpus & sanguinem solitus erat offerre in Altari, coram Altari prostratus effusum manibus impiorum obtulit proprium. Cui unquàm Martyrii titulus existit gloriosior?



BENEDICTUS.

CUM enim singuli Martyrum singulas caussas agentes singulare ob salutem propriam certamen inierint, iste universalis Ecclesiæ caussa suscepta contra Principes & Tyrannos, contra Ecclesiæ sanctæ Mercenarios potiùs quam Pastores decertans, ut eam evinceret, satellitibus de corpore suo triumphum reportare permisit. Illos alterius sectæ homines, istum Christi-colæ & filii proprii peremerunt.

JOANNES.

NEC licuit Ministris sathanæ in immolatione Ministri & Servi, quod præambulis eorum in crucifixione Magistri & Domini. Christus enim, ne fædaretur civitas, ne polluereturSabbatum è Judicio licèt iniquo prædamnatus, qualemcumque allegandi pro se acceperat facultatem, & ab urbe eductus extra portam crucifixus est, ministerio utique Gentilium, qui Deum non noverant, & authoritate publicæ potestatis, his eum deferentibus quorum legem visus est impugnare, Discipulo, filio perditionis, proditionis perfidiam procurante. At iste non modò in Urbe, sed intra Ecclesiam: Non tempore prophano, sed die, quem Nativitatis Dominicæ solemnitas consecrabat. Et omni jure decuit ut Natalis ejus qui innocenter & sanctissimè vixerat, natalem Sanctorum innocentium sequeretur. Et quidem, ut creditur, necem ipsius Traditores procuravere Discipuli, Sacerdotum Principes formaverunt, tantò in malitia Annam & Caipham, Pilatum & Herodem ampliùs præcedentes, quantò diligentiùs præcaverunt, ne in Judicium traheretur, ne conveniretur ab Apparitoribus, ne appareret ante faciem Præsidis, ne privilegio Sacri loci vel temporis, aut dignitatis, aut gradùs, aut reformatæ pacis & datæ securitatis conditione sacrilegas manus evaderet, non Gentilium, non hostium, sed eorum qui legem Dei profitebantur & amicorum fidem. Sanè mira Dei, cuncta sapienter & salubriter ordinantis, dispositione contingit, quòd qui hæc tam malè, tam impudenter permisit fieri, eadem non est passus abscondi, ut hic etiam temporaliter impleatur quod veritas protulit: *Nihil occultum, quod non reveletur*. Nam quod de signifero Proditorùm Juda sermone celebri vulgatum est, pari jure trahendum est ad Complices suos, eò quod de similibus rebus idem constet esse judicium, ut Christianis omnibus ex fide liqueat, quòd Cœli revelabunt iniquitatem ipsorum, & adversùs eos terra consurget. Quis autem fidelium audeat dubitare, quòd Deus authores & perpetratores tanti sacrilegii aut converteret aut contereret?

## CAPUT XX.

*De spoliis & vestimentis, quæ partiti sunt Milites inter se.*

BENEDICTUS.

INIQUITATIS igitur Operarii, non minùs cupiditatis siti laborantes, quàm sanguinis innocentis effusione inebriati, ad palatium Archi-Episcopi cum complicibus suis quantocius récurrerunt. Et aliis à stabulo equos violenter extrahentibus, aliis famulos illius cædentibus, aliis resolventibus omnem domus supellectilem & clitellas, & scrinia demolientibus, quidcumque auri vel argenti, vestium aut variorum ornamentorum inventum est, inter se pro voluntate propria diviserunt. Sic enim Divinæ placuit pietati, potenter & sapienter disponenti omnia, ut eorum, qui Christi vestimenta partiti sunt, imitatores effecti passionem servi passioni Domini pleniùs assimilarent: Quatenus manifesta rerum similitudine cunctis innotesceret fidelibus, ita eripiendam esse Ecclesiam per sanguinem Martyris à servitute Mundi, sicut per mortem Christi redempta est à potestate Diaboli. Porrò scripta omnia & privilegia, quæ malitiosi illi reperérunt, filio perditionis Ranulpho de Broc tradita sunt, ad Regem in Nortmanniam transferenda. Ut ea videlicet, quæ Regni sui; Consuetudinibus viderentur adversari, & vel universalis Ecclesiæ libertati vel Cantuariensis Ecclesiæ patrocinari dignitatibus, pro libitu suo aut comminueret, aut nunquàm videnda recluderet. Et milites quidem hæc fecerunt.

HERIBERTUS.

SED cum inter alia duo invenissent cilicia, quæ quasi quædam vestium imitatoria Athleta Christi super nudo induere consueverat, non sunt partiti illa inter se, sed nec sortiti, cujus essent, sed illa tamquam vilia & sibi inofficiosa abjecerunt: Admodum tamen jam consternati & stupefacti, quòd tam grande, tam evidens obumbrare religionis cernerent argumentum. Unde & mox plerique de cohorte, cum Centurione illo Evangelico, tacitè tamen præ timore, loquebantur sibi: *Verè homo iste justus erat*. Et percutientes pectora sua revertebantur. Unus verò Carnificum Militum, pœnitens quòd egisset sic, Diœcesano Episcopo suo confitens secretiùs revelavit, quòd cùm ipsi priùs ardenti animo & quasi cum quodam accidenti tripudio ad Sancti viri accelerarent occisionem, mox peracto flagitio in recessu suo quasi tremulis jam & tremebundis videbatur singulis, quibus incedebant, passibus terra quasi aperta, & quasi parata ad ipsos vivos absorbendum. Episcopus, cui facta est confessio hæc, bonæ memoriæ Bartholomæus Exoniensis Episcopus erat; miles verò carnifex & confessus jam supra nominatus Wilhelmus de Traci erat.

## CAPUT XXI.

*De concursu Populorum ad Ecclesiam post Martyrium.*

AUDITA igitur mox per totam civitatem illa prius inaudita tam prophana facti novitate, omnes consternati & commoti sunt, pectora sua tundentes, & manus super genua, & manum ad manum præ stupore & dolore ferientes, & Patrem suum & Patronum quærentes ad Ecclesiam concurrerunt. Sed ut omittamus divites, jam arescentes præ timore, & prementes, soli pauperes accelerarunt ad summi Imperatoris militem trucidatum sic, utpotè qui dum militaret adhuc, pauperum fuerat sustentamentum, pater Orphanorum, pupillorum adjutor, judex viduarum, & mærentium consolator. Soli tales mox ad Ecclesiam concurrerunt, & sanctum illud corpus, quod super pavimentum adhuc jacebat exanime, devotè adoraverunt, & cum summa reverentia manus deosculabantur & pedes. Demùm verò circa noctem, erat quippe vespera cum opus illud tenebrarum ageretur, testa capitis cum corona unctionis, quæ in modum disci dependebat à capite, per cutis modicum fronti hærens, adhuc capiti resolidatur, & coaptatur ut potuit: Et sicut jacebat super pavimentum non exutum, ad illius corporis Sancti Monachi feretrum imponentes, in choro ante Altare majus pernoctare fecerunt, ipsis nihilominùs in luctu & lachrymis ibidem pernoctantibus.

### BENEDICTUS.

ELEVATO autem sancto corpore de terra, ut in figura ostenderet, quia malis malleus esset futurus, & quia quocumque præterquam ad pœnitentiam diverterent, nequaquam ultionis ejus sententiam possent evadere, inventa sunt sub eo malleolus ferreus & bisacuta à Parricidis illis derelicta, quæ corruens, quasi vindicata sibi in illos potestate, occupaverat. Et cum cruor adinstar diadematis, forsitan in signum Sanctitatis, capiti circumfusus jacuisset, facies tamen à cruore prorsus immunis apparuit, excepto tantùm quodam gracili, qui à dextra frontis parte in faciem sinistram per transversum nasi descenderat. Cum quo etiam signo multis postea nihil inde prorsùs scientibus per visionem apparuit, qui non aliter illud referendo descripserunt, quam si corporeis id oculis inspexissent. Jacente adhuc pavimento in sanguine alii oculos suos liniebant, alii vasculis allatis, quam poterant, partem surripiebant, alii certatim præcisas vestes intingebant. Nec sibi quisquàm posteà visus est satis fuisse beatus, qui non de pretioso illo thesauro quantulamcumque reportasset portionem. Et quidem conturbatis & confusis omnibus, licuit singulis quidquid libuit. Pars autem cruoris, quam Ecclesiæ dimiserant, in vas mundissimum mundissimè collecta in Ecclesia reponitur conservanda. Pallium ejus & Pellicia exterior, sicut erant cruore infecta, pauperibus pro anima ipsius minùs discreta pietate collata sunt: satis quidem felicibus, nisi ea statim inconsultè vendentes parvum eis pretium prætulissent.

### HERIBERTUS.

TOTA verò nocte illa post grande profluvium sanguinis, quod super Ecclesiæ pavimentum jam emanaverat, sanguis sensim per rimas vulnerum capite resolidato distillabat. Unde, quod & dictu mirum, & grande ipsius virtutis Domini miraculorum gratia admiratione dignum, post cædem tam acerbam, post gladiorum percussiones tam duras, nec testa capitis cum corona unctionis separabatur à capite. Post tantum profluvium sanguinis, & demùm post tam densas tota sanguinis stillas, post omnia hæc nec facies pallidior, nec macrior, non frontem sulcabant rugæ densiores, non oculorum orbes contractiores, non oculi plus reconditi, non humor ab ore profluens aut naribus, non collum plus exesum, non humerus demissior, non corpus plus rigidum, non cunctis laxior videbatur. Deniquè in nulla corporis parte ulla poterat extenuatio seu exmaceratio deprehendi, ipsa corporis mortui compositione probante hanc Sancti viri ultimam exanimationem, non exinanitionem fuisse.

### WILHELMUS.

SERUATA namque vultus venustate in morte specie tenùs quamdam exhibebat hilaritatem & sanctitatem, quam gerebat in mente, ut non expirasse videretur, sed vivido colore clausis oculis & ore potiùs somnum capere.

### BENEDICTUS.

TRANSACTA est igitur nox illa lamentabiliter, in dolore, in gemitibus, in suspiriis, & nec ad momentum vel conscia lætitiæ, vel mœrorisignara, diem malitia majore suspectum adduxit.

## CAPUT XXII.

*Qualiter Sancti Martyris Corpus deductum sit ad tumulandum.*

### BENEDICTUS.

IN crastino verò multa rursus armatorum manu extra Civitatis mænia congregata, divulgatum est undiquè majoris eos activitatis intentione confluxisse, videlicet ut Sancti Martyris corpus Ecclesiæ violenter abstractum vel per totam Civitatem equis distraherent, aut patibulo suspenderent, aut in frustra vel minutias conscissum in paludem, vel in quemlibet locum viliorem, quem nec nominare decet, in majorem Dei & Ecclesiæ despectum projicerent, dicentes corpus Proditoris non esse inter Sanctos Pontifices sepeliendum. Monachi igitur tàm sibi quàm Sancto timentes, ne vel ipse viliùs tractaretur, vel ipsi pretiosum thesaurum amitterent, eum cum summa festinatione sepelire studuerunt. Unde nec eis Sanctissimum ejus corpus lavare, nec de balsamo, sicut moris habet Sancta Cantuariensis Ecclesia, licuit resovere. Et non tam humana nequitia, quàm Divina pietate creditur evenisse. Cui enim proprii sanguinis unctionem procuraverat Dominus, quæ erat necessitas odoris vilioris unguenti? Exeuntes autem eum vestibus exterioribus, & Pontificalibus induentes, corpus ejus cilicio, non minùs aliundè quam sui duritia molesto, involutum, & quod à nullo San-



Sanctorum exemplificatum legimus vel audivimus, ipsa ejus femor alia interiora usquè ad poplites cilicina, habitumque super indutum Monachalem, flammam videlicet & cucullam repererunt. Respicientes verò ad invicem, & in aspectu sic occultatæ Religionis supra quam credi potest obstupefacti, multiplicata pii doloris materia multiplices renovantur in lachrymas. Quid putandum est in homine isto fuisse cupiditatis, quid proditionis? Nunquid ad Regnum aspiravit terrenum, quem constat sæculi deliciis tam occultè prætulisse cilicium? Nunquid Regiæ Majestatis proditor fuit, & non potiùs proditus, qui etiam proditoribus suis perditionis filiis, nec cædem voluit, cum posset, nec resistere? Poterat enim fraudem & rabiem hostilem, si vellet, vel prudenter declinasse, vel vi repulisse majori, ut potens, ut præscius, ut præmunitus. Ut potens, quia hostes, quamvis decuplati venissent, posset, si voluisset repulisse centuplicatus. Ut præscius, qui cum die Nativitatis Dominicæ Verbi Dei panem populo ministrasset, ait inter cætera: Non alia de causa rediisse se ab exilio, nisi ut vel eos à jugo inflictæ sibi servitutis exueret, vel inter eos & pro eis mortis pateretur supplicium. Sed & Abbatibus Transmarinis, ut prædictum est, passionis suæ fecerat mentionem. Porro sicut super his divina pietate edoctus, sic & humana sedulitate præmonitus & præmunitus est. Qua in re licet plurimorum benevolentia meritum sibi dicatur adquisisse, de duobus tamen constare certum est; Richardum enim Cantuariensis Ecclesiæ Collerarium miles quidam sibi familiaris eundem Sanctum Domini tertiæ diei vesperam non visurum sub fidei interpositione certificavit: contra fidem tamen, qua in patris sui necem homicidis illis fuerat obligatus: Maluit enim fidei qua tenebatur eis, incurrere si quod erat periculum, quam sub silentio tam detestabilis homicidii reatum. Quod cùm Richardus prædictus illi beatissimo Dei Servo retulisset, subridens respondit: *Minæ sunt*. Verùm à Cive Cantuariensi, Reginaldo nomine, certior effectus, quod jam in Angliam applicuissent, qui in ejus mortem conspiraverant, pro illorum nequitia delenda, seu pro pace Ecclesiæ necdum adepta vehementer illachrymatus ait: *Paratum me ad mortem invenient. Faciant quod facere volunt. Scio quidem fili mi, & certus sum per arma me moriturum. Veruntamen extra Ecclesiam meam non me occident*. Nonne & his verbis non solum passionis suæ, sed & modi & loci præscius fuisse comprobatur. Sed quia non erat Regnum ejus de hoc mundo, si enim esset, ministri ejus utique decertassent, ut non traderetur eis, elegit calicem Domini spontè cum hilaritate bibere, quam vel constantiæ prioris virtutem inerti fuga maculare, vel in defensionem sui pugnaturos in arma vocare. Illum videlicet & in hoc imitatus, qui duodecim legiones Angelorum, quas ad sui defensionem à Patre suo impetrare potuit, noluit implorare. Nec ullius Martyris passionem facile credimus inveniri, quæ passioni Dominicæ tanta similitudine respondere videatur.

### HERIBERTUS.

IGITUR postquam vestimentis suis exutum fuit Martyris corpus, acceperunt illud, ut dictum est, & aliis induerunt vestimentis, sicut mos est Pontifices sepelire. Erat autem in Crypta Ecclesiæ monumentum novum excisum de petra, in quo necdum quisquam positus fuerat. Ibi ergo propter metum persequentium coram Altari Sancti Joannis Baptistæ, & Sancti Augustini Anglorum Apostoli, illud quasi abscondentes sepelierunt.

### JOANNES.

UBI ad gloriam omnipotentis Dei per eum multa & magna fiunt miracula, catervatim confluentibus Populis, ut videant in aliis, & sentiant in se potentiam & clementiam ejus, qui semper in Sanctis suis mirabilis & gloriosus est. Nam & in loco passionis ejus, & ubi ante majus Altare pernoctavit humandus, & ubi tandem sepultus est, paralytici curantur, cœci vident, surdi audiunt, loquuntur muti, claudi ambulant, evadunt febricitantes, arrepti à dæmonio liberantur, & à variis morbis sanantur ægroti. Blasphemi à dæmonio arrepti confunduntur. Et quod à diebus Patrum nostrorum non est auditum, mortui resurgunt. Illo hæc & plura, quæ referre longum est, operante, qui solus est super omnia benedictus in sæcula.

### BENEDICTUS.

PASSUS est autem egregius Dei athleta Thomas Cantuariensis Ecclesiæ Archi-Episcopus, totius Angliæ Primas, & Apostolicæ Sedis Legatus, anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo septuagesimo, vitæ verò ipsius anno quinquagesimo tertio, quarto calendas Januarii, feria tertia, hora quasi undecima, ut dies quintus Dominicæ Nativitatis ad miseriam ejus fieret Natalis ad gloriam; præstante eodem Domino nostro Jesu Christo, cui cum Patre & Spiritu Sancto honor, & virtus, & imperium est per infinita sæculorum sæcula. Amen.

*Explicit Vita & Passio Beati Thomæ Martyris*

*INCIPIT*

# DE GESTIS POST MARTYRIUM.

## CAPUT I.

*Quomodò Rex facinus doluerit, & conatus fuerit se expurgare.*

CUm audisset Rex Anglorum gladiis suorum occubuisse Beatum Thomam, post paucos dies misit Clericos suos ferentes litteras, qui Cantuariam venientes congregatis Fratribus dixerunt: *Infortunium, Fratres, quod penes vos accidit, eatenus Dominum Regem contristavit, ut ab introitu Ecclesiæ per triduum abstinuerit, cibumque à die, qua audivit, usque in tertiam, præter lac amygdalarum, non sumpserit, consolationem non admiserit, nec in publicum prodierit, sciens in suam redundare infamiam, quod suorum actum sævitia, nec facilè posse suaderi, quin videatur animam ejus quæsisse, quem toties doluerit suis obviasse Decretis, quem solum senserit in Regno suo sibi impedimento fuisse, quo minùs res Ecclesiasticas ordinaret. Res quidem detestanda expleta est, & facinus inauditum, tantoque minùs ejusmodi conscius fuisse credendus est, quantò magis eum in innocentia servasse usque in hodiernum diem, dubium non est. Unum est, quod mordet ejus conscientiam. Cum enim omnes qui Coronationi filii sui interfuerunt, excommunicatos accepisset, dolorem suum dissimulare non poterat, qui jam fomitem omnem irarum & inimicitiarum sub unita pace sopitum putabat, votisque necessariis suis de resuscitata injuria querimoniam deposuit, qui ejus compassi sunt dolori, eoque vehementiùs moti sunt, quòd eum persequebatur, quem promoverat. Unde eo nesciente vindicaturi ejus injurias, per hoc placere ei putantes, à Curia latenter recesserunt, quatuor illi qui flagitium perpetraverunt. Quod cum audisset, sciens eos ferocissimos, omniumque nequissimos, qui infra terminos Regni sui continentur, veritus ne quid ageretur, quod in Regiam redundaret infamiam, è vestigio misit expeditissimos, qui præoccupantes Filiorum Belial insaniam prohiberent. At illi adspirantium obsequio ventorum in miseriam nostram transierant, præter conscientiam ejus explentes, quod in perpetuum oblivioni non tradetur. Die enim, qua facinus expletum, apud se præsentes eos esse putabat. Hoc Fratres, missi sumus vobis intimare, ne de tanti Principis serenitate sinistrum suspicemini, sed si quid culpæ contraxit in eo, quod aliquid dixisse videtur, quod ad facinus aggrediendum Grassatores invitaverit, vestris orationibus convenit expiari. Et nunc corpus jubet honestè tradi sepulturæ, ut apponatur ad Patres suos. Non enim mortuum persequitur, licet viventem infestum habuerit, sed quidquid in se deliquit, animæ remittit. Non retro vexationes attendit, non irrogatarum sibi ut Regi reminiscitur injuriarum.*

Posset quibusdam per hæc Regis innocentia purgata videri, nisi Regiam serenitatem Regiorum obloquia satellitum suspectam reddidissent. Siquidem cùm Wilhelmus de Mandevilla de Transmarinis partibus Cantuariam venisset, inquit: *Si Primatem invenissem, super his, quæ spectant ad Regiam dignitatem, distinctè convenissem. Et si quidem secundùm beneplacitum postulatis acquievisset, pax fieret; sin autem pertinaci contumacia refragari præsumpsisset, procul dubio compellendus erat ut cederet.* Sed & alii similiter minabantur, quod si ausu temerario Proditorem Regis occuluissent Monachi, omnes latebræ eorum ad unum stipitem inflammatæ corruissent, ut vel victi capite plectendum exhiberent, quem Regiæ Reum Majestatis in propriam perniciem protexissent. Nonnulli verò prohibebant eos lugere seditiosum illum, qui totum Regnum conturbaverat, ne cum eo pariter traherentur ad luctum. Et hæc & his similia Regiam conscientiam reddebant suspectam.

## CAPUT II.

*Quomodo Martyrium cognitum est in Hierusalem infrà quindecim dies Martyrii.*

### HERIBERTUS.

VISIONEM quamdam de jam glorificati hominis glorificationis certitudine cognitam præterire non debeo, nec subticere: tum propter nimiam rerum certitudinem, tum propter referentis authoritatem. Patriarcha Hierosolymitanus, Heraclius nomine, vitæ sanctitate non infimus, propter illius sanctæ terræ crebros & intolerabiles Ethnicorum hostiles incursus partes petens Cis-Alpinas demum in Angliam applicuit, à Rege & Militibus Regni militaris manus auxilium postulans. Et cùm de Beato Thoma, & de ejus conversatione & vita tam sancta & fine tam glorioso creber sermo haberetur ad ipsum & ad alios, ipse inter cætera assertione firmavit certissima, sibi in Hierusalem infra dies quindecim à Martyrio Martyris finem sibi fuisse cognitum, & per totum etiam Regnum divulgatum. Et ut ferebat, cognitus erat. Est in terra illa Cœnobium, è cujus fratribus unus, ab ineunte ætate puritatis magnæ & conversationis sanctissimæ, in die illo, quo Beatus Thomas passus est, infirmitatem patiebatur extremam. Et cùm jam quasi extremum traheret spiritum, Pater cœnobii accessit ad fratrem, quem pro sanctitatis suæ prærogativa præ cæteris dilexerat, & eo magis cum eo contraxerat familiaritatis gratiam. Unde & magis compatiebatur infirmo. Cùm verò eum jam in extremis laborantem cerneret, paternè & cum lachrymis supplicabat, ut cùm migrasset à sæculo, ipsum quem adeò in vita dilexerat, & à quo tantùm dilectus fuerat, de statu suo certificaret: Si tamen Dominus permitteret sic. Annuit Frater. Obiit. Et infra dies paucos juxta promissionem suam ad Patrem Cœnobii reversus lætabundus se Dei frui visione, & æternæ salutis sibi jam præmium redditum nunciavit. *Quod*, inquit, *ut scias certissimè in nullo hæsitans, scito quia citò, primò ut egressus à corpore, ab Angelis deportatus vidi Dominum, citò inquam post venit Magnus quidam & supereminens cum processione ineffabiliter admiranda sequente, ipsum hinc & inde stipante & ducente, quam nemo dinumerare posset, Angelorum multitudine, Patriarcharum pariter & Prophetarum laudabili numero, cum glorioso Apostolorum Choro, & innumerabili Sanctorum Martyrum purpurato, & candidato Confessorum exercitu. Stabat autem ille ante Dominum quasi Martyr toto lacero capite, cruore sensim, ut videbatur, distillante per vulnerum rimas. Cui Dominus* inquit: Thoma, sic decet te intrare in Curiam Domini tui. *Et adjecit*: Quantam gloriam Donavi Petro, nec tibi minorem dabo. *Et accepit Dominus miræ magnitudinis Coronam auream, & Capiti ejus convulso & dilacerato imposuit.* Et adjecit qui loquebatur Frater mortuus: *Scio igitur certissimè quia Thomas hic Magnus Cantuariorum Antistes in his diebus occisus sit, & sic migravit ad Dominum. Et tu interim hæc tibi dicta nota, signa tempora. Modico quidem elapso tempore ex multorum commeantium relatu fide vera probabuntur. Et tu per gloriosi Martyris completum jam exitum, tibi nunc prophetatum per me, deinceps de salute mea non dubitabis. Præsertim cùm & per alios citò sis accepturus, ut ego nunc tibi propheto, completum sic.* Et his dictis mox disparuit. Pater verò Cœnobii de morte fratris post revelationem sibi factam sic non modicam consolationem accipiens, exhilaratus jam dictum Venerabilem Patriarcham citus adiit, & cuncta pandit ex ordine: Quemadmodùm, ut supra diximus, ipse Patriarcha postmodùm ore proprio enarravit. Hujusmodi revelationibus quàmplurimis, & innumerabilium virtutum insigniis, quæ per eum operari dignatus est Altissimus, manifestè satis & veraciter ostensum est, quòd pretiosa admodùm fuerit in conspectu ejus mors istius Martyris. Quæ virtutum magnalia si quis nosse desiderat, legat librum signorum à venerabili Abbate Sancti Petri de Burgo, nomine & re Benedicto, editum & quasi quibusdam recentium virtutum vernantem floribus, signis & prodigiis insignitum.

## CAPUT III.

*De Pœnitentia Regis.*

DIVULGATO igitur tam lethali facto undique mox ut ad Regem Angliæ pervenit, afflictus est, ut supra diximus, afflictione magna. Et in nominatissimo illo Nortmandiæ Oppido, quod Argentolium dicitur, per quadraginta dies sedit mœrens. Quo toto illo pœnitentiali dierum numero acerbiorem multò plusquàm mortuorum luctum fecit. Lugentium cibos comedit, equum non ascendit, nulla jurgantium causa, nulla agendorum consultatio, nulla pulsantium querela ingrediebatur ad eum, nulla tot terrarum regendarum sibi cura proponebatur, quasi omnia tunc postponenti præ dolore. Sedebat quippe solitarius, super hoc quod acciderat ingemiscens semper & dolens. Et sæpe & sæpiùs iterans: *Heu, heu accidisse.* Et quidem pœnitentis Regis hæc erat salutis providentia. Mox enim in primo sacrilegii auditu viros magnos & industrios ad Romanum Pontificem Alexandrum destinavit, ab ipso tanquàm summo Ecclesiæ Patrono & Patre communi consilium quærens quid agendum, & sicut credibile est, humiliter in quo excesserit confitens. Verùm quia confessio, sicut nec per scripta, nec per Personas interpositas fieri solet aut debet, & viva vox confitentis, quò plus auget devotionem, eò plus habet virtutis, Vir Apostolicus à latere suo duos Cardinales misit, piæ memoriæ Magistrum Theoduinum Portuensem Episcopum, & Albertum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cancellarium, viros certè omni religionis sanctitate & scientia præditos. Qui & ipsos Regni ob supra dictas causas anathematizatos vel suspensos canonicè absolverent, & Regis postulantis saluti providerent. Itaque ad Regis & totius Ecclesiæ consolationem hi missi sunt. In quorum adventu absolutionem, quam non meruerant, de clementia Domini Papæ, & eorum qui missi fuerant, obtinuerunt.

### ALANUS.

REX autem & Legati primò convenerunt apud Gorham, die Martis ante Rogationes, ubi invicem recepti sunt in osculo pacis. In crastino venerunt Saviniacum, ubi Archi-Episcopus Rothomagensis, & multi Episcopi & Proceres convenerunt. Cùmque ibidem de pace Domini tractatum esset, quam Rex secundùm mandata eorum absolutè jurare renuit, Rex ab eis cum indignatione recessit in hæc verba: *Redeo in Hiberniam, ubi multa mihi incumbunt. Vos autem in pace ite per terram meam, ubi vobis placuerit: Et agite legationem, sicut vobis injunctum est.* Sicque ab eis discessum est. Tunc Cardinales arctiori consilio revocarunt Episcopum Lexoviensem, & Archi-Diaconum Pictaviensem, & Archi-Diaconum Saresberiensem, & per eos laboratum est, quod sexta feria sequenti Rex & Cardinales apud Abrincas convenerunt, ibique omnino conventum est inter eos, ita quòd Rex, quidquid ex parte Cardinalium ei propositum est, benignè suscepit & concessit. Sed quia Rex filium suum voluit adesse, ut quæ Pater permitteret, ille etiam asseveraret, terminus ei dilatus est usque ad sequentem Dominicam proximam, videlicèt Ascensionis Domini. Tunc in publica audientia Rex manu sua tactis sacro-sanctis Evangeliis juravit, quòd nec mandavit nec voluit quòd Archi-Episcopus Cantuariensis interficeretur: & quòd audita morte ejus plùs inde doluit, quàm lætatus est. Addidit etiam ex propria voluntate, quòd de morte Patris vel Matris suæ nunquàm tantùm doluit. Juravit etiam, quòd quantamcumque pœnitentiam ei Cardinales injungerent pro satisfactione, plenariè exequeretur. Dicebat enim coram omnibus se intelligere, quòd causa esset mortis Archi-Episcopi, & quidquid factum fuit propter eum factum esset, non quia ipse mandaverit, sed quia amici & familiares videntes turbationem vultus ejus & oculorum, cognoscentes etiam dolorem cordis, & sæpe audientes querula verba ejus de Archi-Episcopo, injuriam ejus absque conscientia ipsius, ulcisci parabant. Et ideò cum omni humilitate & devotione ad omnia, quæ legati juberent, se expositum asserebat.

Tunc injunctum est à Legatis, quòd inveniret ducentos milites per annum integrum sumptibus suis, videlicèt unicuique militi trecentos aureos in terra Hierosolymitana contra Paganos, secundùm dispositionem Templariorum.

Secundò, quòd prava Statuta de Clarendune, & omnes malas Consuetudines, quæ in diebus suis in Ecclesias Dei inductæ sunt, penitus dimitteret. Si quæ autem fuerunt malæ ante tempora sua, illas juxta mandatum Domini Papæ, & consilio Religiosorum Virorum temperaret.

Tertiò, quòd Ecclesiæ Cantuariensi omnem suam integritatem in terris, & in aliis rebus restitueret, sicut fuit anno, antequàm Archi-Episcopus iram Regis incurreret. Et quòd omnibus, quibus offensus fuerat propter Archi-Episcopum; pacem & amorem redderet, & possessionum suarum plenitudinem.

Quartò, quòd si necesse esset, & Dominus Papa ei mandaret, iret in Hispanias ad liberandam terram illam à Paganis.

Injunxerunt etiam ei secretiùs jejunia & eleemosynas, & alia quædam, quæ ad communem audientiam pervenerunt.

Ad hæc omnia Rex benignissimè assensum præstitit, ita quòd coram omnibus diceret: *Ecce, Domini legati, corpus meum in manu vestra est. Scitote pro certo, quicquid jusseritis, seu proficiscendo Hierosolymam, sive Romam, sive ad sanctum Jacobum, vel quidquid id sit, paratus sum obtemperare.* Unde ferè cuncti, qui aderant, videntes humilitatem & devotionem ejus, vix poterant lacrymas continere. His expletis, ne quid ad boni consummationem deesset, deduxerunt eum Legati ex propria Regis voluntate extra ostium Ecclesiæ, ibique flexis genibus, non tamen exutis vestibus, neque verberibus appositis, est in Ecclesiam introductus. Et ut aliqui de Regno Francorum hæc ita processisse cognoscerent, statuerunt quòd Archi-Episcopus Turonensis, & suffraganei ejus coram Rege & Legatis præsentiam suam exhiberent apud Cadomum prima die Martis post Ascensionem Domini.

Quod Rex juravit, filius ejus manu sua firmavit in manu Domini Alberti Cardinalis, se ex parte sua, observaturum: Et si Rex Pater morte vel alia causa manifesta præpeditus pœnitentiam prædictam complere non posset, quod ille perficeret.

## HERIBERTUS.

Et quidem Regis pœnitentia sic erat, tam devota, & tam humilis, ut ipsi Cardinales videntes eam illius in Psalmographo veritatem versiculis missis pagomatibus contestarentur: *Qui respicit terram, & facit eam tremere; qui tangit montes & fumigabunt.*

## CAPUT IV.

*De dissensione orta inter Patrem & Filium & prima peregrinatione Regis ad Martyrem.*

VERUM modico exacto tempore, quarto, nisi fallor, quintovè circiter anno à Martyrio, & à pœnitentia Regis hac, inter Regem Patrem & Regem filium suum prophana seditio & bellum nimis intestinum exortum est, adeò ut adversus Regem Patrem & sui ferè omnes, & etiam alieni, Francorum videlicet Rex in potentatu suo magno, cum filio Rege fœdus jungentes insurrexerint. Reges terræ, & Regna, & Nationes, & Populi, tam sui, ut diximus, quàm alieni, adversus solum Regem Patrem armarunt. Igitur Pater Rex quid faceret, quo se verteret, ad quos declinaret? Nusquàm tuta fides, immò nulla: Quia periit. Et intus timores, & foris pugnæ. Quod igitur solum tunc supererat humano deficiente, Rex ad solum Divinum consilium & auxilium se convertit. Audiens quippe in dies, & certissimè credens mundo jam contestante, & cum admiratione conclamante virtutes, signa, & prodigia, quæ Cantuariæ fiebant per Martyrem, de mutua inter ipsum & Martyrem jam pridem gratia, sicut spero, non immemor, eo etiam fiducialior, quod de excessu suo in Martyrem gauderet & speraret se pœnitentiam egisse, à Normannia exivit, in qua potissimum tunc quasi totus erat fervor debacchantis rebellionis. A Normannia, inquam, exivit, & illam, sicut aliàs Dominationis suæ terras Transmarinas, quasi in solius protegentis Dei & Martyris sui manu relinquens, confestim sola Divinæ protectionis spe adversus hostes suos armatus transivit maria, & omni occasione & dilatione postposita Cantuariam venit.

## CAPUT V.

*Qualiter Rex Peregrinus Cantuariam intraverit.*

VERUM Rex, antequàm Civitatem intraret, ut ipsam vidit & Metropolitanam Ecclesiam, in qua Martyr requiescit: mox incredibiliter humiliatus & devotus exinanivit, & Potestas tanta pauperem servi formam induit, nudis pedibus, & toto etiam nudato corpore, præterquam vili quadam tunica super nudo amictus: Et pedes, & nudus sic, palam in omnium conspectu, Civitatem intravit, & per vicos & plateas Civitatis luteas tamquàm de Plebeis vilissimorum unus abjectè sic incessit. Eccè David alter: Quoniam qui dilecto filio suo quasi Absalone altero ob peccatum ipsum persequente nudis plantis, sicut primus David Civitatem exivit, iste secundus ingreditur. Et ita suspiriis & gemitibus, tot gentibus & Nationibus tremebundus, ipse timens & tremens Martyris adjit sepulturam. Ubi tota illa adventus sui die, & nocte sequenti jejunus & pervigil ante Martyrem pernoctavit. Ni fallor, nec enim dubito, sic gemebundas & pias ante Martyrem, quem adeò dilexerat, & à quo tantùm dilectus fuerat, orationes effundens: Ejus, nec dubium, meritis, orationibus, & patrociniis in tam arcto se toto cordis affectu commendans. Quod citò post rerum exitus comprobavit. Ibidem etiam coram Martyris sepultura, quasi coram Martyre Sancto illo, & Venerabili fratrum cœtu convocato, à singulis fratrum virgæ disciplinales percussione singulas, velut quasdam secundas quadragenas Apostolicas, immò Regias nonas, & sicut arbitror, usquè tunc inauditas, accepit. Consuetudines etiam illas, quæ inter Martyrem & ipsum fuerunt totius dissensionis materia, Rex tanquàm verè pœnitens, pro Martyris devotione, & per Martyris virtutem abdicavit malas & iniquas, bonas verò solùm observandas sanxit imposterum. Quarum tamen abdicatarum sic nonnullæ, etiam ab Ecclesia damnatæ, per Regnum observantur adhuc. Quod si Rege sciente & approbante factum sit, ipse Rex viderit, Deus nolit.

CA-



## CAPUT VI.

*De hostibus à Rege post peregrinationem suam citò triumphatis per Martyrem.*

OMNIBUS itaque in tanta humilitate & devotione confirmatis, Rex peregrinus in crastino post Missam ante Martyris sepulturam celebratam de Martyre, maculatis sic pedibus, ut humiliter coram Martyre venerat, nec etiam refocillatus, in spe multa patrocinii per Martyrem in brevi futuri recessit. Nec fefellit eum spes. Enimverò, quod dictu mirum, & ad Martyris gloriam & Regis pœnitentialem devotionem commendandam non est tacendum, ipso die, sicut novit mundus, & Rex ipse fateri dignatus est, quo, ut diximus, audita ante Martyrem & de Martyre Missa, Martyre etiam affectuosissimè salutato, quasi à Martyre benignè licentiatus recessit, ipso, inquam, die, qui dies Sabbathi tunc erat, eadem etiam diei hora, qua Missæ interfuerat, Rex Scotorum captus est, inter Regis multos & magnos inimicos ipse tunc maximus, aut de maximis. Et à militibus quibusdam, & paucis, & mediæ manus hominibus, qui inter paucos Regi favebant adhuc interceptus, & tamquàm gladio non extracto, nec vulnere illato, sed sicut sine pugna & plaga captus, quodam, sicut dicebatur, casu fortuito, sed nescio quo, ab exercitu suo grandi, quem collegerat, parùm diflexus, Altissimo quidem, in cujus ditione cuncta sunt posita, volente eum tradi sic.

Sed quia per singula post Regis tam humilem, tam devotam peregrinationem sensim in dies, nec longa mora, & Cismarini & Transmarini ei Rebelles in retiaculum, quod ipsi Domino suo tetenderant, ceciderunt. Videntes autem alii tam subitò cum Rege Domini manum tam validam, siluerunt universi, & ita super Mundi assertionem & spem, sicut ex insperato & subito siluit omnis terra in conspectu ejus, & factum est in pace Regnum ejus, Domino super iram inimicorum suorum manum suam sic extendente. Quem super inimicos suos successum talem, & pacem tantam, & tam perfectam, eò plùs miraculosam, quò tam citam, omnium sic animis obfirmatis adversus se, Rex totam adscripsit Domino, & glorioso Martyri Thomæ, cui certissimè erat adscribenda.

## CAPUT VII.

*De somnio Martyri adhuc exuli propheticè ostenso, quasi rebellionis hujus & pacis Prophetia.*

HOC verò quod Martyri adhuc exuli super ista rebellione, & post rebellionem pace tam citò accidit, Propheticum quoddam somnium & verè Propheticum evidentissimè probat, ipso tunc Martyre exule somnium illud ore proprio suis indicante sic: *Adspiciebam in visione noctis, & ecce ego super montem valdè excelsum eram & Dominus Rex deorsum in infimo. Ecce subitò universæ Cœli volucres adversus Regem convenerunt, ipsum unguibus suis & rostris in subitò & citò alarum suarum, quasi turbinis vehementis, spiritu impetentes. Singula mihi visa erant volucrum genera, maximè quæ ex rapto vivunt, Regem in genere suo impetentia. Cujus vestimentis per volucrum ungues & rostras citissimè panniculatim dilaceratis, Rex mox solius camisiæ tenui schemate vix opertus, quasi jam nudus volucribus expositus est. Et jam tantum in modum turbinis vehementis volantium, & rostris & unguibus impetentium, impetum sustinere non valens, hinc inde impellebatur. Et ipse sensim, quoad licuit, regrediebatur, & retrahebat se, ut vim impetus, & si non declinaret omninò, extenuaret tamen. Erat autem à tergo Regis non respicientis, nec enim conclusus sic respicere potuit, teterrimum quoddam præcipitium & profundissimum à Rege, utpote à tergo, improvisum. Cui cum jam appropinquasset Rex sic, retrahens se, & quod poterat evitans impetentium vim unus de Aulicis Regis familiarissimis, de quo tanquam de altero se Rex fidebat, utpote quem & honoribus & divitiis inter Regni primos illustraverat: Hic inquam, corvo corvior, & plusquàm inhumanus in volucrum accessit adjutorium, camisia, qua sola supernudo Rex vix amictus erat, Regem spoliare violenter acceptans, cum volucrum impetu ipse pariter cœpit Regem pellere in præcipitium. Rege verò jam ruituro, commota sunt pietatis eximiæ viscera mea super Rege. In monte excelso sedebam cernens hæc. Et pristinæ gratiæ, & familiaritatis mutuæ inter Regem & me recolens, etsi mihi modò offensum, non potui tantùm offensa hac miserationes meas continere, quin potiùs sicut visum de Montis medio tam excelsi vertice, quo sedebam, tam citus descendi, tanquàm si in ictu oculi: Periculo sic jam imminente, & compassione multa quasi alas tribuentibus mihi, & in velocem me succursum impellentibus, sic quasi in momento Regi adstiti, & mox framea longa & acutissima, nescio tamen quo casu, in manu mea refulsit, qua subitò & velut momentaneè mihi visus sum universas illas cœli volucres dissipatas dispersisse, & dissipasse dispersas. Et Regem liberatum sic continuò insignibus suis Regis gloriosè & decentissimè indui, illum Aulicum objurgans acerrimè, qui in volucrum adjutorium sic transierat? Addens, Regem ab ipso non meruisse hoc.* Et quidem relato somnio hoc Dominus Archi-Episcopus loquens adhuc brevibus, quasi somnium interpretans, adjecit se in arcto aliquo Regi subventurum adhuc, ac ipsa interpretatione tam brevi somnium verè Propheticum indicans. Rex etiam ipse, cùm visionem hanc audisset, finita, ut diximus, rebellione, & pace desuper data, mox interpretatus est, scilicèt ea rebellione, & ejusdem rebellionis tam felici, tamque glorioso, & pacifico, & verè miraculoso exitu hujus visionis veritatem evidentissimè completam esse. Et ita Rex ipse facti veritatem edocuit, & prædicavit Miraculum.

## CAPUT VIII.

*De morte Henrici Regis junioris, Archi-Episcopo post ostensa per visum.*

DE morte verò pueri Henrici Regis junioris, Archi-Præsuli post ostensa spiritualiter, hic tacere non possumus. Cùm esset Archi-Episcopus adhuc in Gallia Senonis civitate peregrinationis suæ, una noctium post decantatum nocturnum, ut pausaret, in lectum suum se recepit. Verùm, sicut ipse confessus est, curis & cogitationibus se tunc, ut solent, ingerentibus, somno indulgere non potuit. Inter alia verò de Domino Rege Anglorum, de ejus magnitudine, de ejus prosperitate in filiis, in divitiis, & latis Potentatibus cogitatio subjit. Supe his diutiùs cogitans, & præsertim de filiis, & inter filios

filios potissimùm de Primogenito ipsius Henrico, quem præ cæteris diligebat, & de quodàm alio. In crastino, sicut referebat, se pro certo scire nesciebat, de quo aliorum cogitasset tunc, an de Richardo tunc Comite Pictavorum, an de Galfrido Britanniæ Comite. Cùm igitur de Rege patre & de filiis cogitaret sic, desiderabat scire, quid futurum esset de his, & quales circa hos dispositiones Altissimi. Et cùm aliquandiu cogitaret sic desiderans, inter cogitandum hæc cœpit quasi dormitare. Et ecce facta est ad eum vox, per ipsam vocem versu quodàm hexametro sibi expresso. Versus autem hic erat: *Mors tulit una duos, tulit altera, sed malè Patrem*. Nec arbitretur quis versum hunc quasi à dormitante aliquo casu compositum, quem etiam vigilanter vigilans non componeret, ut potè qui versificandi, nec etiam sub scholari disciplina artem tetigerat vel in modico. Versum verò auditum sic suis in crastino retulit, & gemebundus adjecit: *Proh! dolor, Henricus noster, antequàm ulli fratres sui, morietur!* Et verè in morte Henrici, proh! dolor, & unus dolor, Archi-Præsul vaticinii sui fine nimis verus Propheta probatus est. Pariter & Galfridi morte Archi-Præsulis vaticinium adimpletum est. Post Henrici morte quinto, sextovè anno ante Patrem mortuo hoc & illo sic. Et quod accidit miraculo vaticinium plus commendas: *Mors tulit una duos*. Verè una mors, quia eadem mortis species, ambobus fratribus his morbo dyssenterico interemptis. Benè quidem & sanctè de medio sublatis, ut qui interfuerunt, testati sunt. De Patris verò morte, de qua etiam prædictus versus vaticinari visus est, supersedemus dicere, quoniam ferè toti Mundo nimis nota est, & eam legentibus, & maximè eam scientibus plangenda est, quòd tantus talisque Princeps, tali modo, & tam subitò de Mundo migravit. Pro quo ab omnibus piè credentibus orandum est, ut sicut pacificus & ab eo qui pacis author est & amator, pacem & requiem consequatur sempiternam.

## CAPUT IX.

*De morte sacrilegorum Militum.*

VERUM in gloriosi Martyris nostri victoriosæ mortis palma visibili inter visibiles virtutes ipsius, magnas quidem & admiratione dignas, una est discernenda studiosiùs, intuenda attentiùs, amplectenda devotiùs. Una est, inquam, præ cæteris miræ & ferè inauditæ pietatis eximiè plena. Nam cùm Martyr hic in sanguine suo victorioso plerosque Diaboli vinctos eduxerit, adhuc quod supra quàm dici possit aut capi, pietate superabundanti plenum est, virtus effusi sanguinis ipsos suos effusores, sacrilegii tam inauditi patratores tetigit & lavit. Lavit, inquam, eos virtus sanguinis, ut videtur à sanguine, ipso sanguine loti, quo priùs à Deo erant maculati, ipso Martyre, qui sanguinem suum fudit, in propriis suis Occisoribus Principatus & Potestates tenebrarum expoliante, qui tenebant eos; eos etiam confidenter traducente, & longè trahente à Regione dissimilitudinis, quò jam procul abierant, ad illam plenitudinis solitudinem cujus Rex pœnitens mansionem optabat dicens: *Ecce elongavi fugiens & mansi in solitudine*. Adeò etiam palam, quòd cùm in sæculo magni & generosi fuissent sacrilegi Occisores ii, & multarum possessionum domini, milites strenui, & in militiæ arte edocti, & in ætate sua robustiori, citò tamen post patratum flagitium, relictis omnibus, Hierosolymam profecti, publicam egerunt pœnitentiam. Qui tamen omnes infra triennium à patrato sacrilegio, rebus humanis sunt exempti, in vera & fructuosa, sicut creditur, & qui præsentes fuerunt contestantur, pœnitentia pro errore facti & sceleris immanitate, quod semper & in vita & in mortis suę articulo ante oculos suos quasi appensum cernentes ponderabant: toto corpore semper quasi attoniti, stupidi, dilacerati, & convulsi, ab illo semper peccatorum patrono specialiter & incessanter, & in vita & in mortis articulo supplicantes veniam, & invocantes patrocinium, in quem tantum admiserant sacrilegium.

Horum tamen unus quorundam pravorum consiliis moras in dies nectens, nec quàm citò alii Hierosolymitanum iter arripiens, etiam cismarinis in partibus acturum se pœnitentiam sperans, cùm in Regno Regis, scilicèt apud præclaram Civitatem, quæ Tusentia dicitur, in infirmitatem decubuisset extremam, infirmo mox ante mortem etiam cœperunt corporis membra computrescere, ita ut cum tabe caro ipsa quæ nervos tegebat & ossa, ab ipso infirmo frustratim dilacerata & convulsa projiceretur in areæ medium, nervis sic discoopertis & ossibus. Et præsertim brachiorum & manuum caro, ossibus & nervis vix adhærens, & quasi separationem desiderans, de facili, ut videbatur, & absque difficultate, à funesto illo carnifice milite, utinam tamen verè pœnitente, projiciebatur, quasi sponte sua sic se resolvens. Ipsa, ut videri poterat, quasi gemebunda, quasi indignata, & verecunda, quod post tantum nefas manu hominis & brachiorum ministerio perpetratum deinceps in humani corporis compositione foret. Miser tamen ille, dum ita se ipsum uniens decerperet, convelleret, dilaceraret, & projiceret, pii & gloriosi Neo-Martyris indulgentiam, suffragium & patrocinium cum summa contritione, gemitibus & suspiriis inenarrabilibus *incessanter* implorabat. Jam supra-nominatus *in historia hac* Guilhelmus de Traci erat, Deo ultionum Domino clamantem ad se militis sui sanguinem justissimè ulciscente in isto præsertim sic: Utpotè qui alios provocarat, audens primus, & ante alios, ut putatur super Christi Domini caput gladium vibrans ad ictum, tam profanè, tam impiè ferire nequaquàm veritus est. Unde & justissimo Omnipotentis judicio factum est, ut etiam ipso vivo adhuc contra naturæ legem computrescerent, quæ vibraverant gladium, & manus simul & brachium. Et quidem jam supradictæ civitatis Episcopus certissimè retulit sic contigisse, ipsius Wilhelmi in hac infirmitate Confessor.

Et ut ad alios præfatos sacrilegii complices, unde cœpimus, revertamur, ipsorum quotquot & talium, ut diximus, miranda, quia certè miraculosa, nec dubium, corporum mors per tam modici temporis intervallum, triennium, ut diximus, videlicèt, sic erat, ut in tam brevi nec unus quidem ex eis superfuerit, Altissimi super eos, sicut creditur, & si fortè quod ipse velit, miserante clementia, ad terrorem tamen & miraculosam militis sui ultionem Justitia omnes in brevi sic prosternente, ut viri isti san-



sanguinum, etsi pœnitentes, ut descripsimus, tamen juxta verbum Domini dies suos non dimidiarent.

## CATALOGUS

*Eruditorum Beati Thomæ Martyris.*

QUONIAM in historia hac de Eruditis Thomæ Martyris gloriosi aliquoties mentio facta est, ut ipsorum nomina in æterna benedictione sint, qui intactam inter tot mundani maris voragines Patri, laboriosè nihilominùs & periculosè navem suam ducenti, navigii coadiutores exstiterunt, ipsorum, inquam, tamquam virorum illustrium nomina in historiæ hujus calce exprimere, commendabile duximus.

### SANCTUS THOMAS MARTYR.

IN primis igitur & supra omnes Eruditos hos omnium eruditior, ita & insignior ipse Thomas, & sic roseus & rubicundus, lavans in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum, qui Imperatoris sui instar, torcular calvavit solus, & de Edom veniens, tinctis vestibus de Bosra, Cœlum ascendit.

### HERIBERTUS BOSIANENSIS.

INTER Eruditos verò Thomæ eruditissimus, præclarus quidam fuit, natione & nomine Lombardus, de præclara civitate Placentia oriundus. Hic ad duo Matris suæ sponsæ ubera diutissimè dependens, tandem ablactatus, avulsus ab uberibus, in sapientia & scientia magnus effectus est. Hic discipulus tempore, quo vacabat, quietis & otii Magistrum in exilio Canones edocuit. Qui etiam semper comes erat individuus, quousquè tandem ob præclara ipsius merita ad Romanam Ecclesiam ab exilio vocatus, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis effectus, demum per Romanum Pontificem in Beneventanum promotus est.

### JOANNES SARESBERIENSIS.

POST hunc Joannes, dicto cognomento de Saresberia, natione Anglus, qui ex re nomen habens, per gratiam duos sibi in capite sponsæ oculos coaptavit, sermone sapientiæ & sermone scientiæ abundè sibi dato per ipsum. Hic cum Neo-Martyre nostro in tentationibus ipsius strenuè & viriliter ad finem usquè permansit. Qui ob præclara non ut reputabat, sua, sed potiùs Martyris merita gloriosa citò post Domini nostri Martyrium à patria sua Dei vocatione evocatus, in Senonensis Provincia, in qua nobiscum exulaverat, in Carnotensem Episcopum promotus est.

### ROBERTUS FILIOTH.

POST hunc Robertus cognomento Filioth, natione Anglus, tunc Archi-Levita Oxenofordensis, in gratiis & virtutibus multarum facierum persona. Cujus si vitam & actus cerneres, in duabus sororibus sibi maritaliter copulatis alterum Laban socerum judicares. Veruntamen hic patrem suum de terra egredientem & peregrinantem ob quasdam causas secutus non est: ut non sequeretur, paternam priùs licentia & benedictione accepta. Hic ob præclara ipsius merita postea in Herefordensem Episcopum promotus est.

### REGINALDUS LOMBARDUS.

POST hunc Reginaldus natione Anglus, sed sicut educatione, & cognomento Lombardus, pro ætate prudens & industrius, animosus & efficax in agendis, qui extra patriam aliquanto tempore fortiter stans, citò doloris patris principium fuit. Ob causam tamen, propter quam à Patris agone & paupertate ad Aulam confestim se transtulit, ut ibi militans Principi fortiùs præliaretur contra Patrem. Iste tamen in Domini nostri morte, sicut pretiosa & triumphali, salubriter præstante Altissimo, ad quondam Dominum suum & Patrem conversus est & reversus. Qui etiam posteà, industria & probitate ipsius proveniente, ab Aula ad Ecclesiam assumptus, in Bathoniensem Episcopum promotus est.

### GIRARDUS PUELLA.

POST hunc nomine & fama celebris Girardus nomine proprio, cognomento Puella, natione Anglus. Iste post longos potus turbidarum aquarum Sior hausit tandem sibi purissimas de fontibus Siloe. Quem Archi-Episcopus, priusquàm peregrinaretur, primus in Ordine Clericatus promovit: Et primus ei Ecclesiasticum beneficium contulit. Qui cùm tota die cucurrisset cum Patre, tandem circa diei vesperam in cursu remissior, quærens requiem, aliquantulùm à Patre divertit. Qui tamen posteà, post Beati Martyris de hoc Mundo transitum, bonæ, mansuetæ, & honestæ conversationis suæ & scientiæ meritis, in Conventrensem Episcopum promotus est.

### HUGO TEMINANT.

POST hunc Hugo cognomento Teminant, natione Romanus, tunc Archi-levita Luxoniensis, pro juventutis suæ annis tunc in consiliis discretus, in agendis providus, & strenuus in exequendis. Verùm peregrinatione Archi-Episcopi necdum finita, reconciliatus Principi, de Patris licentia reversus est. Qui per annos à Principe fidus repertus & strenuus, sive ab Aula, sive ab Ecclesia, nescio: sed hoc scio, quia illo, de quo proximè locuti sumus, felicis memoriæ Girardo de Tretam universæ carnis viam ingresso, ad eandem Sedem Pontificalem assumptus est.

### GILBERTUS DE GLANVILLA.

POST hunc Gilbertus de Glanvilla cognomento, natione Anglus, formam habens conversationis bonæ & honestæ, & omnium, inter quos conversabatur, bonorum moribus se conformans, & in utroquè jure scientiam commendabilem assecutus. Hic postquàm Beato Thomæ semel adhæsit, deinceps non defuit. Veruntamen vocatione omnium novissimus fuit, & tamen Altissimo sic *Disponente*, qui

qui fuerat vocatione noviſſimus, factus eſt Patri dignitatis loco proximior, jam in Epiſcopum Roſſenſem aſſumptus.

## RADULPHUS DE SERRA.

POST hunc erat Radulphus cognomento de Serra, natione Anglus, vir mitis, manſuetus, & ſocialis. Qui & necdum Epiſcopus vitæ tamen ſanctitate & ſcientiæ meritis adimplebat Epiſcopum. Hujus propter Archi-Epiſcopum obſtupuerunt dentes, cum tamen cum eo uvam acerbam non comederet. Cum enim nec de domo, nec de Archi-Præſulis eſſet familia, propter Archi-Præſulem tamen neſcio ob quæ odia vel ſuſpiciones, cum parentibus ſuis, ſepulturæ magis quam exilio aptis in exilium eſt deturbatus. Hic curſum cum Patre fortiter & fideliter conſummavit, poſt ejus Martyrium in terra exilii ob præclara ipſius merita Remenſis Eccleſiæ Decanus factus.

## JORDANUS DE MELEBURNA.

POST hunc erat Jordanus, vel ut alii nominant, Hordianus, cognomento de Meleburna, natione Anglus, tunc Ciceſtrenſis Archi-Levita, ejuſdem Eccleſiæ poſteà decanus, vir pro ætate & tempore, quo litteris operam dederat, non mediocrem ſcientiam aſſecutus. Verum quia villam emit, excuſavit ſe, & Patrem peregrinantem non eſt ſecutus.

## MATTHÆUS CICESTRENSIS.

POST hunc Matthæus, natione Anglus, ſicut natione, & cognomine Ciceſtrenſis, juvenis ingenio acer, probus, & induſtrius, qui cùm jam commodè profeciſſet in litteris, Curiarum & curarum ſæcularium nexibus à litteris retractus eſt. Poſtmodum Ciceſtrenſis Decanus factus. Hic verò quia minimè vocatus, Patrem peregrinantem ſecutus non eſt.

## GERVASIUS CICESTRENSIS.

POST hunc Gervaſius, ſimiliter ſicut natione, & cognomine Ciceſtrenſis, juvenis certè tunc ſicut in moribus, & in litterarum ſcientia commendabilis. Verùm nec iſte, cum nec vocaretur, patriam egreſſus eſt.

## JOANNES TALESBERIENSIS.

POST hunc Joannes cognomento de Talesberia, natione Anglus, vir habens multum pectoris & multum honoris, qui tamquam ſcriba doctus & velox mox cùm neceſſe, de cordis ſui theſauro nova & vetera proferebat. Verùm ipſe corpore jam gravis & annoſus, quod Patrem peregrè proficiſcentem non eſt ſecutus, excuſatur.

## PHILIPPUS DE CAUNE.

POST hunc Philippus cognomento de Caune, natione Anglus, vir levis & ſimplex, qui corporis & mentis vires in humani juris ſtudio jam exhauſerat, primum Patrem ſuum peregrinantem ſecutus. Sed cùm aliquantis poſt ſuppoſuiſſet humeros ſuos, ſed minimè ſufficeret tanto tempore, ad onus paupertatis portandum, vidit requiem quod eſſet bona, & repatriavit, priùs tamen paterna licentia & benedictione accepta.

## HEREVEUS DE LONDONIA.

POST hunc Hereveus cognomento de Londonia, unde & oriundus. Hic mutuatis vaſis aureis & argenteis ab Ægyptiis, in deſerto manna ſaturari optabat. Sed ab Archi-Præſule, ad Virum Apoſtolicum miſſus obiter morte præventus eſt.

## HUNTHERIUS DE WINDONIA.

POST hunc Huntherius cognomento de Windonia, unde & oriundus, homo ſimplex, rectus, timoratus, & ſine querela. Cui quod defuit in ſcientia, commodiùs ipſi deſuper eſt ſuppletum in vita, ipſo cum Zachæo, ſtatura puſillo, ſuper Sycomorum aſcendente, ut vel ſic tranſeuntem videret Jeſum. Hic cum Magiſtro in tentationibus uſquè in finem fideliter permanſit & conſtanter.

## ALEXANDER CUELIN.

POST hunc Alexander lingua paterna vocatus Cuelin, ſicut natione, & cognomento Gualenſis, edoctus quidem in litteris, jocundus in verbis, & in verbis jocundis multis, cujus tamen non omnis virtus in ore ipſius: dum potiùs ſicut nec lingua, nec ei defuit manus. Cum Patre & pro Patre nunc ultroneus, nunc juſſus, nunc verò miſſus inter multa pericula, cautè quidem & fortiter, & conſtanter & quod in natione illa valde pretioſum eſt, ſicut operans, ita ſemper & ubique Domino ſuo fidem ſervans.

## ROTHALDUS ET HARIALDUS, LOMBARDI.

FUERUNT adhuc & duo, unus dictus Rothaldus, alter vero Harialdus, natione Lombardi, viri quidem induarii & præpotentes in litteris, quos Archi-Epiſcopus jam peregrinans vocavit ad ſe. Quibus, intuitu litteraturæ ſuæ & prudentiæ, cùm pauca haberent, de paupertate ſua communicabat per ſingulos annos, primo quidem Markas decem, alteri virò centum argenteorum ſolidos ſingulis peregrinationis ſuæ annis largiendo.

## HUBERTUS LOMBARDUS.

FUIT adhuc de Martyris ſocietate ipſi charus admodùm & acceptus, quem quidem ponimus per ſe, quaſi ſingulariter magnum, & magnificè ſingularem, & quia vocatione inter noviſſimos. Hic erat Hubertus nomine proprio natione Lombardus, de inclyta illa Civitate, quæ Mediolanum dicitur, oriundus, vir opere plurimùm potens & ſermone. Qui ſicut de virtute ad virtutem, pariter & per Eccleſiaſticos aſcendens gradus primò fuit Bituricenſis Archi-Diaconus, & tunc ab Archi-Epiſcopo vocatus, inter ſuos annumeratus eſt. Poſteà verò ob præclara ipſius merita in Mediolanenſem Archi-Præſulem, unde & ortus fuerat, eſt promotus. Exinde primò ſecundò hujus promotionis ſuæ anno de Archi-Præſule in ſummum Romanæ Sedis Pontificem ſublimatus eſt, ſicut re, & nomine Urbanus Tertius dictus.

HERI-



## HERIBERTUS BOSAHAMENSIS.

FUERUNT tamen nonnulli inter hos, quos, etſi eruditos & ſtrenuos, hic non exprimimus, Domino quidem ſuo nihilominùs fidem ſervantes, & cum eo curſus agonem uſque ad metam debitam ſtrenuè & viriliter conſummantes. Inter quos tamen prætermittendus non eſt Magiſter Heribertus, natione Anglus, & ſicut natione, & cognomento de Boſaham. Qui Magiſtrum exulantem infatigabiliter proſecutus, vitæ ejus & operum veritatem, quam vidit & audivit uſque ad conſummationis metam, ſtylo eleganti deſcriptam poſteris teſtis fideliſſimus reliquit.

## EDUARDUS GRIM.

CLERICUM etiam illum, in agone Martyris brachio vulneratum, prætermittendum non cenſuimus. Hic quidem nomine proprio Eduardus, cognomento Grim dictus, erat natione Anglus. Quem per ſe ab aliis ponimus, quia ipſe etſi de Provincia, de Archi-præſulis tamen propria familia non erat, ſed caſu ſic ad Archi-Præſulem ſuum, nuper tunc reverſum ab exilio, viſendum venerat. Unde ipſum in hac hiſtoria in Archi-Præſulis Eruditorum catalogo ſeorſim ponimus. Qui tamen jam rebus humanis exemptus, ſicut ſperandum, ab Altiſſimo in ſupercœleſti Sanctorum catalogo jam poſitus eſt.

Ex iſto igitur, quem poſuimus, tam prudenti, tam forti felicis ſocietatis catalogo æſtimare poſſumus, quàm magnanimus, quàm magnificus, quàmque munificus fuerit glorioſus Dei athleta Thomas: Qui etſi omnibus nudatus, & proſcriptus, cauſæ Dei & Eccleſiæ tales ſecum & tantos Patronos conquiſivit.

CAUSA

## CAUSA EXILII ET MARTYRII

# BEATI THOMÆ MARTYRIS.

HUIC etiam libello nostro inserere studuimus funestum illud & famosum Decreti chirographum, Consuetudines videlicèt illas Regias, apud Clarendunam promulgatas: Quas ideò hic interserimus, ut legant sæcula futura post, & hinc cognoscant, quàm justa, quàm perspicua fuerit gloriosi Neo-Martyris Thomæ, primò Exilii, & posteà Martyrii causa.

### CAPITULUM I.

*De Advocatione & Præsentatione Ecclesiarum si controversia emerserit inter Laicos, vel inter Clericos & Laicos, vel inter Clericos, in Curia Domini Regis tractetur & terminetur.*

Primum hoc damnavit sancta Romana Ecclesia sub Alexandro tertio.

### CAPITULUM II.

*Ecclesiæ de feudo Regis non possint in perpetuum dari absque assensu & concessione ipsius.*

Hoc toleravit.

### CAPITULUM III.

*Clerici citati & accusati de quacumque re, summoniti à Justitia Regis, venient in Curiam Regis, quòd sit ibi respondendum: Ita quòd Justitia Regis mittet in Curiam sanctæ Ecclesiæ ad videndum, qua ratione res ibi tractabitur. Et si Clericus convictus vel confessus fuerit, de cætero non debet eum Ecclesia tuerì.*

Hoc damnavit.

### CAPITULUM IV.

*Archi-Episcopis & Episcopis, & Personis Regni non licet exire de Regno absque licentia Regis. Et si exire voluerint, si Regi placuerit, assecurabunt quòd nec in eundo, nec in moram faciendo perquirent malum Regi vel Regno, vel damnum.*

Hoc damnavit.

### CAPITULUM V.

*Excommunicati non debent dare vadium ad remanens, nec præstare juramentum, sed tantùm vadium & plesium standi Judicio Ecclesiæ, ut absolvantur.*

Hoc damnavit.

### CAPITULUM VI.

*Laici non debent accusari, nisi per certos & legales accusatores & testes in præsentia Archi-Episcopi vel Episcopi, ita quòd Archi-Diaconus non perdat Jus suum, nec quidquàm quod inde habere debeat. Et si tales fuerint qui culpantur, quòd nec velit nec audiat eos aliquis accusare, vice-Comes requisitus ab eo faciet jurare duodecim legales homines de insuero seu de villa coram Episcopo, quòd inde veritatem secundùm conscientiam suam manifestabunt.*

Hoc toleravit.

### CAPITULUM VII.

*Nullus qui de Rege teneat in Capite, vel aliquis Dominicorum Ministrorum ejus excommunicetur, nec terræ alicujus eorum sub Interdicto ponantur, nisi priùs Rex, si in terra fuerit, conveniatur, vel Justitia ejus si extra Regnum fuerit, ut rectum de ipso faciat, & ita ut quod pertineat ad Curiam Regiam ibidem terminetur, & de eo quod spectabit ad Ecclesiasticam Curiam, ad eandem mittatur, ut terminetur.*

Hoc damnavit.

### CAPITULUM VIII.

*De Appellationibus, si emerserint, ab Archi-Diacono debent procedere ad Episcopum, & ab Episcopo ad Archi-Episcopum. Et si Archi-Episcopus defecerit in Justitia exhibenda, postremò ad Regem est perveniendum, ut Præcepto ipsius in Curia Archi-Episcopi controversia terminetur, ita quòd non debeat ulteriùs procedere absque assensu Regis.*

Hoc damnavit.

### CAPITULUM IX.

*Si calumnia emerserit inter Clericum & Laicum vel è converso, de ullo tenemento, quod Clericus venit ad Eleemosynam attrahere, Laicus verò ad Laicum feudum, recognitione duodecim Legalium hominum per Capitalis Justitiæ Regis Consuetudinem terminabunt, utrùm tenementum sit pertinens ad Eleemosynas, sive ad Laicum feudum, coram ipsa justitia Regis. Et si recognitum fuerit ad Eleemosynam pertinere, Placitum erit in Curia Ecclesiastica; Si verò ad Laicum feudum, nisi ambo de eodem Episcopo vel Barone advocaverint, in Curia Regis erit Placitum. Sed si ambo advocaverint de feudo illo eundem Episcopum vel Baronem, erit Placitum in Curia ipsius. Ita quòd propter factam recognitionem saisinam non amittat, qui priùs saisatus fuerat, donec per Placitum disrationatum fuerit.*

Hoc damnavit.

CA-



### CAPITULUM X.

*Qui de Civitate, vel Castello, vel Burgo, vel Dominico Manerio Regis fuerit, si ab Archi-Diacono vel Episcopo de aliquo delicto citatus fuerit, unde debeat eis respondere, & ad citationes eorum satisfacere noluerit, benè licet eum sub interdictione ponere, sed non debet excommunicari, priusquàm Capitalis Minister Regis loci illius conveniatur, ut justiciet eum ad satisfactionem venire. Et si Minister Regis inde defecerit, ipse erit in Misericordia Regis. Et exinde poterit Episcopus accusatum Ecclesiastica Justitia coercere.*

Hoc damnavit.

### CAPITULUM XI.

*Archi-Episcopi, Episcopi, & universæ Personæ Regni, qui de Rege tenent in Capite, habeant possessiones suas de Rege sicut Baroniam, & inde respondeant Justitiis Regis & Ministris, & sequantur & faciant omnes Consuetudines Regias & Rectitudines: Et sicut cæteri Barones debent interesse Judices Curiæ Regis cum Baronibus, usque perveniat in judicio ad diminutionem membrorum, vel ad mortem.*

Hoc toleravit.

### CAPITULUM XII.

*Cùm vacaverit Archi-Episcopatus, vel Episcopatus, vel Abbatia, vel Prioratus de Dominio Regis, debet esse in manu ejus, & inde percipiet omnes reditus & exitus, sicut Dominicos. Et cùm ventum fuerit ad consulendum Ecclesiæ, debet Dominus Rex mandare potiores Personas Ecclesiæ, & in Capella ipsius debet electio fieri, assensu Regis, & consilio Personarum Regni, quas ad hoc faciendum vocaverit. Et ibidem faciet Electus homagium & fidelitatem Domino Regi, sicut Ligio Domino de vita sua, & membris, & de honore suo terreno, salvo Ordine suo, priùsquàm sit consecratus.*

Hoc damnavit.

### CAPITULUM XIII.

*Si quisquam de Proceribus Regni dissortiaverit Archi-Episcopo, vel Episcopo, vel Archi-Diacono de se vel de suis justitiam exhibere, debet Rex justitiare. Et si fortè aliquis dissortiavit Domino Regi rectitudinem suam, Archi-Episcopi, vel Episcopi, & Archi-Diaconi debent eum justitiare, ut Regi satisfaciant.*

Hoc toleravit.

### CAPITULUM XIV.

*Catalla eorum, qui sunt in Regis forisfacto, non detineat Ecclesia vel Cœmeterium contra Justitiam Regis: Quia ipsa ut Regis sunt, sive in Ecclesiis, sive extra fuerint inventa.*

Hoc toleravit.

### CAPITULUM XV.

*Placita de debitis, quæ fide interposita debentur, vel absque interpositione fidei, sint in Curia Regis.*

Hoc damnavit.

### CAPITULUM XVI.

*Filii Rusticorum non debent ordinari absque assensu Domini, de cujus terra nati dignoscuntur.*

Hoc toleravit.

Singulis verò damnatis his mox singulas damnationis suæ causas subjecissem, nisi quia cuivis vel modicam sacrorum Canonum habenti experientiam statim in primo auditu notissimæ sunt.

Facta est autem prædictarum Consuetudinum & dignitatum Regiarum recordatio ab Archi-Episcopis, Episcopis, Comitibus, Baronibus, Nobilioribus, & Antiquioribus Regni, apud Clarendunam, quarto die ante purificationem Sanctæ Mariæ Virginis, Domino Henrico filio Regis cum Patre suo ibidem præsente.

*Aliæ Constitutiones.*

HÆ sunt Constitutiones, quas constituit Rex Henricus in Nortmannia, proscripto Beato Thoma, & mandavit Justitiis suis, Richardo de Luci, & duobus Archi-Diaconis, Gaffrido Ridel Archi-Diacono Cantuariorum, & Richardo Archi-Diacono Pictaviensi, & omnibus Principibus & Populis Angliæ juranda & servanda contra Papam Alexandrum, & Thomam Archi-Episcopum. Harum latores fuerunt Winiertus Presbyter & Vice-Comes, & Galterus de Grimes Vice Comes.

### CAPITULUM I.

*Si quis inventus fuerit literas ferens Domini Papæ, vel aliquod Mandatum Archi-Episcopi Cantuariensis, continens Interdictum Christianitatis in Angliam, capiatur, & de eo sine dilatione Justitia fiat sicut de traditore Regis & Regni.*

### CAPITULUM II.

*Nullus Clericus vel Monachus, vel Laicus professionis homo permittatur transfretare vel redire in Angliam, nisi de transitu suo habeat litteras Justitiæ, vel de reditu suo litteras Domini Regis. Si quis aliter inventus fuerit agens, capiatur & incarceretur.*

### CAPITULUM III.

*Ne aliquis appellet ad Papam vel Archi-Episcopum.*

### CAPITULUM IV.

*Ne aliquod Placitum teneatur de Mandato Papæ vel Archi-Episcopi, vel aliquod Mandatum in Anglia ab ullo homine accipiatur. Si quis inventus fuerit aliter agens, capiatur & incarceretur.*

### CAPITULUM V.

*Generaliter quoque interdictum est, quòd nullus ferat aliquod Mandatum Clerici vel Laici Domino Papæ vel Archi-Episcopo. Si talis inventus fuerit, capiatur & incarceretur.*

CA-

## CAPITULUM VI.

*Si Episcopi, vel Clerici, vel Abbates, vel Laici sententiam Interdicti tenere voluerint, sine dilatione de terra ejiciantur, & tota eorum cognatio, ita quòd de catallis suis nihil secum ferant, sed omnia in manu Regis saisentur.*

## CAPITULUM VII.

*Et catalla omnium Domino Papæ vel Archi-Episcopo faventium, & omnes possessiones eorum, & omnium eis pertinentium, cujuscumque gradus, vel ordinis, vel sexus, vel conditionis sint, capiantur, & in Dominico Domini Regis confiscentur.*

## CAPITULUM VIII.

*Et omnes Clerici, qui reditus habent in Anglia, sint summoniti per omnes Comitatus, ut infra tres menses veniant in Angliam. Sicut reditus suos diligunt, & deinceps in Angliam redire: Et si non venerint ad præscriptum terminum, reditus eorum in manu Regis capiantur.*

## CAPITULUM IX.

*Et denarii Beati Petri non reddantur ulteriùs Apostolico, sed diligenter colligantur, & serventur in Thesauro Regis, & expendantur ad ejus præceptum.*

## CAPITUM X.

*Londoniensis & Norvicensis Episcopi sint in misericordia Regis, & summoveantur per Vice-Comites & Bedellos, ut sint contra Regis Justitias ad rectum faciendum Regi & Justitiis ejus de eo, quod contra Statuta de Clarendune interdixerunt ex Mandato Papæ terram Comitis Hugonis, & excommunicationem, quam Dominus Papa in ipsum fecerat, per suas Parochias divulgaverunt sine licentia Justitiarum Regis.*

## EPISTOLA

Missa Archi-Episcopo super his,

*Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo quidam Amicus suus.*

SCIATIS hunc esse tenorem Mandatorum, quem Henricus Rex misit in Angliam. Scilicèt ut omnes portus cautissimè custodiantur, ne litteræ interdictionis deferantur. Et si aliquis Regularis illas attulerit, pedibus truncetur; Si Clericus oculos amittat & genitalia; Si Laicus suspendatur, si Leprosus comburatur. Et si quis Episcopus ejus Interdictum metuens recedere voluerit, nihil secum deferat præter baculum. Vult etiam ut omnes Scholares repatriare cogantur, aut beneficiis suis priventur: Et qui remanserint, sine spe remeandi remanebunt. Et Presbyteri, qui cantare noluerint, genitalia amittant. Omnesque rebelles sibi omnibus beneficiis priventur. Vale.

## LITTERÆ

De Canonizatione Beati Thomæ Archi-Præsulis.

*Alexander Papa Cantuariensi Ecclesiæ.*

GAUDENDUM est universitati fidelium de mirabilibus illius Sancti & Reverendi Viri Thomæ, quondam Archi-Episcopi vestri. Sed vos exinde tanto ampliori gaudio & exultatione debetis repleri, quanto ipsius Miracula oculata fide sæpiùs intuemini, & ejus sacratissimo corpore Ecclesia vestra specialiùs meruit illustrari. Nos autem considerata gloria meritorum ejus, quibus in vita sua magnanimiter claruit, & de Miraculis ejus non solùm communi & celebri fama, sed & dilectorum Filiorum nostrorum, Alberti tituli Sancti Laurentii, & Theoduini tituli Sancti Vitalis Presbyterorum Cardinalium, Apostolicæ Sedis Legatorum, & aliarum plurimarum personarum testimonio certitudinem plenam habentes, præfatum Archi-Episcopum in capite jejunii, multitudine Clericorum ac Laicorum præsente in Ecclesia, deliberato cum Fratribus nostris consilio, solemniter canonizavimus, eumque decrevimus Sanctorum Martyrum Collegio annumerandum, vobis & universitati fidelium de Anglia Apostolica authoritate mandantes, ut Natalem ejus diem, quo vitam suam gloriosa passione finivit, annis singulis cum debita veneratione celebretis. Quoniam igitur dignum est, & vobis plurimùm expedit, ut sanctum ejus Corpus cum ea, qua decet reverentia & honore condatur, Discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenùs devotè & reverenter facta solemni Processione, aliquo solemni die, congregato Clerò & Populo, in Altari honorificè recondatis, aut ipsum in aliqua decenti capsa ponentes, pro ut convenit elevetis in altum, & patrocinium ejus pro salute fidelium & pace universalis Ecclesiæ satagatis vestris piis orationibus impetrare. Valete.

*Idem de eodem ad omnes Prælatos Ecclesiæ.*

REDOLET in Anglia fragrantia & virtute Miraculorum & signorum, quæ per merita illius Sancti & Reverendi Viri Thomæ, quondam Cantuariensis Archi-Episcopi, omnipotens Deus operatur, & universa lætatur ubique fidelium Christiana Religio, pro eo quòd ille, qui est mirabilis & gloriosus in Sanctis, Sanctum suum post mortem clarificavit, cujus vita laudabilis multa fulsit gloria meritorum, & tandem Martyrio consummata est gloriosi certaminis. Quamvis autem de Sanctitate ipsius dubitare non possit, qui ejus & laudabilem conversationem attendit, & gloriosam considerat passionem, voluit tamen Redemptor ac Salvator noster ejus Sanctitatis insignia irradiare miracula, ut qui pro Christo insuperabilis virtutis constantia necessitates & pericula pertulit, sui laboris & certaminis in æterna Beatitudine cognoscatur ab omnibus percepisse triumphum. Nos verò auditis innumeris & magnis Miraculis, quæ jugiter per Sancti viri illius merita fieri universitas narrat fidelium, & super his non sine magno gaudio per dilectos fratres nostros, Albertum tituli Sancti Laurentii in Lucina, & Theoduinum tituli Sancti Vitalis Presbyteros Cardinales: atque Apostolicæ sedis Legatos, qui eadem Miracula tantò perspicaciùs didicerunt, quantò ampliùs loco vicini fuerunt, præcipuè certiores effecti, & plurium Personarum testimonio fidem, sicut debuimus, adhibentes, prædictum Archi-Episcopum solemniter, magno ibidem Clericorum & Laicorum Collegio præsente, in capite jejunii, deliberato consilio Fratrum nostrorum canonizavimus, ipsumque decrevimus Sanctorum Catalogo adscribendum. Universitatem itaque vestram monemus, & authoritate, qua fungimur, districtè præcipimus, ut natalem prædicti gloriosi Martyris diem passionis suæ solemniter annis singulis celebretis, & apud ipsum votivis orationibus satagatis veniam promereri, ut qui pro Christo in vita exilium, & in morte virtutis constantia passionis Martyrium pertulit, fidelium supplicatione pulsatus pro nobis apud Dominum intercedat.

*Idem de eodem, adversario Episcopo.*

QUIA vice Beati Petri Apostolorum Principis supremum in Ecclesia Dei, licèt immeriti, locum obtinemus, & injuncto nobis Apostolatus officio gloriosissimum Martyrem Thomam, quondam Cantuariensem Archi-Episcopum, qui pro justitia Dei & Ecclesiæ libertate decertavit usque ad mortem, & veluti supra firmam petram fundatus à verbis impiorum non timuit, tantò studiosiùs in terris venerari debemus, quantò certiùs meritis exigentibus eum constat inter exultantium Sanctorum Choros æterna felicitate lætari. Audistis siquidem, & maxima pars Orbis Divina gratia revelante cognoscit, qualiter omnipotens Dominus, qui mirabilis & gloriosus est in Sanctis suis, eum potentia virtutis suæ à die, qua per Martyrii palmam Cœlos, sicut indubitanter credimus, Victor introivit, magnificè in terris glorificavit, & sub nomine ipsius multa quotidie Miraculorum signa non cessat operari. Unde nos deliberato consilio cum Fratribus nostris, post multam sollicitationem Archi-Episcoporum & Episcoporum, & præsertim commonitione dilectorum filiorum nostrorum, Alberti tituli Sancti Laurentii in Lucina, & Theoduini tituli Sancti Vitalis; Presbyterorum Cardinalium, Apostolicæ sedis Legatorum, qui exinde virtutum signa pleniùs investigaverant, & visu & auditu cognoverant, ipsum canonizavimus, & in catalogo Sanctorum connumerantes diem passionis suæ proximo post festum Sanctorum Innocentium ad honorem Dei singulis annis solemniter celebrandam, & inter Sanctorum Martyrum festivitates connumerandam esse constituimus: & eam per prædictos Cardinales, nec non & per Archi-Episcopos & Episcopos, tam in Anglia quam in Gallia, nec non & in aliis Regionibus constitutos præcipimus devotissimè celebrari. Quia ergò quæ à Sacro Sancta Romana Ecclesia, quæ ipso Domino caput est & magistra omnium Ecclesiarum constituta, tam sancta constat & provida deliberatione ordinatum, ab universis Christi fidelibus cum magna est veneratione observandum, Fraternitati tuæ per Apostolica Scripta mandamus, quatenus solemnitatem prænominati Martyris annuatim cum magna veneratione celebres, & à Parochianis tuis præcipias generaliter observari, eos studiosè commonens, ut ad ipsius venerationem ita ferventer intendant, quòd meritis ipsius intervenientibus Redemptoris sui gratiam sibi valeant indeficienter comparare. Ad hæc præsentium tibi authoritate injungimus, ut Fratribus tuis Comprovincialibus Episcopis ex parte nostra significes te istud à nobis mandatum suscepisse, & eos ad celebrandam illius prætiosi Martyris festivitatem invites attentiùs & horteris ita quòd ipsi ad hoc per studium & sollicitudinem tuam vehementiùs accendantur, & eam faciant à suis Parochianis annuatim cum magna devotione observari. Per cujus merita nos illi societ cœlestis gratia. Amen.



## INCIPIT PROLOGUS.

*In Actus & Exilium Beati Thomæ Archi-Episcopi & Martyris.*

HONOR & gloria Beati Martyris Thomæ per se satis elucescit ubiquè terrarum, cujus splendor Orbem illuminans quatuor Mundi climata, in ipsius excitat devotionem. Ad ipsius memoriam undique concurritur. Sexus, ætas, conditio omnis se devovet ad ejus obsequium. Fama pervolat in id ipsum, attrahit barbaras etiam Nationes; quibus sitibundè quærentibus Viri vitam & conversationem, Martyrii insuper causam & occasionem, satisfacere possunt quæ scripsit super hoc Vir vitæ venerabilis & eximiæ virtutis, ipsius Martyris Clericus, & exilii comes, tribulationis quoque per omnia particeps, posteà verò Carnotensis Episcopus, Joannes Saresberiensis, qui Christi Athletam & ipsius agonem breviter & succinctè depinxit. Verùm quia id operis rem ipsam pertingens rei formam non explicat per omnem modum, placuit & oportuit illi Scripto Epistolas succedere, in quibus continetur series & ordo universorum, ut qui desiderat, & ad id sufficit, totum habeat, si quis vitam viri, modum exilii, causæ processum, usquè ipsius rei requirit exitum. Epistolæ verò variò & diversò per schedulas collectæ corpus rediguntur in unum, sicùt pro modo suo fieri potuit singulæ locum suum retinentes, & ordinem. Si tamen generales, quæ minùs ipsum exprimunt negotium, quædam videantur aliter positæ, quoad rei seriem non multùm attinet. Sanè si quis exquisitas & discussas pleniùs ipsas Epistolas diligentiori manu potuerit reformare in meliùs, non erit qui invideat. Distinctæ sunt verò per partes secundum progressum negotii. Quarum prima pars continet exilium usquè ad adventum Wilhelmi & Ottonis Cardinalium. Quid, quando, ubi, vel per quos actum fuerit, per ipsas epistolas planiùs innotescet. Secunda pars ab illis Cardinalibus usquè ad Gratianum & Vivianum. A quibus tertia pars usque ad Simonem Priorem de Valle Dei, & Bernardum de Corilo. Ab illis etiam quarta pars usquè ad Rotrocum Rothomagensem Archi-Episcopum, & Bernardum Nivernensem Episcopum: Demùm etiam Wilhelmum Senonensem, nunc Remensem Archi-Episcopum. Quinta continet concordiam & passionem ipsius Martyris, & Canonizationem, & Ecclesiæ Christi reconciliationem.

IN quibus sedulus Lector & devotus Viri Dei Ima-

Imaginem inveniet pleniùs depictam. Insuper operum ejus vestigia si libet perscrutari, ibi inveniet digito Dei fabricatam armorum copiam. Ibi poterunt Sacerdotalis dignitas & authoritas Episcopalis in suæ militiæ speculo sese recognoscere, ut obsequium reddant Cæsari debitum, & Deo honorem. Nec opus erit ampliùs longiùs evagari, ut quærat quis, quomodò Ecclesiæ libertas debeat defensari. Per Epistolas ipsius Martyris iter recenseat, & statim occurret quid qualiter fuerit agendum. Joannis itaquè opus primò perlegatur, per quod iter aperietur ad cætera, quæ subsequuntur.

## INCIPIT PROLOGUS.

*In Vitam Sancti Thomæ Cantuariensis Archi-Episcopi, à Joanne Carnotensi Episcopo editus.*

SACRO-SANCTAM Ecclesiam jugiter impugnat hostis antiquus, sed qui ipsam cruore proprio redemit Dei Filius, eam sanguine membrorum suorum in veram effert & provehit libertatem, in quibus præeminent gloriosus Apostolorum Chorus, & Sanctorum Martyrum purpuratus exercitus, quorum doctrina compacti, quorum exemplo roborati, quorum sanguine velut cæmento & quasi glutino quodam consolidati sunt vivi lapides in ædificio corporis Christi, ut proficiens Ecclesia dilatetur & crescat numero fidelium, & virtute in templum Sanctum in Domino. Sed cùm omnes Martyres prærogativam habeant gloriæ sempiternæ, titulus tamen illorum illustrior est cæteris, & corona clariùs radiat, qui duplicis honore digni Doctorum funguntur officio, forma Gregis ex animo facti, & tempore necessitatis ponentes animam pro ovibus suis. Sicut enim stella à stella differt in claritate, sic in resurrectione Sanctorum singulis in ordine suo justi fulgebunt ut sidera: Et qui ad vitam erudiunt multos, erunt ut Firmamenti splendor in perpetuas æternitates. Quibus jure & merito Sanctus Cantuariorum Archi-Episcopus Thomas associandus est, ut qui exstitit pro Christo socius tribulationis & patientiæ, sit eis in ipso cohæres consolationis & gloriæ. Cujus ut merita clariùs elucescant, summam conversationis ejus succinctus & admodùm brevis sermo percurrat. Nam gestorum ejus seriem nosse, si cui fortè in voto est, à magnis quæ ab illo & de illo scripta sunt, voluminibus erit mutuanda. Ut constet ad commendationem gratiæ Dei, quæ ubi vult spirat, quam brevi intervallo variarum occupationum expleverit tempora justa, indicant hoc Epistolæ ejus, & Scripta aliorum, plena & digna relatu, quæ tam præsentes quàm posteros, si diligenter inspiciantur, ad virtutem poterunt animare.

*Horum Actorum ac Epistolarum Collector his prologis subjungit Sancti Thomæ vitam scriptam à Joanne Saresberiensi, & ex aliis supra laudatis ejusdem vitæ Descriptoribus quædam circa gloriosi Martyris certamen collectanea, quæ juvent ad intellectum Epistolarum. Ipsorum corpus exstat in superioribus, ideoque non sunt hic repetenda.*

*Collector concludit.*

HÆC idcircò hic posuimus, ne series Epistolarum interrumperetur, cùm ventum fuerit ad eum locum, ubi epistolæ idem tangunt, sed obscuriùs: hoc est in quarta parte, ubi Prior de Monte-Dei & Bernardus de Corilo Domini Papæ Mandati fuerunt Executores designati. Reliquæ verò omnes Epistolæ ordine suo & loco rem gestam lucidiùs declarant, ut ad legentis intelligentiam per se satis sufficiant. Prætermittuntur tamen quædam Epistolæ, quarum obtentu, dum contentio ageretur inter Dominum Regem, Beatum Thomam, & Archi-Episcopum Eboracensem, cognito & perspecto, quòd tanta sic prosperitas de facili vinci non potuit, studuit Eboracensis Archi-Episcopus Rogerus Regis animum adversùs Cantuariensem exasperare. Unde & avitis illis Consuetudinibus conservandis faciliùs cessit, ut sic Regiam gratiam sibi conciliaret in Cantuariensis confusionem. Accivit etiam sibi in locum Gilbertum Londoniensem Episcopum, qui & ipse diutiùs adspiraverat ad Archi-Episcopatum Cantuariensem. Quocircà dum exquisitis dolis & insidiis frustra conatus est Cantuariensem dejicere, sategit propensiùs, sed versutè, si quo modo posset à Cantuariensi Ecclesia Londinas Pallium transferre. Isti igitur duo cæterorum signiferi, & totius perturbationis incentores, his de causis ut dictum est, Regis animum induxerunt, ut has Consuetudines contra Ecclesiasticam libertatem statueret, & statutas in Regno Anglorum promulgaret.

EPI-

# EPISTOLÆ SANCTI THOMÆ, MARTYRIS ET ARCHI-EPISCOPI CANTUARIENSIS,

Alexandri III. Pontificis, Ludovici VII. Regis Galliæ, Henrici II. Regis Angliæ, aliarumque plurium sublimium personarum, concernentes causam præfati Martyris.

## LIBER PRIMUS.

### EPISTOLA PRIMA.

Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Joannes Pictaviensis Episcopus.

*Reverendissimo Domino, & Patri Beatissimo Thomæ, Dei gratia Cantuariensi Archi-Episcopo, suus Joannes, eadem gratia Pictaviensis Ecclesiæ humilis Sacerdos, Salutem & sanctæ perseverantiæ virtutem.*

VIX mihi, Domine, vel unum diem in itineris procinctum indulsi post litterarum vestrarum susceptionem, immò & omnis mihi etiam unius horæ morula odiosa erat post illarum perlectionem litterarum, quæ nihil continebant nisi solam obtestationem, ut tam necessario negotio, absque cujus impetratione non erit, sicut proponitis, absquè scrupulo conscientia vestra, meum præstarem obsequium. Fateor, Domine, excussisse mihi lachrymas literulas illas: quarum tam sedula, & sub tali imprecatione obsecratio nescio quam circa fidem Amici dubitationem importare videbatur. Malo tamen, ut salva pace Domini mei loquar, vos juxta nominis vestri proprietatem parùm credulum, quàm me minùs devotum inveniri. Et quamvis, sicut præcepistis, in hujus itineris arreptione Pictaviensium meorum contempserim loquacitatem, volui tamen, salva gerendi negotii fide, ipsorum declinare nugacitatem. Inde fuit quod palam proposui me Episcopo Ebroicensi, Richardo de Humez Conestabulario, Wilhelmo filio Hamonis, cæterisque Regis Officialibus Turonis occursurum, qui eisdem diebus ibi convenire debebant, ut super pace Comitum Arvernensium tractarent. Consilii siquidem illorum fidem explorare necessè habebam propter novorum Mandatorum inauditam duritiam, quæ mihi Luscus noster, cujus & mentis oculum penitùs excœcavit Deus, & cum illo Simon de Turnebu Conestabulo Toartensis, ex parte Regis apportaverant. Illi enim paucis diebus post Natalem Apostolorum Pictavium venerant, & solum me in partem traxerant, tanquàm secreta habentes ad me Mandata; adhibito tamen secum Henrico Panetario, quasi Legationis sibi injunctæ fideliter peractæ, si necessè foret, teste futuro. Cumque plurimùm insisterem, ut vel unum mecum adhibere possem, sive Abbatem, quia plerosque ibi mecum habebam, sive quamcumque Ecclesiæ meæ Personam, sive saltem Canonicum, id mihi concessum non est, eò quod Mandata ad me tantùm, non etiam ad illos perferenda accepissent. Inhibuerunt itaque mihi sub districta interminatione, ne aliquid ad Regis dignitatem pertinens mihi usurparem. Cui Mandato cum me libenter pariturum respondissem, ad specialia tandem descenderunt, prohibentes ne ad querelas Viduarum, vel Orphanorum, vel Clericorum, aliquem Parochianorum meorum intrahere præsumerem super quacumque possessione immobili, donec Ministeriales Regis, vel Dominorum, ad quorum feudum res controversiæ pertineret, in facienda justitia eis defecissent. Deindè ne super accusatione fœnoris quemquàm audirem. Prætereà ne in aliquem Baronem, ipsis inconsultis, immò donec ipsi illos mihi, in quibus deberent, ad Justitiam offerrent, anathematis sententiam promulgarem. Hæc enim ferè erant, in quibus contra Regiam agere dicebar dignitatem. Et præcipuè Clericos circa quorum Matrimonia ad ipsos quocumque titulo devoluta à sordidorum & pœnalium munerum præstatione irreverenter defendere dicebar. Pœna quoque his omnibus subjecta est, si hæc de cæ-

cætero mihi usurparem. Quamvis enim circa Personam meam, ut ajebant, duriora illis injuncta fuissent, mihi tamen etiam cum periculo suo parcentes, indictam sibi ad alios pœnam extenderent, ita scilicet, ut si quis ad citationem meam veniret, prædictis privilegiatis Personis responsurus, omnia illius bona confiscarentur, ipso, eò quòd coram nobis respondisset, publico carceri deputando. In accusatione fœneratorum eidem quoque pœnæ subjicerentur, tam Accusator qui nos adiisset, quàm Accusatus qui coram nobis respondisset. Quod si vel in istos, eò quòd coram nobis respondere nollent, vel in alios quoslibet à Rege Possidentes principaliter, ipsis inconsultis, excommunicationis sententiam dictarem, scirent exindè Excommunicati illi Regi non displiciturum, si vel in Personam meam manum extenderent, vel in bona grassarentur, vel in Personas vel in bona Clericorum meorum, qui sententias ex Mandato meo promulgarent, aut promulgatas observarent.

Ad hæc ego illis & reverenter & humiliter respondi, oportere me omnia hæc, licet solus audissem, ad Ecclesiæ meæ referre conscientiam, cujus erant libertates illæ, quibus hactenus usus eram, & nunc uti prohibebar. Quibus omnibus si ipsis inconsultis renunciassem, nihil actum esset, nisi quod in capitis mei periculum redundare posset. Verùm cùm communicato cum Ecclesia nostra verbo me nihilominus in libertatis nostræ prosecutione perseveraturum cognovissent, primò coram plerisque Baronibus Pictavienfium, deindè coram nostris Civibus sua publicè promulgaverunt Edicta. Hinc mihi, sicut supradixi, Turonis proficiscendi, & cæterorum Ministerialium Regis consilium explorandi occasionem accepi. Adjeci, quòd si fortè apud eos certi mihi consilii certa forma non appareret, illud Senonis in Secretario Domini Papæ explorare non esset inutile. Sub hujus consultationis obtentu cum Turonis pervenissem, inveni suprà nominatos Regis Officiales, jam firmato consilio quod in Arverniam proficiscerentur, ipso die ad Castrum, quod Luthiæ nominatur, profectos esse. Quos ego continuato duplomate usque ad idem Castrum prosecutus, ibidem Wilhelmum filium Hamonis & Hugonem de Cleers reperi. Cæteri jam ab ante auroram ad Castrum Radulphi iter arripuerant. Apud quos cum nihil consilii ferè, quod ad negotium Ecclesiæ meæ attinebat, invenissem, gaudio tamen gavisus sum, quòd opportunitatem accepi conveniendi ipsum Hugonem de Cleers super litteris, quas ei mittebatis. Cumque præsensissem, quod G. Clericus ejus ibidem præsens non esset, adjeci me in Mandatis accepisse à vobis, quòd ego, si ille abesset, in litteris legendis, & in eisdem, postquàm lectę essent, communicandis, & etiam in rescribendo vobis, si quid rescribere vellet, absentis locum supplerem. Et quoniam spatium illi ad ea, quæ rescribere volebat, non suppetebat, impetravit à me, ut litteras, quas G. suo mittebatis, ipse in manu sua fideliter reciperet, & illas, quas ipsi prælegeram, sub fidei suæ pollicitatione Divina, respectu tamen, ut existimo, affectionis Domini sui, cui, quantùm animadvertere possum, timet, ne fortè in his, quæ agit, à Deo, quem offendere videtur, percutiatur. Ego verò Dominum Ebroicensem, & illos qui cum eo præibant, litteris tantùm prosecutus, in cœpto itinere institi, & ab eodem Castro, id est, à Luthiis, præsentium latorem ad vos remisi. Præmisi autem Cursorem, per quem Abbatem Pontiniacensem, ut mihi in Curia occurrat, invito, qui Claræ-Vallensi, & de Fossa-nova, Ordinis sui Abbatibus, in negotio nostro nobiscum cooperetur, si illos fortè in Curia invenerimus. Quibus, prout Deus permiserit, expletis, Nuncium ad vos dirigere curabimus, per quem omnia ad vos vel ad nos pertinentia, quæ cognitione vestra digna existimabimus, vobis significare studèbimus. De cætero Paternitati vestræ supplico pro Clerico vestro, Amico meo, Turstano de Burins, ut gratia vestra ad me vel semel videndum venire permittat: quem, si obsequio vestro necessarius est, vobis continuò remittemus. Benè valete.

## EPISTOLA II.

Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Joannes Pictaviensis Episcopus.

*Reverendissimo Domino, ac Patri Sanctissimo Thomæ, Dei gratia Cantuariensi Archi-Episcopo, suus Joannes, Pictaviensis Ecclesiæ humilis Sacerdos, salutem & Spiritum fortitudinis.*

PRæveniſſet tarditatem meam in litterarum vestrarum benedictione diligentia, nisi præsentium Latore diuturna, sicut nobis proponebat, detinuisset infirmitas. Hujus itaque ægritudinis beneficio debeo, quòd meum apud vos excusare possum silentium: immò quod mea manifestè non est deprehensa negligentia. Verùm, ut veriùs dicam, & salva Majestatis vestræ reverentia licentiùs atque liberiùs loquar, neuter nostrum restè excusabilis apparet, dum nescio quæ non timenda timemus, & negligentiam nostram cautelæ nomine velamus, tanquam exeuntibus à vobis ad nos tendantur insidiæ, vel contra. Non recipit hujusmodi excusationes amicitiæ illius necessitudo, qua nos usque in hunc diem absque intermissione devinxit mutuæ charitatis affectio, à primis ineuntis adolescentiæ annis usque ad omnium sortis nostræ vel conditionis invidiam. Nunc verò aut locorum distantia, aut dignitatum inæqualitas affectionis pristinæ titulum aliquatenùs obscurare videbitur, si intercurrentium Cursorum parcamus laboribus. Si non alterius alteri plenissimè innotescat sollicitudo, in tantum ut omnem detraxisse videamur localis separationis injuriam. Sileat igitur, obsecro Serenissime Domine, de cætero hujusmodi excusationis prætextus, & quod vocibus negatum est, chartulis concedamus. Quod verbis non possumus, litteris exprimamus. Illarum inventoribus non existamus ingrati, quorum merito aliquid detraxisse videbitur, quisquis ex minùs evidenti necessitate illorum uti cessaverit beneficio. Nec prætermittendum, quò de deprehensionis injuria nullus per Dei gratiam Inter-Nunciorum nostrorum adhuc conqueri potest. Esto tamen, &, quod absit, deprehensum aliquem interim ponamus, quis rectè indignari poterit, si illas, quæ Ecclesiæ Dei & nobis fiunt, ad alterutrum deploramus injurias? Quis vapulantes & injusta passos flere prohibebit? Nunquid



quid in maxillas nostras lachrymæ nostræ impunè descendent? Denique etiam nobis omninò cessantibus, & nec voce nec Scripto aliquid interloquentibus imponitur, quod & nos vestro, & vos nostro omnia consilio peragatis. Quod ita verum est, si idem specie consilium utrique inspirat, ut impressiones, quas peccatis nostris exigentibus Ecclesiæ Dei inferri videmus, æquanimiter non sustineamus. Si enim Dei Ministri sumus, hæc utique communi, id est, Divino pertractamus consilio, qui demolientes vineam Domini Sabaoth siccis oculis non videmus, qui ruinam Domus Israhel saltem lachrymantes prosequimur. Licèt enim nos non illa, qua certè deberemus, perseverantia opposuerimus, licèt nondum usque ad sanguinem restiterimus, licèt multa pro temporis incommoditate, & Matris nostræ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ scissura dissimulaverimus, nemo tamen per gratiam Dei dicere poterit, quòd eorum adhuc comminationibus cesserimus, aut impietatis consiliis consenserimus. Quin accepta temporis opportunitate, quæ secùs acta sunt, & evacuari possint, & ad eadem evacuanda liberè nos interponere valeamus. Deo enim incessanter gratias refero, quòd, sicut ex aliorum fide certissimè teneo, detestabiles illas profanasque consuetudines, quæ diebus nostris sub innovationis obtentu promulgatæ sunt, non absolutè, sicut earum Innovator gloriatur, observandas promisistis, neque, ut cæteris, Scripti (*A.* 1164.) vestri munimento roborastis.

Verùm de Legatione Angliæ concedenda non est quod vereri quidquam debeatis, si verbis Apostolicis fides aliqua haberi potest. Gravi enim redimit pœnitentia illam qualem qualem, quam Eboracensi fecerat, concessionem. Nec molestè ferat Dominus meus, quòd à Domini Papæ & Curiæ frequentiori visitatione abstineo. De industria etenim declino, quoad possim, Pictavienfium nostrorum detractiones, qui quoties illuc accedebam, Regi scribere non cessabant, quòd in ipsius sugillationem, & institutionum suarum læsionem pleraque in Curia machinabar. Consultiùs itaque credidi personis discretis & Religiosis tam vestra quam mea negotia credere, & earum in parte ista opera uti. Quod & nunc paucis diebus ante litterarum vestrarum receptionem feceram, sub eo videlicet tempore, quo Paganum cognatum meum ad vos misi. Nactus enim opportunitatem viri venerabilis; & sanctitatis incomparabilis, Domini Abbatis Pontiniacensis, qui fortè cùm amore nostri, tum gratia visitationis Abbatiarum, quas in nostro Episcopatu habet, in partes nostras descenderat, ipsius industria pleraque, tam ad vos, quàm ad me pertinentia, ad Dominum Papam securiùs perferenda commisi. Specialiter autem super verbo Legationis, & Sancti Augustini. Qualiter enim litteræ Legationis sub indignatione convitiis permixta Domino Papæ restitutæ fuissent, & quomodò ad instantiam quorundam Cardinalium quasi ad placandam Regis indignationem districtiores vobis litteræ pro benedicendo Abbate Sancti Augustini directæ sint, per communem Amicum nostrum Dominum Henricum Pisanum mihi pleniùs innotuerat.

Quamvis autem præfatus Abbas & discretionis suę, & Religionis intuitu, nec non & obsequii, in quo illis frequens deservit, in Curia plurimùm possit, si tamen præceperitis, & expedire magis vobis videatur, nec tibi detrahentium linguas, nec ejus, apud quem detrahitur, molestias vereor, nec sic aut laborem corporis declinare, aut sumptibus parcere quæro, quin ad Mandati vestri imperium in persona propria ad illos adscendam, nihil difficile ad laborem existimans, in quo Matris meæ Sanctæ Cantuariensis Ecclesiæ utilitatibus deservire possim. Nec est, ut mihi videtur, quòd de urgenti Domini Papæ Mandato circa benedicendum Sancti Augustini Abbatem supra modum conqueri debeatis. Maximè cùm adjectum sit, sicut accepi, quòd si illi ulteriùs benedicere cessaveritis, ipse ei ad se venienti benedicturus sit. Aut igitur vobis ad prosecutionem juris vestri patebit exeundi libertas, aut si tam manifestè negata fuerit, quidquid sub tam manifesta impressione fiet, tempore accepto pro infecto haberi poterit. Commoneo autem Sanctitatem vestram, ut cum supradicto Abbate Pontiniacensi vel in Persona vestra, si sub prætextu causæ vestræ in partes Galliarum veneritis, vel certè per litteras vestras, si exeundi facultatem non acceperitis, ulteriorem ineatis familiaritatem. Quamvis tam ego, quàm communis Amicus noster, Abbas videlicèt de Stella Isaac, ut continuam vestri habeat Sanctissimus ille Conventus Pontiniacensis in orationibus suis memoriam, rectè procuravimus. Invenietis quoque & eandem Domum utilitatibus vestris etiam temporalibus deservire paratam, si necessè fuerit. Industria enim & sanctitate supradicti Abbatis sui omnibus Cistercienfis Ordinis Abbatiis plus potest. Et hic mihi, ut tutis auribus loquar, exilii sedem elegi, cum Tortoris nostri molestias ulteriùs sustinere non potero.

Quod verò scribitis, ut negotia vestra nemini credam, nisi soli Summo Pontifici, & Pisano nostro, adjecisse, nisi fallor, debueratis etiam Cardinalem Sancti Laurentii Magistrum Albertum, quem profectibus vestris deservire existimo, non tam Personæ vestræ, quàm negotii intuitu: quia vos non vestram, sed Ecclesiæ causam suscepisse & protestatur & agnoscit. Ego tamen interim, nisi novo à vobis suscepto Mandato, fines mihi præscriptos non transgrediar. Scripsissem (*A.* 1164.) vobis de Octaviani decessu miserabili, & Guidonis Cremensis substitutione execrabili, nisi quia nostros, qui in Curia morantur, hæc omnia pleniùs scire scio, per quos vobis fideliùs innotescere debent. Et hujusmodi nova non nisi ab ipsis, & per ipsos ad nos usque derivantur. Familiaris autem status meus, quem Dei gratia vobis describi jubetis, post discessum Pagani nostri, per quem vobis viva voce omnia intimari præcepi, in nullo innovatus est: quia Luscus noster, qui licèt in plenitudine potestatis, non tamen in plenitudine luminis ad nos reversus est, nondum sua promulgavit Edicta. Exercitum solummodò Aquitaniarum summonuit, ut Regi Francorum, si in Arverniam, ut destinabat, proficisci perseveraverit, in manu valida occurrant. Missi tamen sunt ad Regem quærendæ pacis Procuratores, sicut nosse vos credo, Dominus Ebroicensis, & Richardus de Humez. Nondum verò ad nos pervenerat, quid perfecerint. Cætera, cum nobis innotuerint, & fidelem invenerimus Nuncium, vobis significare non differemus. Obsecro autem, ut per puerum illum, quem sæpè dictus Paganus meus ad me in brevi mit-

mittere debet, omnia, quæ cognitu mihi necessaria duxeritis, rescribere non differatis. Benè valeat Dominus meus.

Præsentium latorem una tantum nocte mecum retinui, ut adventus sui moram celeritate reditus sui purgare possit, quem tamen, sicut asserit, infirmitas excusat: & ne aliud vobis suggerere posset, in festo Sancti Albani animæ discessit. Vereor, Domine, ne charta hæc plus vobis in legendo, quàm mihi in scribendo tædii importet. Veniam tamen meretur, qui prolixitate sua omnes retroacti temporis negligentias redimere debet. Cui tamen sub hac clausula finem impono, ut cùm tempus acceperitis, devotissimi vestri, communis Amici nostri, Magistri Joannis Saresberiensis memineritis, sæpiùs ad animum revocando, quòd relegationis pœnam primus ob hoc sustineat, quòd necessitatibus Ecclesiæ vestræ, & vestris utiliter ac fideliter deservire credebatur. Iterùm & semper valete, memor nostri in orationibus vestris.

## EPISTOLA III.

Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo suus Nuncius.

*Venerabili Domino suo suus ille in eis, quæ Dei sunt, semper proficere.*

IN fine litterarum, quas vobis nudiustertiùs misi, si tamen vos eas recepistis, contentum est, quòd Rex, quibusdam irarum igniculis inter ipsum & Dominum Papam accensis, vestro, immò Dei instinctu venerit ad Curiam, ipsisque seorsim colloquentibus, quidquid rancoris conceptum fuerat, per gratiam Dei extinctum est. Discordia etiam, inter Henricum Pisanum, & Joannem Neapolitanum, & Wilhelmum de Papia, quisque enim istorum eodem spiritu vexabatur, pullulaverat, species tenùs sopita est, Rege mediante. Quidam etiam alii, priùs discordes, per eum concordes facti sunt, ita ut eo indè discedente multi dicerent: *Homo iste venit pacem mittere, non gladium*. Die autem tertia post ejus discessum ego & Frater Franco, verbo nobis secretissimè commisso, ad eum missi sumus. Cumque Parisios venissemus, Magistrum Rogeri Eboracensis Nuncium invenimus, qui jam rumoribus repleverat civitatem, quòd scilicèt Rex Angliæ apud Vigorniam de equo ceciderat, & quod graviter in dextro brachio læsus fuerat. De duro etiam responso, quod Rex ibi per proprios ipsius Nuncios Gualensibus fecerat, & aliis multis, quæ aliquis nostrum, qui tanquàm exules facti sumus, nullatenùs præsumeret. Veniens Sylvanectum ad Regem inveni quemdam apud eum servientem, qui ei duos canes nomine vestro præsentaverat. Ipse, tanquàm vir discretus, & de Amico sollicitus, timebat ne alicujus Æmulorum vestrorum malitia factum esset, ut per litteras ab eo impetratas, vel per aliqua intersigna occasio malignandi posset haberi, ideoque ipsum tamquam Exploratorem, donec ego ad eum venissem (sciebat enim me in brevi venturum) apud se detinebat. Ego quidem, licèt eum ad plenum non cognoscerem, quia tamen multa ab eo audiebam de Domo vestra intersigna mihi satis nota, & ne si aliquid mali, quod in mente Regis erat, ei inferretur, verbum ad aures inimicas transiret, datis ei à Rege viginti solidis ipsum abire permisi. Misit Rex vobis litteras, sua dilectione magna & consolatione plenas, quas etiam latori præsentium propter quædam, quæ in eis continentur, non sum ausus committere, sed eas apud me retinui.

Expletis itaque Domini Papæ negotiis, pro quibus missus eram, reversus quàm festinè potui ad Curiam, sine omni difficultate à Domino Papa obtinui, quod nullus Nuncius instinctu illius Æmuli nostri ab eo obtineret, quod aliquo modo vobis posset obesse, & quod ipse honori & utilitati vestræ pro posse suo in omnibus provideret, pro quo ego vice vestra pedem ejus deosculatus sum. Petitiones ejus secretò factæ fuerunt hujusmodi. Prima, quòd Dominus Papa cogeret Electum Episcopum Sancti Andreæ de Scotia venire Eboracum pro Consecratione sua; & si non veniret, quòd Archi-Episcopo liceret eum suspendere: sed non potuit obtineri. Alia, quòd absolutè duceret in irritum, quidquid Prædecessores Wilhelmus & Henricus, & omnes alii distraxerunt vel alienaverunt de fundo Eboracensis Ecclesiæ. Quod quidem hoc modo obtentum est, quòd ei liceat legitimè revocare, quidquid injustè, & sine assensu Romani Pontificis vel privilegio distractum à Prædecessoribus suis. Tertia, quòd ipse non compellatur ad ordinandum, vel beneficium Ecclesiasticum conferendum aliquibus, qui fuerint geniti vel nati ab aliquibus in Sacris Ordinibus constitutis. Et hoc obtentum est. Quarta, quòd ei liceat redimere à Laicis Advocationes Ecclesiarum. Quod necdum potuit obtineri. Aliæ fuerunt, de quibus nullam feci mentionem: Nullius enim momenti erant. Nos autem verebamur, ne aliquid magis sublateret: *Latet enim anguis in herba*. Dissimulabat namque Nuncius se in brevi recessurum, cùm tamen non ita esse apud hospites ejus deprehendissem.

De servitio ejus scribere vobis aliquid certum non potui. Cùm enim jam per quindecim dies moram fecisset in Curia, Dominus Papa nihil adhuc receperat, nec aliquis Cardinalium, nisi fortè Neapolitanus, quem ferè solum habet propitium: Qui usque ad mortem dolere videbatur, quoniam ei ad nutum non succedebat. Utrum verò ipse servitium attulerit, incertum erat. Ego tamen, cùm à Rege rediissem per Parisios, exploravi ab hospite ejus de statu ipsius: Et accepi, quòd cùm tres haberet equos, ibat oneratus. Quod quidem sive sit, sive non sit, nobis parùm curandum est. Nos enim per gratiam Dei juxta portum sumus, & de faucibus leonis eripuit nos Dominus. Eisdem diebus Wilhelmus de Papia, semel in Palatio trahens me in partem, quæsivit utrùm de vobis aliquid audissem. Cùm ipsi respondissem, *Non*, cum multa & consueta solemnitate dixit: *Non amplius turbidam faciem geras, sed lætitiam natali diei debitam agas. Quia Dominus Archi-Episcopus cum Rege confœderatus est, & pacem ejus obtinuit*. Quod quidem à quo habuisset, per eum non potui cognoscere. Postmodùm verò die secunda Sub-Decanus Eboracensis, & quidam ejus Canonicus secretò mihi retulerunt, quòd apud Lexovias hospitati cum Episcopo Lexoviensi, litteris & viva voce mandavit Episcopus per eos Wilhelmo Papiensi, & Joanni Neapolitano, quòd ipsi pro certo scirent pacem fa-





ctam esse inter vos & Dominum Regem. Hoc utique quid sibi vellet significare, quod eis sic mandatum est, & ab eo qui in eadem damnatione cum eis fuerat, incertum erat. Cumque hoc Domino Papæ, Hyacintho, & aliis Amicis nostris per me innotescceret, mirum omnibus videbatur. Omnes tamen de pace vestra tamquàm de sua lætabantur. Dicebatur autem à quibusdam Nuncium illum majora his velle quærere, sed quia nullum apparebat argumentum, & Dominus Papa nos omninò esse securos præceperat, ea vobis scribere supersedi. Porrò si aliquid aliud emerserit, quàm citiùs poterimus, Sublimitatem vestram non latebit.

Verbum illud de filio Osberti Archi-Diaconi jam omnium aures replevit: & abhorrent universi. Nos autem Deo & vobis gratias referimus, quòd quicumque à vobis veniunt, consonant. Et nos in aure de honestate vestra, ipsi prædicant super tecta. Cancellarius Imperatoris veniens Viennam, Archi-Episcopos quamplures convocavit, (*A.* 1164.) primòque milites ad opus Imperatoris ab eis quæsivit. Postmodùm de receptione Guidonis Cremensis, quem Imperator receperat, instantissimè singulos convenit. Ibi spe & desiderio suo privatus est. Quidam enim eorum ipsum Guidonem coram eo excommunicare parati fuerunt. Ipse verò, cùm non posset juxta votum suum proficere, indixit Comiti Henrico colloquium suum se velle cum eo habiturum. Comes autem, cùm hæc vobis scriberem, transierat Parisiis, ut Regem super hoc consuleret. Sed quid facturus esset, nos adhuc ignorabamus. Plura vobis scripsissem de statu Ecclesiæ, de Lombardorum reelevatione contra Imperatorem, de Sacramento quod à Romanis generaliter factum est Papæ Alexandro, & aliis, nisi quia paginæ prolixitas prohibebat. Timebam etiam aures, tot & tantis occupatas negotiis, offendere. Conservet vos Deus nobis & Amicis vestris incolumem. Equitaturæ defectus, quem patior, poterit vobis esse damnosus. Nisi enim Archi-Diaconus Saresberiensis, qui de omnibus negotiis ad vos spectantibus pro posse suo sollicitus est, mihi subvenisset, quibusdam, quæ satis utiliter sum prosecutus, de necessitate supersedissem. Domus meæ, & rerum mearum, si placet, reminiscamini. Duritia enim rusticorum tanta est, quòd nisi authoritas vestra intervenerit, ipsi in nullo mihi parcent. Undè expedit mihi, ut ipsis & Ministris vestris super hoc litteras vestras dirigatis.

## EPISTOLA IV.

*Alexander Papa Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo.*

ETsi pro animi tui prudentia & fidei sinceritate Personam tuam uberiori dulcedine charitatis & flagrantiori desiderio velimus semper diligere, & honori ac exaltationi tuæ, sicut charissimi fratris nostri, ardentiori animo adspirare, nos tamen & teipsum, qui magna columna es Ecclesiæ, cautiùs convenit temporum qualitatem attendere, & provida dispensationis moderatione motum Principis delinire. Novit siquidem industria tua, cui Divina dispensatio magnæ providentiæ ac gratiæ donum indulsit, quam ferventem dispositionem circa Regni sui gubernationem charissimus in Christo filius noster Henricus, illustris Rex Anglorum, dependat, & eandem velit dispositionem, ut firmior habeatur, & habeat majorem favorem, authoritate Romanæ Ecclesiæ roborari. Undè cùm olim per Venerabilem fratrem Lexoviensem Episcopum, & dilectum filium nostrum Pictaviensem Archi-Diaconum, à nobis, & fratribus nostris instantiùs postulasset Legationem totius Angliæ Eboracensi Archi-Episcopo indulgeri, & tam tibi quàm universis Episcopis mandari rogasset, ut antiquas Regni sui consuetudines & dignitates conservaretis, nobis ejus petitiones præter suum arbitrium moderantibus, statim post reditum Nunciorum suorum, vix audito quod à nobis reportaverant, dilectos filios nostros Gaufredum Archi-Diaconum tuum, & Magistrum Joannem transmisit, & per eos quod priùs petierat, & majora à nobis instantissimè postulavit. Et ut suo desiderio faciliorem animum præberemus, Fraternitatis tuæ & prædicti Archi-Episcopi ad nos litteras impetravit. Quod enim de antiquis Consuetudinibus & Dignitatibus conservandis priùs mandari rogaverat nuper, sicut Tu & alii observare promiseratis, ea cum multa instantia petiit authoritate Apostolicæ Sedis Sibi & suis Posteris confirmari. Sed nos petitionem istam nequaquàm admisimus. Veruntamen nè ad nimiam amaritudinem & vehementiorem animi turbationem eum circa nos & teipsum provocaremus, nè etiam id consideratione tui putaretur quomodolibèt impediri, nos tibi & nobis, nè fortè in majorem calorem iracundiæ adversùs te exardesceret, consultiùs providere volentes, & pensantes tempora periculosa, Legationis litteras præfato Archi-Episcopo concedendas eidem Regi concessimus. Quoniam verò votis Principum condescendendum est, & suæ contemperandum voluntati, prudentiam tuam monemus, consulimus, & omnimodis exhortamur, quatenùs sicut vir prudens, & discretus, necessitatem temporis metiens, & quæ indè tibi & Ecclesiæ tuæ possent provenire pericula, fideli meditatione attendens, prænominato Regi in omnibus & per omnia, salva honestate Ecclesiastici Ordinis, deferre satagas, & ejus tibi gratiam & amorem incessanter recuperare intendas. Nè secùs faciendo, eum contra nos & vos ipsos conturbes, & hi, qui non eodem spiritu ambulant, tibi & nobis valeant propter hoc insultare. Nos enim, data nobis opportunitate, de honore & augmento tuo cum eodem Rege diligenter & sollicitè conferemus, & circa conservanda jura & dignitates Ecclesiæ tuæ necessariam diligentiam adhibebimus, & cautelam, quam convenit adhibere. Datum Senonis, tertio Kalendas Martii. (*A.* 1164.)

## EPISTOLA V.

*Alexander Papa Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo.*

NOn ob gratiam concessæ Legationis tuus animus deficiat, nec deducatur in suspiria desperationis. Quoniam nos antequàm ad hoc deduceremur, & liberum tribueremus consensum, prædicti Nuncii nobis ex parte ipsius Regis firmiter in verbo veritatis promiserunt, & super hoc, si vellemus recipere, juramentum obtulerunt, quòd numquàm sine conscientia & voluntate vestra eædem litteræ

Archi-Episcopo Eboracensi redderentur. Sanè indubitanter credere te volumus, & sine omni scrupulo dubitationis tenere, quòd nunquàm in animum nostrum descendit, nec unquàm Domino volente descendet, ut te aut Ecclesiam tuam alienæ personæ in Ecclesiasticis velimus subesse, nec nisi tantùm Romano Pontifici obedire. Et ideò monemus Prudentiam tuam atque mandamus, quatenùs, ex quo perpendere poteris eundem Regem litteras reddidisse, quod eum non credimus sine conscientia nostra facturum, statim nobis per fidelem Nuncium & litteras tuas id nobis significes, ut Personam tuam, Ecclesiam quoquè, pariter ac civitatem tibi commissam ab omni Jure Legationis authoritate Apostolica decernamus prorsùs exemptam.

## EPISTOLA VI.

Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo suus Nuncius.

*Amantissimo Domino suo suus ille salutem, & benè semper valere.*

PEr misericordiam Dei, quæ sperantes in se non deserit, factum, ut eadem die, qua Dominus Papa de morte Octaviani certificatus est, venerint (*A.* 1164.) ad Curiam Nuncii Domini Regis R. & H. Hi autem, tantæ humilitatis speciem ex parte Regis prætendentes, una voce & litteris verbis eorum consonantibus Dominum Papam, & aliquos Cardinalium adeò movisse visi sunt, quòd, sicut ex relatione quorundam, qui nobis favent, didici, ipsi vix lachrymas continebant. Post multas igitur allegationes, qualiter scilicèt, & quo affectu ipse eum receperit, quantam reverentiam ei semper exhibuerit, & quamdiu vivet exhibebit, & in hunc modum multas reddiderunt Domino Papæ litteras de Legatione, quas Archi-Diaconus vester minùs honestè, & dum apud vos eram in Anglia, impetravit. Conditionem verò ipsam, sub qua eas obtinuit, Dominus Rex per istos Nuncios per se factam vel quæsitam fuisse penitùs negavit. Dominus verò Papa cum tanto affectu, & ita avidè eas recepit, tanquam si aliquid desideratum ei oblatum fuerit, ut & quidam ei assidentes plurimùm mirarentur. In hoc itaque articulo qualem ego me exhibuerim, quid super hoc à Domino Papa mihi commissum sit, salva fide mea vobis significare non potui, donec Nuncii à Curia recessissent. Postmodùm verò Nunciis illis cum multa festinatione se velle redire simulantibus, tres illi Cardinales, qui vos modis omnibus persequuntur, Neapolitanus scilicèt, & Portuensis, & Papiensis, magna instantia conati sunt à Domino Papa obtinere litteras generales de Legatione, vel saltem easdem, quæ redditæ fuerant, ad mitigandam Regis indignationem absolutè. Quod cùm neutrum possent (Dominus enim Papa super hoc securum me fecerat, quòd scilicèt nunquàm ampliùs ad manus ejus redirent, & secretò mihi commiserat) ad negotium Abbatis Sancti Augustini conversi sunt. In quo qualiter processum sit, ex litteris sociorum nostrorum cognoscetis. Vestra itaque interest nobis viriliter providere, & gratiæ Dei, quæ ultrò se vobis offert, non deesse. Valeat Paternitas vestra.

Nuncii Regis coram Domino Papa me esse specialem inimicum ejus denunciaverunt: Et non expedire mihi pro toto auro Arabiæ, quòd ipse haberet potestatem mei. Sed nec sic poterit terreri fides mea, ut cum Petro possim dicere: *Paratus sum tecum in mortem & in carcerem ire.*

## EPISTOLA VII.

Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo suus Nuncius.

*Venerabili Domino & Patri Charissimo Thomæ, Dei gratia Cantuariensi Archi-Episcopo, & Anglorum Primati, fidelium suorum minimus salutem, & felices ad vota successus.*

NOverit vestra Paternitas Octavianum Schismaticum, quem sibi in caput erexerant, & Schismaticis Principem Belial, quarta feria post octavas Paschæ obiisse in urbe Lucensi, & sepultum esse in Monasterio extra civitatem. Cùm enim Canonici majoris Ecclesiæ, & Regulares Canonici Sancti Fridani ei sepulturam negassent, præeligentes à suis migrare sedibus, quam admittere corpus Schismatici, quem credunt in inferno esse sepultum, à satellitibus Imperatoris & familia propria ad miseros Monachos cadaver illud perlatum est: Capella verò ipsius, & quidquid aliud habebat, & equi, quoniam aliud non habebat, qui urgente inopia non nisi ex rapto vixerat à multo tempore, ad Imperatorem perducti sunt. Imperator autem hoc cognito vocavit ad se Papiensem Episcopum, qui in Monasterio Beati Michaelis apud Clausam exulabat: sed quid facturus sit, adhuc incertum est. Alii autem dicunt, quòd alium velit eis substituere. Alii quòd ad Catholicam redibit unitatem. Præterea urbes Italiæ minùs solito promptæ sunt in obsequium ejus, adeò quòd Papienses & Cremonenses, per quos Italiam domuit & contrivit, ei in faciem resistant, denunciaverintque ei, quòd ab eo recedens omninò, nisi deponat tyrannidem, & civiles induat mores, ut liberi esse possint, sicut in diebus aliorum Imperatorum.

Octavianus autem quindecim diebus antequàm moreretur, freneticus effectus est continuè, & in tantam versus insaniam, ut nec Dei, nec sui memor esset. Audierat quidem Dominus Papa de morte Octaviani à fidis & veris Relatoribus, & velut alter David Persecutorem suum deflevit extinctum, & Cardinales de morte illius exultantes durius increpavit. Hoc autem rectè, eò quòd jactura animæ irreparabilis est, ubi culpa per pœnitentiam non deletur. Nec meminimus à sæculo, quòd Hæresiarches vel author schismatis, nisi coactus & invitus, pœnitentiam egerit. Si revolvatis historias, ità credo verum esse constabit, quælibet autem sacrificia, nisi voluntaria fuerint, reprobat Deus. Dum in Curia sermo iste crebresceret, ecce Nuncii Domini Regis advenerunt, litteras à Sede Apostolica impetratas restituentes. Vix eas reddiderant, cùm in continenti aliæ litteræ ab Italia venerunt, & ferè pariter porrectæ sunt, exponentes diligenter & de morte Octaviani, & de his quæ in Italia gerebantur. Dicitur itaque, & non modò Domino Papæ ab Italis, sed & Regi Francorum à Gallis de partibus Apuliæ redeuntibus, quòd Imperator quin-



tana laborabat, & Imperatrix in puerperio fecit abortum. Unde factum est, ut tota Gallia ad obsequium Domini Papæ devotiùs conversa sit, & Ecclesiam Romanam ad minas hominum minùs moveri oporteat. Et ut pro certo accepimus, Domini Eboracensis Legatio omninò exspiravit, sublata omni spe convalescendi.

Memoratus itaque Dominus sic Legatus Anglorùm extitit, ut nec annuus, nec mensurnus fuerit, aut dialis, qui in Legatione sua nec annum, nec mensem, nec diem habuit. Sed nescio quo pacto Nuncii recedentes ab Apostolica Sede, licet his qui eos præcesserant, minores sint, se pro Augustinianis obtinuisse jactitant, quod majoribus negatum est, & adversùm Nuncios vestros Curiam inflammasse. Et sibi patuisse dolos, quos Gaufredus Ridel & Joannes de Oxeneford contra Dominum Regem exercuerunt, ut exilio & omnium bonorum proscriptione digni sint, si citrà consensum & Authoritatem Regiam talia præsumpserint. Dicunt etiam quod quidam Cardinalium litteris suis Domino Regi significant ad excusationem sui, quam malitiosè Gaufredus & Joannes incesserint, & quam præsumptuosè vestri Nuncii semper & ubique detrahunt Regi. Super his nihil mihi significaverunt socii nostri morantes in Curia, sed ea per Extraneos didici. Verumtamen quidquid contra innocentiam vestram malignorum perversitas moliatur, rogo & consulo, ut quantumcumque secundum Deum poteritis, vobis Domini Regis gratiam acquiratis & conservetis: quoniam ita Ecclesiæ Dei expedit. Nec video quomodò possitis utiliter præesse, quamdiu rebus ita manentibus Rex vobis in omnibus adversabitur. Præsertim cum Ecclesia Romana a vobis non nisi verba recipiat, & dispendium, quod aliunde patitur, imputet vobis & sibi, quæ vos pro voluntate Regis non patitur conculcari. Nunc autem facile ex hac occasione Monasterium Beati Augustini præ cunctis retinebit omninò; quia credibile est, omnes sibi malle quam alteri. Nec video, quomodo istud evitetis, nisi per Regem, cui probabiliter persuaderi fortasse poterit, quod longè melius est, & honestiùs illi, & tolerabilius vobis, ut vestram pro libitu conculcet Personam, quàm sic Ecclesiam mutilet & pessumdet. Ecclesia verò Cantuariæ, in quo meruit iram ejus? Nunquid digna est affligi & conteri, quia vos elegit, & sibi præfecit? At ille, si causam rectè examinat, hoc sibi, non Ecclesiæ imputabit. Sanè meliùs esset in quacumque Cella salvaretis animam vestram, quàm ut vestri odio vestra & omnes aliæ Ecclesiæ conterantur, & Clerus in ea, cui in diebus nostris addictus est, servitute remaneat. Forsitan & humiliatione vestra hujusmodi, quam vobis Dominus inspirabit, movebitis Regem si ea dixeritis loco & tempore, & ea modestia, & contemptu rerum, & constantia, quam causa desiderat. Si eum placatum habueritis, omnia hæc Authore Domino facillimè conquiescent. Et si hoc aliter fieri nequit, rogo & omnibus modis consulo, ut eum amplius frequentetis. Nec in eo vos deserere credatis Pastoris officium, si vel hanc unam animam retinueritis in cultu Dei, ex cujus arbitrio Domino sic disponente, pendent animæ infinitæ. Nam ut ait Ethicus, *Componitur Orbis Regis ad exemplum.* Et Salomon ait, Quod *qualis est Rector civitatis, tales sunt & habitantes in ea.* Quid verba multiplico? Precum & consilii mei summa est, ut quantumcumque potestis, dum tamen secundum Deum, Regis benevolentiam comparetis. Et tamen socii vestri, quos familiariter habuistis, habetis, & habebitis, quamdiu Deus permiserit, me vobis contraria consulere mentiuntur, dicentes quod ego vos instigabam, ut a Domini Regis obsequio recederetis, & quod nullum Militem honoraretis. Novit Deus, & vos novistis, quia semper consului, ut debitum Regi præstaretis obsequium, & vestram quoad Deum & homines servaretis honestatem.

## EPISTOLA VIII.

Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo quidam Amicus suus.

*Reverendo Domino & Patri Thomæ, Dei gratia Venerabili Cantuariensi Archi-Episcopo Suus ille proprius in tribulatione patientiam non deserere.*

LEgitur Constantii Principis temporibus quosdam minùs spirituales Episcopos, propriis prætermissis Ecclesiis, Curiæ frequenter interfuisse, turpi adulatione Cæsarem delinisse, Regiis potiùs quàm Evangelicis Edictis paruisse, in Principum ampliùs quàm Domini adjutorio confidisse. At contra Martinus, incomprehensibilis meriti Turonensis Episcopus, tabernacula peccatorum pro posse declinans, commissam sibi Dei sui Domum, licet sæculo abjectus, devotiùs inhabitabat. Si quando tamen eum a Principe prætaxato accersiri contingeret, severitatis ei tam verba quàm vultum exhibebat, inhonestas Coepiscoporum suorum blanditias arguebat, indiscreti Principis excessus cohibebat, præferens animo humana carere gratia sublimium vitia coercendo, quam a superno favore excidere delinquentium errata confovendo. Et ecce tempora Constantii renovata jam cernimus. Hodiè namque quamplures nostræ Pastores Ecclesiæ a finibus terræ currunt audire & facere voluntatem Salomonis. Insufficiens nimirum & modicum arbitrantur copiosæ Dei gratiæ dono adimpleri, nisi & contingat Regiis consiliis adhiberi. Civilis etiam atque domestica vetus illa Machabeorum plaga eventu consimili nostram hodiè perturbat Ecclesiam. Cum enim Antiochus furia in Domini Sacerdotes nuper invectus Sancta Hierosolymis conculcare, Hebræos a patriis Legibus revocare, Magistratuum Templi dignitates humiliare disponeret, ecce aliqui progressi ex Israel, Viri utique pestilentes, cladis proximæ ingruentiam expavescentes, aut certè Pontificis summi Prioratui invidentes, Regis indignationem remissa satis humilitate prævenerunt, quæ sibi ad pacem forent intentius expetierunt, fœdum cum eo fœdus meruerunt, Prælati sui devotioni tacitè detrahentes. Sed qui locum suum in pace constituit, dissipet eos qui bella volunt. Et qui reprobat consilia Principum, consilia Achitophel, consociorumque ejus adversùs David innocentem infatuet. Et quicumque cum Chore, Datan vel Abiron in hujus militantis Ecclesiæ Castris Sanctum Domini Aaron irritare præsumpserint,

pſerint, Dathan & Abiron ſententia percellantur, in Cœlo vacui, terra abſorbeantur. Quatenùs quò animum ab exquirenda Cœli voluntate longiùs amoverunt juſtum innocentem perſequendo, eo terrenis affectibus profundiùs obruantur inconvenientia exercendo.

Hæc idcircò dixerim ſpiritu anxiatus, quoniam cum Stephanus noſter, gratia plenus, fratribus & contribulibus ſuis verbum vitæ infatigabilis adminiſtraret, cum nihil morte dignum, nihil crimine notandum opere perpetraret, impii ſuper eum jacturam fecerunt. Et ecce inimici filii hominis, gladiis accincti, & ad nocendum præparati, trans mare, perque terras a Sæculari Poteſtate diriguntur, ut eandem citiùs evellat, arborem utique fructuoſam, quam plantavit, & ut immeritò humiliet, quem meritò exaltavit. Utque quam providè contulit, improvidè Fidelis ſui dignitatem imminuat. Quid igitur aget mitis & innocens Dei Athleta, extenti in ſe gladii neſcius & ignarus? Quorſum effugiet conſilio malignantium obſeſſus? Reſtat ut ad tolerantia animatus, tanquam aries de grege electus, charitatis pinguedine ſaginatus, Domino ſeſe immolandum exhibeat. Reſtat ut capitis ſui imitator effectus ſine murmure, ſine contradictionis obſtaculo, varias iniquorum patiatur injurias, patienſque non comminetur, immò etiam pro injuriantiùm ſcelere deprecetur. Stet igitur Moyſes in confractione coram Divinæ Majeſtatis intuitu, ſedulò pro fratribus interpellans, qui vitulum conflatilem, vitulum utique auro plenum, abſque ejus conſcientia nuper adoraverunt.

Verumtamen articulo tribulationis elapſo, ac tempore retributionis accepto, eoſdem in criminis ultionem diſtrîctius puniat, quos fraterna prius compaſſione piè defleverat, quatenùs juxta quod in maledictione ſeminaverant, de maledictione operis ſui fructum metant: ſicque proveniat, ut Joſeph adverſitatis probatus examine, gratiam tandem Pharaonis adeptus, Principum Ægypti fratrumque ſuorum cum gloria dominetur, quorum fuerat invidia contriſtatus. Undè quandoque & ipſi tribulationibus intercepti meritò ſe talia pati commemorent, quoniam in Fratrem ſuum abſque culpa exigente peccaverunt. Miro namque & ſubtili modo Convicanei Job amicum ſubvertere nitebantur, dum quidam de Sacerdotibus noſtris Principem Sacerdotum magis formidolosè, quam ſincerè nuper conveniendum adiere, incorruptum corrupti, azymum fermentati, arte qualibet perſuadere attentantes, ut ſe quoque fermentari aſſentiret, qui utique fermenti non novit acedinem. Ad Joannem igitur ab Hieroſolymis Sacerdotes acceſſerunt, quis & cujus fuerit integritatis explorantes, ſed eo arundine vento agitata non invento, inutiles & inglorii receſſerunt. Siquidem qui ſic miſſi fuerant, erant ex Phariſæis. Utinam & invenerint Prophetam in Iſrael, qui Principis ſui lepram ejiciens, ne & ipſe lepram participet, oblatam auri vel veſtium, immò & Regni totius copiam execretur. Rex itaque Balac cum Fautoribus ſuis Balaam munere vel pollicitationibus corrumpendum expetiit, ut concluſum Dei Populum hoſtibus tam operis quam oris exponeret maledictione, cujus quidem regitur benedictione.

Sed ecce pluſquàm Balaam, immò nequaquàm Balaam, qui nec prece, nec pretio, miniſvè appoſitis pauperum animas beſtiis tradere compelli potuit, ex quo ſemel ſuper his olim intellexit dictum: *Paſce oves meas*. In Daniele itaque, Juvene Regis Babilonii Statuam non adorante, fidem admiror, quam in Senibus & Contribulibus ſuis nequaquàm invenio. O ſi filii noſtri Aaron gentibus non commiſcerentur, ſi gentium opibus non contaminarentur, ſi Ordinis ſui dignitatem indiviſi tuerentur, quàm liberè, quam tranquillè fœderis Tabernaculum cum ejuſdem Miniſtris in medio Amorrheorum inconcuſſi regerent & circumducerent! Sed quoniam remiſſi & indiſciplinati filii Heli propria ignavia in certamine corruerunt, ecce capta eſt ab Allophylis Arca Dei, & pro hoſtium voluntate ac diſpoſitione circumgyrata, filiiſque retrorſum alienatis, multiplicata eſt in eis ruina. Sed quicumque ſint Seniorum Iſrael Mandatorum tranſgreſſione polluti, ſtet Phinees noſter ſolus à Dei ſui Teſtamento non devians, crebriſque lachrymis iram Cœli placare non deſinat, donec imminens Eccleſiæ ceſſet quaſſatio. Et utinam reputetur ei ad juſtitiam à generatione in generationem uſque in ſempiternum. Amen.

## EPISTOLA IX.

Thomæ Cantuarienſi Archi-Epiſcopo ſuus Clericus Herveus.

*Modeſtiſſimo Domino ſuo Thomæ, Dei gratia Cantuarienſi Archi-Epiſcopo, ſuus Herveus ſalutem, & ſinceræ charitatis obtentum.*

EST undè reſpirare poſſit ac debeat animus tuus, hactenùs enormitate rerum concuſſus. Convaleſcit enim & redintegratur aliquamdiu languens, & impudenter lacerata Sponſa Chriſti ſacroſancta, & Religionis Mater Eccleſia, quæ te ſuo regeneratum ex ſinu, alimentis quoque ſui affluenter educatum, Sponſi tandem favore & gratia in eminenti ſuæ ſollicitudinis ſpecula collocavit Antiſtitem: Ubi quia te vigilem, fidum, & conformem languidis, & læſuræ ſuæ conſortem invenit, reformationis, quam pro Chriſti accipit clementia, meritò non relinquit extorrem. Hoc enim in ſe continet maternæ pietatis jus & privilegium, ut filiorum fletus convertat in riſum, eos amplectendo propenſiùs, quorum favorabiliores agnoſcit fletus. Quid favoris tibi parturiverit oppreſſio, quam pertuliſti, novit longè lateque per diverſos Mundi tractus diffuſa Catholicæ ſanctitatis Religio: Omnis, ut arbitror, lingua novit & natio, quòd in locis favor hilaris tui colit memoriam, ubi poteſtas duplicata nullam feciſſet notitiam. Plus tibi profuit nata turbatio, quàm profuiſſet quietis continuatio. Olim inſolens & erroneus Amicorum copia fortunatus credebaris, donec ſua ſors nubila detraxit, & te manifeſtis erraſſe monſtravit indiciis. Nam quos arridentis fortunæ longa tempora promiſerant immotos, hos mutatæ ſortis momentum levi turbine diſcuſſit, & ſuos eſſe docuit, non tuos. Et talium tamen confidentia, elatio forſitan eſt & inſolentia. Hæc eliminavit & his ſimilia non infructuoſa ſortis adverſitas, inſolentiam humiliatione, errorem diſcretione commutans, inſtructiorem ſuis circumquaquè te reddens aculeis. Quæ quamvis paucos ſinceræ fidelitatis oſtenderet amicos, eos tamen à fallacibus & fortuitis diſtinguens, cautionis & experientiæ plurimum ſolertiæ tuæ theſauris accumulavit. Te tibi quoquè ſolitò notiorem exhibuit, & quatenùs de domeſtico cordis tui vigore confidas, experimentis edocuit. Sanè quàm ſævientis fortunæ nondum attentata ſcrutiniis mens molliter illuſa & arroganter ſibi blandita ſponderat conſtantiam, quantam qualemque repereris, dum flagitioſa fatorum injuria, auræque vitalis immineret jactura, ipſa tibi fida deſcribas memoria, qui meliùs noſti. Notitiamque tui & tuorum nè parvi pendas, quàm obtulit examinatrix adverſitas. Porrò multipliciter examinatum reverenter approbat, & veneratur te noſtræ converſationis hominum pars potiſſima. Is præſertim, cujus præeminens eſt authoritas, qui te ſpeciali prærogativa inter probatiſſimos ſanctæ Matris Eccleſiæ filios plenæ devotionis & charitatis amplectitur brachiis, & in omnem deſtinat venerationem. Exindè tibi ſpes ſurgat, erigatur mens preſſa moleſtiis, reſpirent præcordia ſepulta doloribus: Pax in januis eſt. Succidit Deus arborem, quæ fructus faciebat amaros. Cujus ex radice licèt planta ſurrexerit, rore tamen Cœli non adjuta, nec radices agit, ſed areſcit. Marceſcens modò folium, quod induit, jam oneri ſibi eſt, non honori. Vix ſtanti terra relinquetur, quam inutiliter occupaſſe publicè clamatur. Exſtat oriens ex alto ſupremus Pater-familiàs, inſipidæ ſuccifor arboris, qui ſuos inducturus agricolas hoc plantationis genus radicitùs evellet, nec impunitum ejus præteribit authorem. Dominus exercituum faciet hæc. Cùm ira exarſerit in brevi, beati omnes qui confidunt in eo. Confidenter igitur hilareſcat Anima tua, nec confuſionis quidquam in viſceribus reſideat. Dominus Deus noſter, & qui non deſerit ſperantes in ſe. Ortæ quidem tempeſtatis horror auræ levioris intervallo detumuiſſe videri poterat, cujus ſi rediviva caligine nubila nondum ceſſant, fruſtrà fulgurationes & ceraunia ſuperaſti, ſi reſiduo procellarum leniori motu ſubmergeris. Rate navigas integra, remis acriter inſurge, portus propè eſt, ad quem tunc applicabis. Etiam diſpoſita tibi divinitùs ſorte contentus omnem emergentem rerum ſtatum in dilectioni Chriſti tibi profuturum poſueris. Scimus enim, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Præteritas delicias nè doleas amiſſas, nec futuras mundi verearis moleſtias: Præſentes facilè tranſcurres varietates. Non eſt, crede mihi, ſapientis dicere: Vivam. Sera nimis vita eſt craſtina: vive hodiè. Omnem crede diem tibi diluxiſſe ſupremum: Grata ſuperveniet, quæ ſperabitur hora. Si quadraginta dierum, nec ulteriùs, quaſi canonicam vivendi dilationem, qui occidit & vivere facit, Deus tibi prætaxaſſet immutabiliter, ſanè nullas in Barbariam fugas attentares: ſalubriùs ad commiſſæ tibi ſinum Eccleſiæ, & ad ſanctorum deceſſorum tuorum ſuffragia confugeres, compunctionibus & orationibus ibidem invigilans. Parùm etiam plebis ſtrepitum, vel potentum iras abhorreres. Nec cujuſque temeritatem punire contenderes: aliquid ſupremo Judici judicandum reſervares. Saluberiter rebus & domui tuæ diſponens, de craſtino ſupremæ diei non multùm ſollicitus, malignantium tumultus in contemptum deduceres. Inſtruit ſcriptura dicens: *Quaſi morientes*. Hujus igitur inſtructionis norma commonitus, vagas & turbatrices impatientiæ tuæ curas à corde relegans, ſpecioſiſſimam & excellentem dignitatis tuæ Sedem jugi converſatione, officioque debito, quaſi mortis ſub articulo, ſtudeas honorare. Ubi ſanctorum loci ſuffultus patrocinio, quatenùs inculpata moderatio permiſerit, plenam poſtulantibus juſtitiam exhibeas intrepidus. Siquandò Regia ſublimitas te evocaverit, accedas: Verbo lenitatis & patientiæ nunquàm deſtitutus ingeniosè cuncta modificare ſtagas. Sicubi graſſantis malitiæ refragata fuerit impunitas; cautè ſedens ad prætaxatum ſanctorum recurras præſidium. Poſtremò ſi ad compoſitam felicitatem adſpiras, æquo animo toleres oportet quidquid intra aream fortunæ geritur. Perſpecta poterit prodeſſe pagina, ſi non contemnitur: cujus monita, licèt minùs matura, quamvis canis elatraſſet, prudentis tamen viri non offenderent intuitum. In quibus nimirùm ejùs rei veniam expoſtulo, quòd pluralitate vocabulorum non debitam exprimo reverentiam, quam non latinitatis Regula, ſed adulatrix lingua creavit. Contemplatione modernæ malitiæ hæc utique, Serene Domine, vobis ſuggerenda diſpoſui, quàm ſi ſerena ſupprimerent tempora, mutaretur forſitan in aliquibus ſuggeſtio. Hac interim excitata Celſitudinis veſtræ prudentia, alacriter exſurgat, & de bono ſemper procedat in melius. Valeat & in longum extendatur vitæ veſtræ ſanitas & ſanctitas, chariſſime Domine. Item & in perpetuum vale.

## EPISTOLA X.

*Alexander Papa Rogero Eboracenſi Archi-Epiſcopo.*

QUantò perſonam tuam pro tua prudentia & honeſtate, & pro ea devotione, quam circa ſacroſanctam Romanam Eccleſiam, & perſonam noſtram habes, ſinceriori charitate diligimus, tantò juſtas poſtulationes tuas libentiùs ac faciliùs exaudimus. Ea propter petitioni tuæ gratum impertientes aſſenſum, Crucem ante te deferendi, ſicut prædeceſſores noſtri Romani Pontifices tuis Anteceſſoribus conceſſerunt, & ipſi ex antiqua conſuetudine uſi fuiſſe noſcuntur, Regem quoquè coronandi, ſicut ex literis Anteceſſorum noſtrorum prædeceſſoribus tuis conceſſum eſt, & ſicut eoſdem prędeceſſores tuos conſtat ex antiquo feciſſe, liberam tibi concedimus facultatem. Et ut conceſſio ipſa rata & firma inpoſterum habeatur, eam authoritate Apoſtolica roboramus, & p. Scpi.° p.° confirmamus. It° &c. veſtræ q. & confirmamus, &c. Si quis autem, &c. Datum apud apud montem Peſſulanum tertio Idus Juliis.

## EPISTOLA XI.

*Alexander Papa Rogero Eboracenſi Archi-Epiſcopo.*

PRo illa animi tui ſinceritate & devotione fidei, quam circa ſacroſanctam Romanam Eccleſiam, & ſpecialiter circa perſonam noſtram ha-

habuisse dignosceris, eum semper animum & voluntatem habuimus tibi tanquàm charissimo Fratri nostro deferre, & honori ac promotioni tuæ propensiori studio adspirare. Indè utiquè fuit, quòd ad instantiam precum tuarum, inspectis quibusdam Rescriptis Antecessorum nostrorum, tibi nos recolimus concessisse, ut Crucem per totam Angliam ante te deferendi liberam potestatem haberes. Cæterùm quoniam adhuc super hoc controversia agitatur, & ipsa lis nondum debitum finem accepit, cùm possit ex hoc non modicum ad præsens scandalum provenire, si concessam tibi isto tempore licentiam exerceres, volumus atque mandamus, ut sicut nec ante concessionem nostram in ipso effectu dignitate hujusmodi utebaris, ità ea nimirùm non utaris, quousque de causa ipsa pleniùs cognoscatur, & controversia, quæ super hoc vertitur, debitum recipiat complementum.

## EPISTOLA XII.

*Rescriptum illarum Consuetudinem, quas Avitas vocant. Quando & coram quibus facta est recognitio Regalium Consuetudinum.*

ANNO ab Incarnatione Domini millesimo centesimo sexagesimo quinto, Papatus Alexandri anno quarto, Illustrissimi Regis Anglorum Henrici II. anno decimo, in præsentia ejusdem Regis facta est recordatio, & recognitio cujusdam partis Consuetudinum, & Libertatum, & Dignitatum Antecessorum suorum, videlicèt Regis Henrici Avi sui, & aliorum, quæ observari & teneri debent in Regno. Et propter dissensiones & discordias, quæ emersérant inter Clerum & Justitias Domini Regis, & Barones Regni, de Consuetudinibus & Dignitatibus Regni, facta est ista recognitio coram Archi-Episcopis, & Episcopis, & Clero, & Comitibus, & Baronibus, & Proceribus Regni. Et easdem Consuetudines recognitas per Archi-Episcopos & Episcopos, & Comites & Barones, & per Nobiliores & antiquiores Regni, Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus, & Rogerus Eboracensis Archi-Episcopus, & Gilbertus Londoniensis Episcopus, & Henricus Vintoniensis Episcopus, & Nigellus Eliensis Episcopus, & Wilhelmus Norvicensis Episcopus, & Robertus Lincolniensis Episcopus, & Hilarius Cicestrensis Episcopus, & Joselinus Saresberiensis Episcopus, & Richardus Cestrensis Episcopus, & Bartholomæus Oxoniensis Episcopus, & Robertus Herefordensis Episcopus, & David Menevensis Episcopus, & Rogerus Vigornensis Electus, concesserunt, & in verbo veritatis viva voce firmiter promiserunt tenendas & observandas Domino Regi, & Hæredibus suis, bona fide, & absque malo ingenio, præsentibus istis: Roberto Comite Lochestriæ, Riginaldo Comite Cornubiæ, Conano Comite Britanniæ, Joanne Comite de Augo, Rogerio Comite de Clare, Comite Gaufredo de Maudevide, Hugone Comite Cestriæ, Wilhelmo Comite de Arondel, Comite Patrivo, Wilhelmo Comite de Ferrariis, Richardo de Luci, Remaldo de Sancto Walento, Rogerio Bigot, Remaldo de Warennis, Richerio de Aquila, Wilhelmo de Bransa, Richardo de Cambilla, Nigello de Mombray, Simone de Bello-Campo, Humfrido de Boun, Matthęo de Herfordia, Waltero de Meduana, Manasse Biseth Dapifero, Wilhelmo Malette, Wilhelmo de Curti, Roberto de Dunestavilla, Joselino de Baillolio, Wilhelmo Lanvalis, Wilhelmo de Cauveto, Gaufrido de Beir, Wilhelmo de Hastinga, Hugone de More-Villa, Alano de Nebillis, Simone filio Petri, Wilhelmo Malduit Camerario, Joanne Malduit, Joanne Mariscallo, Petro de Mara, & multis aliis Proceribus & Nobilibus Regni, tam Clericis quàm Laicis.

Consuetudinum verò & Dignitatum recognitarum quædam pars præsenti Scripto continetur. Cujus partis Capitula hæc sunt.

Hæ sunt autem Leges, quas Henricus Rex Angliæ petiit sibi confirmari à Beato Thoma Martyre.

Habentur superiùs, ideoque non sunt repetendæ.

Facta est autem prædictarum Consuetudinum & Dignitatum recordatio Regiarum à præfatis Archi-Episcopis, & Episcopis, & Comitibus, & Baronibus, & Nobilioribus & Antiquioribus Regni, apud Clarendonam, quarta die ante Purificationem Sanctæ Mariæ perpetuæ Virginis, Domino Henrico filio Regis cum Patre suo Domino Rege ibidem præsente.

Sunt autem & aliæ multæ & magnæ Consuetudines & Dignitates Sanctæ Matris Ecclesiæ, & Domini Regis, & Baronum Regni, quæ in hoc Scripto non continentur. Quæ salvæ sint Sanctæ Ecclesiæ, & Domino Regi, & Hæredibus suis, & Baronibus Regni, & in perpetuum inviolabiliter observentur.

## EPISTOLA XIII.

*Has Litteras misit Henricus Rex Angliæ singulis Episcopis Angliæ.*

NOSTI quàm malè Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus operatus est adversùm me & Regnum meum, & quàm malè recesserit. Sed ideò mando tibi, quòd Clerici sui, qui circa ipsum fuerunt post fugam suam, & alii Clerici, qui detraxerunt honori meo & honori Regni, non percipiant aliquid de reditibus illis, quos habuerunt in Episcopatu tuo, nisi per me. Nec habeant aliquod auxilium vel consilium à te.

Teste *Richardo de Luci*, apud Merleberg.

## EPISTOLA XIV.

*Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo quidam Amicus.*

HÆC Epistola, exponens crudelia Regis Mandata, habetur superiùs, ac proindè non est repetenda.

## EPISTOLA XV.

*Has Litteras misit Henricus Rex Angliæ singulis Vice-Comitibus Angliæ, in principio persecutionis Sancti Thomæ.*

PRÆCIPIO tibi, quòd si aliquis Clericus vel Laicus in Bailia tua Romanam Curiam appellaverit, eum capias, & firmiter custodias, donec voluntatem meam percipias. Et omnes & reditus & possessiones Clericorum Archi-Episcopi saisias in manum meam, sicut Randulphus de Broc, & alii Ministri mei tibi dixerint. Et omnium Clericorum, qui cum Archi-Episcopo sunt, Patres & Matres, fratres & sorores, nepotes & neptes pones per salvos plegios, & catalla eorum, donec voluntatem meam indè percipias, & hoc Breve tecum afferas, cùm summonitus fueris.



## EPISTOLA XVI.

HÆ sunt Constitutiones, quas constituit Rex Henricus in Nortmannia, & mandavit Justitiis suis, Ricardo de Luci, & duobus Archi-Diaconis Gaufredo & Richardo, & omnibus Principibus & Populis Angliæ, juranda & servanda contra Papam Alexandrum & Beatum Thomam Cantuariensem Archi-Episcopum. Harum latores fuerunt Wimerus Presbyter, & prætereà Vice-Comes, & Walterus de Grimes.

Etiam hæ Constitutiones habentur superiùs.

## EPISTOLA XVII.

*Alexander Papa Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo. In initio tribulationis.*

LITTERAS, quas nobis tua Fraternitas destinavit, & ea quæ Nuncius tuus nobis viva voce proposuit, attenta diligentia audivimus, & graves anxietates & amaritudines, quibus animus tuus assiduè affligitur, pleniùs attendimus. Undè his auditis & cognitis spiritus noster commotus est, & valdè turbatus, quibus cordi libenter in tuis prosperitatibus delectari, & item in adversis tanquàm Fratri charissimo plurimùm condolere. Tu ergò, sicut Vir constans & prudens, recolens sæpè quod dicitur, *Ibant Apostoli gaudentes à conspectu Concilii*, & cætera, hujusmodi angustias in patientia toleres, & non plus quàm oporteat, tuus spiritus anxietur, sed dignam in teipso consolationem recipias, ut & nos tecum pariter in eo consolemur, qui te ad corroborationem Catholicæ & Christianæ veritatis hoc necessitatis articulo reservavit, & cujus beneplacitum est eorum, quæ minùs licitè commisisti, maculas abstergere, & per varias afflictiones punire, nè videantur in districto examine punienda reservari. De cætero non tibi grave sit, nec sicut ex litteris, quas Clerico tuo misisti, accepimus, ulla ratione meticulosum, quòd es ad Sedem Apostolicam appellatus. Quia gratum nobis est & acceptum, & volumus, ut si illi, qui te appellaverunt, fortè venerint, tu per teipsum, si tibi visum fuerit, applationem ipsam omni dubietate & dilatione postposita prosequaris. Nec unquàm authoritate Romanæ Ecclesiæ aliquis possit constantiæ timorem incutere seu dubietatem, quia nos jura & dignitates Ecclesiæ tibi commissæ, quantùm salva justitia & ratione poterimus, studiosiùs tibi curabimus, Authore Deo, conservare, sicut illi quem in facto Ecclesiæ constantem reperimus, & fortissimum propugnatorem. Ad hæc Fraternitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenùs te in Cantuariensem Ecclesiam recipias, & paucis quidem retentis admodùm necessariis, ad minùs quàm poteris, per terram illam discurras. Illud autem specialiter suggerimus tuæ Providentiæ, ut nullius timoris vel adversitatis obtentu, quæ tibi possit accidere, juri & dignitati Ecclesiæ tuæ abrenunciare cogaris. Datum Senonis, septimo Kalendas Novembris.

## EPISTOLA XVIII.

*Alexandro Papæ Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus.*

LITTERÆ consolationis, quas Vestra nobis dignata est Paternitas destinare, magnum quidem mediocriter anxiato afferre possent remedium: aut si saltem nostra circa unum aliquid figeretur angustia, spem nonnullam respirandi possemus ex eis concipere. At quoniam de die in diem malitia invalescit, multiplicantur injuriæ, non nostræ, sed Christi, immò quia Christi, eò magis nostræ, succedentibus sibi invicem more fluctuum procellis, solum nobis videmus imminere naufragium. Nec aliud consilium superesse, nisi ut ipsum quasi dormientem in navi pro viribus nostris excitantes dicamus: *Domine salva nos, perimus*. Et hoc sanè aptiorem malignandi nacta est iniquitas occasionem, quòd statum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ infirmiorem conspicit, ut verè liqueat, quòd quidquid in caput, sive bonum sive malum, sive dulce sive amarum defluit, per barbam descendens, nec oram vestimenti relinquit intactam. Eripitur Jesu-Christo, quod Sanguine suo comparavit. In ipsam ejus sortem Potestas Sæcularis manum extendit. Adeò ut nec Sanctorum Patrum sanctiones, nec Statuta Canonum, quorum apud nos etiam nomen exosum est, nec Clericis quidem patrocinari valeant modò, qui ab hac jurisdictione huc usque speciali privilegio fuerunt exempti. Et quoniam enarrare vel prosequi scripto, quæ patimur, longum esset & tædiosum, ad Vestram mittimus Paternitatem Magistrum Henricum, fidelem & familiarem vestrum & nostrum, in cujus ore posuimus singula, prout vidit & audivit, seriatim Vobis exponenda. Et si placet, credite, tanquàm si nos loquentes audiretis viva voce. Hoc tamen sciatis, quoniam, si fieri posset, multò libentiùs vos in persona visitaremus nostra, quàm in alia. Loquimur vobis sicut Patri & domino: Et quod dicimus, summo silentio petimus occultari. Nihil enim nobis tutum est, cùm omnia ferè referantur ad Regem, quæ nobis in conclavi vel in aurem dicuntur. Væ nobis, qui in hæc servati sumus tempora, quorum diebus accesserunt hæc mala. Qui in priori statu tanta potiti fuimus libertate, quam modò dura & pessima servitute recompensamus! Fugissemus saltem, nè in direptionem patrimonium Crucifixi dari videremus. Sed quò, nisi ad eum, qui nostrum refugium & virtus est, ignoramus. De Wallensibus, & Oeno, qui se Principem nominat, Domine provideatis. Quia Dominus Rex super hoc maximè motus est, & indignatus. Charissime Pater & Domine, benè valete.

## EPISTOLA XIX.

*Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Hunibaldo Ostiensi Episcopo.*

SAnctitati vestræ, quam in Templo Dei columnam veneramur immobilem, dignum duximus aperire, quot & quantis oppressionibus Ecclesia Dei laboret in partibus nostris, & quàm periculosam tam in nobis, quàm in aliis membris suis ærumnam sustineat. Ad hoc vobis pleniùs intimandum mittimus Magistrum Henricum, fidelem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ filium, nostrumque familiarem, rogantes ut verbis ejus fidem adhibeatis, tamquàm ex ore nostro procedentibus. Necessaria nobis est vestri consilii festinata responsio. Et cùm de die in diem super nos indebitarum exactionum, immò Sacris Canonibus & Ordini nostro penitùs adversantium, invalescat insolentia, ad vos post Deum confugimus, aliud refugium non habentes. Valeat memor nostri Sanctitas Vestra.

## EPISTOLA XX.

*Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Bernardo Portuensi Episcopo.*

HOrtatur nos, & loquendi parat fiduciam Sanctitatis vestræ nota constantia, ut quæ Sancta Ecclesia in nobis, & aliis membris suis, in Anglorum Regno patitur, Vestræ Discretioni curemus innotescere, sperantes à vobis sanum reportare consilium, & necessariam tanto dolori medicinam. Verùm attendentes hujus nostræ calamitatis seriem, nec facile nec tutum esse paginæ mandari, mittimus ad vos Magistrum Henricum, fidelem & familiarem vestrum & nostrum, ut fida relatione, prout vidit & audivit, universa vobis exponat, dictis ejus fidem adhiberi, tamquam nostris, postulantes. Vos, Domine, juxta datam vobis à Deo sapientiam, secundùm quod de statu nostro cognoveritis, consilii vestri solatium nobis, immò & toti Anglorum Ecclesiæ impartiri non differatis: quoniam in arcto positi sumus, nec ullum præter Deum, & Sanctam Romanam Ecclesiam auxilium exspectamus. Valeat, & subveniat nobis Sanctitas Vestra.

## EPISTOLA XXI.

*Thomas Cantuariensii Archi-Episcopus Alberto Presbytero Cardinali.*

NIl nobis hac tempestate jucundius dari posset, quàm vestræ copia præsentiæ, ut de statu nostro conferre possemus ad invicem, & vestræ Discretionis consilium reportare, quod in omnibus vivax & efficax sumus experti. Jucunda, inquam, nobis esset hujusmodi collatio, quia perquàm necessaria. Paucos enim vel nullos apud nos reperimus, qui puræ veritatis tramite non claudicantes incedant, quasi non magis quæ sua sunt quærant & curent, quàm quæ Jesu-Christi, studentes potiùs terreno Regi placere, quàm Cœlesti displicere formidantes. Loquimur vobis tanquàm speciali Patrono & Amico fidelissimo, non verentes animum nostrum vobis aperire medullitùs, ut tamen quod dicimus, ad aliam non transeat audientiam, in fide & dilectione suppliciter obsecrantes. In tot & tantis apud nos Sanctæ Ecclesiæ libertas impugnatur, ut vix ad videndum sufficere possimus vel audiendum. Emergunt quotidiè nova, & prioribus inaudita sæculis exiguntur. Imponitur silentium Legibus, & Regula Canonum à sorte Domini penitùs exclusa, novis Legibus subjiciuntur Clerici, & pro voluntate Laicæ Potestatis agitantur. Scimus quia Dominum Regem tenerè diligitis & fideliter, ideoque manifestiùs vobiscum loquimur, ut acriùs condoleatis. Difficile & longum est omnia scripto complecti, ideoque Magistrum Henricum, fidelem & familiarem vestrum & nostrum, ad vos transmittimus, qui secundùm quod vidit & audivit, rerum seriem gestarum vobis pleniùs exponet. Cui, si placet, credite tanquàm nobis. Si tamen fieri posset, mallemus in propria persona nostra vos visitare, & vivas à vobis audire & reddere voces, quam aliter. Nullum, nisi Deus dederit, nobis adest consilium, quia inter Barbaros nobis esset meliùs servire, quàm hæc mala diebus nostris in Sancta Ecclesia videre. Valete, charissime Domine.

## EPISTOLA XXII.

*Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Hyacintho Cardinali Diacono.*

ABundaverunt mala super capita nostra, contumeliis & injuriis supra modum afficimur, saturati sumus opprobriis: Et qui insurgunt in nos, fortè vivos deglutissent nos, nisi quia ad summi consilii Angelum & Sanctam Romanam Ecclesiam confugimus, in qua post Deum spei nostræ summa consistit, à qua si, quod Deus avertat, ceciderimus, omni consilio destituti, quid nobis agendum sit, penitùs ignoramus. Ut igitur eorum, quæ patimur, seriem pleniùs cognoscatis, mittimus ad vos Magistrum Henricum, fidelem & familiarem nostrum & vestrum, ex cujus relatione status nostri miseriam perpendere poteritis. Et si placet, credite ei in his, quæ ex parte nostra vobis dixerit, tanquàm si ex ore nostro audiretis. Non differat, quæso, vestra Discretio suum nobis aperire consilium, quoniam in arcto positi sumus, & à vobis, in quo maximam habemus fiduciam, tanquàm Amico nostro præcipuo & Patrono, solatium exspectamus. Valeat, & compatiatur nobis Sanctitas Vestra.

## EPISTOLA XXIII.

*Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Nuncius suus.*

COmitem Flandrensem non inveni: & in eo quærendo divortia facere mihi periculosum, & vobis non expedire credebam. Rex Franciæ apud Suessiones cum multo gaudio me, & quod ei per me missum est, recepit, & in continenti Priorem Sancti Medardi Suessionensis, discretum & magnæ authoritatis virum, ad Dominum Papam cum litteris suis destinavit. Quibusdam etiam ei viva



ei viva voce injunctis, ad negotium nostrum spectantibus, quæ Scriptoris fidei committere non erat tutum. Cùm igitur ab eo discederem, manum meam tenens in sua, in verbo Regio promisit, quòd si vos ad partes suas transire contingeret, non sicut Episcopum vel Archi-Episcopum vos reciperet, sed tanquàm in Regno socium se vobis exhiberet. Eodem modo Suessionum Comes multis interpositis Juramentis asserebat, quòd Comitatum Suessionensem & ipsius reditus universos in usus vestros conferet. Etsi regressus meus per eum fieret, se vobis per litteras suas significaturum dicebat. His itaquè, prout potui, procuratis, unà cum prædicto Priore per terram Comitis Henrici, tum quia via brevior, tum quia securitatem præstabat ejus societas, ad curiam festinavi. Verumtamen per duos dies, antequàm ego in conspectu Domini Papæ comparuissem, Regis litteras præsentavit, & super his, quæ ei viva voce injuncta fuerant, pertractavit. Deindè cùm & ego accessissem, cum suspirio, & non sine lachrymis à Domino Papa receptus sum. Ipse enim quæcumque in Concilio acta sunt, de persecutione Ecclesiæ, de constantia vestra, qui Episcopi vobiscum steterint, quomodò à vobis exiit, qui de nobis non erat, de judicio quod factum est de Clerico, & omnia ferè quæ in secreto commissa fuerant, antequàm ego venissem, & tota curia audierat, & per plateas prædicabantur. Nobis itaquè in partem secedentibus, singula Capitula, sicut Memoriale nostrum continebat, diligenter ei exposui. Ipse verò Deum, qui talem Ecclesiæ Pastorem contulit, sine intermissione magnificabat. Tota etiam curia fortitudinem in vobis commendat, cujus illa seipsam omnibus modis invenit expertem. Tanta etenim imbecillitate omnes laborant, ut minùs Deum timere, quàm hominem videantur. Eò enim quòd in Thuscania Radicoforum cum fratre & nepotibus Domini Papæ, & quædam alia Castra cum parentibus Cardinalium capta sint à Theutonicis, quòd Joannes Cumini tamdiù apud Imperatorem moratur, quòd Comes Henricus ad Dominum Papam venire noluerit, quòd à Rege Angliæ Nuncium aliquem à longo tempore non receperint, aliisque multis in idipsum concurrentibus adeò terrentur, ut tempore isto Principem aliquem, & maximè Regem Angliæ, nullatenùs in aliquo audeant offendere, nec Ecclesiæ Dei, quæ ubique terrarum periclitatur, si possent etiam, attentarent subvenire. Sed hæc hactenùs.

De petitionibus vestris quid actum, & quomodò in eis processum, per litteras Prioris, & Domini Pictaviensis, qui per gratiam Dei Adventum meum per unum diem prævenerat, & tamquàm Amicus in negotiis vestris sollicitè & fideliter laboravit, liquidò cognoscetis. Papa namquè iram Regiam omnibus modis declinans, vobis & Eboracensi litteras mittit, non Præceptorias, sed de firmanda & tenenda pace inter vos hortatur utrumque. Fratrem verò quemdam de Templo ad vos dirigit, ut utrumque vestrum conveniat, & utrique ex parte Domini Papæ viva voce præcipiat, quòd nulla inter vos deinceps habeatur contentio de Cruce ferenda, neque de alio, donec Ecclesia Romana per Dei misericordiam tranquillitatem pacis obtineat. Ut ad alia, si quæ interim inter vos exoriantur, decernenda sufficiat. Eborancensi verò, ne interim eam in Diœcesi vestra ferre præsumat. Hoc quidem cum multa difficultate obtinere potuimus. Similiter Londoniensi scribitur: Sed undè semper elatus citiùs intumescat ad superbiam, quàm excitetur ad virtutem. Hac itaque consideratione Dominus Papa transcriptum earum ad vos transmittit, quatenùs eo inspecto, si non vobis & Ecclesiæ judicetis expedire, apud vos remanerent.

De professione autem facienda, à Domino Papa & Domino Pictaviensi multoties disputatum est. Ad ultimum tamen obtinuimus, quòd si ipse super hoc requisitus negaret vobis, tunc demùm cogeret eum, & faceret eam exhiberi. Quod vobis pleniùs per posteriores litteras Domini Pictaviensis innotescet. Quæ autem priores, quæ posteriores, in earùm subscriptionibus apparebit. De negotio Sancti Augustini nihil omninò potuimus impetrare. Ipse enim Privilegia, Monasterio à Romanis Pontificibus indulta, asserit se vidisse, & eis contraire, sicut dicit, est decretis Patrum & Ecclesiasticis Institutis authoritatem non exhibere. Novissimè nobis petitionem illam facientibus, ut scilicèt ipse vos ad se venire præciperet, & super hoc vobis litteras dirigeret, cum dolore & multa animi afflictione visus est respondisse: *Absit. Priùs finiantur dies nostri, quàm vos videamus eum sic exire, & Ecclesiam suam sic desolatam relinquere.* Conservet vos Deus in omnibus viis vestris. Apud Clarevallim, Cistertium, & Pontiniacum, intercessione Domini Papæ, oratur assiduè pro vobis, & pro Ecclesia vobis à Deo commissa. Significet mihi Dominus meus de statu suo quàm citò poterit, ut saltem in visitatione sua consoletur anima mea.

## EPISTOLA XXIV.

*Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Saresberiensis.*

EX quo partes attigi Cismarinas, visus sum mihi sensisse lenioris auræ temperiem, & detumescentibus procellis tempestatum cum gaudio miratus sum rerum ubique copiam, quietemque & lætitiam populorum. Egredientem verò de navi servientes comitis Epmensis ex mandato ejus, procurante Ernulpho nepote ipsius, honorificè susceperunt. Et mihi & meis domum & terram Comitis pro vestra reverentia exponentes, liberum ab omni consuetudinis onere perduxerunt ferè ad sanctum Audomarum. Quò cùm venissem, procurante quodam Marsilio Monacho, qui apud Thilleham, & Irulege morari consuevit, in Domo Sancti Bertini honestissimè receptus sum. Et patenter intellexi, quòd Ecclesia illa ad honorem Cantuariensis Ecclesiæ & vestrum exposita est. Et si placet, tam Comiti quàm Monachis, oblata vobis opportunitate, gratias referatis. Exindè cùm venissem Atrebatum, Comitem Philippum apud Exclusam Castrum, à quo Tyrannus Iprensistam longa obsidione exclusus est, esse audivi. Illuc itaquè divertens, Domino misericorditer iter meum in omnibus prosperante, non longè à Strata publica obvium habui quem quærebam. Ut enim more Divitum, quos oblectat hoc nugandi genus, in avibus cœli luderet, fluvios, stagna, paludes, & scaturigines fontium peragrans circuibat. Gavisus est se invenisse

venisse hominem, à quo fideliter audiret Angliæ statum. Et ego magis, quia eum mihi Deus obtulerat. Ità ut sine multo viæ dispendio Mandatum vestrum exequerer. De rege & Proceribus multa percunctatus est, sed ego temperavi responsum, ut me nec de mendacio conscientia reprehendat, nec temeritatem meam in his, quæ ad Regem spectant, quisquam possit arguere. Vestras verò angustias audiens vobis compassus est, auxiliumque promittit. Naves etenim procurabit, si hoc necessitas vestras exegerit, & ipse antè, ut oportet, præmoneatur. Si verò ad hoc vos tempestas impulerit, præmittite aut Philippum Emptorem vestrum, qui & Comitis authoritate utatur, & cum Nautis & Vectoribus, prout expedierit, contrahat. Sic à Comite recedens, die sequenti Noviomum veni.

Et nescio quò præpetis & inquietæ famæ præconio calamitas Anglorum, Ecclesiarumque vexatio, quocumquè veniebam, fuerat divulgata: ut ibi multa audirem gesta in Conventu Londoniensi & Vintoniensi, quæ in Anglia nunquàm audieram. Et quidem pleraque, ut fit, majora & pejora veris referebantur. Ego autem hæc omnia, quæ per ora populi volitabant, studiosissimè dissimulabam. Sed nec simulanti prospera plenè credebatur, nec adversa dissimulanti. Quodque miremini, Comes Suessionensis ea die, qua Noviomi eram, omnes Articulos Londoniensis, nescio Conciliabuli aut dissuliabuli dicam, ità seriatim exposuit, ac si interfuisset omnibus præsens. Non modò his quæ in Palatio gesta sunt, sed quæ secretissimè ab his vel ab illis dicta sunt in Conclavi. Nec facilè crediderim, quin ibi sivè de suis sivè de nostratibus cautos Exploratores habuerint Galli. Decanus autem Noviomensis, vir integerrimæ fidei, concussionem vestram non sine multo dolore audierat: & se ad vos recipiendum præparat, non modò sua omnia expositurus pro vobis, sed pro Cantuariensi Ecclesia, si oportuerit, seipsum positurus. Decreverat autem transire ad Curiam, sed quia de statu vestro mœstus est & sollicitus, donec certioretur, domi expectat. Ibi à quibusdam pro certo accepi Regem Francorum esse Lauduni, & prope eum Dominum Remensem ejus exspectare colloquium. Eos ergò adire proposui. Sed propter Guerras, quas Comes de Roccejo & alii quidam proceres adversùs Dominum Remensem exercebant, à proposito revocatus iter Parisiùs deflexi. Ubi cùm viderem Victualium copiam, lætitiam Populi, reverentiam Cleri, & totius Ecclesiæ majestatem & gloriam, & varias occupationes Philosophantium admiratus velut illam Scalam Jacob, cujus summitas cœlum tangebat, eratque adscendentium & descendentium Angelorum, lætæ peregrinationis urgente stimulo coactus sum profiteri, quòd *verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam.* Illud quoquè Poeticum ad mentem rediit: *Felix exilium, cui locus iste datur.*

Evolutis autem paucis diebus in conducendo hospitio, & sarcinulis componendis, Regem Francorum adii, eique ex ordine exposui causam vestram. Quid multa? Compatitur, promittit auxilium, & pro vobis Domino Papæ se scripsisse asseruit, & rerùm, si oportuerit, scripturum, & acturum quod poterit viva voce. Cùm verò eum ex parte filiæ suæ, quam nuper sanam videram, quando à Domina Regina licentiam accepi, salutassem, respondit sibi gratissimum esse, si illa jam ab Angelis recepta esset in Paradiso. Cui cùm ego subjungerem, quia istud per misericordiam Dei quandoquè veniet, sed antè multis gentibus lætitiam dabit. Respondit Rex: *Hoc quidem Deo possibile est, sed longè verisimilius, quòd multorum futura sit causa malorum. Sed absit, licèt illa quidem paternus præsagit animus. Quia vix impleri spero, ut ab ea possit aliquid boni esse.* Regem nostrum Franci timent pariter & oderunt, sed tamen quòd ad illos, quieto & alto somno dormire potest.

Et quia Remensem adire non potui, literas meas ad Abbatem S. Remigii amicissimum mihi direxi, ut in hac parte suppleat vices meas. Cæterùm mihi videtur esse consilium, ut per aliquem Monachum Boxleie, aut aliundè Nuncium fidelem literas vestras cum aliquo munusculo transmittatis ad Dominum Remensem, contrahatisque cum eo familiaritatem: Quia ille, quisquis sit in persona, magnus est in Regno Franciæ, & in Ecclesia Romana multum potest, tum pro Rege, tum pro eminentia casæ suæ. Ad Ecclesiam Romanam nondùm adscendi, declinans, quantùm possum, nè suspicio probabilis contra me concipi debeat. Et hoc ipsum, sicut ex literis Domini Pictaviensis accepi, Domino Papæ & Curiæ satis innotuit. Receptis autem literis vestris, illicò scripsi Domino Henrico, & Wilhelmo Papiensi, & satis explanavi, in quantam perniciem Ecclesiæ Romanæ tendant hæc, si processum habuerint, quæ contra vos præsumuntur. Distuli autem illuc ire, quia de transitu Abbatis Sancti Augustini, aut Episcopi Lexoviensis nihil certum erat: & si ad Curiam venerint, nobis per Magistrum Henricum, qui ibi moratur, citò poterit innotescere.

Verùm quid ibi tunc possimus, non clarè video. Contra vos enim faciunt multa, pauca pro vobis. Venient enim magni viri, divites in effusione pecuniæ, quam nunquàm Roma contempsit: eruntque non modò sua, sed Domini Regis, quem Curia in nullo audebit offendere, authoritate freti. Ad hæc muniti erunt privilegiis Ecclesiæ Romanæ, quæ in hujusmodi causis nunquàm cuicumque Episcopo detulit aut Caro. Dominus Papa in causa hac nobis semper est adversatus, & adhuc non cessat reprehendere, quòd fecit pro nobis Cantuariensis Ecclesiæ amator Adrianus, cujus mater apud vos algore torquetur & inedia. Nos humiles, inopes, immuniti nunquid poterimus verba dare Romanis? At illi pridem suum Comicum audierunt, ut non emant *Spera* pretio. Sed scribitis, ut tandem, si alia via non potuerit, promittamus ducentas marcas. At certè pars adversa, antequàm frustretur, trecentas dabit aut quadringentas. *Nec si muneribus certas concedet Jolas.* Et ego respondeo pro Romanis, quòd pro amore Domini Regis, & reverentia Nunciorum mallent plus recipere, quàm sperare minùs. Stant autem pro vobis, quòd pro libertate Ecclesiæ tribulamini, sed honestatem causæ nostræ extenuantes Excusatores Regis, & Æmuli vestri, hoc temeritati quàm libertati magis adscribere conabuntur. Et ut eis citiùs credatur, ipsi Domino Papæ, quia *venas hujus susurri jam audiit auris mea*, dabunt spem





veniendi in Angliam, dicentque Regii filii dilatam Coronationem, ut manu Apostolica consecretur, & sciatis ad hoc promptos esse Romanos. Jam enim quidam nobis insultant, dicentes Dominum Papam ad Cantuariensem Ecclesiam accessurum, ut moveat candelabrum vestrum, ibique aliquamdiu sedeat. Nec tamen credo, quòd Dominus Papa istud adhuc conceperit. Nam, ut audio, multam ejus pro constantia vestra habetis gratiam. Sed unum procul dubio scio, quia Lexoviensis, si venerit, nihil asserere verebitur. Notus enim mihi est, & in talibus expertus sum ejus fallacias. De Abbate quis dubitat? Postmodò scripsit mihi Episcopus Pictaviensis, quòd adversùs Abbatem S. Augustini nihil potuerat impetrare, etsi plurimam dedisset operam. Ibimus tamen illuc, Authore Deo, quoniam ità præcipitis, & quid possimus, experiemur. Sed si frustrà, nobis imputari non debet, quoniam, ut ait Ethicus: *Non est in Medico semper relevetur ut æger. Interdùm docta plus valet arte malum.*

## EPISTOLA XXV.

*Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Joannes Pictaviensis Episcopus.*

EXcitatus præcurrentis famæ celebritate, & nominis vestri præconio, antequàm Nuncium vestrum viderem, ad Curiam festinavi. Sed priusquàm vel ipse illuc pervenissem, jam omnibus omnia innotuerant, & plena erat omnis terra gloria Domini, & magnificabat omnis Auditor, quòd inventus est qui coram Principibus terræ loqueretur prudentiam. Quamvis igitur Patriarchatus vestri sedes amplissima suæ dignitatis nobilitate præfulgeat, vestro tamen per gratiam Dei merito plurimùm illi honoris accessit, ut quod loci illius Antistitibus familiare videbatur, nunc per vos in ea perpetuatum esse credatur. Et nunc quidem tantò gloriosiùs, quantò sæculi illius Principes modestiùs incedebant, & eidem Decessores vestri Principibus suis minùs putarentur obnoxii: Præsertim cùm & Mater nostra Sacrosancta Romana Ecclesia nullam eo tempore integritatis suæ pateretur divisionem. Qui ergò vobis dedit incipiendi audaciam, dabit & in perseverando constantiam, Dabit & in boni operis perseverantia proventum: aut illum utiquè, quem desideramus, aut certè fructuosiorem. Nam quod ad humanum auxilium attinet, nihil est quod de Curia in aliquo, quòd Regem offendere debeat, exspectetis. Cùm enim tam nos, quàm Nuncius à Latere vestro transmissus circa porrectas à nobis petitiones per multos dies laboraverimus, vix in una obtinuimus. Et illa quidem tam trepidè consummatur, ut nihil Scripturæ committatur, sed tantùm vivæ vocis responsali credatur. Asseverabat tamen adhuc Dominus Henricus Pisanus se ad extorquendam Domini Londoniensis Professionem laboraturum. Timeo nè incassum. Quoniam omnia, quæ pro ea obtinenda mihi proponi posse videbantur, allegaveram. Primùm, quòd eum translatio ab omni obligatione liberasse videbatur: Nequè enim in hujus Ecclesiæ Episcopum recipi posset, nisi alterius Ecclesiæ Episcopus esse desineret. Quòd si Episcopus esse desiit, & Ecclesiæ Cantuariensi obligatus esse. Ad hæc, quid si in aliam transisset Provinciam, nunquid non suo profiteretur Metropolitano? Ubi manifestum est, quòd illum translatio à priùs facta professione liberat. Causam quoquè non tacebamus, quarè etiam Romanæ Ecclesiæ expedire posset, ut fieret, eò quòd in nuper celebrato Conventu sic se habuisset, tamquàm sibi liber esse videretur. Consuetudinem quoquè vulgarem prætendebamus: Quòd si quis novum feudum ab eodem Domino recipiat, Hominium quasi ex nova causa iteratò facere compellitur. Ad quæ omnia hoc mihi responsum est, quòd Professio semel facta sic obligat personam, ut nullà status sui mutatione liberari possit, donec in alterius transeat Jurisdictionem: nec eam aliqua ratione à vobis peti posse, nisi fortè de consuetudine Ecclesiæ vestræ esset quòd solius Archi-Episcopi Personæ, qui illum consecrasset, Professio facta esset, & non ipsi atque Successoribus suis canonicè substituendis. Quod si ità esset, tunc quidem illam à vobis jure exigi posse, non utiquè suæ, sed vestræ ratione Personæ.

De cætero quod ad benedictionem Abbatis Sancti Augustini pertinet, frustra aliquid solatii exspectatis. Quod igitur agitis, dilectissime Pater & Domine, solius Dei, & illius, cui Deo authore præsidetis, Ecclesiæ libertatum conservandarum intuitu faciatis, & ab eo solo laboris hujus consolationem & retributionem exspectetis. Ego, sicut à multis mihi proponitur, non modò similem, sed duriorem calculum exspecto. Utinam exilii vestri particeps futurus, aut primus. Nec utique nobis inglorium erit, ut qui pro vanitatibus & sæculi delectationibus, multis sæpè Mundi prosperis abusi sumus, nunc si necessè fuerit, pro retributione Cœlesti adversa simul sustinere non formidemus. Laborat tamen Pisanus noster, ut mihi in loco tutiori prospiciatur. Et idipsum se vobis per Abbatem de Eleemosyna intimasse asseverat. Ego Pontiniacum proficiscor, ut illius Religionis devotioni tam vestram quàm nostram commendem intentionem. Nam ibi Divinum implorandum est auxilium, ubi humanum deesse videtur. Orationibus Clarevallensium per ipsum Papam nos commendari fecimus. Benè valeat Dominus meus.

## EPISTOLA XXVI.

*Alexander Papa Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo.*

AD aures nostras Fraternitas tua noverit fuisse perlatum, & quadam nobis relatione suggestum, quòd occasione cujusdam excessus à Missarum proposueris celebratione cessare, & à Consecratione Sanguinis & Corporis Domini abstinere. Quod utique quàm grave sit, præcipuè in tanta Persona, & quantum possit inde scandalum provenire, sollicita meditatione confidens, & hoc ipsum vigilantia tuæ discretionis attendat. Debet autem Diligentia tua prudenter avertere, quòd plurimùm interest, quando ex deliberatione & propria voluntate, & quando ex ignorantia vel necessitate aliqua committuntur. Aliter enim in his quæ spontanea voluntate, & aliter quæ ignorantia, sicut dictum est, vel necessitate cogente fiunt, noscitur procedendum. Et aliter illa, aliter ista tractanda

ſunt, & Viris diſcretis ac prudentibus metienda, velut Sacræ Scripturæ teſtimoniis edocemur. Intentio tua operi tuo nomen imponit. Nam ſicut & alibi legitur: *Uſque adò voluntarium eſt peccatum, ut niſi fuerit voluntarium, non ſit peccatum*. Et omnipotens Dominus non factum agentis attendit, ſed conſiderat potiùs intentionem, & dijudicat voluntatem. Si igitur aliquid te recolis commiſiſſe, de quo propria te debeat conſcientia remordere, quidquid ſit, Sacerdoti, qui diſcretus & providus habeatur, tibi conſulimus per pœnitentiam confiteri. Quo facto & miſericors Dominus, qui multò ampliùs ad cor reſpicit, quàm ad actus, tibi conſueta pietatis ſuæ miſeratione dimittet. Et nos, de Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus meritis confidentes, te ab eo, quod eſt commiſſum, abſolvimus, & idipſum Fraternitati tuæ authoritate Apoſtolica relaxamus, conſulentes utiquè ac mandantes, ut poſteà à Miſſarum celebrationibus propter hoc non debeatis abſtinere. Datum Senonis, Kalendis Aprilis.

## EPISTOLA XXVII.

Alexander Papa Univerſis Suffraganeis Cantuarienſis Eccleſiæ.

*Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Univerſis Suffraganeis Cantuarienſis Eccleſiæ, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.*

SIGNIFICAUIT nobis Venerabilis Frater noſter Cantuarienſis Archi-Epiſcopus, Sedis Apoſtolicæ Legatus, quòd ſi quandò vos appellatis ad præſentiam noſtram, vel Archi-Diaconi veſtri, ſuper aliquo certo negotio à præſentia ejus, Epiſcopatus & Archi-Diaconatus ſub protectione Apoſtolica ponitis, & appellatis ad annum. Et interim neque de præteritis commiſſis, neque de novis exceſſibus veſtris, ſive de Subjectorum veſtrorum delictis permittitis ipſum cognoſcere. Et omnem juſtitiam ejus ſuſpenditis, & prorsùs evacuatis. Quoniam igitur providendum nobis eſt, nè appellationis obtentu aut manifeſta delicta remaneant incorrecta, aut Subditi veſtri de ſuorum exceſſuum impunitate lætentur, Fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatenùs ſi vos Epiſcopatus, aut Archi-Diaconi veſtri Archi-Diaconatus ſuos Apoſtolicæ protectioni ſubjiciunt, & ad audientiam noſtram appellant, propter hoc memoratum Archi-Epiſcopum nullatenùs impedire tententis, quò minùs de cauſis vel exceſſibus Subditorum veſtrorum cognoſcere valeat, & juxta meritorum qualitatem ipſos debita animadverſione punire, aut etiam exceſſus veſtros, ſi qui manifeſti ſunt & notorii, his dumtaxàt exceptis, ſuper quibus eſt appellatio interpoſita, poſſit dignè corrigere, & quod injuſtè factum eſt, ad rectitudinis tramitem revocare. Datum Anagniæ, ſecundo Idus Maii.

## EPISTOLA XXVIII.

*Thomæ Cantuarienſi Archi-Epiſcopo ſuus Ernulphus.*

VIX apud Dominum Meldenſem triduum peregeram, & ecce cum literis veſtris Wilhelmus Duretent Kalendis Aprilis advenit. Ad quarum ſuſceptionem non minùs gratulatus, quàm devotus ad obſequendum, in craſtino, ſi tamen antelucanum craſtinum dici debeat, primò habita ſacratiſſimæ diei reverentia, accepta ab Epiſcopo, cui adhærebam, benedictione, mandato veſtro inſtantiſſimam adhibiturus diligentiam, Sylvanectum veni, ibidemque Dominum Regem Francorum de perquirendo vobis hoſpitio, quanta potui humilitate, conveni. Solita mihi reſpondit benignitate, quòd de veſtro negotio ità inter Dominum Papam, & ipſum convenerat, quòd vos uſque ad Vallem Sanctæ Mariæ, Ciſtercienſis Ordinis Monaſterium propè Pontiſaram, accedere deberetis, ibique ſubſiſtere, donec ex communi conſilio propriùs evocemini. Nec eſſe interim ſuper hoſpitio veſtro multùm laborandum, cùm utrum illuc uſque veneritis, ſit incertum. Ad hæc cùm ſubjunxiſſem neceſſariam fore interim hoſpitii veſtri providentiam propter tantum undecumque concurſum, nè ſi fortè veneritis, vos & veſtri inhoneſtè vagemini, reſpondit ſe, cùm ad hoc ventum fuerit, operam daturum, ut tam ſuper hoſpitio quàm aliis, prout veſtram decet Excellentiam, provideatur vobis. Nihil ampliùs ab eo potui extorquere, licèt multa inſtitiſſem improbitate. Undè quæ hactenùs à me circa id acta ſunt, vobis ſignifico, veſtram deſiderans, ſi placet, iterùm audire voluntatem. Domus Fratris mei veſtra eſt, ſed à loco colloquii diſtat tribus leucis. Ego tamen interim quod potero faciam, & modis omnibus propinquius vobis hoſpitium perquiram. Sed Mandati veſtri adventum ſerum accuſo. Accelerari rogo Nuncium, ut acceleretur negotium. Tempus enim breve eſt, & tumultus tantus, ut vix locus pateat, qui jam non ſit occupatus. Valeat Dominus meus chariſſimus.

## EPISTOLA XXIX.

*Alexandro Papæ, & omnibus Cardinalibus, Inimici Thomæ Cantuarienſis Archi-Epiſcopi.*

MEDICINÆ potiùs tempus eſt, quàm querelæ. Nam peccatis exigentibus inter malleum & incudem poſita eſt ſancta mater Eccleſia, & niſi Divina ſuper eam reſpiciat miſeratio, ictum mallei eſt ſenſura. Crebreſcente enim Schiſmaticorum nequitia, pro fidei ſuæ defenſione & amore juſtitiæ Pater Patrum exulat à patria, & nè ad propriam ſedem liber ei pateat regreſſus, prohibet Pharaonis animus induratus. Accedit ad hoc, quòd Cantuarienſis Eccleſia tam in ſpiritualibus quàm in temporalibus miſerabiliter imminuitur, dum tamquàm navis in mari proprio Rectore deſtituta fluctuat, & ventis exponitur, dum ejus Paſtor infra nationis ſuæ terminos Regia poteſtate remanere prohibetur. Qui ſuo & Eccleſiæ ſuæ, noſtro etiam periculo, pœnarum & laborum ſecum nos expoſuit acerbitati, non conſiderans, quoniam blandiri oportet, non detrahere poteſtati. Qui nobis, licèt ejus laboribus totis affectibus compatiamur, ingratus exiſtit, & nos, cùm in eadem damnatione ſimus, perſequi non deſiſtit. Inter ipſum ſiquidem & Sereniſſimum Regem Anglorum quædam controverſia verſabatur. De utriuſque voluntate dies præfigitur, ut in eo, Juſtitia mediante, illorum controverſia terminetur. Ad eundem diem ex præcepto Regio Archi-Epiſcopi, Epiſcopi, & cæteri Eccleſiarum Prælati convocantur, ut quantò generalior eſſet Concilii celebratio, tantò manifeſtior fieret fraudis & malitiæ denudatio. Conſtituta die Catholici Principis conſpectui ſe præſentat Regni turbator & Eccleſiæ. Qui de ſuorum meritorum qualitate non ſecurus Dominicæ Crucis armat ſe vexillo, tamquàm ad Tyranni præſentiam acceſſurus. Nec modò Regia Majeſtas offenditur, ſed cauſæ ſuæ judicium Epiſcoporum fidei committit, ut ſic ab omni ſuſpicione liberetur. Reſtabat ut Epiſcopi cauſam judicio terminarent, ut ſic diſſidentes in gratiam fœderarent, & diſſenſionis eorum materiam ſepelirent. Occurrit tamen ille, & prohibet nè de ipſo coram Rege ſententia proferatur, ut ſic animus Regis graviùs accendatur ad iracundiam. Cujus exceſſus facit quantitas, ut ipſe author cuilibet ſe debeat exponere ultioni, erubeſcens pœnam meritam deprecari. Qui Principem, potiſſimùm in tempore perſecutionis Eccleſiæ, contra commoda Eccleſiæ offendere non horruit, cujus offenſio malleum perſecutionis Eccleſiæ augmentavit. Melius erat ſibi, ut felicitati ſuæ frœnum imponeret, nè dum ad rerum cacumen præſumptione pervenire nititur, præſumptionis ſuæ merito ad inferiora trudatur. Etſi eum non moverent Eccleſiæ detrimenta, debebant ſaltem revocare, nè contra Regem ageret, à Rege exhibita, tam in divitiis quàm honoribus, incrementa. At obviat adverſarius, & objicit quoniam ipſum coram Rege ſtare judicio eſſet Apoſtolicæ Sedis & dignitatis diminutio. Ac ſi neſciat, quòd etſi in illo judicio aliquantulùm Eccleſiæ dignitati derogaretur, diſſimulandum tamen erat pro tempore, ut pax Eccleſiæ redderetur. Objicit iterùm, Patris ſibi nomen adſciſcens, quòd arrogantiam videtur redolere, quòd Filii in Patris damnationem minimè debuerant convenire. Sed neceſſarium erat, ut patris ſuperbiam filiorum humilitas temperaret, ne poſt patrem in filiis patris odium parentaret. Liquet itaquè ex prædictis, patres ſanctiſſimi, quòd adverſarii noſtri irrita & inefficax debet langueſcere occaſio, qui ſola odii malignitate impetebat, nullius rationis fultus patrocinio. Et quoniam vobis omnium Eccleſiarum noſcitur ſollicitudo imminere, neceſſarium eſt vos circa ſtatum Cantuarienſis Eccleſiæ cautelam & diligentiam adhibere, nè eadem Eccleſia per ſui paſtoris exceſſus cogatur naufragium ſuſtinere.

## EPISTOLA XXX.

*Cauſa Thomæ Cantuarienſis Archi-Epiſcopi ante Dominum Papam.*

AD audientiam tuam, Pater Sanctiſſime, confugio, ut qui Eccleſiæ libertatem tanto tui diſcrimine redemiſti, eam vel ſolam, vel maximam meæ perſecutionis cauſam attendas, quòd exemplo tuo uſus ſum. Dolui enim ſtatum Eccleſiæ labefactari paululum, & jura ejus in avaritiam Principum diſſipari: Et occurrendum credidi morbo venienti. Et quò plus illi Domino meo, cui poſt Deum cætera debeo, me ſciebam obligatum, eò tutiùs iniquis ejus inſtigationibus arbitrabar reſiſtendum, donec obtinuerunt illi, & Sereniſtatem ejus obfuſcaverunt mihi. Exindè, ut mos eſt apud Principes, criminationes & calumnias injecerunt in occaſionem perſecutionis meæ: & ego ejici malui, quàm ſubſcribere. Acceſſit etiam his malis, quòd vocatus ſum coram Rege tamquàm Laicus, ut ſatisfacerem; & undè mihi ſuffragia ſperaveram, ſum deſtitutus. Animadverti enim Dominos & Confratres noſtros Epiſcopos iſtos pro Aulicorum arbitrio in me paratos animadvertere. Ità cunctis incurſantibus ferè ſuffocatus ad tuæ pietatis audientiam, quæ nec in extremis negligit, reſpiravi. Sub quo demonſtratûrus adſto me nec ibi fuiſſe judicandum, nec ab illis. Nam quid aliud eſſet, patres, niſi veſtra vobis jura ſubtrahere? Quid aliud quàm ſpiritualia temporalibus ſubmittere? Semel natum hoc exemplum eſſet ad multa. Ideoque credidi firmiùs reſiſtendum, quòd affectus proclivior nocendi naſceretur, ſi priùs debilitatem agnoſcerent. At inquient, reddenda erant Cæſari quæ Cæſaris erant. Sed etſi in pluribus obtemperandum Regi, in illis tamen obtemperandum non eſt, in quibus efficitur, nè Rex ſit. Non eſſent illa Cæſaris, ſed Tyranni, in quibus etſi non pro me, pro ſeipſis ei reſiſterent. Nam ſi illi extremum reſervatur Judicium, qui potens eſt judicare corpus & animam, nunquid extrema erit inter homines & ſumma *poteſtas*, quæ judicat ſecundùm ſpiritum? Si juſtam foverent cauſam, quid me impetebant? Quid me arguunt, ſi ad eum appellavi, apud quem mentiri vel non licet, vel non expedit? Aut injuſtè in me cauſabantur, aut de juſtitia veſtra diffidebant. Dupliciter enim confundebar, ſi coram ſanctitate veſtra convincerer. Nunquid eorum perſecutionem metui, pro quibus tantis occurſibus me oppoſui? Obtinuiſſem, ſi voluiſſent illi. Sed malè caput agit, ſi à membris deſtituitur: Quin etiam ſi oculi linguam contra caput aſſumant. Si benè prævidiſſent, in ſe perniciem machinabantur, & eorum uſi ſunt principales auxilio in eorum ſervitutem. Quæ hæc tanti odii cauſa fuerat, ut pro me extinguendo ſeipſos extinguerent? Ità dum ſpiritualia pro temporalibus negligunt, deficiunt in utriſque. Quid quod me etiam reclamantem, & audientiam veſtram appellantem, Patrem ſuum in judicio damnare auſi ſunt? Quid etiam ſi in univerſam Eccleſiam cum offenſo nobis Principe adſpirationem fecerunt? Et te, Pater Sanctiſſime, ſuſpicio ità poterat attingere. At inquient, Regi tenebantur ex debito Domini. Sed illi corporaliter, mihi ſpiritualiter. Cui ſpiritualiùs teneri potuerunt, quàm ſibi ipſis? Nonnè potiùs corporalium damnum, quàm ſpiritualium negligendum fuit? Inquiunt rursùs, hoc tempore Principem non fuiſſe provocandum. Quàm ſubtiliter in ſuam ſervitutem argumentantur? Immò ipſi provocant, qui exceſſibus ſuis alas præbent, & ſuffragium. Quieviſſet enim, niſi acquieviſſent illi. Et quo tempore magis *neceſſaria* conſtantia, quàm inter perſecutores? Nonnè Familiares ejus perſecutionibus comprobantur?

bantur? Si semper occumbant, quomodò obtinebunt? Necessè est aliquandò resistant. Condescende ergò, Pater Sanctissime, in fugam meam & persecutionem, & me aliquandò magnum fuisse reminiscere tempore tuo, & propter te injuriis lacessitum. Utere rigore tuo, coerce eos, quorum instinctu nomen hujus persecutionis obrepsit. Nec Domino Regi horum aliquid imputetur, qui hujus machinationis est minister potiùs, quàm repertor.

## EPISTOLA XXXI.

*Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Joannes Saresberiensis.*

CUM Dominum Papam nuper sollicitarem, & animarem, & viam, quam mihi videbar intellexisse, ad pacem sibi & nobis reformandam studiosiùs intimarem, respondit se spem concepisse pacis ex verbis Imperatoris, quæ ad Abbatem Sanctæ Mariæ transmiserat, promittens Regem Angliæ facilè posse induci ad quæcumque vellet Dominus Papa, si ipse Reges, ut dim petitum est, vellet confœderare. Ad quod quia Dominus Papa pronus est, & Rex Francorum facilis inclinari, de colloquio suo & Regum certus esse videbatur. Et jam Regem Francorum evocaverat, ut Purificationis festum ageret secum. Indè verò digrediens, Regem obvium habui prope Parisios, & cum eo diu locutus sum. Et licèt vobis & exulibus vestris compateretur, & hanc Domini Regis duritiam improbaret, minori tamen fervore loqui videbatur de causa vestra, quàm consueverit. Cùm autem ipsum instantiùs animare satagerem, respondit se quidem satis tenerè diligere Paternitatem vestram, & approbare causam, sed vereri, nè si ipso suadente aliquid faceret Dominus Papa, undè Regem Anglorum amitteret, ei de cætero imputaret Ecclesia Romana, quòd propter eum tantum Amicum amisisset. Et hanc causam sæpiùs inculcavit. Quòd versans apud me attentiùs revolvebam, & metiebar in animo, quid sperare possimus, cùm Rex Angliæ præsens fuerit proponens multa pro se, multa contra vos, & in ore suo nunc minis, nunc promissis, nunc variis pactionibus faciles & fluctuantes animos sit moturus, præsertim cùm habeat sibi Pincernam Regis, & quod magis est, Comitem Robertum, cujus uxor Abbatis mei cognata, cum aliis munusculis trecentas ulnas telarum Remensium Regi nuper transmisit in Angliam ad camisias faciendas. Est enim prudens mulier, & præter munera, quæ frequenter accipiunt maritus & ipsa, sperat, quòd liberis eorum, quos multos habent, provideat Rex in matrimoniis nobilium personarum. Archi-Episcopus verò Remensis Robertum Comitem tenerrimè diligit, & liberos ejus. Undè timeo, nè amicos hujusmodi, cùm ad id ventum fuerit, facilè fortuna excutiat. Proindè consilium meum, & desiderium, & summa precum est, ut vos tota mente committatis ad Dominum, & Orationum suffragia. Quia ut in proverbiis scriptum est: *Turris fortissima Nomen Domini, ad quem siquis confugerit, de omni angustia liberatur*. Differte interim omnes alias occupationes, quantùm poteritis, quia licèt necessariæ, plurimumque videantur, quod suadeo præeligendum est, eò, quod magis est necessarium. Prosunt quidem leges & canones, sed mihi credite, quia nunc non erit his opus. *Non hoc ista sibi tempus spectacula poscit*. Siquidem non tam devotionem excitant, quàm curiositatem. Nonnè recolitis, quia in angustia populi, ut scriptum est, *Inter vestibulum & Altare plorabunt Sacerdotes & Ministri, dicentes: Parce Domine, parce Populo tuo. Exercitabar*, inquit Propheta, *& scopebam spiritum meum, in die tribulationis Deum exquirens manibus*. Ut doceat quia spirituale exercitium & mundatrix discussio conscientiæ avertit flagellum, & impetrat misericordiam Dei. Quis à lectione legum, aut etiam Canonum compunctus surgit? Plus dico: Scholaris exercitatio interdùm scientiam auget ad tumorem, sed devotionem aut raro aut nunquàm inflammat. Mallem vos Psalmos ruminare, & Beati Gregorii morales libros revolvere, quàm Scholastico more philosophari. Expedit conferre de moribus cum aliquo Spirituali, cujus exemplo accendamini, quàm inspicere & discutere litigiosos articulos sæcularium literarum. Novit Deus, qua mente, qua devotione ista proponam. Vos accipietis ut placet. Si autem ista feceritis, vobis erit adjutor Deus, ut timeri non oporteat quid machinetur homo. Ipse novit quòd in nullo mortali nobis, ut opinor, sperandum est in præsenti angustia. Audivi tamen quòd Rex Franciæ pro vobis sollicitaverit Dominum Papam, & Pontiniacensibus gratias egerit.

Audivi quòd scripseritis Archi-Episcopo Remensi, ut res vestras per Flandriam conduci faceret nomine suo, quasi suæ futuræ erant. Quòd si verum est, miror plurimùm. Præterea dicitur, quòd Frater Hugo de Sancto Benedicto redierit ab Anglia, & quidam alii, Legatione Regis nostri fungentes ad Dominum Papam & Regem Francorum, sed quid attulerint, scire desidero. Dicitur etiam quòd terræ motus nuper fuerit in Anglia circa Cantuariam, & Londoniam, & Vintoniam, sed mihi de veritate non constat. Item dicitur, quòd Episcopi, in quorum Episcopatibus Ecclesiæ vestræ sunt, in eis modò jurisdictionem exercent, eò quòd Clerici vestri attoniti nunc mutire non audent. Sed miror si verum est, nisi quia facilè crediderim eos libenter velle irrepere quocumque modo, ut quandoquè dicere possint se possedisse. Nam, ut audio, Sefridus Ciceſtrensis vacante Cantuariensi Ecclesia sic occupavit Ecclesias illas, de quibus nunc contendit successor ejus. Et licèt incredibile sit quòd hoc faciant, mihi tamen bonum videtur, ut vobis prospiciatis apud Dominum Papam, impetratis literis ejus patentibus, nè Cantuariensi Ecclesiæ impostèrùm noceat, quidquid tempestate hac adversùs eam fuerit usurpatum. Sed quæ geruntur in Anglia, sæpiùs auditis & certiùs. Ideò precor, ut de statu vestro & Curiæ, & an Abbas, quem Dominus Papa in Angliam transmisit, redierit adhuc, me per latorem præsentium certioretis. Prætereà nolite oblivisci verbum Lugdunense, undè sollicitastis Dominum Henricum Pisanum.

Valete, & reducite ad memoriam, quia impiger ad obsequium Dei fuerit decessor vester ea ipsa die, qua obiit. Valeant omnes vestri. Salutat vos Abbas meus, & Episcopus Catalaunensis, cum quo locutus sum, ut unum de Clericis vestris recipiat, qui libens acquiescit, id dumtaxat petens,



tens, ut aliquem probum hominem mittatis. Recipiet tamen quemcumque miseritis. Vos autem sicubi transmiseritis aliquem, instituite eum, ut modestè se habeat: Quia homines hujus Regni modesti sunt.

## EPISTOLA XXXII.

*Alexander Papa Londoniensi, & omnibus Episcopis Cantiæ Provinciæ.*

UNIVERSIS oppressis, & per injuriam gravatis ex Officii nostri debito subvenire tenemur. Et præsertim Ecclesiasticis viris, qui pro Ecclesiæ suæ libertate tuenda exilium sustinere coguntur, nè in aliquo Juris sui detrimentum incurrant, debemus providere. Qualiter autem Venerabilis Fratris nostri Thomæ Cantuariensis Archi-Episcopi Clerici pro Domini sui fidelitate Principis indignationem incurrerint, & bonis suis fuerint hac occasione privati, tantò certiùs vestra novit discretio, quanto hac ex parte propriis oculis potuistis pleniùs inspexisse. Undè quoniam indignum est, ut propter vim sibi illatam aliquam beneficiorum suorum sustineant læsionem, Fraternitati vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, & mandando præcipimus, quatenùs universos, qui jam Clericorum dictorum beneficia in absentia de Mandato Regio perceperint, ad eorum integram restitutionem sub anathematis interminatione, appellatione cessante, districtiùs compellatis: nec in his exequendis remissi aut tepidi aliquatenùs appareatis. Datum Laterani, quinto nonas Maii.

## EPISTOLA XXXIII.

*Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo, Joannes de Saresberia.*

EX relatione Latoris præsentium, & literis quas mihi amici mei ab Anglia transmiserunt, poteritis advertere, quis Ecclesiæ status sit in Regno. Mitto etiam vobis littetas, quas mihi misit Episcopus Bajocensis, per Nuncium meum, quem ad ipsum destinaveram, ut per ipsum certiorarer de statu Fratris mei, & rerum nostrarum. Rex enim ei commiserat reditus nostros, quos in Saresberiensi Episcopatu habebamus. Quos autem habebamus in aliis Ecclesiis, partim Londoniensi commisit, partim aliis. Qui tantam diligentiam adhibent, ut nihil indè possimus habere ego & frater meus, nec aliquis nomine nostro. Et sicut referunt qui de partibus illis redeunt, res nostræ dilapidantur omninò, ut nec ecclesiæ, nec domus reficiantur. Ego super hoc & ipsi Londoniensi scripsi, & Herefordensi, & Vigornensi, & Ciceſtrensi Episcopis, & Archi-Diacono Pictaviensi. Ciceſtrensis autem se à Domini Regis gratia excidisse conqueritur, & hæc verba subjungit: *Quia solus Londoniensis censetur nomine suo*. Nullus aliorum mihi respondit. Exspecto tamen ut saltem verba dent mihi veteri amico suo in reditu Nuncii mei.

De Cantia autem nihil audivi. Veruntamen postquàm puer meus à vobis reversus est, audivi quòd Rex Scotorum scripserat vobis, & quòd obtinuerat à Rege pacem vestram. Sed non potui fidem habere verbis: tum quia audio Scotorum Regem non accessisse ad nostrum, tum quia negotium tam acriter inceptum video, ut non possit sine miraculo facilè per literas expediri. Prætereà dicitur quòd Comes Flandrensis rogatu Imperatricis & Reginæ magnos viros misit ad Regem, agens de pace vestra, & quòd redierunt. Sed quid retulerint, incertum habeo. Ad hæc quidam de Domesticis vestris, ut audio, ab expeditione Wallię ad vos reversi sunt. Ea propter mihi rescribi precor, & de Nuncio, quem ad vos transmisit Rex Scotiæ, & de Nunciis Comitis Flandrensis destinatis ad Regem, & quod audistis de Domino Rege, & Wallensibus, & si quid de Domino Papa vobis innotuit, postquàm venit ad Montem Pessulanum.

Desidero autem de eo audire prospera, eò magis quò illi ex magna parte, inter quos moror, ei vaticinantur adversa. Dicunt enim quòd Pisani & Genuenses, ac etiam Arelatenses mare ingressi sunt ex mandato Theutonici Tyranni, ut ei tendant insidias, & pyraticam exerceant. Ut sine manudectione eorum nulli omninò liceat navigare in illo mari. Adjiciunt etiam quòd in Ecclesiam Moguntinam velit intrudere illum non Christianum, sed Anti-Christum, Apostatam suum, qui Reginaldo successit in Officio Cancellariæ, & persecutione Ecclesiæ, & collisione ac strage gentium, & eversione civitatum. Dicitur enim hoc promeruisse in eo quòd Thusciam totam Theutonicis subdidit, & Campaniam, ut Romanis nihil relictum sit, nec in agris, nec in olivetis, aut vineis, extra mœnia Urbis. Undè, ut ajunt, inclusus populus, & quasi affectus inedia obtinuit multis precibus, & pecunia data inducias usque ad festum S. Michaelis. Tunc nisi Dominus Papa interim venerit & subvenerit, recepturi Guidonem Cremensem, & in verba Theutonicorum juraturi. Et nè aliquid subtraham, asserunt nescio quas Prophetissas Theutonicas vaticinatas esse, undè furor Theutonicorum potest amplius inflammari, & undè Schismatici animantur. Sed profectò potens est Deus conterere superbiam Moab, valdè adversùs Dominum superbientis. Et arrogantia ejus major est quàm fortitudo. Undè in tanto rerum turbine nihil salubriùs arbitror, quàm ut confugiamus ad clementiam Christi, qui etsi iterùm crucifigitur, non occiditur, sed Crucifixores suos in ultionem Columbæ faciet acerbiùs crucifigi. Et jam crucifigit pro parte, convocans adversùs eos pestem & gladium. Et alios Angelos suos, per quos gloriosiùs punit contra eum immaniter gloriantes. Si vobis adfuerint Sanctæ Cantuariensis Ecclesiæ Patroni, quorum memoriam haberi jugiter expedit, Deo Authore utiliter sedabitur hæc procella, & nos feliciter ad optatum enavigabimus portum. Nec diffido quin eos habeamus propitios, si posuerimus corda nostra super vias nostras, & ità versati fuerimus in exercitio Legis Divinæ, ut eam non minùs studeamus facere, quàm audire. Nam ut ait sapiens quidam: *Rerum experientia est Magistra intelligentiæ*. Valete.

EPI-

## EPISTOLA XXXIV.

Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Roberto Comiti Leicestriæ.

*Thomas Dei gratia Cantuariensis Ecclesiæ Minister humilis, Dilecto in Christo Filio, & Amico, Nobili viro Roberto Comiti Leicestriæ, salutem cum Benedictione.*

EXspectabam literas consolationis tuæ, tamquàm amici carissimi, verba satisfactionis, tamquàm devotissimi Ecclesiæ filii, & verè pœnitentis. Sed quia neque litera consolationem nunciat, nec verba satisfactionem insinuant, affectu paterno reduco tibi delictum tuum ad animum, ut vel sic immissa tibi à Deo pœnitentia, excutiatur à te satisfactio ad animæ conferens salutem, quam, teste conscientia mea coram Deo loquor, opto tibi pariter ut & mihi. Habet mater tua Cantuariensis Ecclesia affectione materna queri de te, & cum Principibus tuis. Habeo & ego Pater tuus in Christo, sponsus illius qualiscumque. Primò, de illata nobis injuria. Secundò, de non revocata. Tertiò, de pœnitentia morosa. Fortè dissimulatis injuriam, non revocatis illatam, & quod periculosius est, undè magis doleo, tardiùs quàm oporteat acceditis ad pœnitentiam, sine qua nemo nocens absolvitur. Rejecta filiali pietate ium est in viscera Matris à filiis, nullo habito humanitatis intuitu, spreta etiam reverentia ac devotione, qua Patribus tenentur filii, contra omnem juris formam, contra omnem Ecclesiasticam authoritatem, contra etiam ipsas suas ipsius Regni consuetudines, quas dicunt Avitas, quarum occasione perniciosa turbata sunt omnia; quarum incommoditatibus concussa est duriter, & ad tempus depressa libertas Ecclesiæ, quæ per Dei gratiam nullius ingenio poterit convelli; quarum angustiis Christo inferendo injuriam per dispendium Ecclesiæ itur in ruinam. Detracta sunt spolia Patris, judicatus & condemnatus est Pater à filiis, & cum iniquis deputatus. Estnè auditum à sæculo, quod actum est temporibus istis in terra ista? Cantuariensem judicari, condemnari, cogi ad præstandam fidei jussionem, quem & aliquandò proscriptum injustè divina declaravit sententia. Tradita est reverà terra in manus impiorum, quorum nondum completa est malitia. Commissa est enim eis virga Assur, virga furoris Domini, in correptionem & coercitionem Clericorum, cujus quoquè expleto officio, quod jam per misericordiam Dei quasi in limine, verendum est, nè, quòd absit, ira Domini in contrarium conversa, furore ipsius graviùs accenso in suam & suorum ùltionem injuriæ, conterat ipse Dominus & disperdat de civitate sua omnem operantem iniquitatem, pariter juvenem cum sene. Nec mirùm. Non enim est hoc tempore qui faciat bonum, non est usque ad unum. Quis unquàm Patrem & Matrem afflixit contumeliis, injuriis affecit, addixit pœnis, & non incidit in maledictum, quod processit de ore Altissimi? *Qui maledixerit Patri aut Matri, sit ipse maledictus.* Et si hæc maledicti pœna, an non erit malefacti severior? Erit utiquè. Convertimini ergò, filii dilectissimi, celerem agite pœnitentiam, nè, quod absit, ultio divina, quæ jam in januis est, irruat super filios vestros. Exciditnè à memoria vestra, quod dicit scriptura? *Ibunt in exterminationem usque in tertiam & quartam generationem, qui hæreditate quærunt sanctuarium Dei possidere.* Christus enim fundavit Ecclesiam, eique comparavit libertatem sanguine proprio. Quis ergò est qui hujus commercii pretium redigere quærat in servitutem, judicare alienum servum? Domino suo cadere debet, aut stare. Si verò huic morbo, nè veniat in gente periculum, cupitis subvenire, occurrite animæ vestræ periculo, saluti etiam Serenissimi Principis vestri & Domini consulite. Vobis forsan quærentibus de subveniendi modo, respondeo certè saluti Principis & vestræ satis & prudenter esse consultum, si cum humili pœnitentia, cum supplici satisfactione recesserit ab injuria Christi & Ecclesiæ. Sunt ista decentia Principem, sunt & comparantia gratiam Divinam, sunt & conservantia sibi honorem & generationi suæ. Sunt & verba ista plena humilitatis, &, ut arbitror, affectus ejus, quem Regi suo debet Sacerdos, timens de proprio & Principis sui periculo, optans ei salutem, quam & sibi, tum ratione beneficii, tum officii necessitate. Valete.

Prætereà Nuncios nostros, si placet, benignè suscipe, audi benigniùs, & cum ipsis negotium Dei & Ecclesiæ suæ in remissionem peccatorum tuorum, quatenùs opportuniùs se tibi obtulerit, efficaciùs promove. Valete iterùm, & semper.

## EPISTOLA XXXV.

*Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Joannes Pictaviensis Episcopus.*

PATERNITATIS vestræ literas, quas novissimè nobis attulit frater Simon, devotè suscipientes multùm consolationis ex ipsis percepimus. Quas etiam quasi quoddam remedium eorum, quæ contra votum nostrum nobis prænunciata erant, habuimus. Congruo quoquè loco literas vestras consolationis, Cenomanni scilicèt, præsente Domino illius Sedis, recepimus. Qui & ille vir Catholicus, sanctæ Ecclesiæ tribulationi compatiens, ex eisdem literis animum, ex sinistris prænunciatis non modicè afflictum, consolatus est. Spem etenim nobis indè concipere licet, quòd si vera sunt, quæ nunc proponuntur, Imperator ille, pluribus occupatus, tyrannidi suæ in Ecclesiam exercendæ minùs vacare poterit. Est autem super quo miramur, literis vestris non fuisse expressum, quid actum sit in colloquio, quod Dominus Rex Francorum Altisiodori habuit in Octavis Apostolorum. Consultum verò nobis videtur, quòd beneficia, quæ idem Rex Francorum & Comes Henricus vobis obtulisse dicuntur, recipieretis, quibus patientiùs exilium vestrum, donec Dominus ad propria vobis reditum pararit, supportare possitis. Dominus etiam Rex prædictus secretiùs & securiùs consilia sua discretioni vestræ concederet, si quo beneficio vos sibi obligatiorem & obnoxiorem speraret. Sed & multò sollicitior fieret, ut vobis, vacante aliquo Episcopatu vel Archi-Episcopatu, in redituum perceptione provideret, si quid de Dominio suo in usus vestros contulisset, ut sic propria sua ad se redirent. Necessè quidem habetis, secundùm quod præsens temporis status vobis



vobis dat conjicere, fortunæ vestræ, quibuscumque modis poteritis, consulere, ut inimicis vestris ad suam confusionem videamini ad quantamcumque hujus exilii patientiam esse paratus. Undè, ut sæpiùs discretionem vestram diligenter commonuimus, adhuc etiam persuadere intendimus, ut his, quibus carere poteritis, nos exoneretis, ad temporis malitiam respicientes, quæ vobis ad propria facilem vel citum reditum minimè repromittit. Scire autem vestra debet prudentia, quòd nemo est, qui vobis ad ignominiam reputet, si præsenti statui vos conformantes, sed & domui Religiosæ, quæ vos exhibet, condescendentes, moderato & necessario tam equitaturarum, quàm personarum numero contenti esse velitis. Nosse autem vos volumus, quoniam à Regina nec auxilium nec consilium sperare potestis, maximè cum totum consilium suum in Radulphum de Faia, qui vos non minùs solito persequitur, contulerit. Singulisque diebus multæ succrescunt præsumptiones, quibus fidem fieri posse videtur, quòd infamia, cujus aliàs meminimus, veritati accedat. De cætero de rumoribus, quos ab Anglia referent ad Reginam à Rege commeantes, qui partem suam magnificare videntur, vobis communicare possumus hos: Scilicet quòd Dominus Rex jam secundò cum Walensibus congressus, sed, ut gloriantur, eos aggressus, illos confudit, & innumeram de eisdem multitudinem interfecit. Regem verò ajunt de suis paucos amisisse. Literarum verò, quas Rex Matri suæ destinavit, transcriptum vobis mittimus. Scriptum quoquè, quod magister Hugo, Clericus Richardi de Thelcestre, vobis direxit, per manum latoris præsentium recipietis. Quid verò in colloquio de Salobesbiri actum sit, nos nescimus, præterquàm quòd Dominus Rex Episcopos, quos illuc vocaverat, emunxit, & eos statim dimisit, eorumque familias secum retinuit. Si qua alia vestræ cognitioni expedire cognoverimus, vobis manifestare curabimus. Vos quoquè nobis vicem rependere dignemini. Valete.

## EPISTOLA XXXVI.

Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo quidam Amicus.

*Domino ac Patri suus ille, degener quidem, & ignaviæ suæ merito derelictus, Christo sic compati, ut & conregnet.*

SUPER his quæ inspectis sanctitatis vestræ litteris inquirenda cognovimus, plerosque, prout oportere credebamus, quanta potuimus diligentia convenimus, & inter cæteros ac præ cæteris quò fiducialiùs, eò instantiùs illum, quem alterum te credebamus. Et eum quidem eundem atque in eodem reperimus. Auditis siquidem ille quæ in litteris continebantur, lachrymis suffusus oculos, post singultus & multas de moribus & conversatione Censorini nostri querimonias, exploratam sæpiùs super hoc mentem ejus reperisse, se dicebat vehementer aversam, & revocari difficilem; utpotè cujus auribus susurrones illi jugiter & instanter malitiæ suæ virus insibilant; & nè quid audiat, quod animos ejus ab obstinatione cœptæ malignitatis emolliat, indefinenter invigilant. Ad hoc totis nisibus elaborantes, quatenùs in tantum vestri odium exasperetur, ut nullius interventu placiti vel personæ in gratiam qualiscumque concordiæ possitis convenire. Nec existimant se posse feliciter vivere, quousque certissimè se id effecisse compererint. Inter quos odiosus ille Richardus de Luci, proprii cognominis inimicus, præ cæteris hos nectit laqueos. In tantum, ut & ipsum plerumque, cui placere nititur, offendat, dum vehementiùs, & irreverentiùs vestram personam, actus, & consilia denigrare molitur. Undè aliquandò Henricus Censorinus Rex ipse odio nugarum, quas audiebat ab illo, ad eum, quo hæc docente cognovimus, divertens mirari se dicebat, quòd non verebatur homo ille tot fabulosa texere, quæ nec ipse viderat, nec certo authore didicerat. Dum verò postmodùm de statu rerum eidem Amico vestro colloqueretur, in hunc incidere sermonem, visus est aliquantulùm animo fluctuare, quantùm ille conjicere potuit, tanquàm puderet eum acriùs cœpisse, quod facilè nequiret ad libitum terminare. Vereri prætereà videbatur cum Walensibus congredi, ne fortè circa eos occupatum, Flandrenses videlicet & Galli, turbare satagerent, atque idcircò, si vel levem, dummodò honestam, transfretandi haberet occasionem, velle se transmarinas adire partes, ut cum illis ibi pace firmata, istos securiùs debellaturus adiret. Suspensum tamen esse adhuc, nec certum super hoc dicebat eum habere consilium. Atque ideò illi vestro videbatur, si vocaret eum litteris, vel per directum ad hoc Legatum Dominus Papa pro imminentibus Ecclesiæ periculis, atque pro Antiochenæ Urbis nuper ad eum perlata calamitate, atque de aliis hujusmodi cum eo sermonem habiturus, antequàm Romam rediret, facilè ad illas partes accederet, & super hoc, undè nunc neminem vel audire dignatur, neque indecorum, sed honestum ei esset, tanti Patris monitis acquiesceret. Hancque solam & singularem pacis inter vos reparandæ superesse viam. Sed cavendum summoperè, nè quid ab eo causa vestri fieri videatur, antequàm eos, Domino largiente, convenire contingat. Incolumem vos Ecclesiæ suæ conservet, pro quo patimini. Si quid posset ad vestræ sanctitatis libitum nostræ parvitatis operula, rescripto doceamur, affectuosa devotione parituri. Valeat in Domino semper Paternitas vestra.

## EPISTOLA XXXVII.

Alexander Papa Gilberto Londoniensi Episcopo.

*Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Gilberto, Londoniensi Episcopo, salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

A MEMORIA tua non credimus excidisse, qualiter charissimus in Christo Filius noster Henricus, illustris Rex Anglorum multa olim à nobis precum instantia requisivit, ut ab Herefordensi Ecclesia, cui præeminebas, de te in Londoniensem Ecclesiam translationem fieri concederemus. Utque suæ petitioni super hoc impartiremur assensum, necessitatem communem & utilitatem pariter proponebat, asserens quòd civitas illa quasi Regia

gia Sedes existeret, & quia cunctæ Religionis & discretionis virtute crederet præeminere, consilio tuo super his, quæ saluti animæ suæ expedirent, & ad Regni augmentum pariter & conservationem spectarent, spiritualiter & temporaliter uti volebat, & ideò magis proximum te desiderabat & familiarem habere. Undè nos attendentes, quàm utiliter prudentia & Religio tua saluti ejusdem Regis & Regni posset consulere, & quanta ex eo valeat Ecclesiæ Dei utilitas & commoditas provenire, libenter suis precibus acquievimus, & te concessimus in Londoniensi Ecclesia promoveri. Et ideò quantò benigniùs ac facilius ejus beneplacitum & voluntatem complevimus, & tuæ pariter exaltationi intendimus & honori, tantò probitas tua circa incrementum & conservationem Ecclesiæ ampliùs deberet eniti, & attentiùs circa hoc ac efficaciùs laborare, ut fructum, quem nobis idem Rex proposuit, & nos speramus, exhibitione operis & ipsa rerum experientia cognoscamus. Quomodò autem prædictus Rex à devotione Ecclesiæ, ab eo quod solebat, animum & mentem averterit, & eam in multis, sicut in appellationibus nostris, communicando etiam Schismaticis, & nominatim excommunicatis, & confæderando se eis; & in eo etiam quòd Venerabilem Fratrem nostrum Thomam Cantuariensem Archi-Episcopum de Regno suo exire coegit, quasi persequi & impugnare videtur, te non credimus ignorare. Quapropter sollicitudinem tuam rogamus, monemus, atque mandamus, quatenùs adjuncto tibi Venerabile Fratre nostro Roberto, Herefordensi Episcopo, eundem Regem sollicitè commoneas, & studiosa exhortatione inducas, ut hujusmodi proposito prorsùs relicto, in eo quòd excessit, sicut dignum est, satisfaciat, à pravis actibus omninò desistat, Creatorem suum puro corde diligat, Matrem suam Sanctam Romanam Ecclesiam solita veneratione respiciat, nec eam visitare volentes inhibeat, appellationes ad eam factas nullo modo impediat, & prædictum Fratrem nostrum Archi-Episcopum ad Sedem suam benigniùs revocans & reducens, in Beati Petri & nostra reverentia firmus immobilisque consistat, & ad opera misericordiæ ac pietatis intendat: Ecclesias verò & Ecclesiasticas personas, tam Regni quàm terræ suæ, nec per se gravet, sicut facere dicitur, nec à quoquam gravari permittat, sed eas diligat, manu teneat, & Regia protectione conservet, ut ille, per quem Reges regnant, temporale ei Regnum conservet in terris, & sempiternum largiatur in Cœlis. Licèt autem nos eum pro multa devotione, & multis obsequiis nobis tempore necessitatis impensis, sicut excellentissimum Principem & inclitum Regem, affluentiori charitate diligamus, & ad ejus honorem, exaltationem pariter & augmentum, quantumvis ipse aliter opinari videatur, ferventiori studio adspiremus, ei tamen proponas, quòd nisi maturiùs ista correxerit, timendum sibi erit, nè & Deus ei pro his omnibus graviter irascatur, & in eum atque suos debeat duriùs vindicare, & nos ipsi id non poterimus diutiùs in patientia sustinere. Nec ista pro nobis, quantum pro ejus salute & utilitate proponimus, qui magnifica devotionis & liberalitatis obsequia, quæ nobis sicut diximus, tanquàm Rex Christianissimus exhibuit sæpè, ad memoriam reducentes, ejus gloriam & magnificentiam diligimus, & salutem suam, & Regni, atque suorum, totis affectibus exoptamus. Ad hæc de tuæ Religionis & honestatis prudentia pleniùs confidentes, Ecclesiæ negotia experientiæ tuæ fiducialiùs committimus exequenda. Indè siquidem est, quòd Fraternitati tuæ præsentium authoritate mandamus, ut Denarium Beati Petri præsentis anni per totam Angliam fideliter recolligi facias, & eum ad nos, quàm citiùs poteris, transmittere non postponas. Rogamus etiam discretionem tuam, ut quousque præscriptum Denarium recolligas, de pecunia tua, vel aliunde mutuò acquisita, nobis interim studeas utiliter providere, & illam infra proximas Kalendas Augusti nobis transmittas, eamdem posteà de memorato Denario recepturus. Quod ita gratum nobis & acceptum existet, quasi ipsam nobis dono concederes. Datum apud Clarum Montem, sexto Idus Julii.

## EPISTOLA XXXVIII.

Alexandro Papæ Gilbertus Londoniensis Episcopus.

*Patri suo & Domino, Summo Pontifici Alexandro Frater Gilbertus Londoniensis Ecclesiæ Minister, debitum sinceræ charitatis & humilis obedientiæ famulatum.*

MANDATUM vestrum, Pater in Christo charissime, debita veneratione suscipientes, illicò Filium vestrum, Dominumque nostrum charissimum, illustrem Regem Anglorum, etsi in ipsis jam Walliæ finibus agentem Exercitum adivimus, & adjuncto nobis Venerabili Fratre nostro Roberto Herefordensi Episcopo, juxta vestri formam Mandati diligenter & intentè convenimus. Cui singula quæ vestris literis sunt nobis expressa, ante oculos ponentes, ipsum obsecrando, & quantùm Regiam decebat Majestatem, arguendo, constanter & instanter hortati sumus, ut de propositis sibi satisfaceret, & si à rationis tramite deviaverat, ad viam veritatis & justitiæ redire vestra per nos revocatus admonitione non tardaret: à Patre piè commonitus à pravis actibus omninò desisteret, & Dominum puro corde diligeret, & Matrem suam Sanctam Romanam Ecclesiam solita veneratione respiceret, nec eam visitare volentes inhiberet, appellationes ad eam factas non impediret, & Patrem nostrum Dominum Cantuariensem benignè revocans & reducens, in Beati Petri ac vestra reverentia firmus immobilisque persisteret, & pietatis intendens operibus Ecclesias & Ecclesiasticas Personas, tam Regni quàm terræ suæ, nec gravaret per se, nec per alium gravari permittetet, sed ipsas diligens Regia protectione conservaret, ut ille, per quem Reges regnant, temporale sibi Regnum conservaret in terris, & æternùm largiretur in Cœlis. Alioquin nisi monitis salutaribus acquiesceret, Sanctitas vestra, quæ huc usque patienter sustinuit, ulteriùs in patientia sustinere non posset. Ad hæc adjecimus timendum sibi fore, nè si errata non corrigeret, iram citò omnipotentis Dei incurreret, ut nec Regnum ejus diu stare, nec suos prosperari permitteret, sed qui humilem exaltaverat, jam jam exaltatum ab ipso Regni culmine duriùs allidendo dejiceret.

Ipse



Ipse verò correptionem vestram multa gratiarum actione, suscipiens multa animi temperantia, multaque modestia consequenter respondit ad singula. In primis asserens mentem suam à vobis nullatenùs se avertisse, nec id unquàm propositi mente concepisse. Quin dum paternam sibi gratiam exhibueritis, vos ut patrem diligat, & sanctam Romanam Ecclesiam ut matrem veneretur & foveat, & sacris jussionibus vestris, salva sibi sua regnique sui dignitate, humiliter obtemperet & obediat. Quòd si vos jam aliquamdiu solita reverentia non respexit, hanc hujus rei causam asserit, quòd cùm vobis in necessitate toto corde, tota mente, totis viribus adstiterit, sibi postmodùm per Nuncios in necessitate recurrenti ad vos dignè pro meritis sanctitas vestra non respondit, sed in omni ferè petitione sua se repulsam sustinuisse conqueritur & erubescit. De paterna tamen confisus gratia, quæ filium cùm volet exaudiet, vultus sperans & exspectans lætiores, in Beati Petri ac vestra, ut dictum est, fidelitate immobili constantia perseverat. Indè est quòd sanctitatem vestram visitare volentem, nullum prorsùs impediet, sed nec hactenùs, ut asserit, impedivit.

In appellationibus ex antiqua Regni sui constitutione id sibi vindicat honoris & oneris, ut ob civilem causam nullus Clericorum Regni sui ejusdem Regni fines exeat, nisi an ipsius authoritate & mandato jus suum obtinere queat, experiendo cognoscat. Quod si nec sic obtinuerit, ad excellentiam vestram, ipso in nullo reclamante, cùm volet quilibet appellabit. In quo si juri vel honori vestro præjudicatur in aliquo, id se totius Ecclesiæ Regni sui consilio correcturum in proximo, juvante Domino, pollicetur.

Imperatorem illum, etsi schismaticum noverit, à vobis tamen excommunicatum esse usque hodiè non rescivit. Quod si denunciatione vestra rescierit, si fœdus illicitum cum ipso aut alio quolibet iniit, & hoc Ecclesiæ Regni sui judicio simul & consilio se correcturum promittit.

Patrem nostrum Dominum Cantuariensem suo se Regno nequaquàm expulisse asserit. Undè sicut abscessit ultroneus, sic ad Ecclesiam suam, cùm sibi sederit animo, plena pace reverti, sibi libitum erit: Dum tamen in satisfaciendo sibi super his, undè conqueritur, Regias sibi, & in quas ipse juratus est, velit dignitates integrè conservari.

Si qua verò Ecclesia vel Ecclesiastica persona ab ipso vel à suis se gravatum ostenderit, satisfactioni plenæ totius Ecclesiæ judicio paratus erit.

Hæc à Domino nostro Rege in responsis accepimus, qui utinam ad omnem voluntatem vestram ulteriùs aliquid accepissemus. Eadem verò sublimitati vestræ notificanda duximus, ut ex ipsius responsis advertat vestra discretio, quo negotium hoc fine concludat. Causam namque suam Dominus Rex plurimùm sibi justificare videtur, cùm in omnibus quæ dicta sunt, Ecclesiæ Regni sui consilio simul & judicio se pariturum, & patris nostri Domini Cantuariensis reditum, juxta quod dictum est, se nullatenùs impediturum pollicetur. Undè vestræ supplicandum æstimavimus excellentiæ, quatenùs illud præ oculis habentes, *Calamum quassatum non conteres, & linum fumigans non extingues*, zelum illum sanctum, qui ad ulciscendam omnem, quæ Ecclesiæ Dei irrogatur, injuriam laudabiliter igne Divini Spiritus accensus est, si placet ad tempus intra fines modestiæ cohibeatis, nè vel interdicti sententiam, vel ultimum præcisionis elogium proferendo, Ecclesias universas subverti miserè doleatis: & tam Regem ipsum, quàm innumeros cum eo populos à vestra, quod absit, obedientia irrevocabiliter avertatis. Bonum est membrum Capiti cohærere vel saucium, quàm à corpore sequestrari jam præcisum. Redeunt ad sanitatem saucia, sed corpori vix coalescunt jam præcisa. Adducit desperationem præcisio, restituit sanitatem vulneri sæpè medicantis operatio. Quid enim si sermo vester nondum plenè capit aut capitur? Nunquid divina desperanda est gratia, quin citò, cùm volet, & capiat & capiatur? Nunquid abbreviata est manus Domini, ut salvare nequeat, aut auris ejus aggravata, ut non exaudiat? Currens ille sermo Domini velociter, statim cùm vult, immutat omnia, & sanctorum precibus dat insperata. Sanguis Regius tum se demùm permittit vinci, cùm vicerit: Nec verecundatur cedere, cùm superaverit. Mansuetudine tolerandus est, monitis & patientia superandus. Quid enim si jacturam quandam temporalium invehit exhibita in tempus patientia? Non enim est dubium severitati detrahendum fore, cùm strages imminet populorum: & cùm tempestas ingruit, in mare debere multa projici, ut ad portum valeat navis salva perduci.

Insipienter, attamen in charitate non ficta sic loquimur, si sic rei finis exstiterit, ut amissis suis Dominus Cantuariensis exilium jugè sustineat, & vestris, quod absit, mandatis ulteriùs Anglia non obediat, fuisse satiùs patienter in tempus sustinuisse, quam tanto zelo severitati deservisse. Quid? Etiamsi plures è nobis ab obedientia vestra persecutio separare non poterit, non deerit tamen, qui genu curvet ante Baal, & de manu Idoli Pallium Cantuariæ non habito religionis aut justitiæ delectu suscipiat. Nec deerunt qui sedes nostras occupantes, & cathedras insidentes, ipsi tota devotione mentis obediant. Jam multi præmasticant ad talia, optantes ut veniant scandala, & directa ponantur in prava. Undè non propria, Pater, plangimus aut ploramus incommoda, sed nili in his malis occurreritis, fœdam Ecclesiæ Dei subversionem imminere cernentes pertimescimus, ne citiùs ob vitæ tædium optemus periisse diem, qua ad hujusmodi spectacula natisumus.

De cætero super Censu Beati Petri nemo nobis in Regno vel de modico respondisset, nisi Dominus Rex Mandatum super hoc in commune dedisset. Ejus verò Mandato, statuto antiquitùs termino colligetur, & sanctitati vestræ per manum nostram, juvante Domino, transmittetur.

## EPISTOLA XXXIX.

*Alexander Papa Roberto Herefordensi Episcopo.*

MIRAMUR plurimùm, quòd cùm ante promotionem tuam virum Religiosum & Deo devotum audierimus te exstitisse, postquàm Pontificalis es dignitatis culmen adeptus, videris in hoc ali-

aliquatenùs tepuisse. Quod evidentiùs in eo comparet, quòd Venerabili Fratri nostro Cantuariensi Archi-Episcopo, Metropolitano tuo, in Ecclesiæ libertate tuenda minùs quàm debueras adstitisse probaris, & humanum timorem timori Dei, quod tuam Religionem non decuit, diceris præposuisse. Quoniam autem in hoc aliter, quàm credebamus, audivimus contigisse, præsertim cùm spe nostra in promotione tua quodammodò frustrari videamur, Fraternitati tuæ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, & in virtute obedientiæ injungimus, quatenùs jam dicto Metropolitano tuo debitam obedientiam & reverentiam condignam impendas, & eidem in negotiis Ecclesiæ viriliter & constanter assistens, mandata atque præcepta illius devotè & fideliter exequaris. Ad hæc tibi præcipimus, ut hoc, quousque memoratus Frater noster cum charissimo in Christo Filio nostro, illustri Anglorum Rege pacem habeat, quod in proximo, Domino Authore, continget, teneas omninò secretum.

## EPISTOLA XL.

Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Roberto Herefordensi Episcopo.

*Thomas Dei gratia Cantuariensis Ecclesiæ humilis Minister Venerabili Fratri Roberto, eadem gratia Herefordensi Episcopo, salutem, & per omnia benefacere.*

SI litteræ nostræ Fraternitatis tuæ excitavere sollicitudinem, utinam nec affectum desidem reperissem, nec circa officii suscepti effectum minùs vigilem. Elegi ego abjectus esse anathema pro omnibus vobis, opprobrium hominum & abjectio plebis, ne viderem mala sanctorum, & dissimularem injuriam Gentis nostræ, exspectans si quis fortè ex omnibus vobis zelans Legem Dei, Ecclesiæ libertatem saltem affectans, exiret post me & veniret, & non daremus cornua peccatoribus. Et ecce tu, quem credebam mihi à Domino datum esse, ut mecum ædificares, evelleres, & plantares, propinas mihi stimulum in ruinam, solatium in desolationem, prædicans humiliationem, immò dejectionem annuncians bonum, cùm undiquè sit turbatio, in perniciem Ecclesiæ & Clericorum. Et cùm deberes animi vacillantis firmare constantiam, sustinere mecum congressum ad defendendum patrimonium Crucifixi, ad reprimendos & expugnandos hostes Ecclesiæ, instillare auribus meis, inspirare animo meo, ut obsecrarem instantiùs, arguerem arctiùs, & increparem duriùs. Quod si me non audierit, exclamare certè debueras contra me: Exsurge, quarè obdormis? Exere glaudium Beati Petri, vindica sanguinem servorum Christi, qui effusus est, injurias Ecclesiæ, quæ in nobis & nostris fiunt tota die. Exciditnè à memoria tua, quantis sim afflictus injuriis, quibus contumeliis affectus; cùm in persona mea contra omnem authoritatem, contra omnem juris formam, iterùm judicaretur Christus ante Tribunal Principis? Non revoco certè ad animum propriæ personæ injuriam, etsi Ecclesiæ. Attende diligentiùs, arctiùs in corde repone, quid ageretur ante exitum meum, quid in exitu, quid postea, quid etiam agatur singulis diebus in terra illa circa Dei Ecclesiam, & ejus ministros. Qua animi conscientia dissimulare potes tu, de quo sperabatur, quod esses redempturus Israel, à servitute liberaturus Ecclesiam? Et nunc qui tanto tempore tacuisti, doleo super te frater, fili mi primogenite. Timeo nè succedat tibi, qui tollat tua primogenita, & auferat primogeniti benedictionem: Quod absit à te. Veruntamen etsi hactenus nimiùm illuisti, resume vires, fili charissime. Clama, nè cessès, exalta vocem tuam contra eos, immitte eis timorem, mitte contritionem, excute satisfactionem, nè ira Dei descendat super eos, & tota gens pereat, vel, quod absit, majores in gente. Ultio enim divina jam in januis est. Hæc tibi scribo, non ad confusionem tuam, sed ad cautelam, ut fultus authoritate Dei & nostra, de cætero valeas & velis Officii tui necessitates fortiùs & validiùs exercere. Hoc unum in summa scire te volo, per misericordiam Dei non extorquebitur à me Ecclesiæ confusio. Prætereà gratias tibi ago, quòd vel nunc visitasti me, & solatio tuo confortasti. Quid plura? Unum est, quod sine multa animi mei amaritudine sustinere non valeo. Fleo siquidem super dilectissimo Domino nostro Rege. Timor enim & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ, eò quòd videam Domino meo Regi tribulationem & angustiam imminere. Nec mirùm. Commovit enim Ecclesiam Dei, & conturbavit eam, ostendens Clero suo dura, & potans eum vino erroris. Propterea dicit ei Dominus: *Ubi sunt nunc sapientes Consiliarii tui, qui dederunt tibi consilium insipiens? Qui dicebant: Filius Sapientium tu es filius Regum antiquorum, quorum Consuetudines observandæ sunt in Anglia. Quas qui non observaverit, non est Amicus Cæsaris. Hostis est Coronæ. Reus judicio.* Sed certè, quod magis est, Amicus est Crucis Christi. Quoniam væ his qui condunt Leges iniquas, & scripserunt injustitias, ut opprimerent in judicio, & vim facerent causæ humilium populi Dei; ut essent Ecclesiæ & viduæ præda eorum, & Clericorum, aliorumque diriperent bona. Quid facient in die visitationis, & calamitatis de longè venientis? Ad cujus confugient auxilium, & ubi derelinquent glorias suas, nè incurventur sub vinculo, & cadant cum interfectis? Ubi sunt nunc sapientes ejus? Procedant, annuncient ei, & indicent quid cogitaverit Dominus exercituum super Anglia. Stulti facti sunt sapientes ejus, emarcuerunt Principes ejus, deceperunt Angliam, angulum populorum. Dominus immiscuit in medio ejus spiritum vertiginis. Errare fecerunt Angliam in opere suo, sicut errat ebrius, vomens & tremens. Et non erit Angliæ opus, quòd faciat caput & caudam. Quia comederunt Jacob, & locum ejus desolaverunt. Et dixerunt: Hæreditate possideamus Sanctuarium Dei, exprobrando Sacerdotibus & Principibus eorum. Quò confugietis à manibus nostris, aut in quo est vobis fiducia? Quarè recessistis & obstitistis præceptis nostris? O quàm inanes cogitationes istæ, quàm pessimæ operationes in conspectu Domini! Videt quidem, quoniam vanæ sunt. Ipse enim irridebit sic cogitantem, sic operantem, prospiciens quòd propè veniat dies ejus, & jam in januis sit: Et dicetur: *Ecce homines, qui non posuerunt Deum adjutorem suum, sed speraverunt in multitudine divitiarum suarum, & prævaluerunt in vanitatibus suis.* Sed frustrà hæc faciunt. Non relinquet Dominus Ecclesiam suam, Clerum suum sine defensore, sine ultione gravissima. Fundata est enim supra firmam Petram. Petra autem est ipse Christus, qui eam proprio Sanguine suo fundavit. Certè si non ista emendaverint, non ferent ea impunè, quoniam conculcaverunt sancta sanctorum, Domum Dei, Sacerdotes ejus injuriis afficiendo, verbisque probrosis. Hi sunt, quibus ipse Dominus ait: *Dii estis, & filii Excelsi omnes.* Et alibi: *Qui vos odit, me odit. Qui vos spernit, me spernit. Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei.* Revertantur ergò ad cor, abjiciant mala ista à se, agant pœnitentiam cum summa humilitate. Alioquin verendum, quod absit, nè citò veniat Dominus noster, adducens super eos & terram eorum grandem retributionis ultionem, & gravissimam: Ecce veniet Dominus noster, & non tardabit, & salvabit nos. Ipse equidem nunquàm derelinquit sperantes in se. Propheta enim dicit: *Spera in Domino, & fac bonitatem, & pasceris in divitiis ejus.* Et alibi: *Exspecta Dominum, & viriliter age, confortetur cor tuum, & sustine Dominum.* Citòque liberaberis de laqueis venantium, & à verbis asperis. Et ut cætera omnia debito fine concludam, quoniam ostendit nobis Dominus, quæ & quanta oporteat nos pati pro nomine suo, & pro defensione Ecclesiæ, necessè habemus, ores tu, & tota Ecclesia tibi commissa instanter pro nobis, ut quod nostris meritis non valemus, tua & sanctorum Virorum intercessione, qui in ditione tua sunt, sustinere valeamus, & ob id gratiam sempiternam consequi mereamur. Vale & confortare. Valeat & tota Anglicana Ecclesia, & confortetur in Domino, ut & nos benè valeamus.

## EPISTOLA XLI.

Alexander Papa Gilberto Londoniensi Episcopo.

*Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Gilberto, Londoniensi Episcopo, salutem & Apostolicam Benedictionem.*

QUOD circa ea, quæ tuæ injunximus fraternitati, efficax studium & diligentiam impendisti, & charissimum in Christo filium nostrum, illustrem Anglorum Regem, super incremento & exaltatione Ecclesiæ ac nostra fideliter sollicitare ac commonere curasti, gratum omnimodis & acceptum habemus, & tibi exindè gratias ùberrimas exsolventes, sollicitudinis tuæ prudentiam magnificis super hoc in Domino laudibus commendamus. Quoniam verò eundem Regem, tamquàm filium charissimum & Inclytum Principem, arctiori charitate diligimus, idcircò per te, ac per Venerabiles Fratres nostros Rothomagensem Archi-Episcopum, & Herefordensem Episcopum, necnon per charissimam in Christo filiam nostram, illustrem quondam Romanorum Imperatricem, Matrem ejus, sæpè ac sæpiùs ipsum sollicitandum duximus, & ad Ecclesiæ devotionem multimodis exhortationibus provocandum. Gaudemus autem & exultamus in Domino super ea devotione ejusdem Regis, quam tuis nobis litteris significasti. Cæterùm, quoniam eum devotum Ecclesiæ Dei esse & nobis, sicut ab ipso principio consuevit existere, rogamus fraternitatem tuam, monemus atque mandamus, quatenùs ipsum diligenter, ac sæpè & sæpiùs, per te & alios commoneas, horteris modis omnibus, & inducas, ut ad Ecclesiæ ejusdem honorem pariter & exaltationem solito modo intendat, & causam ipsius strenuè foveat, manu teneat, atque defendat. Ecclesias verò, & Ecclesiasticas personas diligat & honoret, & eorum jura conservet. Venerabilem quoquè Fratrem nostrum Cantuariensem Archi-Episcopum in amorem & gratiam suam reducat. Nos enim, si eam, quam incepit, Beato Petro in nobis reverentiam exhibuerit & honorem, cum ferventi affectione diligemus, & ad honorem & exaltationem ipsius, & conservationem Regni sibi commissi omnibus, prout decuerit, intendemus. Malimus enim ipsum in patientia & mansuetudine vincere, quàm eum aliquo modo gravare, quamdiu id poterimus sustinere. De cætero probitatem tuam rogamus, ut ex quo denarium Beati Petri integrè recollegeris, ad quod te volumus studium & diligentiam impendere, sicut per alia tibi scripta significavimus, ipsum dilecto Filio nostro Abbati S. Bertini per fidelem Nuncium sub omni festinatione destinare studeas: Et hoc, quàm citiùs poteris, nobis significes. Datum in gradu Mercurii, undecimo Kalendas Septembris.

## EPISTOLA XLII.

Alexander Papa Henrico Regi Angliæ.

*Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, Henrico illustri Anglorum Regi salutem & Apostolicam Benedictionem.*

ETSI circa nos, & Matrem tuam, Ecclesiam sacrosanctam, filialis in te devotio aliquatenùs videatur tepuisse, paternum tamen affectum circa te, vel Regnum tuæ gubernationi commissum nullo tempore deseruimus. Tua ergò Serenitas, quòd Amici verbera potiora quàm inimici oscula existant, diligenter advertens, consideres studiosiùs & attendas, quòd sicut Clerici à viris sæcularibus vita & habitu distinguuntur, ità & judicia Clericorum à Laicorum judiciis diversa potiùs comprobantur. Quarè si eum ordinem, quod non decet, pervertas, & quæ Jesu-Christi sunt tuæ potestati usurpans, novas Leges ad Ecclesiarum oppressionem, & Christi pauperum, pro tuo beneplacito condas, consuetudines etiam, quas Avitas vocas, inducas, tu ipse procul dubio in extremo examine, quod effugere non poteris, modo consimili judicaberis, & eadem mensura, qua mensus fueris, remetietur tibi. Verùm nè commonitiones nostræ, Excellentiæ tuæ auribus tædiosæ vel asperæ videantur, scriptum recollige: *Quia Filium, quem diligit, Pater corripit.* Pro certo cognoscens, quia quantò personam tuam ardentiori charitate in Domino diligimus, & sincerissimæ tuæ devotionis insignia, nobis & Ecclesiæ Dei multipliciter & magni-

magnificè olim exhibita, ad memoriam sæpiùs & studiosiùs revocamus, tantò hæc cognitioni tuæ, spiritualem tibi & æternam salutem votivis cordis affectibus exoptantes, libentiùs intimamus. Si enim te in aliquo judicium futurum deterret, aut præmiorum in æterna requie corona delectat, veram, quæ Deus est, justitiam colere, vel suum unicuique tribuere, negotia Ecclesiastica, & præsertim criminalia, quæ de læsione fidei vel juramenti emergunt, causas super rebus & possessionibus Ecclesiarum Personis Ecclesiasticis tractanda relinquere, Regnum & Sacerdotium non confundere, non adeò Serenitatem tuam deceret, quàm etiam expediret. Si autem universa, quæ in usus tuos per hujusmodi angarias de bonis Ecclesiasticis convertuntur, in refectionem pauperum, vel aliis operibus pietatis expenderes, obsequium non magis Deo gratum efficeres, quàm si Altari quolibet discooperto aliud cooperires, aut si Petrum crucifigeres, ut Paulum à mortis periculo liberares. Recolere siquidem debes, & præ oculis ad hujus rei exemplum habere, qualiter Rex Saul, quia devicto Amalech prædam contra Divinum præceptum reservare volebat, cùm se ad excusationem sui hæc ad sacrificandum reservare proponeret, à Domino fuit reprobatus, & alius eo vivo in honorem & dignitatem Regiam subrogatus. Quem utiquè peccata populi Regem effecerant, sed eum à gubernatione Regni propria commissa destituerunt. Quomodò etiam Rex Ozias, dum thurificare voluit, & Sacerdotis sibi officium usurpare, digna Dei ultione fuerit lepra percussus, tuæ saluti congruit ad animum revocare. Si verò successus tuos viribus & potestati tuæ, & non Deo adscribes, intentionem quoquè & animum tuum ab Ecclesiasticorum virorum & Ecclesiarum oppressione non retrahas, ille procul dubio, qui aliis te præfecit, & magnum in orbe Principem ad fidelium suorum gubernationem, non ad depressionem constituit, talenta tibi commissa gravi cum usura à te requiret, & sicut de Roboam filio Salomonis legitur, qui pro delicto patris est à Regno ejectus, Commissum Paternum in hæredes transfundet. Tu ergò pravis cujuslibet suggestionibus non acquiescas, nec his qui semper mala susurrant, aurem inclines, sed quæ tuam salutem expediant, diligentiùs audias, & ità ad honorem Dei, & Ecclesiæ suæ tranquillitatem & pacem, ad quod solummodò es Regni gubernationem adeptus, idem regere, & secundùm quod Dominus tibi administraverit, studeas utiliter gubernare, ut ille, per quem Reges regnant, & cui servire regnare est, tibi & hæredibus tuis Regnum temporale conservet, & post illud tribuat sine fine mansurum.

## EPISTOLA XLIII.

*Alexander Papa Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo.*

QUONIAM dies mali sunt, & multa sunt pro qualitate temporis toleranda, discretionem tuam rogamus, monemus, consulimus, & suademus, ut in omnibus tuis & Ecclesiæ agendis tempus providum, & circumspectum exhibeas, & nihil properè vel præcipitanter, sed maturè & gravitèr facias, ad gratiam & benevolentiam illustris Regis Anglorum recuperandam, quantùm salva libertate Ecclesiæ, & honestate officii fieri poterit, enitaris modis omnibus & labores. Et usque ad proximum Pascha eundem Regem sustineas, ità quòd nihil in eum vel terram ipsius usque ad præscriptum studeas exercere. Tunc enim Dominus dabit tempora meliora, & tam tu quàm nos tutiùs poterimus in facto ipso procedere.

## EPISTOLA XLIV.

*Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo quidam Amicus.*

NUNCIUM vestrum, qui ad Dominum venerat Nicolaum, non vidi, sed puerum ipsius Nicolai suscepi, ut vobis per illum aliqua ad referendum digna, & ad sciendum utilia nunciarem. Igitur post egressum pueri vestri à me, qui jam diu ad vos reversus est, illud primò concepi, quòd Rex die quadam, cùm esset apud Cadomum, & de negotio suo, quod habebat cum Rege Scotiæ, sollicitè pertractaret, contra Richardum de Humez, qui pro Rege Scotiæ aliquatenùs loqui videbatur, in verba ignominiosa prorupit, & eum proditorem manifestè appellavit. Rex itaquè solito furore succensus pileum de capite projecit, baltheum discinxit, pallium & vestes, quibus erat indutus, longiùs abjecit, stratum sericum, quod erat supra lectum, manu propria removit, & quasi in sterquilinio sedens, cœpit straminis masticare festucas. Die verò sequenti, cùm esset in prato juxta Capellam, & Richardus de Welcestre ad eum accedere vellet, Templarii ei obviàm properantes, cum pilea de capitibus abstulissent, osculum ei statim obtulissent, nisi Rex pluribus videntibus eos removisset, dicens nolle eos excommunicato osculum dare. Post hæc cùm Rex apud Toycam accessisset, Episcopus Lexoviensis venit ad eum, postulans & supplicans prætextu paupertatis licentiam egrediendi de terra, ut qui ære premitur alieno, saltem per annum posset respirare. Ut cùm redisset liber à debitis, ad locum Religionis faciliùs posset migrare. Rex ergò intuens in eum ait: *Verè facies vestra immutata est, plusquàm scitis, & diutiùs, ut mihi videtur, laborem ferre non potestis. Sed tamen propter penuriam nunquàm de terra mea exibitis. Ego enim loquar Creditoribus vestris, & aliquibus vos juvabo modis, & à vexationibus & fatigationibus immunem faciam & quietum.* De suo igitur nihil spopondit, sed penes alios eum juvare promisit.

Post hæc Rex ad colloquium suum cum Comite Flandriæ accessit, ubi gesta sunt quæ vos scitis. Ibi enim Rex mille libras Matthęo Comiti Boloniæ per annum se daturum spopondit. Ibi Nuncius Domini Papæ captus est, qui adhuc tenetur in vinculis & carcere. Ibi magistrum Heribertum Dominus eripuit de manibus quærentium eum. Qui certè pro negotio tam modico tantum non debuerat subjisse periculum. Stultum est enim ibi esse audacem, ubi effectum operis nec magnæ gloria laudis, nec multi emolumenti gratia comitatur. Cum autem Rex Rothomagum fuisset reversus, accito Archi-Episcopo & Episcopo Lexoviensi, de captione Portitoris litterarum Domini Papæ, & de indignatione, quàm contra Clericum Gaufredi Ridel conceperat, quia litteras vestras susceperat & nuncium non detinuerat, tractare cœperunt illi duo, & Regem aliquatenùs super his increpare. Tunc etiam Archi-Episcopus mentem literarum, quas olim à Domino Papa pro vobis susceperat, Regi cœpit apertiùs explanare, & eum more suo leniter increpare, donec Rex se totum scire dixit quidquid litteris continebatur, & minas hujusmodi modicùm formidare.





Dum hæc geruntur, magister Raynaldus, Clericus Decani Turonensis, ad Regem accessit, multis occasionibus sollicitè quærens, qualiter de facto isto eum posset honestiùs increpare, & suam ad plenum cognoscere voluntatem. Rex verò prosperitatem Domini Papæ & Serenitatem Status Curiæ subsannans, eum de talibus vix loqui permittebat. Post hæc Rex apud Cadomum reversus est, & Episcopus Lexoviensis ad eum accedens, ut licentiam egrediendi pleniùs haberet, à Rege attentiùs interrogatus est, quantum deberet, & quantis indigeret. Cumque Episcopus ducentas marcas, si remaneret, sibi necessarias inculcasset, Rex se tantum argenti non habere asseruit, sed tamen nocte eadem ei sexaginta marcas remisit. Utinam ergò imminutam Principis pecuniam non accepisset, quem amodò credet se illa emisse, quem viderat indigere: & eo tanquàm instrumento ad complendam suæ iniquitatis malitiam utetur. Rex enim ei forsitan magis credet, & ipse illi, ut timeo, in infidelitate erit fidelior.

In his etiam diebus Alfredus, Clericus Episcopi Herefordensis, ad Regem venit, asserens Episcopum suum, & Dominum Rogerum, secundùm tenorem vestri Mandati de terra exituros, & ad vos in proximo venturos, nisi Regis auxilio & consilio remanerent. Rex ergò de Domino Rogero plurimum conquestus, prohibitione usus est pro consilio, dicens eos non posse cogi ad exeundum, quos remedium appellationis juvare poterat ad remanendum. Adjecit etiam eos posse exire, sed reverti non posse. Et hæc quidem apud nos gesta sunt. De cætero sciatis, quia in Octava Beati Martini Rex cum Comite Theobaldo apud Turonum loqui debet, ibique quingentas libras, quas ei per annum promiserat, de presenti solvet, & de futuro mentietur. Dominica verò sequenti apud Chinum erit colloquium cum Pictavis, & aliis de terris adjacentibus. Post hæc in festo Sancti Andreæ erit Rothomagi, ut in Octava occurrere possit Comiti Flandrensi, ibique Comiti Boloniæ mille libras se daturum per annum promittet pro pace & concordia inter eos, nihilque aliud se facturum propter eum constanter asseruit & juravit. In his ergò omnibus Rex fluctuat & incertus est, & de futuri temporis casibus sperans. In hoc solum fortitudinis suæ posuit firmamentum, si fortè Dominus Papa universæ carnis viam intraret, aut vobis, quod absit, humanitùs contingeret.

Vos igitur, dum tempus habetis, extendite manum retributionis, & illud scriptum esse sciatis. *Quia retribuit Dominus abundanter facientibus superbiam.* Eos itaque qui contra Deum se erigunt, vestræ severitatis sententia puniat. Et caput colubri tortuosum virga directionis amputate, ut Sathanas sub pedibus vestris conculcetur velociter: nisi enim in manu forti & brachio excelso, Ecclesia Dei pacem non habebit. Nec nisi rugitu Patris Leo iste poterit excitari, qui totus in infidelitatis suæ perfidia obdormivit. Eia igitur, arcum intendite, sagittas immittite, donec infirmentur. Quoniam impium est ibi esse pium, ubi Dei Pietas annullatur, & Fides periclitatur. Malè enim fidelis est, qui fidei jura non servat. Et quem contra fidem agere videmus, profectò infidelem appellamus. Agite ergò, & ampliùs nolite silere. Quoniam taciturnitas nutrit assensum, & delictum subditorum sæpè per silentii teporem retorquetur in Pastorem. Vocate ergo quos potestis, & compellite exire de medio Babylonis. Quoniam meliùs est mori vobiscum in bello, quàm videre mala gentis suæ pariter & Sanctorum. Vocate, inquam, & statim sentiant judicem, qui audire contempserint Pastoris vocationem. Valeat in multos dies sanctitas & sanitas vestra. Me autem vestrum esse semper credatis, & ad omnia, quæ vobis placuerint, præparatum. Valete iterum, & semper.

## EPISTOLA XLV.

*Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Frater Nicolaus de Monte Rothomagensi.*

SUPER negotio vestro nos minùs fuisse sollicitos, quia nondùm à nostra parvitate litteras accepistis, minimè, si placet, vestræ Paternitatis arbitretur magnitudo. Nihil enim eò usque scribendum æstimavimus, quod vestram concederet audire sanctitatem. Satis enim etiam apud vos credimus esse cognitum, puerum qui Regi litteras tradidit, in arcto fuisse positum, digitis ad oculos eruendos appositis usque ad effusionem sanguinis, & aqua calida per os injecta, donec confiteretur se litteras à magistro Heriberto accepisse. Sed necdum à vinculis absolvitur, cùm tamen Rex à Matre mandatum acceperit, ut abire permitteretur. In octava autem, ut accepimus, Sancti Martini Rex & Comes Theobaldus Turonis habebunt collocutionem. In festo verò Sancti Andreæ venturus est ad nos, ut unà cum Flandrensibus colloquatur. Sed & hoc de Anglia accepimus, quod Lincolniensis & Comes Gaufridus debitum carnis persolverint. Dicitur quoque quod Richardus de Luci jam, ut Hierosolymam vadat, signum sibi Crucis imposuerit.

De cætero pro certò sciatis, quòd nullus apparet, qui coram Rege de vobis vel unum verbum audeat proferre. Sigillum suum à magistro Waltherо, quia puerum, qui litteras attulerat, non retinuit, abstulit: Quod posteà tamen Archi-Diacono reddidit. Archi-Diaconus autem coram Domino Rothomagensi & pluribus aliis dicens se missurum Nuncium ad vos, in Assumptione Beatæ Mariæ Virginis appellavit. De Mandato verò Domini Papæ super Rege conveniendo Dominus Rothomagensis cum suffraganeis nihil palam fecit: fortè secretiùs alloquens Regem. Sed nec hoc lateat vestram sanctitatem, quod magister Domus infirmorum Cantuariensium, in partes nostras veniens, retulit nobis Londoniensem omnia reddidisse Scaccario Regis, quæ de reditibus vestrorum Clericorum acceperat. Sed & hoc nobis nuntiavit, quod Prior Cantuariensis Monachum quemdam in custodia posuerat, quia de processione exierat, clamans & exprimens, qui vobis, & non Regi fave-

faverent. Sed & ferviens Scaiman, cùm captus fuisset, evasit, & in Monasterio Sanctæ Trinitatis per aliquot dies latitans, tandem liberatus, quo diverterit, ignoramus. Audivimus autem & de militantibus Regis, reædificare & munire volentibus Hansinweret, quòd à Wallensibus subitò supervenientibus plurimi sint interempti, plerique verò sauciati. Valeat sanctitas vestra.

## EPISTOLA XLVI.

*Idem eidem Archi-Episcopo.*

MOLESTE ferimus, & ultrà quàm dicere possimus condolemus, quòd ad vos eò usque venire non potuimus. Sed est causa multiplex & magna. Debito namque tanto sumus obligati, præcipuè pro domo, quam emimus anno præterito, quòd quasi singulis diebus, ut terminum differamus supplicando, nos oporteat ingredi civitatem, eò quòd pecuniæ non sufficiamus solvere quantitatem. Sed & in arcto sumus ex alia parte, eò quòd Rex & sui Rothomagi morentur. Undè si nos interim absentaremus, nè sibi innotesceret, formidaremus. Durum enim verbum est in auribus ejus & execrabile, quòd de vobis etiam aliqua mentio fiat. Nec apparet qui de vobis benè loquatur, vel in ejus conspectu facere etiam mentionem audeat. Longè verò meliùs nobis novistis, quòd in arcto sit, & quò se vertat non novit. Hinc enim ei Regnum Francorum adversatur. Hinc pavet Pictavienses, hinc Wallenses formidat. Nec mirùm, quem Ecclesia non protegit, si plures ruat in hostes. Verùm si se locus & opportunitas obtulerint, quàm citiùs fieri poterit, alter nostrum, vel ego, vel magister Heribertus vestram præsentiam adibit, & quod interim sciri poterit, plenariè vobis apportabit. Hoc tamen interim vobis innotescat, quia quam pacem à Rege Francorum habere poterimus, recipere minimè differemus. Valeat in perpetuum sanctitas vestra.

## EPISTOLA XLVII.

*Dominus Cantuariensis Fulconi Decano Remensi, totique Capitulo.*

QUONIAM in corpore, & de corpore Christi constituti, alter alterius membra sumus, mutuis obsequiis nobis invicem deservire, piaque necessitudine alter alterius onera portare debemus: tantò nimirùm affectuosiùs, quantò firmiùs ad idem præter catholicæ communionis vinculum speciali quoque Clericalis professionis nexus tenemur adstricti. Ut præsertim quando nos adversis dispensatio supernæ miserationis erudire decrevit, casibus ingruentibus occurrant fraternæ charitatis cum hilaritate solatia: tantò promptiùs atque gratantiùs exhibenda, quantò comprehenduntur esse & imminente necessitate magis debita, & fervente tribulatione opportuniora. Indè est, quòd possessionibus nostris pro voluntate Principis atque Domini nostri in præsentiarum destituti, præsentium latorem magistrum Philippum de Calcia, Clericum nostrum, morum conversatione & litterarum notitia commendabilem; qui quoniam inter procellas, quæ excanduerunt, nobis, sicut debuit, adhæsit, rebus suis est exspoliatus, Serenitatis vestræ charitati transmittimus, attentiùs obnixiùsque rogantes, quatenùs intuitu Dei, amorisque nostri, atque obsequiorum gratia, ei, dum instantis exilii necessitas ingruerit, in necessariis, prout ipsum decet, provideatis. Nos enim, quod ei boni feceritis, velut nobis impensum, feremus: Et secundùm quod pro loco & tempore patuerit occasio, prono promptoque affectu pariter & effectu, mutua benedictionum exhibitione, debita cum devotione respondebimus. Valeat & vigeat charitas vestræ Faternitatis.

## EPISTOLA XLVIII.

*Henrico Regi Angliæ quidam Amicus suus.*

DUPLICIS rationis consideratio nos hortatur, ut ea, quæ vobis expedire cognoscimus, Regiæ Majestati prompto & fideli animo suggeramus. Si enim sublimitati vestræ sincerissima dilectione connectimur, & extremi retributionem judicii interioris oculi lumine contemplamur, videmus profectò, quantùm nobis immineat, & ea, quæ ad gloriam terreni honoris pertinent, prompta vobis exhortatione suggerere, & ab eo, quod vestræ saluti renititur, officiosissima vos sollicitudine revocare. Maximè quia si is, cui loqui ex officio datum est, in alienæ salutis discrimine salutifera monita non depromat, seipsum reum sanguinis Fratrum constituit, dum eum, cui necessarium consilium negat, in pravitate viæ suæ mortifera taciturnitate relinquit. Ne autem hoc nostris forsitan adinventionibus adscribatis, Prophetæ vobis verba describimus, quibus dicitur: *Si dicente me ad impium*, Morte morieris, *non annunciaveris ei, ut convertatur à via sua mala, ipse quidem in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram*. Nos igitur hac prophetica, immo divina comminatione perterriti, & Regiæ Celsitudini vestræ fidelis dilectionis fœdere copulati, studuimus semper vobis intrepida commonitione consulere, quod vestræ saluti, quod gloriæ, quod ipsi penitùs terreno honori disputavimus expedire. Specialiter autem in novissimo colloquio vestro, cùm licentiam à vobis reditus sumeremus, pia sollicitudine nos vobis exposuisse meminimus quòd quidquid super aliis capitulis vestræ potestatis licentia faceret, illud indignum penitùs, & ab omni ratione videbatur extraneum, & non solùm humana censura damnabile, sed & divino putabatur judicio judicandum, quòd occasione Cantuariensis Archi-Episcopi tot alios Viros, & Mulieres, Clericos & Laicos, parvulos & provectos, totius omninò Regiæ offensionis innoxios, à propriis congebatis sedibus exulare: maximè cùm dicant nonnullos eorum eundem Archi-Episcopum nulla penitùs sanguinis propinquitate contingere. Et quoniam his clementer auditis vera nos dicere dignanter vos recognovistis, & indè mihi responsum bonum post modicum promisistis, miramur, quòd nihil ex hoc posteà ex vestri parte suscepimus, quamvis hoc ipsum vestris magnis occupationibus imputemus. Rogamus autem, ut juxta datam nobis verbi vestri fiduciam, vestrum circa illos relaxetis edictum, & quod indè feceritis, fidelis Amici auribus non celetis.



## EPISTOLA XLIX.

*Alexander Papa Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo.*

QUOD Minor Majorem judicare non possit, & eum præsertim cui jure noscitur Prælationis subesse, & obedientiæ vinculo tenetur adstrictus, tam Divinæ quàm humanæ Leges demonstrant. Et præcipuè sanctorum Patrum Statutis id manifestiùs declaratur. Hæc siquidem nos, quorum interest errata corrigere, & ea quæ incorrecta perniciosum Posteris exemplum relinquerent, sollicita consideratione pensantes, attendentes etiam, quòd ex delicto personæ non debet Ecclesia jacturam aliquam vel incommodum sustinere, sententiam ab Episcopis & Baronibus Angliæ, quoniam ad primam Regis citationem tui copiam non fecisti, adversùm te præsumptuosè prolatam, in qua tibi jam dicti Episcopi & Barones omnia mobilia tua tam contra Juris formam, quàm contra Ecclesiasticam consuetudinem abjudicarunt, præsertim cùm nulla mobilia præterquàm de bonis Ecclesiæ tuæ habueris, irritam penitùs esse censemus, & eam Apostolica authoritate cassamus, statuentes ut nullas inposterùm vires obtineat, aut tibi vel Successoribus tuis, seu Ecclesiæ tuæ gubernationi commissæ, aliquod inposterùm valeat præjudicium vel læsionem afferre.

## EPISTOLA L.

*Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Herveus Clericus.*

JUXTA tenorem Litterarum vestrarum, secretius Scriptum Professionis, illud distinctè legendo, Domino Papæ ostendi, nullo Cardinalium præter Dominum Manfredum præsente, in hospitiis autem suis Domino Ostiensi, Domino Hyacintho, & Ottoni, & etiam Domino Portuensi, cui negotia vestra de consilio & Mandato Domini Papæ communicata sunt, idem Scriptum exposui. Quòd autem circa negotia vestra, quæ forsitan jam peracta credebatis, præsentem Nuncium vobis mitti desideraſtis, modò id fieri non potuit, quia nondum illa obtinere potui. Non quià Dominus Papa vel amici vestri Cardinales in ullo se à bonæ promissionis prosecutione retrahant, vel negligentiores se ostendant, fervent enim in dilectione vestri, & quod benè promiserat, Dominus Papa meliùs se executurum adjecit; sed quia in circumventione & attractione Domini Portuensis, solerti adhibita cautela, & omni importunitate, ut oportuit, exclusa, quindecim dierum operam impendi, & hoc effeci, ut ipse primus inter Amicos vestros apud Clarum Montem super petitionibus nostris Dominum Papam interpellaret. Dominus autem Papa de industria Paterna, ut ipsum præcipuè Portuensem, & alios etiam ad instantiam provocet, gravem, durum, & quasi non satis exorabilem se prima facie prætendit. Et hæc est protelationis causa, per misericordiam Dei nobis imposterùm profutura. Plurimùm autem placet Ostiensi, quòd talem industriam adhibet Dominus Papa. Cùm autem effectui mancipari permiserit Deus desideria vestra, quantam mihi Deus annuerit, cautelam adhibebo, ut ad vos transferantur. Porrò de consilio Domini Papæ est, ut si Rex Franciæ victualia sua vobis honestè obtulerit, recipiatis non solùm panem & vinum, sed etiam carnes: A tribus Comitibus ad cautelam nihil palàm accipiendum putat. A Comite autem Flandrensi optimum credit oblata recipere: Si tamen litteris suis vos vocaverit & invitaverit, nè quid pallietur. Quod tamen Dominus Papa non potest vereri, propter generositatem & bonam indolem hominis illius, cujus intercessionem vobis profuturam sperat. Valeat Dominus meus in perpetuum.

## EPISTOLA LI.

*Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Otto Cardinalis.*

SIGNIFICAMUS vobis Dominum Papam, Curiam totam, & nos benè per Dei gratiam valere. Litteræ nuper venerunt ad Curiam de Janua. Dicunt quia Guido Cremensis Pisis receptus est. Archi-Episcopus recessit, Clerus aufugit, totus Populus ipsum Guidonem contemnit. Dominus Papa mandaverat Januæ pro Galeis. Et quidem Januenses ipsi fideles & devoti sunt Domino Papæ & Curiæ. Sed quia putant & timent Imperatorem cum Pisanis pro receptione Guidonis Cremensis magnas conventiones & promissiones fecisse, dubitant adhuc. Undè, quod vobis soli confitemur, hoc ex litteris perpendimus, quòd si civitates Longobardiæ confœderatæ fuerint contra Imperatorem, & Galeas & alia obsequia exhibebunt; sin autem, subsistere videntur. Confœderationem autem, si futura est, in proximo audiemus. Electus Moguntinus, qui nuper recessit à Domino Papa & Curia, Nuncium Guidonis ad se venientem de terra sua ejecit, & comminatus est ei, quòd si ipse vel alius Nuncius ex parte Schismaticorum ad se ulteriùs perveniret, ei oculos erui faceret. Nomen Domini Papæ manifestè prædicat. Hoc novit Imperator, & multùm dolet. Et quasi certum habetur in terra, quòd prædictus Moguntinus ad pedes Domini Papæ accesserit. Eidem Moguntino concordant per omnia Treverensis, & Salisburgensis, & ferè reliqui Principes omnes, sicut dicunt tam Sæculares quàm Ecclesiastici, excepto Imperatore, & Coloniensi, & Duce Saxoniæ. Magdeburgensis nuper rediit de Hierosolyma, & captus à Saracenis vovit, quòd, si liberaretur, Domino Papæ manifestè adhæreret. Et ità manifestè facit.

## EPISTOLA LII.

*Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Mathildi Imperatrici.*

GRATIAS agimus Deo, qui Nobilitatem vestram insignibus virtutis magis illustravit quàm generis: & quam sanguine clarissimam extulit in Orbe Romano, bonis operibus clarificare non desinit in Mundo. Nam ab Oriente in Occidentem magnum est nomen vestrum in Domino, & eleemosynas vestras ennarrant Ecclesiæ Sanctorum.

faverent. Sed & serviens Scaiman, cùm captus fuisset, evasit, & in Monasterio Sanctæ Trinitatis per aliquot dies latitans, tandem liberatus, quo diverterit, ignoramus. Audivimus autem & de militantibus Regis, reædificare & munire volentibus Hansinweret, quòd à Wallensibus subitò supervenientibus plurimi sint interempti, plerique verò sauciati. Valeat sanctitas vestra.

## EPISTOLA XLVI.

*Idem eidem Archi-Episcopo.*

MOLESTE ferimus, & ultrà quàm dicere possimus condolemus, quòd ad vos eò usque venire non potuimus. Sed est causa multiplex & magna. Debito namque tanto sumus obligati, præcipuè pro domo, quam emimus anno præterito, quòd quasi singulis diebus, ut terminum differamus supplicando, nos oporteat ingredi civitatem, eò quòd pecuniæ non sufficiamus solvere quantitatem. Sed & in arcto sumus ex alia parte, eò quòd Rex & sui Rothomagi morentur. Undè si nos interim absentaremus, nè sibi innotesceret, formidaremus. Durum enim verbum est in auribus ejus & execrabile, quòd de vobis etiam aliqua mentio fiat. Nec apparet qui de vobis benè loquatur, vel in ejus conspectu facere etiam mentionem audeat. Longè verò meliùs nobis novistis, quòd in arcto sit, & quò se vertat non novit. Hinc enim ei Regnum Francorum adversatur. Hinc pavet Pictavienses, hinc Wallenses formidat. Nec mirùm, quem Ecclesia non protegit, si plures ruat in hostes. Verùm si se locus & opportunitas obtulerint, quàm citiùs fieri poterit, alter nostrum, vel ego, vel magister Heribertus vestram præsentiam adibit, & quod interim sciri poterit, plenariè vobis apportabit. Hoc tamen interim vobis innotescat, quia quam pacem à Rege Francorum habere poterimus, recipere minimè differemus. Valeat in perpetuum sanctitas vestra.

## EPISTOLA XLVII.

*Dominus Cantuariensis Fulconi Decano Remensi, totique Capitulo.*

QUONIAM in corpore, & de corpore Christi constituti, alter alterius membra sumus, mutuis obsequiis nobis invicem deservire, piaque necessitudine alter alterius onera portare debemus: tantò nimirùm affectuosiùs, quantò firmiùs ad idem præter catholicæ communionis vinculum speciali quoque Clericalis professionis nexus tenemur adstricti. Ut præsertim quando nos adversis dispensatio supernæ miserationis erudire decrevit, casibus ingruentibus occurrant fraternæ charitatis cum hilaritate solatia: tantò promptiùs atque gratantiùs exhibenda, quantò comprehenduntur esse & imminente necessitate magis debita, & fervente tribulatione opportuniora. Indè est, quòd possessionibus nostris pro voluntate Principis atque Domini nostri in præsentiarum destituti, præsentium latorem magistrum Philippum de Calcia, Clericum nostrum, morum conversatione & litterarum notitia commendabilem; qui quoniam inter procellas, quæ excanduerunt, nobis, sicut debuit, adhæsit, rebus suis est exspoliatus, Serenitatis vestræ charitati transmittimus, attentiùs obnixiùsque rogantes, quatenùs intuitu Dei, amorisque nostri, atque obsequiorum gratia, ei, dum instantis exilii necessitas ingruerit, in necessariis, prout ipsum decet, provideatis. Nos enim, quod ei boni feceritis, velut nobis impensum, feremus: Et secundùm quod pro loco & tempore patuerit occasio, prono promptoque affectu pariter & effectu, mutua benedictionum exhibitione, debita cum devotione respondebimus. Valeat & vigeat charitas vestræ Faternitatis.

## EPISTOLA XLVIII.

*Henrico Regi Angliæ quidam Amicus suus.*

DUPLICIS rationis consideratio nos hortatur, ut ea, quæ vobis expedire cognoscimus, Regiæ Majestati prompto & fideli animo suggeramus. Si enim sublimitati vestræ sincerissima dilectione connectimur, & extremi retributionem judicii interioris oculi lumine contemplamur, videmus profectò, quantùm nobis immineat, & ea, quæ ad gloriam terreni honoris pertinent, prompta vobis exhortatione suggerere, & ab eo, quod vestræ saluti renititur, officiosissima vos sollicitudine revocare. Maximè quia si is, cui loqui ex officio datum est, in alienæ salutis discrimine salutifera monita non depromat, seipsum reum sanguinis Fratrum constituit, dum eum, cui necessarium consilium negat, in pravitate viæ suæ mortifera taciturnitate relinquit. Ne autem hoc nostris forsitan adinventionibus adscribatis, Prophetæ vobis verba describimus, quibus dicitur: *Si dicente me ad impium, Morte morieris, non annunciaveris ei, ut convertatur à via sua mala, ipse quidem in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram*. Nos igitur hac prophetica, immo divina comminatione perterriti, & Regiæ Celsitudini vestræ fidelis dilectionis fœdere copulati, studuimus semper vobis intrepida commonitione consulere, quod vestræ saluti, quod gloriæ, quod ipsi penitùs terreno honori disputavimus expedire. Specialiter autem in novissimo colloquio vestro, cùm licentiam à vobis reditus sumeremus, pia sollicitudine nos vobis exposuisse meminimus quòd quidquid super aliis capitulis vestræ potestatis licentia faceret, illud indignum penitùs, & ab omni ratione videbatur extraneum, & non solùm humana censura damnabile, sed & divino putabatur judicio judicandum, quòd occasione Cantuariensis Archi-Episcopi tot alios Viros, & Mulieres, Clericos & Laicos, parvulos & provectos, totius omninò Regiæ offensionis innoxios, à propriis cogebatis sedibus exulare: maximè cùm dicant nonnullos eorum eundem Archi-Episcopum nulla penitùs sanguinis propinquitate contingere. Et quoniam his clementer auditis vera nos dicere dignanter vos recognovistis, & indè mihi responsum bonum post modicum promisistis, miramur, quòd nihil ex hoc posteà ex vestri parte suscepimus, quamvis hoc ipsum vestris magnis occupationibus imputemus. Rogamus autem, ut juxta datam nobis verbi vestri fiduciam, vestrum circa illos relaxetis edictum,



ctum, & quod indè feceritis, fidelis Amici auribus non celetis.

## EPISTOLA XLIX.

*Alexander Papa Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo.*

QUOD Minor Majorem judicare non possit, & eum præsertim cui jure noscitur Prælationis subesse, & obedientiæ vinculo tenetur adstrictus, tam Divinæ quàm humanæ Leges demonstrant. Et præcipuè sanctorum Patrum Statutis id manifestiùs declaratur. Hæc siquidem nos, quorum interest errata corrigere, & ea quæ incorrecta perniciosum Posteris exemplum relinquerent, sollicita consideratione pensantes, attendentes etiam, quòd ex delicto personæ non debet Ecclesia jacturam aliquam vel incommodum sustinere, sententiam ab Episcopis & Baronibus Angliæ, quoniam ad primam Regis citationem tui copiam non fecisti, adversùm te præsumptuosè prolatam, in qua tibi jam dicti Episcopi & Barones omnia mobilia tua tam contra Juris formam, quàm contra Ecclesiasticam consuetudinem abjudicarunt, præsertim cùm nulla mobilia præterquàm de bonis Ecclesiæ tuæ habueris, irritam penitùs esse censemus, & eam Apostolica authoritate cassamus, statuentes ut nullas inposterùm vires obtineat, aut tibi vel Successoribus tuis, seu Ecclesiæ tuæ gubernationi commissæ, aliquod inposterùm valeat præjudicium vel læsionem afferre.

## EPISTOLA L.

*Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Herveus Clericus.*

JUXTA tenorem Litterarum vestrarum, secretius Scriptum Professionis, illud distinctè legendo, Domino Papæ ostendi, nullo Cardinalium præter Dominum Manfredum præsente, in hospitiis autem suis Domino Ostiensi, Domino Hyacintho, & Ottoni, & etiam Domino Portuensi, cui negotia vestra de consilio & Mandato Domini Papæ communicata sunt, idem Scriptum exposui. Quòd autem circa negotia vestra, quæ forsitan jam peracta credebatis, præsentem Nuncium vobis mitti desideraſtis, modò id fieri non potuit, quia nondum illa obtinere potui. Non quià Dominus Papa vel amici vestri Cardinales in ullo se à bonæ promissionis prosecutione retrahant, vel negligentiores se ostendant, fervent enim in dilectione vestri, & quod benè promiserat, Dominus Papa meliùs se executurum adjecit; sed quia in circumventione & attractione Domini Portuensis, solerti adhibita cautela, & omni importunitate, ut oportuit, exclusa, quindecim dierum operam impendi, & hoc effeci, ut ipse primus inter Amicos vestros apud Clarum Montem super petitionibus nostris Dominum Papam interpellaret. Dominus autem Papa de industria Paterna, ut ipsum præcipuè Portuensem, & alios etiam ad instantiam provocet, gravem, durum, & quasi non satis exorabilem se prima facie prætendit. Et hæc est protelationis causa, per misericordiam Dei nobis imposterùm profutura. Plurimùm autem placet Ostiensi, quòd talem industriam adhibet Dominus Papa. Cùm autem effectui mancipari permiserit Deus desideria vestra, quantam mihi Deus annuerit, cautelam adhibebo, ut ad vos transferantur. Porrò de consilio Domini Papæ est, ut si Rex Franciæ victualia sua vobis honestè obtulerit, recipiatis non solùm panem & vinum, sed etiam carnes: A tribus Comitibus ad cautelam nihil palàm accipiendum putat. A Comite autem Flandrensi optimum credit oblata recipere: Si tamen litteris suis vos vocaverit & invitaverit, nè quid pallietur. Quod tamen Dominus Papa non potest vereri, propter generositatem & bonam indolem hominis illius, cujus intercessionem vobis profuturam sperat. Valeat Dominus meus in perpetuum.

## EPISTOLA LI.

*Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Otto Cardinalis.*

SIGNIFICAMUS vobis Dominum Papam, Curiam totam, & nos benè per Dei gratiam valere. Litteræ nuper venerunt ad Curiam de Janua. Dicunt quia Guido Cremensis Pisis receptus est. Archi-Episcopus recessit, Clerus aufugit, totus Populus ipsum Guidonem contemnit. Dominus Papa mandaverat Januæ pro Galeis. Et quidem Januenses ipsi fideles & devoti sunt Domino Papæ & Curiæ. Sed quia putant & timent Imperatorem cum Pisanis pro receptione Guidonis Cremensis magnas conventiones & promissiones fecisse, dubitant adhuc. Undè, quod vobis soli confitemur, hoc ex litteris perpendimus, quòd si civitates Longobardiæ confœderatæ fuerint contra Imperatorem, & Galeas & alia obsequia exhibebunt; sin autem, subsistere videntur. Confœderationem autem, si futura est, in proximo audiemus. Electus Moguntinus, qui nuper recessit à Domino Papa & Curia, Nuncium Guidonis ad se venientem de terra sua ejecit, & comminatus est ei, quòd si ipse vel alius Nuncius ex parte Schismaticorum ad se ulteriùs perveniret, ei oculos erui faceret. Nomen Domini Papæ manifestè prædicat. Hoc novit Imperator, & multùm dolet. Et quasi certum habetur in terra, quòd prædictus Moguntinus ad pedes Domini Papæ accesserit. Eidem Moguntino concordant per omnia Treverensis, & Salisburgensis, & ferè reliqui Principes omnes, sicut dicunt tam Sæculares quàm Ecclesiastici, excepto Imperatore, & Coloniensi, & Duce Saxoniæ. Magdeburgensis nuper rediit de Hierosolyma, & captus à Saracenis vovit, quòd, si liberaretur, Domino Papæ manifestè adhæreret. Et ità manifestè facit.

## EPISTOLA LII.

*Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Mathildi Imperatrici.*

GRATIAS agimus Deo, qui Nobilitatem vestram insignibus virtutis magis illustravit quàm generis: & quam sanguine clarissimam extulit in Orbe Romano, bonis operibus clarificare non desinit in Mundo. Nam ab Oriente in Occidentem magnum est nomen vestrum in Domino, & eleemosynas vestras ennarrant Ecclesiæ Sanctorum.

rum. Quamvis enim Deo plurimùm placeant subsidia temporalium, quæ ei erogatis in membris suis, ei tamen minùs placere non credimus sollicitudinem pacis & libertatis Ecclesiasticæ, quàm tanto, ut fama est, zelatis affectu, ut cum Apostolo dicere valeatis: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror?* Undè nos, qui ratione humanitatis & beneficii vestri meritò vobis obnoxios esse recolimus, pro salute vestra, & filii vestri gloria, temporali pariter ac æterna, de pace Ecclesiæ fiducialiùs loquimur in auribus vestris, rogantes attentiùs, & obsecrantes in Domino, quatenùs eum diligentiùs conveniatis, ut ea devotionis sedulitate pacem procuret Ecclesiæ, qua sibi, hæredibus suis, & terris suis per merita Sanctorum pacem Dei desiderat procurari. Nam undè plurimùm contristamur, divulgatum est ab Oriente usque in Occidentem, quòd Ecclesias Regni sui intolerabiliter affligit, & exigit ab eis inaudita quædam & inconsueta. Quæ si quæsierint, quærere tamen non debuerunt antiqui Reges. Potest autem fieri, ut in tempore suo, cui multam Deus contulit sapientiam, tanta afflictio utcumque valeat tolerari. Sed forsitan post dies ejus tales sunt regnaturi, qui devorare Ecclesiam cupient toto ore, & indurati cum Pharaone dicent: *Nescio Dominum, & Israel non dimittam*. Meminerit, quæsumus, ad preces & exhortationes vestras, quomodò eum extulit ultra titulos nobilium patrum, & ultra terminos Majorum suorum, præter eorum spem dilatavit terminos ejus. Quid proderit ei apud Dominum, si ad hæredes transmittat peccata sua, & quasi adversarios Dei & Ecclesiæ constituat in Testamento? Quid prodest Antecessoribus ejus modò, si iste sumpta occasione ex delictis eorum Deum quasi hæreditario jure offenderit? Aliis erat, Serenissima Domina, Deus placandus obsequiis, alia munera pro salute Majorum & redemptione offerri oportebat. Non placent Deo Sacrificia de rapina: nisi fortè Patri placere possit, ut ei filius immoletur. Si resipuerit, Pater misericordiarum adhuc est promptus ad veniam: procul dubio judicium facturus in eos sine misericordia, qui non exercent misericordiam. Potens est, & potentes potenter punit. Terribilis, & aufert spiritum Principum, ut fortioribus instet fortior cruciatus. Tetendit arcum suum, & paravit illum, & in eo posuit vasa mortis, jaculaturus in brevi, nisi Sponsam suam, pro cujus amore mori dignatus est, liberam esse permiserint, & privilegiis ac dignitatibus, quas Sanguine suo ei comparavit in Cruce, sustinuerint honorari. Debetis autem, si placet, in eo revocando, & matris diligentiam adhibere, & Dominæ authoritatem. Ut quæ ei Regnum & Ducatum multis laboribus acquisistis, & ad eum hæreditaria successione Jura transmisistis, quorum occasione nunc premitur & conculcatur Ecclesia, proscribuntur innocentes, & pauperes intolerabiliter affliguntur. Nos quod possumus pro salute vestra & illius, animo libenti facimus, Dei misericordiam precibus, quibus possumus, jugiter implorantes: fiducialiter oraturi, si pace Ecclesiis reddita ad Authorem & Benefactorem suum Deum prompta devotione redierit. Mè pudeat eum coram Deo humiliari per pœnitentiam, cum antiquis Regibus, quorum memoria in benedictione est, nihil magis ad gloriam adscribatur, quàm pœnitentiæ titulus, Legis Divinæ zelus, veneratio Sacerdotii, & fidelissima virtutum custos humilitas. Talibus enim hostiis Domini Ezechias, Josias, & Constantinus Domino placuerunt, & gloriam assecuti sunt apud homines à generatione in generationem.

## EPISTOLA LIII.

*Thoma Cantuariensi Archi-Episcopo Frater Nicolaus de Monte Rothomagensi.*

QUANTÆ compassionis visceribus adversitates Ecclesiæ Dei, quas magnanimitas vestra sustinere decrevit, parvitas mentis nostræ apud se suscipiat & pertractet, nec scriptura sufficienter exprimere, nec viva voce plenariè pronunciare minùs facunda lingua valeret, sed de nostro affectu, qui quantulùscumque est, vester est, quia illum abjectum & minùs utilem in conspectu Dei esse cognoscimus, tacere meliùs duximus, quàm plura loqui. Verùm id, licèt Excellentiæ vestræ non incognitum, silentio præteriri non oportet, quod vestræ sublimitati sit ipsa commemoratione gratissimum, quod menti perturbationum fluctibus impetitæ sit magnæ securitatis indicium, quòd humeros delicatos, quos suppostitistis ad portanda onera virorum, suæ virtutis officia reddat talibus fascieulis aptiores: Ecclesia Pauperum Christi, quos humilitatis vestræ mansuetudo adoptavit in filios, quos apud Deum magnitudo fidei vestræ voluit habere patronos, quos in ratione dati & accepti munificentia sibi fecit obnoxios, ipsa siquidem tota sui spiritus intentione suspensa ad vos, noctibus ac diebus impetrare festinat, ut Ecclesiæ suæ vestris temporibus tranquillam tribuat libertatem. Postulat autem in fide, nihil hæsitans. Summa igitur ope & alacri studio quod inchoastis opus perficite, nec in aliquo vacilletis. Siquidem Deus tantum vobis contulit honorem, tantamque felicitatem, ut operi vestro testis sit in cœlo Jesus-Christus, testis in corde conscientia. Et quod paucis & rarò solet accidere, hoc vobis ad exhortationis cumulum accessit, quòd totius multitudinis devotio præbet in Deo vobis auxilium. Et universi Populi sermone super quod agitis bonum flagrat testimonium. Sed de his hactenùs.

Joannes de Oxeneford, qui ex consilio Episcoporum vestrorum ad Curiam reversus, & à Curia veniens, per Dominam Imperatricem transitum fecit: ut eam contra vos exasperaret, sicut antea tam ipse, quàm alii fecerant, malitiosa, quanta potuit, inculcavit. Siquidem quia opus vestrum verisimiliter reprehendere non potuit, intentionem calumniatus est, asserens universa, quæcumque facitis, mentis elatione, studioque dominationis inchoata. Ecclesiasticam etiam libertatem, quam defensatis, non ad animarum lucrum, sed ad augumentum pecuniarum Episcopos vestros intorquere, tam ipse quàm alii nuncii Regis affirmant. Et licèt necdum propter novitatem Prælationis à vobis id esse factum consentiant, tamen ad idem vos anhelare contendunt. In Anglia namquè delinquentium culpæ apud Episcopos accusatorum non mulctantur injunctione pœnitentiæ, sed datione pecuniæ. Item quòd



quòd Deus in causa non sit operis vestri, dicunt eam inde debere cognoscere, quòd ab initio Archi-Episcopatus vestri non Religiosos vobis, sed litteratos Nobiles congregastis. Et eos dedecorosa appellatione nuncupant, quam silere meliùs puto. Item Ecclesiastica beneficia non Dei contemplatione, sed servitii vestri occasione, etiam his, quorum turpitudo publicè nota est, vos asserunt contulisse. Item asserunt quòd non propter Regias consuetudines, sed propter causam pecuniariam discessistis. Hæc in vos malitiosè conficta tum propter cautelam, tum propter exasperationis Dominæ occasionem cognoscendam vos ignorare non decuit.

Tertia die recessus eorum ad Imperatricem venimus, quæ litteras vestras per tempus aliquantulum suscipere distulit, & satis asperè in nos locuta est, quòd ad vos perreximus, ex quo nobis notum fuit vos esse in curia. Nec enim credebat quòd tam citò ad curiam pergeretis. Tamen non destitimus, sed ea vice & altera, bona, quæ potuimus, quasi nolenti ingessimus. Tertia vice post pauca verba litteras vestras benignè, sed occultè suscepit. Ita quòd id Clericis suos latere voluit, & eas nobis legendas injunxit. Quibus auditis, in primis excusavit se, quòd de vobis aspera verba vel mihi vel aliis privatim & publicè dixisset. Vel etiam Domino Regi mandasset. Asseruit namquè, quòd filius ejus totum, quod de Ecclesiasticis agere volebat, ab ea celasset, eò quòd cognovisset ipsam potiùs Ecclesiasticæ libertati, quàm Regiæ voluntati favere. Nunc verò litteras suas ad filium suum direxerat per quemdam de Clericis suis, mandans illi, quatenus totum, quod in mente haberet de statu Ecclesiarum vel personæ vestræ, ut sibi per litteras significaret. *Et tunc*, inquit, *cognita ejus voluntate, si perpendero laborem meum posse esse fructuosum, studebo pro posse & Ecclesiasticæ paci & suæ*.

Post hæc verba recedentes ab ea, ad Dominum Lexoviensem litteras vestras detulimus apud Manerium suum Nonant, juxta Bajocum. Benignè nos suscipiens, secretè litteras vestras suscepit, & ea quæ à vobis injuncta nobis fuerant, & si qua bona ipsi excogitare potuimus, libenter amplexus est. Id in verbo veritatis affirmans, quòd ab eo tempore, quo ad curiam primò missus est, licèt corporaliter contra vos steterit, mente tamen & consilio pro vobis stetit. Et hoc ipsum nobis in eo itinere cum eo de negotio nostro loquentibus non ex vestra parte, nec enim mandaveratis, se facturum promiserat. Privatim siquidem ad Dominum Papam & causam vestram & personam, quantùm potuit, commendavit. Legatos Regis ea sola postulare laudavit, quæ non impediri posse cognoverat. Nunc ergo pro certo cognoscite, quòd si Dominus Rex communicarit ei consilium suum, ad libertatem Ecclesiæ & pacem vestram pro posse laborabit. Nec enim nostro labori minori affectione compatitur, quam si tota hæc adversitas Ecclesiæ suæ vel personæ occasione nobis incumberet. Ipsum siquidem socium haberetis infra breve tempus, si non esset oneratus ære alieno. Nunc ergò consilium ejus est, ut ità cautè vobis provideatis in expensis, nè multas pecunias in brevi effundatis; si tamen multas habetis, quod Regis familiares affirmant. Si non habetis, cavete ne plurimis innotescat. Consilium enim acceperant Adversarii vestri circa mare consilium dare Regi, ne reditus vestros ad præsens attingeret, sed Ministris vestris interdiceret, ne inde quidquàm haberetis. Si ergo viderint quod velitis & possitis absque reditibus diutiùs sustinere, faciliùs & citiùs pax reddetur Ecclesiæ. In his Festivis diebus litteras vobis per Nuncium proprium mittet. Et nunc misisset, si in Manerio scriptorem habuisset, cui secretum hoc vellet injungere. Item mittit in Angliam familiarissimum sibi R. de Arderva, per quem omnibus indagatis quæ in curia fiunt vel deliberantur, quidquid inde cognoverit, vobis per litteras significabit.

Reversi ad Dominam Imperatricem, quæ injunxistis, ex ordine cuncta narravimus iteratò. Consuetudines Regis verbo narravimus, quia Magister Heribertus perdiderat schedulam. Hoc etiam adjunximus, quòd consuetudinum quædam contra fidem Jesu-Christi, aliæ ferè omnes essent contra libertatem Ecclesiæ. Propter quod timendum erat ei & filio suo de æterno periculo, & etiam temporali. Tunc verò præcepit nobis mittere ad vos propter consuetudines illas. Volente Deo, ea ipsa die reperta est schedula, & die sequenti, omnibus ejectis à thalamo suo, præcepit nobis eas latinè legere, & exponere Gallicè. Mulier de genere tyrannorum est, & quasdam approbabat. Sicut est illud de non excommunicandis Justitiis & Ministris Regis sine licentia ejus. Ego tamen alia exponere nolebam, nisi de hoc priùs disceptarem, ostendens Evangelicum præceptum, quo dicitur ad Petrum: *Dic Ecclesiæ*, &c. Non: *Dic Regi*. Et alia multa. Quam plurima capitulorum improbavit. Et hoc modis omnibus ei displicuit, quòd in Scripturam redacta essent: Sive Episcopi coacti forent, ut aliquam promissionem facerent de ipsis custodiendis. Hoc enim à prioribus factum non est. Post multa igitur verba cum ab ea vehementer inquirerem, quæ posset esse prima pacis occasio, hanc ei indicavimus, & assensit: Si fortè fieri posset, ut Dominus Rex mitteret in consilium Matris suæ, & aliarum rationabilium personarum, quæ taliter rem moderarentur, ut cessante promissione & scriptura antiquæ Regni consuetudines observarentur, adhibito tali moderamine, ut nec per Judices sæculares libertas Ecclesiæ tolleretur, nec ità Episcopi abuterentur Ecclesiastica libertate. Scitote, quòd Domina Imperatrix in defensione filii sui versuta est, eum excusans tum per zelum justitiæ, tum per malitiam Episcoporum; tum in deprehendenda origine conturbationis Ecclesiæ rationabilis & discreta. Dicit enim quædam in quo ejus sensum & laudavimus & adjuvimus. Episcopi Clericos indiscretè ordinant, qui nullis Ecclesiis titulantur. Ex quo fit, ut Ordinatorum multitudo paupertate & otio ad turpia facta prolabatur. Non enim timet perdere Ecclesiam, qui nulli titulatus est. Non timet pœnam, quia illum Ecclesia defensabit. Non timet Episcopi carcerem, qui mavult impunitum transire conversum, quàm pascendi vel custodiendi sollicitudinem adhibere. De Ordinatione illius, qui Ecclesiæ non titulatur, quod irrita sit ad injuriam illius qui eam fecit, testatur Synodus Chalcedonensis, una de quatuor, quas Gregorius sicut quatuor Evangelii libros tota devotione complectitur. Hoc & alii plures Canones. Item uni Clericulo quatuor aut septem Ecclesiæ tribuuntur aut Præbendæ,

dæ, cum Sacri Canones ubique manifestè prohibeant, ne Clericus in duabus Ecclesiis connumeretur. Hujus iterùm pravæ consuetudinis occasione quantæ de dationibus & præsentationibus Ecclesiarum controversiæ nascantur, attendite. Super hac re locuta est Domina Imperatrix occasione Richardi de welcestre. Verùm taceant Episcopi, qui hoc faciunt suis Parentibus, quod Laici sibi servientibus. Item quod multas pecunias suscipiant Episcopi propter peccata apud eos excusatorum, satis Canonibus non consentit. Quia licèt pœna sacrilegii, querimonia pertinet, justè persolvitur. Quia ergo ex his & similibus nascitur Ecclesiastica perturbatio, mirandum valdè est, cur securis Episcopalis Judicii non ad radicem arboris, sed ad ramusculos adhibetur. Divina siquidem dispensatione actum est, ut ex tali radice fructus amaritudinis publicè nascereretur. Quapropter libertatem Ecclesiæ propter Deum diligitis: Quod prædicta vobis displiceant, verbis & factis ostendite. Et si litteras ad Dominam Imperatricem miseritis, id ipsum ex aliqua parte significate. In verbo veritatis vobis dicimus, quod amore rectitudinis & salutis animæ nostræ, quæ prædicta sunt, scripsimus. Si quæ insipienter dicta sunt, date veniam. Et sint occulta quæ diximus. Festinantiùs ad vos mittere non potuimus. Si quidem eo tempore, quo consuetudines coram Domina Imperatrice legimus, cum omni festinantia litteras istas præparavimus, vobis mittendas. Nunc rogamus attentiùs, ut litteras vestras nobis dirigatis, statum vestrum & propositum continentes. Quidquid injunxeritis, fideliter exequemur. Iteratò veniam postulamus, & de prolixitate, & de audacia.

## EPISTOLA LIV.

*Alexander Papa Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo.*

RECEPTIS litteris & Nunciis charissimi in Christo filii nostri Henrici, illustris Regis, eum per litteras & Nuncium nostrum iterùm commonere proposuimus & sollicitis exhortationibus ejus animum mitigare, ut te sibi reconciliet, & in gratiam & amorem suum reducat. Confidimus enim & speramus in Domino, quòd monitis & exhortationibus nostris consentiet, & tibi Ecclesiam tuam liberè ac quietè restituet. Quapropter Prudentiam tuam rogamus, monemus, atque consulimus, quatenùs quousquè hujus rei finem & exitum videamus eum patienter sustineas, nec contra ipsum, nec contra quoslibet Regni sui aliquid interim statuas, quòd ei grave aut molestum existat. Sanè si nobis per Nuncios nostros, si quos fortè miserimus, acquiescere noluerit, nos tibi, Authore Domino, nulla ratione deerimus, sed tibi & Ecclesiæ tuæ Jus & honorem, ac dignitatem vestram, quantùm Divina gratia permiserit, curabimus conservari. Postremò nec tibi deerit authoritas, si aliter revocari non poterit, tuum liberè officium exercendi. Volumus autem, ut hoc habeas penes te secretum.

## EPISTOLA LV.

*Alexander Papa Comiti Flandriæ Philippo.*

QUANTO sincerissimæ devotionis tuæ fervorem circa nos & Ecclesiam Dei magis probatum in omnibus & expertum habemus, tantò pro his, qui nobis & eidem Ecclesiæ chari & accepti existunt, industriæ tuæ cum majori fiducia preces affectuosas porrigimus, & ad eorum dilectionem tuam prudentiam propensiùs invitamus. Ea propter Venerabilem fratrem nostrum Cantuariensem Archi-Episcopum, virum utique Religiosum, discretum, providum, & honestum, & nobis ac universæ Dei Ecclesiæ charum omnimodis & acceptum, magnitudini tuæ, quantum possumus, commendantes, Nobilitatem tuam per Apostolica scripta rogamus, mandamus, & exhortamur attentiùs, quatenùs eundem & suos, Divinæ miserationis obtentu, & pro reverentia beati Petri ac nostra, & sui ipsius intuitu, per quem tibi multa poterunt incrementa & commoda provenire, diligere, honorare, manutenere propensiùs, & multimodis studeas confovere, & ad ejus, quantùm poteris, pacem opportunitate suscepta intendas: ut ipse idem ad honorem & augmentum tuum debeat omni tempore totis viribus anhelare, & nos sinceritatis tuæ uberrimas teneamur exindè gratiarum actiones referre, & preces ac petitiones tuas libentiùs & efficaciùs promovere. Quidquid enim eidem honoris & commodi liberalitas tua interventu nostro contulerit, nobis ipsis putabimus specialiter erogatum.

## EPISTOLA LVI.

*Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Stephano Cancellario Regis Siciliæ.*

PROBABILE quidem est, quòd vos pro salute & consolatione multorum in locum nobilitati & meritis congruum erexit Dominus, ut facultas rerum possit respondere virtuti, & voluntas nata, aut potiùs data à Domino, indigentibus subvenire, gratum sortiatur effectum. Ad vos itaquè multi concurrunt, sed nullum sine consolatione audivimus redeuntem. Novus Lucifer ab Oriente resplendet in orbem Occiduum, & suæ claritatis radios in auspicium publicæ felicitatis vibrat, & omnes contritos corde confortans persuadet instare tempora meliora. Sed nunquid Ecclesia Dei lætitiæ publicæ fructu sola privabitur? Nunquid frustrabitur spe sua, quæ vos aluit, pro qua major sanguine generosis, & propria virtute nobilis Pater vester se toties exposuit gladiis, & in confessione Christi, ut spes Fidelium est, in pace consecutus palmam Martyrii? Verùm inter omnes Ecclesias Sancta Cantuariensis magis affligitur, nec est dolor, sicut dolor ejus. Omnes Amici ejus dereliquerunt eam: immò & persequuntur inter angustias. Si quis Legis defensor est, Regis censetur inimicus. Disperguntur, proscripti sumus. Crimen nostrum est assertio Ecclesiasticæ libertatis. Eam namquè profiteri, læsæ Majestatis reatus sub persecutore nostro est. Ille enim solus fidelis creditur,



ditur, cui Religionis contemptus placet, qui Divinam persequitur legem, cui grata est contumelia Sacerdotum, qui carnificinas veterum tyrannorum velut justitiæ Sacrarium veneratur. Quia mutire ausi sumus pro domo Domini, exulamus cum omnibus Cognatis & amicis nostris, quorum unus est filius sororis nostræ. Quem vestræ celsitudinis liberalitate, ubi necessè habuerit, tantò affectuosiùs petimus sub levari, quantò nos & alios, qui pro Domino patimur, justum est de nobilitate vestra spem concipere firmiorem. Rogamus etiam, ut eidem credatis in his, quæ vobis ex parte nostra dicet, & apud Ecclesiam Romanam causam Dei & nostram, si fortè fuerit opportunum, promoveatis.

## EPISTOLA LVII.

Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Mathildi Reginæ Siculorum.

*Serenissimæ Dominæ, & in Christo Charissimæ Mathildi, illustri Reginæ Siculorum, Thomas Divina dispensatione Cantuariensis Ecclesiæ Minister humilis salutem, & sic temporaliter regnare in Siciliæ, ut cum Angelis æternaliter exultet in gloria.*

LICET faciem vestram non noverimus, gloriam tamen non possumus ignorare, quam & generosi sanguinis illustrat claritas, & multarum magnarumque virtutum decorat titulus, & famæ celebritas numerosis præconiis reddit insignem. Sed inter cæteras virtutes, quas cum aliis auditoribus gratanter amplectimur, liberalitati vestræ debemus, & qua nunc possumus devotione, gratias referimus ampliores, quæ coexules nostros, proscriptos Christi, & consanguineos nostros, fugientes ad partes vestras à facie persecutoris, consolata est in tribulatione sua, quæ profectò magna pars veræ & Deo gratissimæ religionis est, si pro justitia patientibus clementia ferat solatium, si pauperibus opulentia suffragetur, si sanctorum necessitatibus absoluta potestatis communicet amplitudo. Talibus enim hostiis prometur Deus, exhilarescit & dilatatur gloria temporalis, & omnium bonorum gratiosus conciliatur affectus. His specialiter inter alios tamen promeruistis & nos, qui totum id quod sumus & possumus, ad vestrum devovemus obsequium. Cujus devotionis primitias, quas pro tempore potuimus, Excellentiæ vestræ nuper obtulimus, preces vestras apud Regem Christianissimum promoventes, sicut perpendere potestis ex precibus ejus dilecto nostro illustri Regi Siciliæ porrectis, & ex verbis venerabilis Prioris Crispiniacensis, quem & eruditio litterarum, & vitæ sinceritas, & integritas famæ bonis omnibus amabilem & commendabilem reddunt. Est enim vir probatissimæ conversationis, sanæ doctrinæ, & quantùm ad humanum spectat examen, perfectæ pro tempore sanctitatis, quem tanta reverentia à sublimitate vestra desideramus & petimus exaudiri, quanta totam Occidentalem Ecclesiam, si vestris pedibus assisteret, audiretis. Et hoc quidem tum pro suæ personæ reverentia, tum pro merito & authoritate Cluniacensis Ecclesiæ, cujus procurat necessitates, quæ in Orbe latino dignoscitur à diebus Patrum nostrorum in Monastica Religione perfectionis gloriam quasi propriam possedisse. In cæteris, quæ vobis ex parte nostra dixerit, ei, si placet, credatis ut nobis. Valete.

## EPISTOLA LVIII.

*Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus R. Syracusanæ Ecclesiæ Clerico.*

HUMANITAS vestra nos provocat ad audendum, & nostris collata beneficiorum exhibitio nos vobis & vestris multipliciter reddit obnoxios. Hoc ergò officiorum ingressi commercium, urgente necessitate præsertim, cum benigno creditore contrahere non veremur, sperantes in Domino, quòd nostra misericorditer debita vobis solvet & aliis, qui se timentes, cùm expedit, ab omni articulo necessitatis absolvit. Recepistis coexules & consanguineos nostros, sed procul dubio ipsum recepistis in illis, qui se fideliter promittit redditurum, quidquid uni pauperum suorum fuerit erogatum. Vobis in his conterraneorum vestrorum conciliastis gratiam, gloriam promeruistis apud posteros, & nos emptitios vestros constituistis. Et quia nobis ad præsens colloquium Divina dispositio subtrahit, latori præsentium sic à vobis credi postulamus, ut nobis: cujus fidei creditum est, quod nequaquàm litteris censuimus committendum. Est enim vir litterarum eruditione conspicuus, præditus morum gratia, monasticæ religionis sanctitate præsignis, & inter probatos Cluniacenses appetendæ perfectionis exemplar. Is Cluniacensis Ecclesiæ necessitates, & Christianissimi Regis, & nostra mandata procurat. Et cùm illum pro debita reverentia receperitis, in illo, cujus minister est, & sanctissimum Principem recipietis, & nos. Unum tamen est, quod in aure vestra secretiùs consuluisse, rogasse, & obtinuisse desideramus, ut nobilis viri Stephani, Panormitani electi, revocationem diligenter procuretis apud Regem & Reginam, tum ob causas quas in præsenti de industria reticemus, tum ut præfati Regis & totius Regni Francorum gratiam vobis æternaliter comparetis. Valete.

## EPISTOLA LIX.

*Alexander Papa Regi Scotiæ.*

CUM illius sincerissimæ devotionis affectum, quem recolendæ memoriæ Malcolinus quondam Scotorum Rex, Frater tuus, circa nos & Ecclesiam Dei, quoad vixit, constanter exhibuit, & tuam devotissimam sinceritatem, qua te circa Personam nostram ex litteris tuis fervere cognovimus, ad animum diligentiùs revocamus, magnificentiæ tuæ preces affectuosas pro his, qui nobis chari & accepti existunt, confidenter porrigimus, & eos Excellentiæ Regiæ sine hæsitatione aliqua propensiùs commendamus. Qualiter autem Venerabilis Frater noster Cantuariensis Archi-Episcopus pro Ecclesiæ suæ libertate exilium non dubitaverit sustinere, & sicut vir Religiosus, discretus pariter & honestus, & nobis ac universæ Dei Ecclesiæ charus admodùm & acceptus, temporalium jacturam subire maluerit, quàm jussis Principum obedire, tuam non credimus sublimitatem latere.

Undè

Undè quoniam præfatus Frater tuus, & alii progenitores tui ipsum, & prædecessores ejus, & Ecclesiam ei commissam, filiali semper devotione, sicut nobis dicitur, consueverunt amplecti, serenitatem tuam per Apostolica scripta rogando monemus, & exhortamur in Domino, quatenùs memoratum Archi-Episcopum, Divini amoris obtentu, & pro reverentia Beati Petri & nostra, & sui ipsius respectu diligere studeas & fovere. Et eum & Ecclesiam ei commissam dignis semper honoribus satagas prævenire. Et ei consilium & auxilium Regia clementia dignetur efficaciter impartiri. Ut nos magnificentiæ tuæ multiplices exindè gratias exsolvere teneamur, & prænominatus Archi-Episcopus ad honorem & exaltationem tuam, & totius regni tuæ gubernationi commissi, debeat omni tempore ferventiùs anhelare, & vobis magis obnoxius permanere.

## EPISTOLA LX.

Alexander Papa Joanni Decano Aurelianensi.

*Dilecto Filio Joanni, Aurelianensi Decano.*

DILECTUS filius noster Richardus, Capellanus Venerabilis Fratris nostri Cantuariensis Archi-Episcopi, diligenti nobis narratione proposuit, quòd tu ei multa humanitatis & charitatis beneficia contulisti, & honoris pariter & dilectionis plenitudinem exhibuisti. Super quo utiquè liberalitati tuæ gratias uberes agimus, & id gratum omnimodis & acceptum habemus. Rogamus autem affectionis tuæ prudentiam, atque monemus, quatenùs sicut laudabiliter incepisti, prædicto Filio nostro Richardo consuetæ largitatis solatium porrigas, & eum pro reverentia beati Petri ac nostra studeas honore & gratia prævenire, ità quòd nos exinde sinceritati tuæ dignas debeamus gratias exhibere.

## EPISTOLA LXI.

*Alexander Papa Comiti Henrico.*

INTER cæteras Divinæ operationis actiones illud Deo & nobis gratissimum reputamus, quòd Venerabilem Fratrem nostrum Cantuariensem Archi-Episcopum in angustiis & anxietatibus ejus sereno vultu respicere, & ei gratiæ pariter & consolationis tuæ favorem ex consueta curasti clementia exhibere. Quia verò nunc ope & consilio maximè opus habet, magnificentiam tuam per Apostolica scripta rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, & in remissionem tibi peccatorum injungimus, quatenùs pietatis intuitu, & pro reverentia beati Petri & nostra, & consideratione religionis & dignitatis suæ, ipsum & suos gratia, honore, pariter & dilectione prævenias, eisque in ipsorum adversitatibus consolationis & favoris tui solatium exhibeas, ità quòd indè ab omnipotenti Deo etiam possis æternam retributionem recipere, & nos, quod eidem impenderis, nobis specialiter impensum putantes, Magnitudini tuæ uberrimas teneamur propter hoc gratias exhibere.

## EPISTOLA LXII.

*Alexander Papa Abbati de Claro-Marisco.*

SUPER beneficiis, quæ liberalitas vestra sororis venerabilis Fratris nostri Cantuariensis Archi-Episcopi, & liberis ejus, & his qui cum eis sunt, multipliciter erogavit, charitati vestræ immensas referimus gratiarum actiones, & religionem vestram super hoc dignè, sicut convenit in Domino, laudibus commendamus, desiderium siquidem & voluntatem habemus commodis & incrementis vestris, quantùm cum Deo possumus, libenter intendere, & preces ac petitiones vestras, quantùm honestas permiserit, efficaciter promovere. Memoratus quoquè Archi-Episcopus vobis, opportunitate suscepta, pro tot & tantis vestræ liberalitatis obsequiis secundùm merita respondere curabit, & monasterio vestro magis obnoxiùs omni tempore permanebit. Nos etiam postulationibus vestris libentiùs intendemus, & eas efficaciùs curabimus exaudire.

## EPISTOLA LXIII.

Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Henrico Regi Angliæ.

*Reverendissimo Domino suo Henrico, Dei gratia illustri Anglorum Regi, Duci Nortmannorum, Comiti Andegaviæ, & Duci Aquitaniæ, Thomas eadem gratia Cantuariensis Ecclesiæ humilis Minister, Salutem, & per omnia benè facere.*

LOQUI de Deo valdè quietæ & liberæ mentis est. Indè est quòd loquar ad Dominum meum, & utinam ad omnes pacificum. Obsecro Domine mi, ut cum animi patientia sufferatis aliquid commonitionis, conferentis per gratiam Dei, quæ nunquàm vacua est, ad animæ vestræ salutem, & meæ liberationem. Angustiæ meæ sunt undiquè. Tribulatio enim & angustia invenerunt me inter duo gravissima & timenda constitutum, & inter duo constituta gravissima timidum. Silentium loquor & commotionem. Si autem siluero, mors mihi est, nec effugiam manus Domini dicentis: *Si non annunciaveris delinquenti delictum suum, & moriatur in peccato suo, sanguinem ejus de manu tua requiram.* Si commonuero, timeo, nè non effugiam Domini mei, quod absit, indignationem. Nè accidat mihi, quod sapiens ille dicit: *Cùm is, qui non placet, ad intercedendum accedit vel mittitur, verendum est, nè irati animus ad deteriora provocetur.* Quid ergò faciam? Loquar, an sileam? Utrobiquè certè periculum. Veruntamen quoniam tutius est incidere in hominis indignationem, quàm in manus Dei viventis, confisus de misericordia altissimi, in cujus manu corda sunt regum, & quò voluerit inclinabit ea, & utinam in partem meliorem, loquar ad Dominum meum, quia semel cœpi. Multoties enim bona præstantur invitis, maximè cùm potiùs eorum utilitati consulitur quàm voluntati. In terra vestra captiva tenetur filia Sion, sponsa Regis magni, oppressa à multis, afflicta ab his, qui à tempore longo oderunt eam, à quibus honoranda potiùs esset, quàm affligenda: maximè à vobis, habita vobiscum recordatione beneficiorum singulorum, quæ vobis contulit Deus in initio Regni vestri, in medio, & ferè usque modò. Solvite eam, & permittite eam conregnare sponso suo, ut benefaciat vobis Deus, & incipiat statim convalescere Regnum vestrum, & auferatur opprobrium de generatione vestra, fiatque pax summa in diebus vestris. Credite mihi, dilectissime Domine, Serenissime Princeps. Patiens enim retributor est Dominus, longanimis exspectator, sed gravissimus ultor, audite me, & benefacite. Sin autem, verendum, quod absit, nè accingatur gladio super femur suum Potentissimus, & veniat in manu valida cum militia multa liberare sponsam suam non sine grandi plaga de oppressione & servitute tribulantis. Si verò me audieritis, quoniam necessè habet Dominus in hoc instanti obsequium vestrum experiri tanquàm strenui militis sui, benefaciet vobis Deus, & addet gloriam gloriæ vestræ in progeniem filiorum & filiarum vestrarum usque in tempora longa. Alioquin vereor, quod Deus avertat, nè non deficiat gladius de Domo vestra, donec veniat qui ulciscatur de plano suam & suorum injuriam Altissimus: sicut nec de domo Salomonis, à quo, licèt eum Dominus elegisset, & contulisset tantam sapientiam & pacem, ut diceretur ab hominibus, *Hic est Filius sapientiæ & pacis*, quoniam tamen recessit à via Dei, & ambulavit in iniquitate super iniquitatem, scidit Deus regnum ejus, & dedit illud ejus servo, maximè quia non quæsivit subitò post delictum placare Dominum, sicut & David Pater ejus, qui statim post offensam humiliavit se Domino, emendavit culpam, petivit misericordiam, & obtinuit veniam. Utinam & vos cum Dei gratia similiter faciatis. Hæc vobis ad præsens scribo, cætera in ore latoris præsentium, viri Religiosi, & magnæ opinionis, fidelis etiam, ut credimus, vestri, posuimus. Potiùs tamen desideramus cum gratia vestra benigno vestro uti colloquio. Benè valeat semel & semper Dominus meus.

## EPISTOLA LXIV.

*Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Henrico Regi Angliæ.*

DESIDERIO desideravi videre faciem vestram, & loqui vobiscum. Multùm quidem propter me, sed maximè propter vos. Propter me, ut visa facie mea reduceretis ad memoriam servitia, quæ, dum agerem in obsequio vestro, exhibui vobis devotè & fideliter juxta animi mei conscientiam. Sic Deus me adjuvet in examine ultimo, quando omnes adstabimus ante tribunal ipsius, recepturi prout gesserimus in corpore, sive bonum sive malum. Et ut moveremini super me pietate, quem oportet mendicando vivere inter alienos: licet tamen Dei gratia cum abundantia victualia ad sufficientiam habeamus. Estque nobis consolatio multa, quod dicit Apostolus: *Omnes qui volunt piè vivere in Christo, persecutionem patiuntur.* Et Propheta: *Non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.*

Propter vos ex tribus causis. Tum quia Filius meus spiritualis. Eò quòd Dominus, debeo vobis, & offero consilium meum, & obsequium, quod cumque debet Episcopus Domino secundùm honorem Dei & sanctæ Ecclesiæ. Eò quòd Rex, teneor ad reverentiam vobis & commonitionem. Eò quòd Filius, Officii ratione ad castigationem teneor & coercitionem. Corripit enim Pater Filium, nunc blandis, nunc asperis, ut vel sic revocet eum ad benè faciendum. Nosse debetis vos Dei gratia Regem esse. Primò, quia vos ipsum Regem, vitamque vestram debetis optimis informare moribus, ut vestri exemplo cæteri provocentur ad melius, juxta illud sapientis: *Componitur Orbis Regis ad exemplum.* Secundariò alios: Hos demulcendo, alios puniendo potestatis authoritate, quam ab Ecclesia, tum Sacramento Unctionis, tum Gladii officio, quem gestatis ad malefactores Ecclesiæ coercendos. Inunguntur enim Reges tribus in locis: in capite, in pectore, in brachiis. Quod significat, gloriam, scientiam, fortitudinem. Qui antiquis temporibus justificationes non observabant, prævaricati sunt mandata ejus. His sublata est gloria, scientia, fortitudo; & eorum generationi. Exemplo Saulis, Nabuchodonosor, Salomonis, aliorumque quamplurium. Qui verò post delictum suum cordis contritione humiliaverunt se Domino, his gratia Dei accessit cum omnibus supradictis abundantiùs & perfectiùs. Sicut David, Ezechiæ, aliisque quamplurimis.

Christus fundavit Ecclesiam, ejusque comparavit libertatem sanguine proprio, sustinendo flagella, sputa, clavos, mortis angustias, nobis relinquens exemplum, ut sequamur ejus vestigia. Undè & dicit Apostolus: *Si compatimur ei, & conregnabimus. Si commorimur & conresurgemus.* Ecclesia enim Dei in duobus constat ordinibus: clero & populo. In clero sunt Apostoli, Apostolici viri, Episcopi, & cæteri doctores Ecclesiæ, quibus commissa est cura & regnum ipsius Ecclesiæ, qui tractare habent negotia Ecclesiastica, ut totum reducatur ad salutem animarum. Undè & Petro dictum est, & in Petro aliis Ecclesiæ Dei Rectoribus, non Regibus, non Principibus: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ Inferi non prævalebunt adversùs eam.* In populo sunt Reges, Principes, Duces, Comites, & aliæ potestates, qui sæcularia habent tractare negotia, ut totum reducant ad pacem & unitatem Ecclesiæ. Et quia certum est Reges potestatem suam accipere ab Ecclesia, non ipsam ab illis, sed à Christo, ut salva pace vestra loquar, non habetis Episcopis præcipere, absolvere aliquem vel excommunicare, trahere Clericos ad sæcularia examina, judicare de Ecclesiis vel decimis, interdicere Episcopis nè tractent causas de transgressione fidei vel juramenti, & multa in hunc modum, quæ scripta sunt inter consuetudines vestras, quas dicitis Avitas. Dominus enim dicit: *Leges meas custodite.* Et iterùm per Prophetam: *Væ! qui condunt leges iniquas, & scribentes scripserunt injustitias, ut opprimerent pauperes in judicio, & vim facerent causæ humilium populi Dei.*

Audiat itaquè Dominus meus, si placet, consilium fidelis sui, commonitionem Episcopi sui, & castigationem sui Patris. Nec cum Schismaticis aliquam de cætero habet familiaritatem vel communio-



BIBLIOTECA UNIV.

munionem, nec cum eis aliquo modo contrahat. Notum est enim toti ferè Mundo, quàm devotè, quàm honorificè Dominum Papam receperitis, quantùm Romanam Ecclesiam foveritis & honoraveritis; quantùm etiam Dominus Papa & Romana Ecclesia personam vestram dilexerint, honoraverint, atque etiam in quibuscumque secundùm Deum potuerunt, vos exaudiverunt. Nolite ergò, Domine, si salutem animæ desideratis, eidem Ecclesiæ, quod suum est, aliqua ratione subtrahere, seu in aliquo ei citra justitiam contraire. Immò eandem ei permittatis in Regno vestro habere libertatem, quam & in aliis Regnis habere dignoscitur. Memorque sitis professionis, quam fecistis, & posuistis scriptam super Altare apud Westmonasterium, de servanda Ecclesiæ Dei libertate sua, quando consecratus estis & unctus in Regem à prædecessore nostro. Ecclesiam etiam Cantuariensem, à qua promotionem & consecrationem accepistis, in eum statum restituatis & dignitatem, in quibus fuit temporibus Prædecessorum vestrorum & nostrorum, possessionesque ad ipsam Ecclesiam & nos pertinentes, Villas, Castella, & Prædia, quæ pro voluntate vestra distribuistis, resque omnes ablatas, tam nostras, quàm Clericorum nostrorum, & Laicorum, in integrum nobis restituatis. Permittatis etiam nobis, si placet, liberè, & in pace, & cum omni securitate redire in Sedem nostram, officioque nostro liberè uti, sicut debemus & ratio exigit. Et nos vobis, tanquàm Domino charissimo & Regi, fideliter & devotè pro viribus nostris servire parati sumus, in quocumque poterimus, salvo honore Dei & Ecclesiæ Romanæ, & salvo ordine nostro. Alioquin pro certo sciatis, quia Divinam severitatem & ultionem sentietis.

## EPISTOLA LXV.

Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Henrico Regi Angliæ.

*Domino suo & Amico Henrico, Dei gratia illustri Regi Anglorum, Duci Normanniæ, Comiti Andegaviæ, & Duci Aquitaniæ, Thomas eadem gratia Ecclesiæ Cantuariensis humilis Minister, suus olim temporaliter, nunc autem multò magis, in Domino salutem, & veram cum emendatione pœnitentiam.*

EXPECTANS exspectavi, ut intenderet vobis Dominus, & conversus ageretis pœnitentiam, recedens à via perversa, & abscinderetis à vobis Latera vestra prava, quorum, ut creditur, instinctu & consilio jam ferè lapsi estis in profundum, quod absit, nè in profundum illud de quo dicitur: *Peccator, cùm venerit in profundum, contemnet*. Et licèt huc usque frustrà sustinuerimus, taciti considerantes, & exspectantes affectuosissimè, si veniret Nuncius, qui diceret: *Filius tuus Rex, Dominus tuus, jam diu dolo circumventus, tractus in perniciem Ecclesiæ, inspirante Divina Clementia in abundantia humilitatis magnæ festinat ad liberationem Ecclesiæ, ad omnem satisfactionem & emendationem*; non tamen Omnipotentem supplici devotione singulis diebus interpellare cessamus, ut quod diu vobis desideravimus de vobis & pro vobis, celeri & fructuoso consequamur effectu. Et ecce indè est, quòd Ecclesiæ Cantuariensis, cui Deus nostrum Sacerdotium, licèt indignum, vobis res humanas hujus Regni regentibus, ad præsens deputavit, nos cura constringit, eò maximè quòd adhuc exilii incommoditate detineamur, Majestati vestræ commonitorias, exhortatorias, correctorias destinare, nè excessuum vestrorum, si qui sunt, qui reverà sunt, undè non minimùm dolemus, illorum maximè dico, qui circa Ecclesiam Dei, & personas Ecclesiasticas à vobis passim nulla habita dignitatis seu personæ reverentia aguntur, nimius dissimulator existam: Nè nimis negligens in animæ meæ discrimen appaream. Facientis procul dubio culpam habet, qui quod debet corrigere, negligit emendare. Scriptum quippè est: *Non solùm qui faciunt, sed etiam qui consentiunt, participes judicantur*. Consentiunt quidem, qui cùm possint & debeant, non resistunt, vel saltem redarguunt: *Error enim, cui non resistitur, approbatur; & veritas, cùm minimè defensatur, opprimitur. Nè caret occultæ societatis scrupulo, qui desinit obviare manifesto facinori*. Sicut enim, Serenissime Princeps, parva civitas prærogativam Regni præsentis non minuit, sic Regia vestra potestas Religiosæ dispensationis mensuram minimè conterere debet vel mutare. Semper verò de jure effectum est, Sacerdotali Concilio de Sacerdotibus judicia provenire. Nàm qualescumque Pontifices, etsi errore humanitùs accedente, non tamen conscientia Religionem fidei ullatenùs excedentes, nullatenùs videntur à potestate sæculari posse vel debere percelli. Boni quidem & Religiosi Principis est, Ecclesias contritas & conscissas restaurare, novasque ædificare, Sacerdotes Dei honorare, & cum summa tueri reverentia, adinstar felicissimæ recordationis & pii Principis Constantini, cùm ad eum deferretur quæstio Clericorum, dicentis: *Vos à nemine judicari potestis*, sæcularium scilicèt judicum, *qui solius Dei judicio reservamini*. Et sanctos Apostolos, eorumque successores, sub Divina testatione constitutos, præcepisse legimus non debere persecutiones fieri, nec fluctuationes, nec invidere laborantibus in agro Dominico, nec à suis expelli sedibus æterni Regis dispensatores. Quis enim dubitet Sacerdotes Christi, Regum & Principum, omniumque Fidelium Patres & magistros censeri? Nonnè miserabilis insaniæ esse dignoscitur, si filius Patrem, discipulus magistrum sibi conetur subjugare, & iniquis obligationibus illum potestati suæ subjicere, à quo credere debet non solùm in terra, sed etiam in cœlis se ligari posse & solvi? Si Rex bonus estis & Catholicus, & vultis esse, quod credimus, quodque magis optamus, ut salva pace vestra dixerim, filius estis Ecclesiæ, non Præsul, discere vos convenit à Sacerdotibus, non eos docere; sequi vos convenit Sacerdotes in Ecclesiasticis, non eos præcedere.

Habetis potestatis vestræ Privilegia, quæ administrandis legibus publicis à Deo consecutus estis, ut ejus beneficiis non ingratus contra dispositionem cælestis ordinis nihil usurpetis. Sed ut salubriori fruamini ingenio, his quæ contra eam malitioso consilio magis forsitan quàm animo vestro minùs benè usurpastis, cum omni humilitate & multimoda satisfactione citissimè cedatis. Nè manus Altissimi adversùm vos extenta mittat in vos, quasi ad signum, sagittas. Tetendit enim arcum suum Altissimus, ut sagittet in aperto vos nolentem pœnitere. Nec erubescatis, quidquid suggerant vobis maligni, quidquid submurmurent proditores, non vestri tantùm, sed Dei, humiliari sub potenti manu Dei. Ipse quidem est, qui exaltat humiles, & superbos dejicit: quia in suam & suorum ultionem aufert spiritum Principum. Quoniam terribilis est: & quis resistet ei? Non debuisset excidisse à memoria vestra, in quo articulo vos Deus repererit, quantumque promoverit, honoraverit, sublimaverit, in liberorum susceptione beatificaverit, soliumque Regni vestri firmaverit, in invidiam omnium inimicorum vestrorum ampliùs possessionibus ditaverit, adeò ut huc usque cum admiratione omnes ferè proclamaverint: *Hic est quem elegit Dominus*.

Et vos quid ei retribuetis, vel retribuere poteritis pro his omnibus, quæ vobis fecit? An ad eorum instinctum & instantiam, qui circa vos persequuntur Ecclesiam, virosque Ecclesiasticos, semperque prout potuerunt sunt persecuti, reddetis mala pro bonis, oppressiones, tribulationes, injurias, afflictiones Ecclesiis & Ecclesiasticis personis? Nonnè isti sunt, de quibus dicit Dominus? *Qui vos odit, me odit. Qui vos spernit, me spernit. Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei*. Certè etsi relictis omnibus, quæ possidetis, tollatis crucem vestram, & sequamini Dominum nostrum Jesum-Christum, vix erit, aut non erit, ut fidelis & gratus acceptorum ab eo beneficiorum retributor appareatis. Inquirite scripturas à scientibus, & invenietis quòd Saul, licèt electus fuerit à Domino, quoniam à viis ejus recessit, periit ipse, & domus ejus tota. Oziæ quoquè Regis Juda, cujus nomen latè divulgatum est, & procul egressum propter crebras sibi à Domino collatas victorias, adeò cor elevatum est in suum interitum, eò quòd ubiquè auxiliaretur ei Dominus, & corroborasset illum, ut spreta Domini reverentia usurpare sibi voluerit, quod sui officii non erat, sed Sacerdotum, id est, adolère Incensum super Altare Domini. Et ob hoc à Domino lepra percussus est, & per manus Sacerdotum ejectus à templo Domini: & sic mansit usque ad diem mortis suæ, plenus lepra, ob quam ejectus fuerat de domo Domini. Multique alii Reges, facti viri immensarum divitiarum, quoniam ambulaverunt super se in mirabilibus Mundi, præsumentes rebellare Deo, in suis mysteriis perierunt, & ad ultimum nihil divitiarum suarum invenerunt in manibus suis. Rex quoque Achaz, quoniam & ipse officium Sacerdotale usurpavit, similiter à Domino lepra percussus est. Oza quoquè, etsi Rex non esset, quoniam Arcam Domini tetigit, & tenuit nutantem ad præcipitium bobus recalcitrantibus, quia ad eum non pertinebat, sed ad Templi ministros, indignatione Domini percussus, juxta Arcam Dei corruit mortuus. Rex, proverbialiter celebre est: castigatus de alterius infortunio meliùs sibi prospicit. *Nam tua res agitur, paries dum proximus ardet*. Ad Sacerdotes, Rex dilectissime, suos voluit Deus quæ Ecclesiæ suæ sunt disponenda pertinere, non ad potestates sæculi. Quas, si fideles sint, Ecclesiæ suæ Sacerdotibus voluit esse subjectas. Non vobis igitur vendicetis jus alienum & ministerium, quod alteri deputatum est: neque contra eum contendatis, à quo omnia sunt constituta, nec contra illius beneficia pugnare videamini, à quo vestram consecutus estis potestatem. Non à legibus publicis, non à sæculi potestatibus, sed à Pontificibus & Sacerdotibus omnipotens Deus Christianæ Religionis Clericos voluit ordinari & discuti. Christiani Reges subdere debent executiones suas Ecclesiasticis præsulibus, non præferre. Scriptum quippè est nunquàm de Sacerdotibus nisi Ecclesiam judicare debere: nec esse humanarum legum de talibus ferre sententiam. Obsequi solere Principes Christianos Statutis Ecclesiæ, non suam potestatem præponere: Episcopis caput Principes subdere, non de Episcopis judicare. Duo quippè sunt quibus principaliter regitur Mundus: Authoritas sacra Pontificis & regalis potestas. In quibus tantò gravius est pondus Sacerdotum, quantò & de ipsis Regibus in Divino sunt reddituri examine rationem. Nosse certè debueratis ex illorum vos debere pendere judicio; non illos ad vestram posse redigi voluntatem. Plurimi namquè Pontificum, alii Reges, alii Imperatores excommunicaverunt. Et si speciale aliquid de personis Principum inquiratis, Beatus Innocentius Arcadium Imperatorem excommunicavit; quia consensit sanctum Joannem Chrysostomum à sua Sede expelli. Sanctus etiam Ambrosius pro culpa, quæ aliis Sacerdotibus non adeò videbatur gravis, Theodosium Magnum Imperatorem excommunicavit, & ab Ecclesia ejecit. Qui tandem satisfactione condigna meruit absolvi. Et multa alia in hunc modum. David etiam, cùm adulterium & homicidium commisisset, missus est ad eum Propheta Nathan à Deo, ut eum redarguere & corrigeret. Correptus est, & citissimè correctus. Rex enim deposito diademate capitis sui, abjectaque majestate Imperiali, non erubuit humiliariante faciem Prophetæ, peccatum suum confiteri, veniam postulare de commisso. Quid plura? Pœnitentia ductus misericordiam petivit, & obtinuit veniam.

Et vos, fili dilectissime, Serenissime Rex, Reverendissime Domine, ad exemplum Excellentissimi David, Regis piissimi, de quo dicit Dominus: *Inveni virum secundùm cor meum*, corde contrito & humiliato convertimini ad Dominum Deum vestrum, exactamque de excessibus vestris agite pœnitentiam. Corruistis enim & erraſtis in multis, quæ adhuc taceo, exspectans si fortè inspiraverit vobis Dominus, ut dicatis cum Propheta: *Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam. Quoniam multùm tibi peccavi, & malum coram te feci*. Juxta est enim Dominus his qui recto sunt corde, & humiles spiritu salvabit. Hæc ad præsens, Domine mi, vobis scribo, cætera silentio præteriens, donec videam, utrùm sermo meus capiat in vobis. Si reportaverit mihi à vobis dignos fructus pœnitentiæ, & audiam à nunciantibus, & congaudeam dicentibus: *Filius tuus Rex mortuus fuerat, sed revixit. Perierat, & inventus est*. Quòd si me non audieritis, qui solitus fui ante Majestatem corporis Christi in abundantia lachrymarum & gemitibus non minimis orare pro vobis, certè ibidem clamabo contra vos, & dicam: exsurge Deus, judica causam tuam. Memor esto improperiorum tuorum, & injuriarum, quæ à Rege Anglorum & suis

suis tibi & tuis fuit tota die. Nè obliviscaris ignominiarum Ecclesiæ tuæ, quam tuo fundasti Sanguine. Vindica Domine sanguinem servorum tuorum, qui effusus est. Vindica Domine servorum tuorum afflictiones, quarum infinitus est numerus. Superbia eorum, qui te & tuos oderunt & persequuntur, in tantum ascendit, ut ulteriùs non valeamus eos sustinere. Rex, quidquid agant vestri, hæc omnia de manibus vestris requirentur. Damnum enim dedisse videtur, qui causam damni dedit. Ipse reverà filius Altissimi, ad clericorum, nisi continueritis manus à conturbatione hominum, ad gemitus compeditorum, ad voces clamantium ad se veniet in virga furoris sui: quoniam jam tempus est judicare adversùm vos justitias in æquitate & severitate spiritus sui. Ipse enim novit auferre spiritum Principum, & terribilis est apud Reges terræ.

Non vobis hæc dicimus, ut faciem vestram confundamus, vel provocemus vos ad majorem indignationem & iram, sicut forsitan maligni, qui circa vos sunt, qui die & nocte insidiantur animæ vestræ, & nituntur avertere animum vestrum à nobis, pravis & iniquis suis suggestibus submurmurant. Det illis Deus secundùm oprera sua, & secundùm nequitiam adinventionum ipsorum. Sed ut vos reddam cautiorem ad provisionem animæ vestræ & curam, & ad vitandum periculum, quod jam in foribus est. Et quia nostra specialiter interest providere animæ vestræ, utpotè cujus cura & sollicitudo nobis commissa est, cujusque reddituri sumus rationem in districto examine, hæc audite benignè, & utimini servitio nostro, prout vobis placuerit, dummodò Deum non offendamus, nec operemur agendo vel dissimulando in dispendium animæ vestræ & nostræ. Quid enim vobis proderit totum Mundum lucrari cum animæ vestræ periculo? Attendite ubi sint Imperatores, ubi Reges & alii Principes, ubi Archi-Episcopi & Episcopi, qui nos præcesserunt. Ipsi quidem laboraverunt, & alii in eorum labores introjerunt. Quid ulteriùs? Sic transit Mundus, & ejus gloria. Memorare ergò novissima tua, & in æternum non peccabis. Et si peccaveris, in vita pœnitebis. Valeat mihi chara Gratia vestra, si in vera humilitate & festinata pœnitentia conversi fueritis ad Dominum Deum vestrum. Valeatis sic iterùm & semper.

## EPISTOLA LXVI.

### Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Henrico Regi Angliæ.

*Dilectissimo Domino suo Henrico, Dei gratia Regi Anglorum, Duci Nortmannorum & Aquitanorum, & Comiti Andegaviæ, Thomas eadem gratia Sanctæ Cantuariensis Ecclesiæ Minister humilis Salutem, omnique tempore perseverare in bono, ac reniti viriliter suggestionibus malignis.*

BREVILOQUIO utimur ad vos, nè in multitudine sermonis efficiamur ampliùs tædiosi: qui utinam essemus vobis magis accepti, sicut ad Dominum nostrum dilectissimum. Novit hoc ille, qui scrutator est cordium, quidquid inimici nostri aliter ac falsò murmurent ac susurrent. Et certè ut veriùs dicam, magis vestri quàm nostri. Hortamur vos itaquè adhuc ex parte omnipotentis Dei, & in virtute Spiritus Sancti adjuramus, & in remissionem peccatorum vestrorum à vobis requirimus gratiæ vestræ, & pacis veræ, & securitatis bonæ nobis & nostris sine malo ingenio restitutionem. Et similiter Ecclesiæ Cantuariensi in ea plenitudine & libertate, in qua eam meliùs & pleniùs habuerunt decessores nostri & nos, postquàm facti sumus Archi-Episcopus: & possessionum, & Ecclesiarum, & Præbendarum ad eandem Ecclesiam pertinentium, quæ vacaverunt, postquàm orta est dissensio ista inter vos & nos. Et similiter nostris, ut sub Dominio vestro ità liberè eis valeamus frui & uti, sicut meliùs & liberiùs usi sunt eis antecessores nostri, & nos post nostram promotionem. Et gaudere debeat Ecclesia de nostra reversione, quæ multis ex causis periculo animæ vestræ & nostræ, sicut credimus, tanto tempore caruit præsentia nostra, & dolere potuit de absentiæ incommodo. Hoc facite, benigne Domine mi, & corde jucundo ac hilari, quatenùs concedat vobis Deus, & Hæredibus vestris, & restituat illam pacem, quam desiderat cor vestrum ad salutem animæ vestræ, & populi vobis commissi à Domino. Et nos pro certo parati sumus & erimus ad omne obsequium vestrum frequentiùs ac devotiùs, quàm unquàm antè fuerimus: dummodò non offendamus in Deum, neque in ordinem nostrum.

De mobilibus autem ablatis Ecclesiæ Cantuariensi, & nobis, & nostris, securè vobis affirmamus coram Deo & toto Mundo, etiamsi præsens esset, quia nullo modo dimittitur ulla ratione peccatum, nisi restituatur ablatum, si habuerit qui abstulit vel auferri fecit, undè restituat. Undè Beatus Augustinus: *Si res ablata, cùm reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed simulatur.* Et alibi: *Illud fidentissimè dixerim eum, qui pro homine ad hoc intervenit, nè ablata restituat, & eum qui ad se confugientem, quantùm honestè poterit, ad restitutionem non compellit, socium esse fraudis & criminis. Nam hujusmodi hominibus misericordiæ opem nostram subtrahimus, quàm impendimus.* Hoc certum tenete, hoc verissimum esse, nulla ratione dubitate. Et si quis vobis in contrarium prædicaverit, etiamsi Angelus de cœlo, anathema est, & sit, & erit, quamdiu in hac sententia perseveraverit. Videte ergò, Domine mi charissime, quoniam in hac parte cautè ambuletis, nè detentio rei malè acquisitæ, quæ non est nisi cinis & vermis, impellat vos, quod absit, in impœnitentiam, & subjiciat discrimini, quod à vobis purgari non potest, nec oratione, neque jejunio.

Præterea nosse debet vestra discretio, quoniam etsi omnes Episcopi sancti non sint, loca tamen Sanctorum obtinent: qui etsi vitæ merito non clarescant, esse tamen debent eorum imitatores, quatenùs eis contulerit Divina clementia. Indè igitur, quoniam sancti viri pro lege Dei sui certaverunt usque ad mortem, & à verbis ac minis persequentium se non timuerunt, ille enim ampliùs timendus est, qui potest animam & corpus mittere in gehennam, necesse habemus & nos, prout Deus nobis inspiraverit, leges suas custodire, servere, ac defendere: nec hoc nobis imputandum ad superbiam vel malignitatem, sed ad nostri necessitatem



sitatem Officii. Sic enim ait Dominus: *Leges meas custodite.* Et iterùm in Evangelio: *Si quis solverit unum de Mandatis meis minimis, & docuerit sic homines, minimus erit in Regno Cœlorum.* Satis credimus dictum esse sapienti, & idcircò postulamus à vobis, sicut à Domino charissimo, in nomine Domini nostri Jesu-Christi audiri & exaudiri benignè, quatenùs audiat & exaudiat vos Deus in districto examine, & recipiat inter Electos suos, quando neque fortitudo, neque potentia, nec Imperium, nec divitiæ, nec leges sæculares, vel consuetudines poterunt juvare quemquam, nec aliud quidquam, nisi Diviva clementia, & præcedentium operum fructus. Quod utinam omni die firmissimè resideat animo vestro, nec unquàm mentem vestram excidat. Hujus rei consiliarios libenter admittat, & audiat Dominus meus, & exaudiat semper, ut benefaciat ei Deus, & augeat ei, & ejus Hæredibus vitam & pacem in tempora longa. Nec prætereant temporaliter impuniti, qui dolis suis & fraudibus exquisitis nisi sunt bonum Domini mei propositum pervertere & perturbare, quod infra septem annos Regni sui de exhibendo honore Ecclesiis & Ecclesiasticis viris multa, ut credimus, devotione conceperat. Valeat Dominus meus in æternum. Et ut melius sit indè Ecclesiæ Dei & nobis, vivat in tempora longa.

## EPISTOLA LXVII.

*Alexander Papa Gilberto Londoniensi Episcopo.*

QUONIAM te virum magnæ scientiæ, honestatis etiam multæ, & abstinentiæ non modicæ fore cognoscimus, licèt tu & Coepiscopi tui in multis remissi, & tepidi, & negligentes etiam exstiteritis, quia inter eos tam litteratura, quàm Religionis virtute magnus haberis, te præ aliis duximus admonendum, & te per Apostolica scripta rogamus atque monemus, ut charissimum in Christo filium nostrum, illustrem Anglorum Regem, cui non modica es familiaritate conjunctus, opportunitate suscepta sollicitè & instanter commoneas, ut Ecclesiastica & Sæcularia negotia, sicut huc usque fecisse dignoscitur, non confundat, nec ea pro voluntate sua tractare aut intermiscere attentet, sed Ecclesiastica viris Ecclesiasticis tractanda relinquat, & sæcularia solummodò suæ vendicet jurisdictioni. Venerabilem quoquè Fratrem nostrum Cantuariensem Archi-Episcopum in amorem & gratiam suam recipiat, & eum cum aliis expulsis ad sedem propriam, & Ecclesiam ei commissam reducat. Possessiones etiam Ecclesiarum, à se & suis occupatas, cum fructibus indè perceptis, his ad quos spectant restituat, & ipsos in pace easdem possidere permittat. Quæ illi, cùm eum pacatum & bonæ voluntatis agnoveris, poteris, secundùm quod expedire cognoveris, intimare. Tu verò Ecclesiæ Cantuariensi obedientiam, quam te ei debere cognoscis, ità observes, & eidem exhibeas, ut quæ Dei sunt Deo, quæ Cesaris Cæsari impendere videaris. Et nos, nisi aliud de persona tua noverimus, te sicut charissimum Fratrem nostrum, & virum Religiosum, litteratum pariter & honestum, semper arctiori volumus in Domino charitate diligere, nec in aliquo personam tuam gravabimus, aut ab alio patiemur gravari.

## EPISTOLA LXVIII.

### Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Gilberto Londoniensi Episcopo.

*Thomas Dei gratia Cantuariensis Ecclesiæ Minister humilis Venerabili Fratri Gilberto, eadem gratia Londoniensi Episcopo, magis in Christo gloriari, quàm in sæculo, ampliùs sperare in Domino, quàm in Mundi amplexibus.*

LICET tibi jam diu & plura scribere debuerimus, quoniam materia multa est, eligimus ad præsens dicendi compendium, ut inter hæc initia brevius tibi, quod sentimus, aperiamus. Nulla forsitan pro nobis, vel pauca, sed aliqua tibi de te, & pro te in instanti mandare curamus, reducendo tibi ad memoriam, qua conscientia sustinueris, qua animi patientia dissimulaveris injuriam Deo illatam in nobis: Nobis propter Deum, tibi etiam in nobis. Dum traheretur iterùm ante Tribunal Principis, cùm iterùm pararetur Dominus Jesus crucifigi in nobis. An ut tua, te, & tuos servares illæsos ab onere confiscationis, ac incommoditate exilii? Certè non sic se Christus servare voluit, cùm etiam animam suam pro suis poneret, quorum ipse frater & caro est, nobis relinquens exemplum, ut & nos similiter faciamus. Non sic Apostoli, qui non timuerunt Christi & nomen protestari coram principibus & potestatibus sæculi, in vitæ suæ discrimen & carnis. Hæc tibi dicimus de radice charitatis, non de rancore aliquo, ut vel sic revocetis ad animum, & de conscientiæ macula, vitioque patientiæ, si tamen in ea vitium esse potest, quod certiùs, ut pace tua dixerimus, credimus debere dici de more loquendi remissionem vel negligentiam, penes te confundaris commodiùs, de sustinentia non parùm exemplo damnosa, & apud Deum ac homines effectuosiùs repares famæ tuæ integritatem, affectuosiùs pœnitendo de hujus patientiæ vitioso commisso. Hujus rei gratia hortari te cupimus, nè gloriam mundi quasi stantem adspicias, nè plus tibi, aut pro te, aut pro tuis tua diligas, quæ reverà non tua, sed Christi pauperum esse debent, & sunt, ut ad verum veniatur: & sic te & tua, ea tua quæ sic dicimus, perdas. Nè blandiens præsens prosperitas sui finem tibi abscondat, & adversitas sine fine succedat. Alternæ enim sunt rerum vicissitudines, facilisque de successibus prosperis lapsus est in contrarium. Nè lætitia temporalis luctum tibi æternum, & operiat quem parit, & pariat quem operit. Nè mors longè à te esse putetur, & præoccupet improvidum, & vita, dum exspectatur, deserat malè conscium. Sicut scriptum est. *Cùm dixerint, Pax & securitas, tunc subitus veniet interitus, tanquàm in utero habentis, & non effugient.* Hæc nos tibi scripsisse credas ad majorem cautelam, ut habita tecum ratione præteritorum, præsentium, & futurorum, sic corrigas errata, ut de correptis gaudeas, & de gaudio tuo fraterna tibi charitate congaudentes, fructum gaudii & nos consequamur sentiendo, & sentiamus consequendo. Valete.

## EPISTOLA LXIX.

*Henricus Rex Angliæ Reginaldo Schismatico Colonienſi.*

DIU deſideravi juſtam habere occaſionem recedendi à Papa Alexandro, & à perfidis Cardinalibus ejus, qui proditorem meum Thomam, quondàm Cantuarienſem Archi-Epiſcopum, contra me manutenere præſumunt. Undè cum conſilio omnium baronum meorum, & cum conſenſu cleri, magnos viros de regno meo, ſcilicèt Eboracenſem, Londonienſem, Archi-Diaconum Pictavienſem, Joannem de Oxeneford, Ricardum de Luci, Romam miſſurus ſum, qui publicè & manifeſtè ex parte mea, & totius Regni mei, & omnium aliarum terrarum, quas habeo, proponent & denunciabunt Papæ Alexandro & Cardinalibus ejus, nè ulteriùs proditorem meum manuteneant, ſed ità liberent me ab eo, ut alium cum conſilio Cleri in Eccleſia Cantuarienſi poſſim inſtituere. Denunciabunt etiam, quòd quidquid Thomas fecit, in irritum revocent. Hoc etiam poſtulabunt, quod coram eis Papa jurari faciat publicè, quòd ipſe & ſucceſſores ſui & mihi & omnibus ſucceſſoribus meis Regias conſuetudines Henrici, avi mei, inconcuſſas & inviolatas, quantùm ad ſe, conſervabunt in perpetuum. Quòd ſi fortè alicui petitionum mearum contradicere voluerint, neque ego, neque Barones mei, neque Clerus meus aliquam ei ulteriùs ſervabimus obedientiam, immò manifeſtè eum & omnes ſuos impugnabimus. Et quicumque in terra mea inventus fuerit, qui ei poſt adhærere voluerit, expelletur. Ea propter rogamus vos, ſicut chariſſimum amicum, quatenùs Fratrem Ernoldum, vel Fratrem Radulphum, hoſpitalarium, omni occaſione remota, citò ad me mittatis, qui ex parte Imperatoris & veſtra prædictis Nunciis meis ducatum præbeat, eundo & redeundo per terram Imperatoris.

*Statim ſequitur.*

Viſis literis iſtis conſuluit Colonius Imperatorem, quid Regi Angliæ ſit reſpondendum. Reſcripſit Imperator voluntati Regis Angliæ eſſe annuendum. Quia quantò ſolemniùs iſta fient, ſi conſenſerit Papa Alexander, tantò major ejus erit confuſio. Et fortè in occulto per alium Templarium, vel Hoſpitalarium, vel aliquem alium, à quo caveri non poſſit, Rex Angliæ pro pecunia ſua idem obtineret. Miſſus itaquè eſt Frater Radulphus Hoſpitalarius ad Regem Angliæ, qui Nunciis, quos Rex ad Curiam mittere diſponit, ducatum præbuit per terram Imperatoris.

## EPISTOLA LXX.

Federicus Imperator cunctis Populis.

*Federicus Dei gratia Romanorum Imperatòr & ſemper Auguſtus cunctis Populis, quos Clementiæ noſtræ regit Imperium.*

JAM dudum innotuiſſe credimus, qualiter exorta quondam inter Eccleſiæ Romanæ Cardinales de Apoſtolatu diſcordia in Reges & Regna impetu peſtifero eſt diffuſa. Pro qua ad optabile bonum pacis revocanda quantos poſt beatæ memoriæ Papæ Victoris electionem & confirmationem Catholicam Papiæ, Mediolani, Laone, atque in diverſis Imperii finibus, in corpore noſtro labores, tam nos quàm invicti Principes noſtri pertulerimus, quantas rerum copias zelo juſtitiæ impenderimus, in extremis quoquè Mundi partibus jam auditum non dubitamus. Denique Beatiſſimo Papa Victore ad Paradiſi gaudia feliciter aſſumpto, & in ejus locum ab Epiſcopis & Cardinalibus Almæ Sedis Apoſtolicæ Domino Paſchali, viro Chriſtianiſſimo, in præſentia Epiſcoporum & Religioſorum Lombardiæ ac Thuſciæ, illuſtris quoquè Urbis Romæ Præfecti ac multorum Nobilium Romanorum, catholicè ſubſtituto, ipſum etiam Dominum Paſchalem ex Eccleſiæ ac Principum Imperii judicio atque conſilio in Papam & Patrem Catholicum ſolemniter recepimus, debitoque honore venerari ſemper intendimus. Proindè obſtinata Schiſmaticorum perfidia, mortem viri juſti ſuis ſucceſſibus aperta fronte adſcribens, Sireniis ſuis blanditiis quorundam Fidelium noſtrorum animos adeò mollita eſt denuò immutare, ut niſi novis morbis nova maturiùs remedia objicerentur, pars noſtrorum non modica videretur ex fiducia noſtræ lenitatis ſeducenda. Igitur zelo reformandi decoris Domus Dei ardentiùs accenſi, cùm Regem Francorum, qui nulla noſtra culpa præeunte, unà cum Rolando, Imperii noſtri hoſte publico, ejuſque ſequentibus, Imperialem noſtrum honorem manifeſtè molitur auferre, poſt multos noſtros admonitus irrevocabilem perſenſiſſemus, Univerſis Imperii principibus in Sancto Pentecoſte Curiam Wichebuch generalem indiximus. Quorum cœtu celeberrimo ibidem ſolemniter præſidente, Eccleſiæ Dei ſtatum ac Domini Papæ Paſchalis negotium ſeriò ac magnificè duximus roborandum. Invocata igitur Spiritus Sancti gratia, & Univerſorum qui aderant conſilio altiùs communicato, ad removendam pro parte noſtra omnem ambiguitatem prorsùs, ipſi nos manu propria ſuper Sanctorum Reliquias juramentum publicè præſtitimus, quòd Rolandum Schiſmaticum, vel ejus ſucceſſorem, quem ipſius pars elegerit, in Papam nunquàm recipiemus; nec ad eum recipiendum unquàm alicui aſſenſum præbebimus. Nulli etiam fautorum ejus gratiam noſtram unquàm reddemus, niſi ab errore viæ ſuæ ad unitatem Eccleſiæ fuerit converſus. Dominum verò Papam Paſchalem manutenebimus ſemper & promovebimus, eique tanquàm Patri Catholico & univerſali Pontifici obedientiam, honorem & reverentiam exhibebimus: & ab ipſo, ejuſque parte, vita comite, nunquàm recedemus. Electos quoquè, qui ſub eo aut ejus Succeſſore, quem pars ipſius elegerit, conſecrationem receperunt, vel adhuc reciperent, honore aut Ordinibus ſuis propter obedientiam privari nunquàm permittemus. Et hujus abſolutionem Sacramenti nunquàm requiremus. Nec oblatam recipiemus. Præterea noſter in Imperio ſucceſſor, quem Principes univerſi elegerint, hunc honorem Eccleſiæ Dei & Imperii, & hanc Partem noſtram ſub eodem juramento tuebitur ſemper atque tenebit. Idem quoquè juramentum Archi-Epiſcopi, & Epiſcopi omnes, atque Electi qui inter-



interfuerunt numero quadraginta, ſuper ſancta Dei Evangelia propria manu unuſquiſque ſub ſtola ſua præſtiterunt, & publicè firmaverunt. Nihilominùs univerſi Principes ſæculares, Dux videlicèt Saxonum, & Bavero Marchio Albertus ſenior, Conrardus Palatinus de Rheno, & Ludovicus Landgravius, & reliqui omnes, ſuper ſanctorum Reliquias idipſum juraverunt. Repentè autem Spiritus Sanctus mentes omnium adeò unius effecit voluntatis, quòd electi omnes in ſabbatho quatuor Temporum ad laudem Dei, & honorem Imperii ſacros Ordines devotiſſimè ſuſceperunt. Firmiter quoquè à nobis, & ab univerſis decretum eſt, ut quicumque ſuperſunt ordinandi, in primis quatuor Temporibus ſimiliter exequantur: Alioquin dignitatis, ad quam electi ſunt, honore, omni remota dilatione, priventur. Ad hæc honorabiles Legati illuſtris amici noſtri Henrici, glorioſi Anglorum Regis, ad nos ab ipſo tranſmiſſi, in totius Curiæ noſtræ præſentia ſuper ſanctorum Reliquias ex parte Regis Angliæ publicè juraverunt nobis, quòd Rex ipſe cum toto Regno ſuo in parte noſtra fideliter ſtabit: Dominum Paſchalem, quem nos tenemus, nobiſcum ſemper tenebit. De Rolando autem Schiſmatico manutenendo nullatenùs ſe de cætero intromittet. Quia verò juſtitiæ, quam hoſtes Eccleſiæ Dei & noſtri, ſivè ex ſuperbia, ſivè ex cauſæ diffidentia devitarunt, nos ſemper hactenùs ſtare parati, nunc tandem ad inſolita Sacramenta ex eorum manifeſta obſtinatione ſumus impulſi. A Schiſmaticorum communione omnis homo, omniſque ordo caveat. Author enim eorum, etſi hactenùs aliquo modo viſus eſt venialis, inpoſterùm prorsùs erit irremiſſibilis. Ad perfectum quoquè hujus negotii firmamentum ex totius Herbipolenſis Concilii decreto firmiſſimè præcipimus, ut ſi quis ad ſui Mandatum Antiſtitis Sacramentum ſuprà ſcriptum non præſtiterit, ſi Clericus ſit aut Monachus, Eccleſiaſtico privetur honore ac beneficio; ſi laicus, allodia & beneficia, quæcumque poſſidet, noſtra ipſi authoritate à ſuo Judice vel Domino prorsùs adimantur. Data Wicheburch, Kalendis Julii.

## EPISTOLA LXXI.

*Fredericus Imperator Stablaunenſi Abbati.*

SICUT novit dilectio tua, ad Curiam Wicheburch, quam in Pentecoſtem indiximus, nos unà cum Principibus univerſis, tam ſæcularibus quàm eccleſiaſticis, glorioſè convenimus. Ubi inter cætera ſanctæ Eccleſiæ ſtatutum eſt, & præcipuè de negotio Domini Paſchalis Papæ, quòd in cordibus multorum dubium habebatur, communicato univerſorum conſilio, Principum videlicèt, & omnium Clericorum atque Laicorum, qui aderant, feliciter & magnificè roboravimus: Invocata enim Sancti Spiritus gratia, Dominum Papam Paſchalem, & ejus honorem in hunc modum ſtabilivimus & confirmavimus, quòd nos propria manu noſtra ſuper ſanctorum Reliquias publicè juramentum fecimus, quòd de cætero Rolandum Schiſmaticum neutiquàm pro Papa recipiemus. Et ſi ipſe deceſſerit, ejus ſucceſſorem, quem pars adverſa ſubſtituet, ſimiliter nunquàm recipiemus. Dominum verò Paſchalem Papam de cætero, ſicut univerſalem & catholicum Patrem, cum obedientia, & honore, & reverentia habebimus & tenebimus, & ab ipſo ac ejus parte nunquàm recedemus, quamdiu ipſe vivet, & nos vivemus. Si autem ab hac vita nos decedere contigerit, noſter ſucceſſor, quem Principes univerſi ſubſtituent, hunc honorem Imperii & hanc partem noſtram ſub eodem juramento tuebitur ſemper atque tenebit. Hoc idem juramentum omnes Archi-Epiſcopi & Epiſcopi noſtri, & electi, qui interfuerunt numero quadraginta, ſuper ſancta Dei Evangelia manu propria unuſquiſque ſub ſtola ſua fecerunt, & publicè firmaverunt. Et ad removendam pro parte noſtra omnem ambiguitatem omnes Electi, primus Colonienſis, deindè cæteri, ſacros ordines in ſabbatho quatuor Temporum ad laudem & honorem Imperii apud Witzeburgh cum omni devotione ſuſceperunt. Similiter univerſi Principes ſæculares, Dux Saxoniæ, & Albertus Marchio Senior, & Palatinus Comes de Rheno, Landgravius, & reliqui omnes ſuper ſanctorum Reliquias publicè juraverunt. Honorabiles quoquè Legati Regis Anglici, Amici noſtri, ab ipſo ad nos tranſmiſſi, in præſentia totius Curiæ noſtræ ſuper ſanctorum Reliquias ex parte Regis Anglici & Baronum ejus juramentum apud Witzeburgh juraverunt, quod & ipſe Rex Anglicus cum toto Regno ſuo in parte noſtra fideliter ſtabit, & Dominum Papam Paſchalem, quem nos tenemus, & ipſe tenebit, & noſtram partem manutenebit. Et de Rolando Schiſmatico, vel ejus parte ampliùs de cætero ſe non intromittet. Nos itaquè de tua dilectione & fidelitate confidentes, & plurimam fiduciam habentes, mandamus tibi attentiùs monentes ac præcipientes, ut prædictum juramentum, quod nos propria manu noſtra coram Principibus juravimus, & ipſi Principes juraverunt & firmaverunt, ipſe cum omnibus Eccleſiæ tuæ fidelibus jures & obſerves, & ſingulis Dominicis diebus & Feſtis in publica Miſſa, ſicut edictum eſt & ſancitum à nobis & à Principibus, publicam Orationem pro Domino Papa Paſchali nominatim & aſſiduè, intùs & foris, præcipias recitari.

Edictum quoquè eſt & ſtatutum, ut hæc omnia juramenta infta ſex hebdomadas ab omnibus compleantur. Quòd ſi aliquis Monachorum, Clericorum, Laicorum in Imperio noſtro huic confirmationi & edicto noſtro, aliquo modo ſe opponendo, contradixerit, certum ſit apud te, quòd ſicut publicus hoſtis Imperii, abſque omni ſpe recuperationis, judicatus eſt & damnatus, & ab omni officio, & honore, & beneficio deſtitutus. Litteras quidem vocationis tibi tranſmiſimus, & quia ſecundùm prudentiam tuam nobis neceſſarius valde fuiſſes, quòd litteræ noſtræ ad te non pervenerint, valdè dolemus. Interim etiam partibus tuis præſentiam noſtram præſtolaberis: Ibi cùm viciniores erimus, ſi quid juſtitiæ tibi defuerit, per omnia complebimus.

EPI-

## EPISTOLA LXXII.

*Alexandro Papæ quidam Amicus suus.*

IMPERATOR, cùm Principes suos ad Curiam, quam eis in Festo Pentecostes indixerat, adunasset, & Principes ipsi sabbatho ante Festum atque subsequenti secunda feria de pace inter vos & eum reformanda tractare cœpissent, Reginaldus, dictus Coloniensis, advenit, publicè asserens & proponens, quòd nihil contra vos ad honorem sui laboret studium Imperatoris proficerent, nec ejus tunc penitùs assentiret consiliis. Dicebat enim quòd potior pars Imperii vobiscum erat, commemorans scilicèt Salzeburgensem, Moguntinum, & alios de Alemannia, vestræ obtemperarit sanctitati. Verumtamen ad magnificandum seipsum inquit: *Plures quàm nos sumus ad obedientiam Apostolici nostri conquæsivi, quos ei Rex Anglorum numero quinquaginta, & plures, juxta Domini Imperatoris beneplacitum exhibebit.* Cùm igitur ei talia promittenti, & ad certitudinem hujus rei duos Nuncios prædicti Regis præsentialiter exhibenti, de prosequendo ejus consilio suum Imperator polliceretur assensum, in audientia cunctorum Principum hujusmodi consilium Imperatori formavit: Quòd ipse videlicet Imperator in conspectu totius Curiæ propria manu juraret, quòd nullo unquàm totius vitæ suæ tempore vos, vel aliquem qui ex parte vestra sit, in Pontificem Romanum recipiet, sed devotioni Papæ sui Paschalis inconcussè semper & inseparabiliter adhæreret. Si verò mori illi antè contingeret, hoc ipsum juramentum sui successores observarent. Principes verò suos id ipsum jurare compelleret, adjecto in eorundem Principum juramento, quod si priùs Imperator obiret, Principes ipsi nullum anteà coronarent in Regem, quàm is qui coronandus esset, de tenendo & fovendo eodem Schismatico, & ejus successoribus, idem facerent juramentum. Et quòd Principes infra sex hebdomadas, postquàm de Curia ad propria loca redissent, omnes Abbates, Præpositos, & alios Ecclesiarum Prælatos, milites quoquè, & alios omnes, qui in locis eorum aliquos honores obtinerent, hoc jurare compellerent. Et eos qui nollent hoc facere, rebus eorum penitùs confiscatis depositos, & honoris sui cingulo spoliatos, vel si privati homines fuerint, in membris propriis crudeliter mutilatos a toto Imperio compellerent exulare.

Placuit Imperatori forma consilii, sed Archi-Episcopo Magdeburgensi, & aliis qui præsentes erant Episcopis dura visa est admodùm & molesta. Ità quòd idem Magdeburgensis nullum juramentum se præstare responderit, nisi priùs Coloniensis ordines & consecrationem reciperet, per quam omnem dubitationem ab ejus & aliorum pectoribus removeret. Undè cùm ille id promittere detrectaret, acriter eum aggressus Imperator, suamque ei malignitatem improperans, in eum verba hujusmodi est prosecutus: *Ecce manifestè apparet, quòd sicut traditor & deceptor in periculum meum Papam mihi præfeceris ignoranti, cùm etiam ante receptionem litterarum mearum, nè de substituendi Pontificis electione tractares, tu statim cum* Te Deum laudamus, *& juxta beneplacitum tuum novum mihi Pontificem elegisti, plus mihi Proditor factus, quàm Moguntinus Electus, quem hujus criminis reum deferebas. Præsertim cùm ille dederit mihi salubre consilium, ut ex quo Deus à prioris me periculo liberavit, nullatenùs me obnoxium facerem successori. Nunc verò necessariò te noveris compellendum, ut laqueum, quem parasti, primus incurras: Et aliis etiam id facere recusantibus solus habebis subire periculum, quod tua malitia noscitur cæteris præparatum.* Sic ergò ille vehementer adstrictus non potuit evadere, quin cum maximo fletu primus juxta prædictam formam faceret juramentum, & susceptis ordinibus consecrationem quoquè se promitteret recepturum.

Exhibuit etiam prædictos Nuncios Regis Angliæ, qui in persona Regis Angliæ publicè coram omnibus juraverunt, quòd quidquid Imperator super hoc se servaturum juraverit, ipse quoquè tenebit firmiter & servabit. Sic ergò propria manu supradictum præstitit juramentum, eo tamen ad verbum Archi-Episcopi Magdeburgensis determinato, ut si vos & Schismaticum illum eodem tempore obire contingeret, & Cardinales utriusque partis in aliquem unanimiter convenirent, liberum sibi esset eum recipere, si tamen, quod quidem Coloniensis fecit apponi, de Imperatoris assensu eadem electio proveniret. Deindè qui præsentes erant Principes, sicut suprà dictum est, suum præstitere singuli juramentum. Cùm verò ad Episcopos ventum esset, dicerentque omnes, excepto Verdensi, velle se potiùs Regalibus cedere, quàm hujusmodi Sacramenta præstare, responsum est eis oportere eos, vellent, nollent, juramentum facere, & Regalia retinere. Sicque cum flectu & planctu maximo juravit primus Magdeburgensis, sub ea tamen conditione, si omnes alii, qui aberant, essent juraturi, & quòd solutus esset à juramento, quocumque tempore desineret Regalia possidere. Panamburgensis verò Episcopus, post multas & varias excusationes, ità ipsi Imperatori juravit, quòd quamdiu voluerit Regalia retinere, secundùm quod ei proprius sensus dictaverit, eidem Imperatori super negotio auxilium & consilium ministrabit. Verdensis & intrusus Haldestaldensis absolutè, sicut Coloniensis, juraverunt. Virdunensis & Frisingensis, per Archi-Episcoporum suorum absentiam excusati, juramentum facere minimè sunt coacti, sed habita licentia liberè ad propria redierunt, usque ad Festum beatorum Apostolorum Petri & Pauli sibi licentiam impetrantes.

Hi tantummodò Principes juraverunt: Dux Saxoniensis, Marchio Albertus, Comes Palatinus, Frater Imperatoris, & quidam Sororius Imperatoris. Hi sunt Archi-Episcopi qui juraverunt: Magdeburgensis & Pamburgensis. Sub conditione tamen prænominata. Coloniensis autem & duo suffraganei ejus absolutè juraverunt. Filius verò Conradi, qui ad Curiam cum mille quingentis militibus venit, ut audivit fieri mentionem de juramento, recessit. Patriarcha Aquilejensis non adfuit, neque aliquis suffraganeorum suorum. Similiter nec Salisburgensis, vel aliquis suorum. Nec Treverensis, vel aliquis suorum. Et multi de Principibus non adfuerunt.

EPI-



## EPISTOLA LXXIII.

*Joanni Pictaviensi Episcopo Joannes Saresberiensi.*

PATRI misericordiarum, qui vos ad honorem suum & Ecclesiæ utilitatem, & naufragii nostri solatium de gravi infirmitate erexit, multiplices & omnimodas gratias ago. Deindè vestræ dignationi, quæ mei sollicitudinem indefinenter & efficaciter gerens, timoris & doloris mei, de vestra ægritudine concepti, litterarum solatio mitigavit angustias. Sed quia posteà nec de plena convalescentia vestra, nec de promissa & sperata pace certioratus sum, Latorem præsentium ad vos censui transmittendum, per quem mihi singula, quæ expedire noveritis, diligentiùs rescribi tota mentis affectione deposco. Et quidem pacem vestram desidero plurimùm, nec video quibus in causa ista possitis uti instrumentis ad recuperanda vel conservanda jura Ecclesiæ vestræ, nisi his quæ Ecclesia ipsa & filii ejus ministraverunt vobis, aut quæ de jure communi cæteris Ecclesiis suffragantur. Præsertim cùm homo alienigena, & apud exteras gentes nutritus & institutus, Aquitanorum Consuetudines & inaudita jura non sufficiat edocere. Undè cùm vos nihil ex contingentibus omiseritis, vel omittatis, si causa Ecclesiæ, filiis ejus dissimulantibus aut prævaricantibus, periclitetur, non est quòd vestræ negligentiæ debeat imputari. Quis ergò, nisi parùm sanæ mentis, aut præceps, aut hostis, consulet, ut sine rationum & jurium suffragio contra torrentem, qui omnia post se trahit, & subvertit brachia, in cassum præsumatis erigere? Nam cum placita pacis forma speciem prætendit æquitatis: & reverà si fidei sinceritate simpliciter utrimque in contrahendo geratur negotium, planam continet æquitatem. Nisi fortè tempore pacis antecessorum vestrorum apertè alterutra consuetudo usurpata sit contra Deum. Nullo enim unquàm tractu temporis aut placito contrahentium obtinebit, ut quod contra Dei mandata scienter præsumitur, licenter, nè dum justè fiat: Immò ut non criminaliter committatur. Cæterùm mihi suscepta sunt & infidelitas, quam audio, gentis vestræ, & terribilis ac malitiosa potentia, quam multi experiuntur, partis adversæ, ut non facilè credam, quòd voluntati quisquam audeat reluctari. Et fortassè cum Archi-Diacono vestro, cujus verebatur industriam, & familiaritatem ejus ad vos habebat suspectam, exercuit minutias, ut cùm ei reconciliatus fuerit, de cætero contra eum mutire non audeat. Sed nec alii, quos hujus exemplo terruit, sed magis nostro. Maximè autem quia se talem exhibet, ut videri velit sine timore Dei & reverentia hominum. Potens est autem Deus erigere & dirigere causam vestram, immò suam, in manibus vestris. Et qui Israeli, ex mandato Dei ad promissionis Patriam festinanti, gratiam contulit inimicorum, nostros quoquè Ægyptios poterit aut placare, aut omninò subvertere. Undè scio quòd justus tandem de angustia liberabitur, & tradetur impius pro eo. Gaudeo autem pacem & gratiam ejus vobis plenariè restitutam. Sed timeo, quod absit, nè more hominibus omnibus noto, simulatoria & momentanea sit hæc pacis & gratiæ restitutio. Eo quidem magis, quo celebre est apud omnes eum incumbere consilio locustarum, quarum potestas dumtaxàt in linguis est & caudis earum. Quòd si momentanea fuerit, certum sit eam fuisse simulatam, ex ea præcipuè causa, ut vel sic extorqueret obligationem fidelitatis. Et nisi fallor, aliquid in eam venire opinatur, ad quod ratio fidei Christianum non sinit obligari. Ut scilicèt amodò his, quos odisse decreverit, subtrahatis debitæ charitatis officia, & impugnetis omnes saltem opere consilii, quos suos dixerit inimicos. Et si aliter urgente Religione Fidei Christianæ versati fueritis cum eo, vos, sicut veteres Amicos beare consuevit, nota non servatæ fidelitatis in auribus Nationum tentabit inurere. A suis quoquè locustis conclamabitur illi. Et ranas in cœno fovet, quæ flatus sui pure impuro omnem incrustent sinceritatem, & juramentorum fallacia quemlibet nigrum in candida vertant. Hæc sunt membra carnium cohærentia sibi. Ubi squamma adhæret squammæ, ut nec spiritus quidem incedat per eas, sed liceat eis quod voluerint opinari, & ut qui in sordibus sunt sordescant ampliùs, impudicitia mentis, scurrilitate gestuum, & oris turpiloquio protestentur. Quia Christiano, nedum Sacerdoti, nihil licitum est ex obtentu fidelitatis, ubi charitas periclitatur, quæ vita fidei est, & operum testimonio declaratur. Nam fides sine operibus mortua est. Illa tamen expressio, qua sibi & hæredibus suis contra omnes mortales caveri vult, quanti sit apud eum, ex litteris Theutonici Tyranni, quas misit ad Comitem Henricum, & quas vobis transmisissem, nisi quia mihi elapsæ sunt, Domino Cantuariensi transmissæ, perspicuum est. Nam cùm Joannes de Oxeneford nomine Regis Theutonico Tyranno conjuratus esset, & opem auxilii & consilii Sacramento promitteret contra omnes, excepto solo Rege Francorum, ait Theutonicus per Interpretem suum, sicut attestantur magni & multi, & Religiosi nostrates, de Provincia dico Remensi, qui interfuerunt: *Rolandus hostis Ecclesiæ & Imperii, homo quidem est mortalis, & omnes Cardinales sui, & nullus eorum Rex Francorum est. Undè nullum eorum exceptum intelligo, nec volo intelligi, in hac confœderatione mei & Regis Anglorum. Si vos ità sentitis, an aliter, publicè profiteamini.* Cui Joannes inquit: *Nos & Dominus noster intelligimus ut vos. Et sub hoc intellectu vice Regis nostra Juramenta præstamus.* Quid multa? Exindè adversùs Dominum & Ecclesiam sic in ea confœderatione processum est, quod etiam pleniùs advertetis ex litteris nuper mihi à Colonia transmissis, quarum vobis exscriptum mitto, in quibus Rex Nunciis suis, adversùs Cantuariensem missis Romam, conductum petit: & qua devotione Romanæ Ecclesiæ, facilè innotescet. Verùm in laqueis suis comprehendentur iniqui, & qui fratri foveam parat, incidet in eam prior. Felix tamen est, qui in tantis insidiis meretricis magnæ & impetu bestiæ conscientiam servare potest & famam: alteram Deo, alteram proximo, utramque sibi. Nam qui ex justa causa arguitur alterutrius dispendium facere, undè solatium habeat, nisi virtute redimat quod amisit, omninò non video. Indè est quòd novissimo litterarum vestrarum respondens articulo, precor attentiùs per ineffabilem charitatem Dei, quatenùs de pace mea, vel per Archi-Diaconum vestrum, vel per alium, quod quidem desidero, censueritis agen-

agendum, eam in tali forma procuretis, quæ famæ, immò conscientiæ famam integram conservantis, non possit adferre dispendium. Quid enim prodesset mundum lucrari universum, & in his periclitari? Et si me videritis, quod Deus avertat, pronum ad aliquid turpitudinis, quod in mei similibus sæpè ex infirmitate, semper autem ex culpa contingit, sublevet, quæso, me dextera vestra. Ego autem nomine turpitudinis arbitror contineri, quidquid de industria præsumitur contra Deum. Licèt enim & rei familiaris angustia, & refrigescens charitas Amicorum meorum, & Fratrem meum, qui mihi ex necessitate coexulat, videatur acriùs urgere, Deo tamen miserante nondum cedo malis, sed contrà audentior ibo, quoniam mea me fortuna finat. Scio autem quòd de consilio vestro nullam recipiam conditionem, quæ vel speciem habeat inhonesti. Deus, quæ interim necessaria fuerint, sicut fecit hactenùs, providebit. In ratione dati & accepti paucissimis teneor, sed Abbati meo & vobis super omnes: & ferè solis.

## EPISTOLA LXXIV.

*Alexander Papa Gilberto Londoniensi Episcopo.*

SÆPE nobis à pluribus ea de te proponuntur, quæ Religio tua nullo modo desiderat, vel habitus exterior demonstrat. Quæ utiquè si veritate subsistunt, animum nostrum vehementer conturbant, & spem & opinionem, quam de tua Religione habebamus, omninò subducunt. Non enim gratia, vel amore, vel metu alicujus debes officium tuum negligere, & Ecclesiasticam postponere libertatem, sed pro justitia te decet sicut immobilem columnam Ecclesiæ viriliter & constanter opponere, & Dei timorem omnibus anteferre. Tanto namquè te convenit charitatis fervore accendi, ut contra vitia & oppressiones Ecclesiarum non solùm clamare debeas, sed etiam vocem tuam quasi tuba incessanter exaltare, illud propheticum semper habens præ oculis: *Nisi annunciaveris iniquo iniquitatem suam, sanguinem ejus de manu tua requiram.* Quapropter si ea in te fore cognoscis, quæ nobis sunt relata, ipsa studeas maturiùs emendare, & talem te de cætero exhibere, quòd nulli ad nos sinistri referantur rumores, & justitia Ecclesiastica non possit occasione tua quomodolibet deperire. Quoniam si talia ulteriùs de te pro certo audiremus, ea nulla ratione dissimulabimus, sed in te, licèt inviti, amaritudinis nostræ incendium graviùs extinguemus.

Ad hæc causam, quæ inter filium nostrum Richardum, latorem præsentium, & Wilielmum Nepotem ejus super Ecclesia de Hardentona & aliis vertitur, venerabilibus Fratribus nostris Cicestrensi & Vigornensi Episcopis sub certa forma commisimus cessante appellationis obstaculo terminandam, ideoque Fraternitatem tuam per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, & in virtute obedientiæ injungimus, quatenùs quidquid prædicti Episcopi inter eos de querelis ipsorum, & de illis qui eundem Richardum mutilaverunt, atque de Capella de Drinford, quæ in enorme damnum veteris Ecclesiæ de Hardentona dicitur ædificata, communi assensu statuerint, vel alter eorum, si alius interesse non poterit, ratum & firmum habeas, & illud facias omni appellatione & contradictione remota firmiter observari.

Ad hæc discretioni tuæ præsentium significatione mandamus, ut denarium Beati Petri, qui nobis de Anglia debetur, ad Abbatem S. Berthini sub certo pondere & numero transmittas. Illud autem nolùmus discretionem tuam latere venerabilem Bartholomeum, Fratrem nostrum, Exoniensem Episcopum nobis transmissa relatione significasse, quòd denarium ipsum imminuunt, sed tibi primus aut inter primos denarium eundem integrè de Episcopatu suo persolvit. Undè miramur, quòd eum non habuimus. Et idcircò volumus, ut quod defuit de præterito suppleant, & pro præsenti fideliter & integrè recolligant.

## EPISTOLA LXXV.

*Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Guntherio Dilecto suo.*

REDIENS ad nos Gillebertus Canonicus quem miseramus ad Curiam, indicavit nobis magistrum Herveum super negotiis nostris nihil hactenùs effecisse, sed spei bonæ promissionibus detineri. Ecce autem tempus & locus, in quo, favente Deo, prædicta negotia facilè poterunt consummari. Dominus enim & Amicus noster Moguntinus Electus magnus est modò, sicut esse debet, in oculis Domini Papæ, & facillimè nunc ab eo, quidquid petierit, impetrabit. Scripsimus igitur ei, ut ipse apud Dominum Papam pro nobis sit, postulans instanter ab eo, ut negotia nostra celeriùs ad finem debitum perducantur. Nec enim scimus quid superventura dies pariat. Instet igitur, & cum omni sollicitudine curam gerat vigilantia tua, ut dum memoratus Amicus noster, Dominus Electus Moguntinus, præsens est, negotia nostra, prout magistro Herveo dictavimus, effectui mancipentur. Diligenter observa, nè ad notitiam Wilhelmi Papiensis, sivè Joannis Neapolitani negotia ipsa perveniant. Et nè fortè negotiorum qualitas memoriam tuam effugerit, petitio nostra est, ut Dominus Papa nobis & Ecclesiæ nostræ pristinam primatus ex integro restituat dignitatem, & præcipiat firmiter atque constituat, ut Eboracensis Archi-Episcopus, remota appellatione, Crucis honore præ se ferendæ deposito, jure primatus nobis & Ecclesiæ nostræ subjectus sit, nec ullatenùs de cætero prædictum Crucis honorem in Provincia nostra sibi audeat usurpare. Præcipiat quoquè nihilominùs atque constituat, ut remota similiter appellatione, Abbas S. Augustini nobis professionem faciat, & in Ecclesia nostra, si fieri potest, vel alibi benedictionem Pastoralem de manu nostra recipiat. Ut igitur ad ista nobis impetranda præfatum Dominum & amicum nostrum, Dominum Moguntinum, totis viribus impellere studeas, & volumus & rogamus. Si enim, quod absit, præsentis temporis opportunitatem vacuam abire permiserimus, nunquàm forsitan huic similem nancisci poterimus.

EPI-



## EPISTOLA LXXVI.

*Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Conrardo Moguntino Electo.*

REDIIT Nuncius noster, quem miseramus ad Curiam. Adhuc pendent negotia nostra, & spei bonæ promissionibus detinentur. Verùm quoniam in hujusmodi negotiis dilatio periculosè nonnunquàm admittitur, ad specialem Amicum nostrum nos convertimus, ut ipse pro nobis sit, & pro parte nostra laboret, enixiùs implorantes. De cujus persona si fortè, quod absit, dubitatis, cui loquimur ipse est. Vos, inquam, specialis & unicus, præcordialis & intimus Amicus noster in Domino, cui negotia nostra cum tota fiducia commendamus, orantes, si tamen apud talem Amicum precibus opùs, ut ea promovere, & ut in præsentia tua ad finem debitum perducantur, modis omnibus instare dignemini. Ecce enim tempus & locus, in quo petitiones nostræ repulsam nullo modo patientur. Sicut ergò vitam & animam nostram diligitis, ità petimus ut pro nobis & Ecclesia nostra sollicitus esse curetis, postulantes instanter à Domino Papa, ut in recompensationem omnium laborum nostrorum, quos ambo pro fide & unitate sanctæ Romanæ Ecclesiæ sustinemus, nobis & Ecclesiæ nostræ pristinam primatus restituat dignitatem. Juxta quod vobis præscripsimus, & Clerici nostri Herveus & Guntherius vobis præscribent. Rogamus prætereà, ut nos de statu vestro erga Dominum Papam, & Dominos Cardinales, & ipsorum erga vos per Nuncium vestrum, si ipse moram feceritis, celeriùs certificare curetis. Sciatis autem quòd de nostris nihil audivimus.

## EPISTOLA LXXVII.

*Alexandro Papæ Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus.*

VENERANDE Pater & Domine, quantùm Cantuariensis Ecclesia Beati Augustini, qui eam tam moribus quàm lapidibus fundavit, ejusque successorum vitæ excellentia ac morum prærogativa meruerit exaltari, prudentiam vestram minimè latere existimamus. Sanè sub eorum sana dispositione & provida dispensatione, primaria dignitate atque primatus honore, multorum privilegiorum attestatione, decorari obtinuit. Siquidem inter omnes occidentales Ecclesias tam dignitate claruit, quàm erga sacrosanctam Romanam Ecclesiam tam fide quàm devotione præstitit. Profectò à suæ Matris sanctæ Ecclesiæ Romanæ sinu, etiam Schismatis tempore ingentibus tribulationibus ad id ipsam urgentibus, avelli nunquàm potuit. Cæterùm nostris temporibus, in quæ fines sæculorum devenerunt, crebris adversitatis tunsionibus agitata servituti incipit subjici. Nam qui velut filius ejus tamquàm Matris ubera ab ineunte ferè ætate suxisse dignoscitur, ipsius undique latera concutit, cujus suffragiis ad eum honorem, quo nunc fruitur, ipsum sublimatum fuisse constat. Dominum Eboracensem Archi-Episcopum loquimur, qui cùm omnem reverentiam sæpè fatæ Ecclesiæ impendere deberet, eam pristina dignitate privare molitur. Cùm enim in universa Provincia nostra antiqua libertate potiremur, temporibus nostris, quod non antè, qualiquali occasione usurpata, sicut ipse optimè novit, contra Crucem Crucem erexit, Cruci Crucem opposuit, Christum significans esse divisum, Crucis scandalum suscitavit. Cumque ipse à nobis fraterna charitate admonitus desistere nollet, sanctitatis vestræ litteras, quibus nè id faceret inhibebatur, ei porreximus. At vestrum contemnens mandatum, nihilominùs Crucem bajulavit. Qui tamen post quatuor pluresvè dies nos ad audientiam vestram super falsa suggestione appellavit, Sancti Lucæ diem appellationi præfigens. Ad quem, Domino disponente, in promptu ei plenissimè responsuri excurremus. Verùm si urgentissima causa impediente adire non poterimus, Oddonem Sub-Priorem Ecclesiæ nostræ, Procuratorem in præsenti causa, & in omni incidenti quæstione constituimus, nos ratum habituros, quidquid fecerit, firmiter promittentes. Valeat & vigeat semper sanctitas vestra, Pater charissime.

## EPISTOLA LXXVIII.

Alexander Papa Rogerio Archi-Episcopo Eboracensi, & Capitulo.

*Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, Rogerio Eboracensi Archi-Episcopo, & dilectis Filiis Canonicis Eboracensibus, salutem & Apostolicam Benedictionem.*

DECET prudentiam vestram sic alterius jura relinquere intacta, quemadmodùm desideratis vobis integra & illibata servari. Quocirca Apostolica authoritate prohibemus, ne tu, Archi-Episcopo, in Provincia Cantuariensis Ecclesiæ Crucem tuam ullatenus deferas, nec ullius appellationis obtentu id a liqua occasione attentes. Hoc enim justitiæ vestræ, si quam habetis, præjudicium posset incommodum generare. Quod si ad tempus abstinere nolueris, oportebit te & successores tuos perpetuò abstinere.

## EPISTOLA LXXIX.

*Alexander Papa Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo.*

QUERIMONIAS adversùs venerabilem fratrem nostrum Eboracensem Archi-Episcopum olim à tua fraternitate suscipientes, quod per Parochiam tuam contra dignitatem Ecclesiæ tuæ & antiquam consuetudinem Crucem deferret, eidem ad petitionem tuam scripsimus, ei mandantes, ut licèt in litteris concessionis nostræ, quas ei anteà indulseramus, facultatem ipsi dederimus Crucem per totam Angliam deferendi, non tamen eam per Parochiam tuam deferre præsumeret, donec causa ipsa judiciario ordine terminaretur. Cùm tamen in eisdem litteris concessionis nostræ hoc, scilicèt, *Per totam Angliam*, nulla ratione fuisset appositum, sed ità simpliciter in prædictis concessionis nostræ litteris dictum est: *Liberam tibi concedimus facultatem Crucem ante te deferendi, sicut prædecessores nostri Romani Pontifices tuis antecessoribus concesserunt, & ipse ex antiqua*

*qua conſuetudine uſi fuiſſe noſcuntur*. Undè ex oblivione potius, quàm ex induſtria contigit, quod verbum illud, ſcilicèt, *per totam Angliam*, poſtremæ litteræ continebant. Non enim tenorem priorum litterarum conceſſionis noſtræ memoriter tenebamus. Ne igitur occaſione illius verbi aliquod præjudicium Eccleſiæ tuæ proceſſu temporis generetur, præſentium authoritate ſtatuimus litteras illas poſteriores contra te & Eccleſiam tuam, cum à noſtro favore indultæ ſint, nullas vires in poſterum obtinere. Datum Senone, duodecimo Kalendas Februarii.

## EPISTOLA LXXX.

*Alexander Papa Clarenbaldo, Sancti Auguſtini Electo, & Monacho.*

ANTECESSORUM noſtrorum piæ recordationis Anaſtaſii & Adriani Romanorum Pontificum veſtigia proſequentes, tibi, dilecte fili electe, per Apoſtolica ſcripta nos mandaſſe recolimus, ita diſcretioni tuæ iteratò mandamus, ut omni appellatione ceſſante, venerabili fratri noſtro Thomæ Cantuarienſi Archi-Epiſcopo & Eccleſiæ ſuæ profeſſionem facias, ſicut anteceſſores tuos conſtat feciſſe. Ita quidem quod poſteà, ſi tu, vel ſucceſſores tui volueritis aliquo tempore adversùs Eccleſiam Cantuarienſem quæſtionem de jure movere, nullum ex hoc vobis, & Eccleſiæ veſtræ prejudicium in poſterum generetur, nec occaſione hujus profeſſionis perſonæ ſive Eccleſiæ novum aut indebitum gravamen aliquod inferatur. Datum apud Montem Peſſulanum, ſexto Idus Julii.

## EPISTOLA LXXXI.

*Alexander Papa Abbati & Fratribus Pontiniacenſis Monaſterii.*

FIDEI & devotionis veſtræ fervorem, quem circa nos & Eccleſiam Romanam multipliciter geritis in eo, quod venerabilem fratrem noſtrum Cantuarienſem Archi-Epiſcopum tàm benignè, tàm humanè & honeſtè tractatis, nec ad alicujus minas vel blanditias in hoc reſpicere voluiſtis, certa exhibitione operis demonſtratis. Quod utique gratum omnimodis & acceptum, tamquàm ſi perſonæ noſtræ fuiſſet exhibitum reputantes, quantas poſſumus, charitati veſtræ ſuper hoc gratiarum referimus actiones. Et affectionem veſtram immenſis exindè laudibus in Domino commendamus. Verùm quoniam boni operis finis magis quàm principium ſolet attendi, & ei qui omnium corda ſcrutatur, plus acceptus haberi, diſcretionem veſtram per Apoſtolica ſcripta rogamus, monemus, atque mandamus, quatenus jam dicto Archi-Epiſcopo, ſicut hactenus laudabiliter feciſſe noſcimini, conſuetæ liberalitatis ſubſidia ita honeſtè & honorificè miniſtretis, ut fraternam in vobis charitatem ferventiorem ſemper inveniat: nec eam pro minis vel terroribus alicujus contra ſe tepuiſſe cognoſcat. Cùm enim illius dilectionis obtentu, quæ debet circa proximum exhiberi, minæ & juſſa Principum contemnuntur, eum qui ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente diligi ſecundùm legem jubetur, non eſt dubium in hujuſmodi operibus gloriari, præſertim cum ibidem & Religionis fides probetur, & quod Deo beneplacitum novimus, compleatur.

## EPISTOLA LXXXII.

*Alexander Papa Ciſtercienſi & Pontiniacenſi Abbatibus, & univerſis Fratribus Ordinis Ciſtercienſis.*

LICET vos eam circa nos & Eccleſiam Dei fidem & devotionem, quæ viros Religioſos & Deo devotos decet, multipliciter gerere nullatenus ignoremus, ſuper eo non poſſumus non mirari, quod veſtrum quidam venerabilem fratrem noſtrum Cantuarienſem Archi-Epiſcopum, virum Religioſum pariter & honeſtum, & Deo ac nobis, necnon & Eccleſiæ univerſæ charum omnimodis & acceptum, à Pontiniacenſi Monaſterio removeri, ſicut audivimus, voluerunt, & eidem ad minas & terrores quorundam totius veſtri Ordinis ſolatium denegari. Undè quoniam vera charitas foras mittit timorem, nec viri Religioſi eſt humanum timorem Divino anteferre, univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, ne tale quid de cætero attentetis, ne qui oppreſſorum, & pro Eccleſiæ libertate exulantium refugium eſſe debetis, aliis exemplum in hoc pernicioſum præſtetis, ſed memoratum Archi-Epiſcopum pro reverentia Beati Petri & noſtra, & ſuæ Religionis ac honeſtatis obtentu, & quia cauſam adeò favorabilem agit, diligere, manu-tenere propenſiùs, & fovere curetis, & cum in Domibus veſtris, cum ad vos venerit, benignè & honorificè recipiatis, & manſuetè tractetis, ut in vobis fructum veræ charitatis inveniat, & ad totius ordinis incrementum pariter & profectum teneatur omni tempore ferventiùs adſpirare. Nos quoque qui honorem eidem & obſequium impenſum nobis ipſis exhibitum reputamus, liberalitatem veſtram debeamus propter hoc in Domino commendare, & ſinceritati veſtræ uberrimas gratiarum actiones referre.

## EPISTOLA LXXXIII.

*Alexander Papa Priori & Fratribus Cantuariæ.*

SUPER Religione veſtra ſatis non poſſumus admirari, quod cum venerabilis frater noſter, Archi-Epiſcopus veſter, pro veſtra & totiùs Anglicanæ Eccleſiæ libertate laboret, & exilium ac multa alia, quæ tantum virum non decent, ſuſtineat, ipſum ſicut Patrem & magiſtrum veſtrum digna conſolatione reſpicere, & ejus neceſſitatibus noluiſtis hactenus ſubvenire. Unde quoniam Eccleſiæ veſtræ jura & dignitates abjicere, & circa ea quodammodo videmini negligentes exiſtere, qui jam dictum Archi-Epiſcopum, ſe pro his multis & diverſis periculis exponentem, noluiſtis hucuſque vel in modico adjuvare, Univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, & in virtute obedientiæ firmiter vobis injungimus, quatenus eidem infra duos menſes poſt harum ſuſceptionem, ſubventionem ita congruam exhibere curetis, quod

cum



eum & vos ipſos decedere non debeat, ſed ut idem filialem in vobis dilectionem, & fidem veſtram per hoc valeat experiri, & ad Eccleſiæ veſtræ libertates, & jura multimodis amplianda teneatur omni tempore ferventiùs adſpirare. Nos quoque Religionem veſtram debeamus ſuper hoc digniùs in Domino commendare, & præſcriptæ Eccleſiæ veſtræ dignitates ſuas, cum vos inde ſollicitos viderimus, propenſiori ſtudio conſervare.

## EPISTOLA LXXXIV.

*Thomæ Cantuarienſi Archi-Epiſcopo Ludovicus Rex Franciæ.*

JAMDIU ſanctitati veſtræ obtulimus, ut apud nos manſionem faceretis. Id ipſum nunc vobis offerimus ex grandi animo. Et hoc recipere nobis eſſet ad gaudium magnum. A nobis frequenter non habetis Nuncios, quia ſumus adhuc in exſpectatione: & alias res, & alios rumores vellemus audiſſe, quibus vos lætificare nobis eſſet gratiſſimum. Sed nondum res eſt ſecundùm deſiderium noſtrum. Valete.

## EPISTOLA LXXXV.

Thomæ Cantuarienſi Archi-Epiſcopo Ernulphus Lexiovienſis Epiſcopus.

*Venerabili & dilecto Domino, & Patri ſuo Thomæ, Dei gratia Cantuarienſi Archi-Epiſcopo, ad proſperitatem & ſalutem Spiritu conſilii & fortitudinis pervenire.*

MAGNAM mihi lætitiam dignitatis veſtræ litteræ contulerunt. Omnibus ſiquidem ter iterata lectione perſpectis nihil inventum eſt, quod non aut humilitatem ſaperet, aut zelum juſtitiæ redoleret. Placuit mihi zelus veſter, quia ipſum robuſta commendabat humilitas, mutuoque ſibi invicem favore zelus & humilitas concurrebant. Sic enim oportet ut humilitas fervoris incendia temperet, & humilitatis modeſtiam zelus excitet & accendat, ne aut in puſillanimitatem deſcendat humilitas, aut in furorem zelus incitatus excedat. His igitur ſeſe invicem mutua charitate complexis intellexi tertiam duabus acceſſiſſe conſtantiam: Quæ ſanctis initiis lætos exitus, & felices forti patientiæ repromittit eventus. Hæc ſiquidem in vobis nec damna nec labores attendit, ſed omni ſtudio ſinceræ conſcientiæ teſtimonium quærens, fortunæ ſimul & perſonæ naufragium minoris æſtimat, quàm juſtitiæ vel virtutis.

Arbitrabantur aliqui, quorum malitia conſuevit de aliena conſcientia divinare quod neſcit, opus veſtrum de ſuperbia, non de virtutis procedere veritate: Affectare vos priſtinos Cancellariæ mores in hac quoque dignitate ſervare, ut nullus potentatui veſtro, nullus audeat reſiſtere voluntati. Glorioſum vobis fore, ſi procedentem olim de lubrico voluntatis alienæ potentiam veſtro poſſetis nomini vendicare, cum rectiùs Eccleſiaſticæ dignitati reverentia debeatur, quàm officio ſæculari. Sublimatum enim vos, & ad altiora divina bonitate provectum, nec jam vos ſcabellum pedis, vel lateris etiam conſervare conſeſſum, ſed ipſius Diademati capitis imminere, quod ſcilicèt adeo de veſtra authoritate pendeat, ut ipſius ad nos principaliter aſſignatio, & aſſignationis conſignatio debeat pertinere. Idcirco ſanè vos inter initia Regalibus obſtitiſſe Mandatis, ut in ipſo crederetur univerſitas expugnata, cum nulla relinqueretur aliis fiducia reſiſtendi, ubi Regia non poſſent Imperia prævalere. Addebant vos inter Amicos aliquando dixiſſe, non fovendos in Principe inconſultos elatæ juventuris affectus, ſed ſtatim viriliter intemperantiæ reſiſtendum, ne diſſimulatio creet audaciam, vel inſolentiam indulgentia prona confirmet. Notos vobis eſſe omnes Regalis animi motus, quid levitatis habeat, quid virtutis audeat attentare, ipſumque prudentiæ tuæ magnificentiam nihilominus agnoviſſe, quam toties in opportunitatibus utilem, & in difficultatibus expertus ſit efficacem. Non repudiandum ab eo blandis adulatorum fallaciis conſilium ſalutare, quo conſueverit fulcire nutantia, complanare ſcrupulos, obſtantia dimovere. Quæ verba cum ad Regis notitiam malignitatis invidia detuliſſet, aſſerebant irrevocabiliter indignatum dixiſſe, quod totis utendum eſſet viribus, totis artibus obſiſtendum, quoniam ei de dignitate contentio parabatur. Impoſſibilem fore concordiam, quoniam neque vos deſtinata dimittere, nec ipſe quidquam vellet dignitati Regiæ derogare. Igitur de incerto opinionis, & malignitatis invidia procedente judicio, variæ diſſidenteſque ſententiæ ferebantur.

Porrò jam proceſſu temporis omnis eſt ſublata dubietas, propoſitique veſtri ſanctitas evidentibus argumentis innotuit, adeò ut boni certè compatiantur & gaudeant, & debita cœperit operire confuſio malignantes. Certum eſt hoc, & luce clarius apud omnes exiſtit, minoris reputaſſe vos divitias quaslibet, & perceptæ faſtigium dignitatis, quàm juſtitiam quæ ex Deo eſt, & gloriam Eccleſiaſticæ libertatis. Si enim favori Divino favorem præferretis humanum, & ad inducendos profanæ novitatis abuſus veſtra conſentiret authoritas, poteratis non ſolùm cum ſumma tranquillitate degere, ſed ipſi etiam magis, quàm olim, Principi conregnare. Quòd autem veſtra familiarius intereſſet, temperaretur arbitrio, & expoſito ſanguine cæterorum domeſticus ſtatus veſter ex omni parte ſervaretur illæſus. Verùm ſanctitas veſtra debitum Epiſcopalis officii recognoſcens maluit interim ſequeſtrare potentiam, facultates exponere, ipſamque perſonam quibuslibet injuriis offerre. Evangelicum ſiquidem illud fideli memoria retinetis, ſummi Doctoris doctrina proditum, & firmatum exemplo, quod pro ovibus & fratribus noſtris debeamus animas ponere, non de ipſorum detrimentis deteſtabilem lucri materiam comparare. Poterat autem onus diſtributione levari, ſi cauſa communi tractata conſilio, communi ſuffragio niteretur. Firmatam quippè concordia ſpiritus unitatem verum eſt vexationibus poſſe concuti, nulla tamen improbitate convelli. Igitur invaleſcente malitia, qui ad tempus crediderant, tentationis tempore receſſerunt: Duciſque ſui non tantùm facti ſunt deſertores, ſed in caſtra hoſtium facto transfugio conceſſerunt. Si verò cœptis perſeverantes inſiſterent, &

quoslibet patienter experirentur eventus, in semetipsam vehementia collisa recideret, & conceptos immanitas desperata frœnaret affectus. Sed ubi pertractatis animis singulorum, communi causæ privata prævaluit, desperatio resumpsit audaciam, & sepultas spes rediviva suscitavit denuò quæstiones. Verùm tergiversantibus, immò prævaricantibus universis, ad standum ex adverso, & opponendum se murum pro domo Israel, virtutis vestræ magnificentia sola relicta est, quæ redemptam semel sanguine Christi, suo iterum sanguine redimat libertatem. Licèt enim nondum usque ad sanguinis effusionem causa pervenerit, supplet tamen devotio meritum passionis, quæ personam vestram minis & terroribus non solùm exposuit, sed objecit.

Et cum prorsus incredibile sit ipsum in vestram aliquid crudelius cogitasse personam, tamen non satis poterat inter tot indignationis motus bonitas abscondita divinari: Præsertim cùm omnium rerum signa in vestram viderentur perniciem convenire. Speravit siquidem vos ad obsequendum terroribus inclinare, tantoque severiùs terrendum censuit, quantò à majori læsione censuit abstinendum. Denique si voluisset impedire discessum, non serenitas aeris, non ventorum gratia, non tranquillitas maris, non vos nautarum industria deduxisset. Ubique enim vobis manus Regiæ potestatis occurreret, cujus nec diligentia falli poterat, nec potentia circumscribi. Sed & quamdiu domestica vos complectentis Insulæ brachia continerent, neque vobis tanta nocendi pateret occasio, nec tanta invidię materia garriendi. Nunc verò quibuslibet querimoniis silentia vestra præponderant, & quolibet improbior est fuga vestra congressu, dum vobis favorem publicum modestia vestra conciliat, & ipsum efficaciùs apud opinionem publicam typo quodam excusantis accusat. Mallet igitur, si animum ejus severior induravit affectus, præsentem frequentibus vexare molestiis, quàm ad indulgentiam qualibet impunitate compelli. Mallet, si mitiùs aliquid quandoque proposuit, ut id liberalitati ejus in beneficium, quam patientiæ vestræ cederet in triumphum. Adsumam frequenti vobis consideratione tractandum, quæ vestra causa sit, quis adversarius, quæ parti vestræ studia suffragentur. Et causæ quidem justitia manifesta est, quoniam pro Ecclesiæ Dei libertate contenditis, quàm ille semel in Cruce liberator evicit, & redemptam impretiabili pretio universis, qui ipsius nomine censerentur, reddidit uniformem. Sicut enim una fides est, una est & libertas, quam identitas Sacramentorum & operantis omnia Spiritus simplicitas consecrat & confirmat. In hoc quippè consistit unitatis Ecclesiasticæ mirabile Sacramentum, quod sicut una fides est, unus Spiritus, & unum Baptisma, ita est unum manu-missionis perpetuæ testamentum, quo nos Divinæ bonitatis adoptio non tantùm liberos efficit, sed etiam cohæredes. Et quoties libertati detrahitur, constat fidei nihilominus derogari: Quoniam mutua sibi invicem ratione connexæ eadem semper & dispendia sentiunt & proventus.

Porrò adversùs eum vobis agendum est, cujus astutiam remoti, vicini potentiam, severitatem subditi reformidant. Quem adeò crebri successus, & fortunæ gratia fecit delicatum, ut quidquid non obsequitur, ducat injuriam. Quem quantò moveri facilius, tantò sit difficilius mitigari. Apud quem temeritatem non fovet impunitas, sed indulgentia delictis irrogat ultionem. Verùm humilitati & patientiæ præstat se quandoque tractabilem, viribus non sustinet expugnari, ut planè quidquid fecerit, de voluntate videatur, non de impotentia provenisse. Quærit enim potiùs gloriam, quàm proventum. Quòd in Principe posset satis commendabile reputari, si gloriæ materiam virtus & veritas, non vanitas & dulcis usque meretricium adulatio compararet. Magnus est, multorumque maximus; Quoniam nec superiorem habet qui terreat, neque subditum qui repugnet. Nec alienis extrinsecùs pulsatur injuriis, quibus ab innato domesticæ feritatis mansuescat affectu, sed omnes qui adversùs eum contentionis causas habent, potiùs ad vanæ pacis fœdera peritura conveniunt, quàm ad virium experimenta decurrant. Quoniam divitiarum copia, multitudine fortium, amplitudine potestatis excedit. Quod sanè contemplati, quorum ope niti, quorum muniri consilio, quorum suffragio debuistis, à vobis velut facto agmine discesserunt, qui maximè nominis sui rationem deberent agnoscere, & se vobis suffraganeos exhibere. Utinam pristinæ professionis suæ memores exstitissent, quæ completa semel in seriem totam futuræ successionis extenditur, & nova succedente vetus semper in id ipsum obligatio reformatur. Hi sunt qui ad causam vestram, immò causam Christi, per omnia discrimina prosequendam tenebantur obnoxii, si ordinis sui debitum, & detrimentum Ecclesiasticæ libertatis attenderent. Sed qua fide, qua charitate vobiscum, immò cum Deo cœperint ambulare, vidistis: Quia in necessitate vestra nec utendum dissimulatione, nec sermonibus temperandum, nec parcendum contumeliis censuerunt, sed totis studiis sese invicem prævenire certabant, ut unusquisque vos vel magis odisse crederetur, vel in nihilo pepercisse.

Mirabatur Romanus Pontifex, & hi penes quos cum eo summa disponendæ Ecclesiæ cura consistit, quòd oves in Pastorem, quòd in Patrem filii, quòd in seipsos denique tanta vehementia gladios contorquerent. Si enim potuissent efficere quod quærebant, nec ipsum libertatis nomen, nec spes libertatis aliqua resedisset, sed tanta jam regiminis Ecclesiastici fuisset secuta confusio, ut nihil ordine tractaretur, sed omnia stolido permiscerentur errore, cùm sublatis pristinis institutionibus nihil ad debitos suo jure dirigeretur effectus. In his igitur, quantùm mihi videtur, non nisi inanem vobis potestis collocare fiduciam, quia fidelem reconciliationi operam non impendent, qui causam diffidio præstiterunt. Reliqui verò ferè omnes in inferioribus gradibus constituti personam vestram sinceræ charitatis brachiis amplexantur, altis, sed in silentio, suspiriis implorantes, ut Sponsus Ecclesiæ ad gloriam sui nominis felici vota vestra secundet eventu. Nullus tamen est qui se vobis amicum audeat confiteri, sed quò magis odisse credantur, veteres inimicitiarum causas allegant, ne indicta, velut in cęteros, proscriptione damnentur. Fertur enim de suspicione sententia, nec ad irrogandam pœnam veritati argumenta quæruntur, sed involvuntur suppliciis, quos culpa non æquaverat qualitate delicti. Profectò gratissima nobis eorum debet esse compassio. Quia licèt animos sublimium vota minorum non moveant, indignationem tamen Divinæ etiam Majestatis expugnant, ut tantò fiat ad indulgentiam pronior, quantò ab humiliori fuerit reverentia supplicatum. Respicit enim in orationem humilium. Causam potiùs reputat quàm personam, ut causæ semper justitia sua, quantumcumque dilata, respondeat, & personæ nihilominus merces meritis compensata concurrat. Eorum igitur apud Deum vobis poterit prodesse devotio, sed apud Regem, sicut nullam impetrandi fiduciam habent, sic nullam audaciam supplicandi.



Ad hæc si studia procerum ducitis inquirenda, certum est eos adversùs Ecclesiam Dei quasi fœdus invicem contraxisse, ut utilitates ejus semper impediant, & dignitatibus incessanter obsistant. Quia totum sibi reputant deperire, quidquid ejus vel honori vel proventibus viderint accessisse. Instant alacriùs, eò quòd eis grata de temporis opportunitate refulget occasio. Quia vires eis Regiæ suffragantur, quibus prædicant se in his ad statum Regni conservandum fidelem diligentiam adhibere. Ajunt prædecessores ejus nec tantas vires, nec tantam potestatis amplitudinem habuisse, nec oportere eum indignìùs regnare, vel remissiùs operari. Dignitati magis quàm utilitatibus nitendum. Cum plerumque cupiditatem lucra redoleant, dignitas semper reverentiam augeat, & gloriam majestatis illustret. Attribuunt ergò dignitati, quidquid olim de potestate constat esse præsumptum; licèt illud nec fidei concordet, nec rationi conveniat, nec consentiat æquitati. Ille verò avidiùs, quàm expediret, blandos adulantium sermones amplectitur, quos nihil aliud quàm dolum malignitatis esse, novissimo deprehendet effectu. Si quis enim eorum altiùs vota discutiat, intelliget, quia callidè sibi gratiam ejus, & ipsi laboris ac detrimenti materiam præparant in futurum. Ad hoc totis anhelant desideriis, totis artibus elaborant, dummodò eorum non innotescat intentio: Ut scilicèt ejus quandòque potentia reprimi possit, ipsisque vetus delictorum impunitas, & nova delinquendi licentia reparetur. Horum quantò promptior est malignitas, tantò est efficacior ad nocendum: quia eis familiaritas occasionem præstat, & authoritatem excellentia subministrat.

Præter hæc si externorum subsidia discretio vestra consideret, in primis cum gratia statim effusæ liberalitatis occurrunt, sed postmodùm tædio diuturnitatis tepescit affectio, & liberalitas impendii quantitate lassatur. Onus quippè modicum itineris longitudine certum est ingravari, & domesticæ sarcinæ onus sæpè præponderat alienum. Hæret altiùs, difficiliùsque convellitur, qui de præcedentibus meritis adolevit affectus: Semperque se verecundia reputat obligatam, donec saltem, quæ percepta sunt, uberiùs compensata solvantur. Constat itaque delicatè tractandos esse, quos ad beneficium ultroneæ gratia charitatis invitat. Nec oblatum liberaliter poculum quis absorbeat alienum, sed citrà votum etiam largientis manus continendæ sunt, ne alienam virtutem necessitas vel impudentia nostra consumat. Hæc sunt quæ bonum est vestram sæpiùs tractare prudentiam, & rationis instrumentis sæpiùs expensa revolvere, & sic omnia quasi sub unum conferatis adspectum, ut quid singula ponderis habeant, pleniùs de iterata possit collatione perpendi.

Cæterùm media vobis erit via securior, ut nec propositum vestrum adversitatis austeritas intervertat, nec conscientia veritatis obduret: ne vos vel pavor desperatum faciat, vel confidentia pertinacem. Tolerandum quippè est quod sine crimine potest fideique periculo temperari, multaque ad tempus dissimulare necesse est, quia statim nequeunt emendari, donec tranquillior vobis spiritus auræ lenioris adspiret. Non enim semper eosdem diversa tempora repræsentant eventus, sed præsentia nobis quandoque præteritorum detrimenta restaurant. Circa contingentia nihil stabile sibi potest infirmitas humana præfigere, nec de suorum etiam niti possunt affectibus animorum, sed & ipsos fortuitis casibus cohærere necesse est, & ad singulos eorum motus singulas effingere voluntates. Hoc tot siquidem studiis coguntur exquirere, quod ab eis modò nullis poterat precibus impetrari. Quia dexteræ excelsi repentina mutatio totam docet illicò mansuescere feritatem. Sic & in manu Domini sunt corda hominum pariter & personæ: parique facilitate & personas de medio tollere potest, & animos immutare. Super quo spem nobis certissimam tribuant conscientiæ puritas & momenta fortunæ: Quia nec ea, quæ nobis adversantur, æterna sunt, nec sperantem in se confundi justitia divina permiserit. Inclinabit siquem Deus animum Principis, & aversum sua bonitate convertet, ut Regnum & Sacerdotium paribus sibi invicem cooperentur auxiliis, mutuam sibi reverentiam, mutuam sibi exhibeant charitatem. Si quis enim provida prudentiæ veteris instituta consideret, à quibus tam Religionis Ecclesiasticæ, quàm Regalis Excellentiæ jura fluxerunt, cognoscet tanta sibi invicem rationis necessitate connexa, ut plurimam alterum de altero contrahat firmitatem. Undè si quid invicem molestiæ vel injuriæ fuerit irrogatum, in eum, qui irrogavit, constat esse vertendum, quia neque pax Ecclesiæ sine Regno, neque Regno salus poterit nisi per Ecclesiam provenire. In caput igitur Authoris revertetur injuria, ipsumque sibi manus intulisse novissimo comparebit effectu.

Interim si quid vobis serenitatis cœperit apparere, occasionem vestra sapientia non repellat, sed oblatam prompto colligatis amplexu. Super quo si quid tractandum inciderit, nolite singulos articulos nimia subtilitate discutere. Quia subtilitas contentionem parit, contentio verò sopitos odiorum igues quasi quibusdam flatibus excitat & accendit. Non erit vobis ad singularia recurrendum, sed quasi generalibus studiosiùs inhærere: Quia salva res est, nisi pactiones specialiter expressæ perimant libertatem. Si enim nos fidei profitemur, reverentiæ, & obsequii debitores, si bona & personas nostras honori & utilitatibus ejus offerimus impendendas, si Regias dignitates, & antiquas consuetudines, in quibus legi Dei non obviant, promittimus observare, non lædit, quia in his omnibus contra debitum nullatenùs obligamur. Si ergo sub hac vel simili verborum conceptione pacem vobis & vestris bonitas Divina paraverit, interpretationes verborum futuris reservate temporibus: Quia non ipse vobis

vobis tot movebit de cætero quæstiones, & vos in omnibus poterunt experimenta præsentia reddere cautiores.

Sed neque vobis apud homines gloriam videamini quærere vel triumphum, sed Regi, tanquàm præcellenti, omnis honor, omnis victoria conferatur: Dum tamen vobis liceat coràm Deo de conscientiæ vestræ testimonio gloriari. Ego verò fidele paci vestræ ministerium ut devotus, ita promptus impendam, quoniam adversitati vestræ, Deo teste, compatior, & personam vestram & causam sinceræ brachiis charitatis amplector. Certum siquidem est, quod fortunam vestram & personam pro fratribus vestris velut quoddam holocaustum in odorem suavitatis offertis, ut labor vester nobis cedat ad requiem, inopia vestra nostras dirimat facultates, & quod residuum libertatis est, patientia nobis vestra confirmet. Proindè sic agendum erit mihi, ut me vobis prima facie profitear inimicum: Quia amicum profitenti neque fides haberetur, nec aliquis præstaretur accessus. Poterit igitur conciliando favori simulatio deservire, ut utilitati vestræ cautiùs virtus operis & industria sermonis incumbat. Proindè consolamini, quia de adventu ejus ad partes istas plurima nobis commoditas incipit apparere. Quia præsens efficaciùs ab his, qui vos diligunt, poterit implorari, nec indecorum sibi reputare poterit eorum authoritati cedere, acquiescere consiliis, precibus inclinari.

Venit autem animi solitò mansuetioris, ut ajunt. Quia animum ejus, licet ipse dissimulet, quædam præsagæ futurorum amaritudines interpellant, quoniam intelligit in plerisque locis sibi scintillas quasdam ad excitanda incendia confoveri. Movetur enim Francorum invidia, calumniis Flandrensium, Wallensium improbitate, Scotorum insidiis, temeritate Britonum, Pictavorum fœderibus, interioris Aquitaniæ sumptibus, Guasconum levitate, & quod gravius est, simultate ferè omnium, quoscumque ditioni ejus constat esse subjectos. Suspectam etiam habet Romani Pontificis, quàm ipse motu repentino contraxit, offensam. Regnique status adeò de absentiæ vestræ causa confusus est, ut nec Ecclesiastica nec sæcularia suo procedant ordine: nequè quisquam sciat quid juri Ecclesiastico, quid sæculari debeat assignare. Pro his omnibus proposuit primò cum Rege Francorum quibuscumque conditionibus convenire, ut suo & ipsius terrore conjuncto faciliùs possit cætera complanare. Disposuit etiam, sicut ajunt, in plerisque mitiùs agere, ut ad pacem omnia dissimulatis revocentur injuriis, & ipse celeri reditu ad reprimendam Wallensium revertatur audaciam, priusquàm cum eis Scoti Britonesque conveniant, & Albania, sicut prophetatum est, incipiat indignari. Venit igitur imperata facturus, si fuerit qui sciat vel audeat imperare: Utilius æstimans aliquid ad tempus de fastu veteris supercilii sequestrare, quam exspectare ut in perniciem ejus, quæ prædicta sunt, omnia vel pleraque concurrant. Valete.

Dominus personam conservet incolumem, & adversitatem vestram velociter ad secundos reducat eventus. Verùm si hæc alicui duxeritis ostendenda, nomen supprimatur Authoris: Quia quantùm mea interfit hæc ad Regis notitiam non venire, vestra experientia non ignorat. Rescribite mihi crebriùs, sed secretè, ut quomodò procedendum sit, vestra me prudentia doceat, & curiosa malignitas nostra invicem studia non cognoscat.

Salutatio mea manu Milonis.

## EPISTOLA LXXXVI.

*Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo suus Ernulphus.*

DIUTIUS exspectavi, si quid fortè auribus meis insonuisset, quod vestræ sanctitati dignum ducerem intimare. Verùm quoniam video vos & vestros oblivioni datos tanquàm mortuos à corde, nec est qui consoletur vos ex omnibus charis vestris, stupens admiror tantum charitatis defectum, cum ex his, quos vel excellentia gradus, vel obsequium multiplex comparasse videbatur, fidelibus & amicis ne unus quidem relictus sit, qui steterit in fide, qui non curvaverit genua sua ante Baal, omnibus quasi in commune sententiam proferentibus, obedire magis homini quàm Deo oportere. Filii alieni mentiti sunt vobis, filii alieni inveterati sunt. Et nisi quia populus, quem non cognovistis, servivit vobis, in auditu auris obediturus, utique quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus. Me quoque, si liceat magnis componere parva, fortunæ similis premit indignatio tanta, ut nullus eorum, qui verbo saltem hactenus mihi fuerant blanditi, Nunciis meis, per quos non semel eos sollicitavi, nec *Ave* dicere, nec ullum prorsus dare velint responsum. Recens noster Archi-Episcopus, cujus promotionem plurimùm mihi profuturam sperabam, ad gratiam sui Regis nunquam, ut audio, tantis viribus anhelavit: Ejus nec in modico promissionis fidem adhuc experior. Superest igitur, ut soli Deo omnia committamus, dicentes ei: *Domine ad te sunt oculi nostri, undè veniet auxilium nobis. Judica causam nostram, qui solus Pater Orphanorum, & Judex Viduarum es, & judicium facis injuriam patientibus.* Ego quidem, si Domino meo, cum sum labiis incircumcisus & corde, loqui audeo, per eum, cujus causam agitis vos, obtestor, ut vos à solio bonæ conscientiæ nullus unquàm turbo dejiciat. Nec molestè feratis, quòd quasi privatus vitam agitis, olim frequentia clientelæ circumseptam. Quæcumque mundus irrogat, ipso altior sustinete, immò despicite, in omnibus gratias agite Deo, cujus misericordia vos ad præsens à tumultu sæculari segregavit, ut vel modicum tempus in contemplatione ducatis & quiete, & cum Maria, quæ optimam partem elegit, ad pedes ejus sedens verbum ejus audiatis. Supplico Pater & Domine, ut de salute vestra, sine qua nihil mihi jucundum in vita, & de statu vestro, cujus incolumitas sufficit ad meam, servum vestrum certificetis, & vestræ scripto Beatitudinis consolari dignemini, ut consolatione vestra paupertatem meam æstimem divitias. Charissime Pater & Domine, benè valete.





## EPISTOLA LXXXVII.

Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo suus Hugo.

*Domino suo Hugo salutem.*

DOMINUM meritò dixi, cui servire & volens volui, & ex voto proposui. Utinam tamen Dominus meus & diligentiùs attenderet, & sinceriùs diligeret eos, qui eum diligunt in veritate. Multi enim discipulorum speciem prætendunt, & debitam filiis benedictionem præveniunt, quamvis mercenarii nomine debeant nuncupari, Paternæ benedictionis gratiam non merentes. Hi etenim sunt qui citiùs diligunt, sed citiùs contemnunt. De quibus dicitur: *Statim credunt, sed in tempore tentationis recedunt.* Hi sunt qui palàm rident, intùs derident. Palàm loquuntur, clam obloquuntur. In occulto sibilant, in manifesto obtemperant. De quibus dicitur: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me.* Hi sunt qui cum prosperitate fœdera paciscuntur. Qui prædam, non hominem sequuntur. Non hominis, sed fortunæ; temporis, non personæ amici. Si enim adversitatis horror ingruerit, statim trepidant, vehementer desperant, ad antiquæ statum gloriæ profundiùs suspirantes. Si autem vel tenuis prosperitatis aura refulserit, subita quadam prurigine dissoluti, vento omni velociùs agitantur, quærentes quæ sua sunt, non quæ Jesu-Christi. Tales sunt qui ad ollas carnium in Ægypto suspirant, qui populum Domini in castris deserere non formidant. Tales fortè cum David ad amplexus Bethsabeæ festinant, nobis cum Uria nec domum intrare fas esse videtur, donec populus Domini debita victoria perfruatur. Magis enim reputo gloriosum de molæ assumi, quàm de lecto, & pilis cameli cum Joanne vestiri in deserto, quàm in domo Regia mollibus insigniri. Felicius enim esse constat pro Christo occumbere, quàm terreno Principi militare. Quidquid igitur cæteri agant, quocumque præcipiti voluntate ferantur, ego tamen minimus eorum, quos Rex odit gratis, tecum semper ero: & si oportuerit me mori tecum, non te negabo. Verùm orare te condecet, ut non deficiat fides mea. Quoniam si sola voluntate mihi non defueris, ego tibi totis viribus præsens ero. De cætero gratias ago Domino, quòd consilium pueri sui super re grandi dignatus est scisciteri. Interim ergo differo consilium, quiapuer sum. Sed utinam Dominus meus priùs à Rege Anglorum Nuncium receperit certiorem, quàm ad extraneum Principem fœna convertat. In proximo enim videbitis gloriam Domini, & splendor ejus obumbrabit vobis. Quoniam Regis nostri, Regis, inquam, jam benignissimi, Dominus cor fecit placabile, & faciem reddidit mitiorem. Quod igitur vobis placuerit, mihi semper mandate. Pro vobis enim paratus sum & in carcerem, & in mortem ire. Et certè nihil mihi videbitur onerosum, quod à vobis fuerit imperatum. Constanti itaque animo estote, & confortamini: Quia veniet Dominus, & non tardabit, nec vos deseret in tempore superborum sinè adjutorio Dominus Deus noster, qui personam vestram semper conservet incolumem.

## EPISTOLA LXXXVIII.

*Joannes Saresberiensis cuidam Amico suo.*

A SAPIENTE quærendum esse consilium, scripturarum monita docent, & fidem Amicorum in angustiis comprobandam. Ego verò nec dubito de sapientia vestra, quam litterarum copia, tum rerum experientia, tum, quod primum est, suscepistis ex gratia. Nec de ea apud vos, quam natura & virtus vestra multis probata mihi pollicentur, charitate diffido. Inde est quòd à vobis in hujus meæ necessitatis articulo consilium petens precor attentiùs, quatenus mihi per Nuncium, quem ad Dominum Baiocensem direxi, super statu meo rescribatis, quod salva honestate, sine qua nihil expediens arbitror, maximè videbitur expedire. Ut autem de consilio dando pleniùs instruamini, causa mea hæc est: Ecclesiæ & Archi-Episcopo Cantuariensi debitam servavi fidem, & ei, ubi Justitia & modestia videbantur adesse, & in Anglia & in partibus cismarinis fideliter adstiti. Sicubi verò aut exorbitare à justitia, aut modum excedere videbatur, restiti ei in faciem. Horum mihi Deus testis est, & conscientia, & Amici, & Socii, qui nobiscum versati sunt. In his autem omnibus contra honorem Domino Regi debitum aut utilitatem ex proposito nihil feci, sicut dictante justitia docere paratus sum, si liberum & tutum fuerit; aut si in aliquo invenirer obnoxius, condignè & animo libenti satisfaciam. Tractatum est hoc anno de pace mea, & obtentum est à Rege, ut mihi liceret redire, si tactis Sanctis jurare vellem, quod contra honorem vel utilitatem ejus non fuerim in partibus cismarinis. Retuli hoc ad Dominum Papam, & respondit Regem & Curiam interpretatos fuisse contra ejus honorem, si quid à me factum cognoscerem contra ipsius voluntatem. Et dissuasit ne sub ea conditione redirem, sed exspectarem ut ira ejus aliquantulum deferveret. Deindè sollicitaverunt me quidam, ut præstarem securitatem, quod in nullo deinceps juvarem Archi-Episcopum, ut sic redirem in gratiam Regis. Ego autem licet non tenear Archi-Episcopo ad fidelitatem ex Hominio vel juramento, nec fidei obligatione, utpote qui ei nihil debeo nisi obedientiam, quæ omni debetur Episcopo à subjectis suis, quia tamen inhonestum credidi Dominum abnegare, & renunciare obedientiæ, quod nullus adhuc de toto Regno fecit, conditionem hanc recipiendam esse non credidi. Aliàs autem quidquid salva conscientia & fama possem, libenter facerem. Cum hæc Domino Rothomagensi, de quo multùm confido, exponerem, mihi constanter auxilium repromisit. Placeat itaque vobis mihi super hæc rescribere consilium vestrum. Sciatisque pro certo, quia mihi propositum est, ut non sim de cætero Curialis. Et hoc ipsum benè novit Dominus Cantuariensis, à cujus me subtraxi consortio, sed nec fidem subtraho, nec charitatem.

## EPISTOLA LXXXIX.

*Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Petrus Papiensis Episcopus.*

LOQUITUR sapiens ità dicens: *Aqua frigida animæ sitienti, & Nuncius bonus de terra longinqua.* Quàm vera sit ista sententia, benignitatis vestræ dignatio experiri me fecit; benedictione etenim & salutatione, quàm de terra longinqua in signum eximiæ dilectionis misistis ad me, reverà non modicè refrigeravit animam meam sitientem ad vos ex illa die, qua nosse & videre vos, & recipi merui inter vestræ familiaritatis arcanum. Igitur tantæ dignationi humilitas nostra, etsi non quas debet, certè quas valet, gratias reddit. Oro etiam, ut ille vobis gratiam retribuat pro me, pro cujus amore, licèt indignum, tanto me affectu & amatis & honoratis. De cætero, Reverende Pater, filiali præsumptione obsecro vos ut Patrem, moneo ut Amicum, ne deficiatis in tribulationibus, quæ invenerunt vos nimis, maximè cum ista sit via, qua itur ad Deum. Cum enim, juxta Apostolum, diligentibus Deum omnia cooperentur in bonum, per prospera & adversa in hoc mundiali stadio per patientiam Christi miles, tanquàm aurum in fornace, probatur. Denique sicut Electis tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem, quæ nec confunditur nec confundit, cum à charitate fulciatur; sic è contrario reprobis tribulatio impatientiam, impatientia pusillanimitatem, pusillanimitas tristitiam parit, & illa interimit, cum per eam animus in desperationem absorbeatur. Igitur viriliter agite, & confortetur cor vestrum, nec ullius vos, quod absit, suasio, quasi cedere debeatis, inducat: Quin potiùs agite quod agitis, & tenete quod tenetis, ut à Summo Pastore de commisso grege mercedem plenam recipiatis. Hoc tam fideliter, quàm amicabiliter consulo vobis. Hoc utinam persuadere possim & mihi. Hoc salubre nobis, hoc imitabile nobis commissis, ut bene agendo & sustinendo quod voluerit, & quamdiu voluerit Deus, & ejus inhærendo vestigiis honorificemus ministerium nostrum. Quod autem parvitatis nostræ precibus vos attentiùs commendatis, merita quidem propria metiendo confundor, sed devotionem vestram suscipiendo amplector. Quidquid igitur amoris & obsequii pro vobis efficere possum apud Deum & homines, vestrum esse sciatis cunctis diebus. Atque utinam se offerat locus & tempus, quo palàm liceat experiri, quàm purè diligam vos, non tam verbo & lingua, quàm opere & veritate. Valete.

## EPISTOLA XC.

*Alexander Papa Rotrodo Rothomagensi Archi-Episcopo, & suffraganeis ejus.*

QUANTA mala, & quot incommoda per charissimum in Christo filium nostrum Henricum, illustrem Anglorum Regem, Romanæ Ecclesiæ & nobis acciderint, postquàm ex parte ab ejus devotione se absentavit, ex eo manifestè percipitur, quod illi viro scelerato, perfido, & crudeli, & hujus schismatis & erroris magistro Reginaldo, quondam Cancellario, communicans per suos, quos ad Fredericum dictum Imperatorem transmisit, occasionem & materiam præstitit, quod idem Fredericus inductus est ad illud detestandum & profanum juramentum, immò perjurium faciendum. Nos autem hæc omnia post terga rejicientes, & magnifica & larga devotionis beneficia, quæ à principio hujus turbationis nobis & Ecclesiæ exhibuit, antè oculos semper habentes, ipsum per litteras nostras, & demum per probos & honestos viros paterna sæpè benignitate monuimus, & animum ejus nisi sumus Apostolica mansuetudine delenire, exspectantes quod excessum suum recognosceret, & animi impetum Regia clementia temperaret. Quia igitur, etsi non fuerit in schisma lapsus, tamen Ecclesias & Ecclesiasticas sui Regni personas plus debito gravat, & eorum jura confundit atque perturbat, & omnia ad se trahere & sibi vendicare contendit, Fraternitati vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus sibi hæc omnia fideliter proponentes, eum per omnipotentem Dominum, & ex parte Beati Petri & nostra commoneatis, & exhortari curetis, quod Matrem suam Romanam Ecclesiam consueta reverentia ac devotione cognoscat, & Ecclesias & Regni sui Ecclesiasticas personas diligat & honoret: & venerabilem fratrem nostrum Thomam Cantuariensem Archi-Episcopum, qui ei fidelis est & devotus, & ad Ecclesiam suam revocare studeat, & honorificè, sicut decet, tractare. Jura quoque & bona ipsius & aliorum Regia protectione manuteneat & conservet. Si autem à suæ intentionis proposito declinare noluerit, indubitanter timere poterit, ne Deus propter hoc in ipsum & posteros ejus graviter vendicet. Neque nos id poterimus dissimulare, nec diutiùs impunitum relinquere. Quoniam pater, quem diligit, illum corripit & castigat.

In eundem modum Burdigalensi & suffraganeis ejus.

## EPISTOLA XCI.

*Alexander Papa Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo, & omnibus Episcopis Angliæ.*

AD hoc Pontificalis Officii onus suscepisse noscimini, ut commissas vobis Ecclesias sic ad honorem Dei & subditorum profectum atque salutem regatis, quod earumdem Ecclesiarum libertas per vos nullatenùs minuatur, sed in suo statu per studium vestrum & operam conservetur. Inde siquidem est, quod Fraternitati vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, & in virtute obedientiæ injungimus, quatenùs si illustris Anglorum Rex quidquàm à vobis aliquo tempore requiesierit, quod contra Ecclesiasticam libertatem existat, hoc ei facere nullatenùs attentetis, nec vos illi in aliquo, & maximè contra Romanam Ecclesiam obligetis, aut novæ promissionis seu juramenti formam inducere præsumatis, præter id quod Episcopi suis Regibus facere consueverunt. Si autem jam dicto Regi super hujusmodi vos in aliquo adstrictos cognoscitis, quod promisistis nullatenùs observetis, sed hoc potiùs revocare curetis, & de promissione illicita studeatis Deo & Ecclesiæ reconciliari.

EPI-



## EPISTOLA XCII.

*Alexander Papa Abbatibus & Fratribus Cisterciensis Ordinis.*

AD audientiam nostram, unde satis mirari compellimur, pervenisse noscatis, quod vos dilecto Filio nostro Rev. Fratri vestro, quoniam venerabilis Frater noster Cantuariensis Archi-Episcopus ipsum in Angliam pro negotiis Ecclesiæ destinavit, pœnam infligere proposuistis, ad hoc humana gratia potiùs, quàm amore Dei & justitiæ inclinati. Quoniam autem hoc in nostram & Ecclesiæ Dei injuriam redundaret, nec nos id, sicut non debemus, in patientia sustinere possemus, universitati vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenùs memorato R. nullam occasione ista pœnam infligere, vel ei rancorem aliquem vel indignationem ostendere præsumatis, sed ipsum benignè inter vos & fraternè tractetis.

## EPISTOLA XCIII.

*Joannes de Saresberia Magistro Walthero de Insula.*

PROMERUERAT quidem humanitatis vestræ sedulitas, & exhibitio promptissimæ liberalitatis, ut omnem vobis aut vestris obsequendi opportunitatem gratanter arriperem, & si alio modo nequeam, saltem devotionis meæ sinceritatem salutationis indicio protestarer. Nullus enim nostratum est, cui, cum omnes rerum circumstantias diligentiùs metiar, me recolam ampliùs debitorem. Unde silentium meum meritò fuerat arguendum, nisi multarum & probabilium rationum suffragio purgaretur. Quas utique jure prætenderim accusanti, si nimirum non constaret inter nos & vos chaos magnum esse firmatum, ita ut nobis impossibile, vobis autem difficile sit ad nos transire vel mittere. Inimicus homo hoc fecit, & in Idumęa zizaniorum sementem non cessat spargere, & jugi laborat instantia, ut Angelos præsides Ecclesiarum evellat à laude Dei. Quasi vulpes in deserto Prophetæ ejus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident. Hi sunt qui charissimum Dominum suum, magnum Principem, subvertere conati sunt, mansuetudinem ejus succendentes felle malitiæ, & rationis aciem extinguentes consiliis toxicatis. Eripiat eum Deus de manibus eorum, & subjiciat sibi, ut Principatus ejus & Deo placitus sit, & quietus, & jucundus gerenti, & Ecclesiis, quarum patronus est, & populis lætus esse valeat & fructuosus. Scio utique quia si redierit ad cor, placabit Dominum suum, sponsum Ecclesiæ, satisfactione condigna, & à cruore innocentum potestatis suæ gladium revocabit, ut ei propitietur Deus, & non exquirat sanguinem eorum ab ipso & domo ejus. Si exules & proscriptos Dei contemnit, quia pauperes sunt, meminerit quia talium patronus est Christus. Ad ulciscendum pauperis Nabuthæ sanguinem delevit Deus domum Achab & Jezabel. Saul, quia consulente & procurante Doech Idumęo, custode mulorum, gladio Regni, qui ad Sacerdotii tuitionem Regi commissus est, Sacerdotes appetiit, & Nobe vicum eorum delevit, in se provocavit gladium Dei, quo & ipse & domus ejus Allophylorum ministerio irreparabiliter deleti sunt, generi suo relinquentes titulum hæreditatis, quo ad Gabaonitarum precem, quorum gentem inter Sacerdotes Doech, Regiæ indignationis minister, afflixerat, patibulo legatur affixum. Et adhuc Deus respicit in orationem humilium, & non spernit preces eorum. Qua spe docti, proscripti pauperes orant, & Deo, pro quo patiuntur, authore orabunt jugiter, ut Serenissimus D. Rex condignos fructus pœnitentiæ faciat, & iram declinet imminentem. Interim dispensationem Domini æquanimiter toleramus, certi quod nihil nobis nocere poterit, si boni, id est, Divinæ legis æmulatores fuerimus. Non enim ut criminosi patimur, quod publicè notum est, nisi his qui laborant, ut non sapiant quæ Dei sunt, sed affligimur ut Christiani. In quo & te, dilectissime, nos gaudemus habere consortem; non quidem tuo, quod nefas esset, insultantes rejectui, sed congratulantes virtuti. Nam & tu fidei tuæ fecisti fidem, & temporalium jacturam contempsisti, dum sectareris honestatem, & satisfaceres charitati. Quid dilecte mi obstupescis, quid mussitas? Quid lucernam niteris obfuscare? Crimen tuum Mundo innotuit. Omnes de te unam sententiam ferunt. Et ne te diutiùs protraham, Evangelicum implevisti virum, pro fratre animam ponens, dum te pro justitia maluisti condemnari, quàm alium, cui virtus obedientiæ reputanda videbatur in crimine, si verum fateretur, accusari. Sed nec ille, ut vulgo dicitur, fidem & obedientiam ausus est profiteri; nec tu, quod gaudenter diffiteri dignatus es fidei & obedientiæ titulum.

Cum ergo gratis virtus fidei sit in te punita, aut potiùs probata per hominem, nunquid perfidia prævaricatorum & calumniatorum inquitas non condemnabitur apud Deum? Deus mihi testis, quoniam doleo tibi Regis sigillum esse subtractum. Sed eodem judice fateor, quia malo te in hac conditione versari, quàm illud perfidia, aut etiam quacumque nota turpitudinis redemisse. Sit ergo nunc, amice Dei, qui meus à multis diebus fuisti, consolatio tua, quæ mea & mihi coexulantium est, innocentis conscientiæ testimonium, qua nihil in vita potest esse jucundius: siquidem illa judice nemo nocens absolvitur, quæ & vermem immortalem & ignem inextinguibilem parit, aut ut veriùs dixerim, perenniter fovet. Non enim conscientiæ, sed culpæ est partus iste, quem semper à te Deus faciat alienum. Si de me quæris, sano & incolumi suffragatur negotiatio litterarum, expectanti misericordiam Domini in affluentia illorum, quæ natura deposcit, aut conviventium mores. Coexulat mihi frater meus, mecum ad omne tuum in Domino promptus obsequium. Cum autem ad præsens aliud nequeamus, salutationis & devotionis munus offerimus, per te dicentes salutem, quibus noveris expedire, & nominatim Clericis Aulæ, qui nec ex nomine excommunicati sunt, nec excommunicatorum participatione.

EPI-

## EPISTOLA XCIV.

*Joannes Saresberiensis Magistro Walthero de Insula.*

DIUTURNITAS silentii mei jure videretur esse desidis Amici, ut negligentiæ argumentum, nisi caussis probabilibus, quas Deus evacuet, hujusmodi suspicio purgaretur. Eas ad præsens allegare non expedit, quia sicut mihi graves, ita & tibi conspicuæ sunt, & notæ Mundo. Utinam solvatur chaos, quod inter nos firmatum est, & pax inter Regnum & Sacerdotium reformetur, ut si itinerandi facultas patuerit, ejus quæ in Domino est, nobis possimus ad invicem exhibere officia charitatis. Non enim excidit à memoria mea, quàm tibi, exigentibus meritis, obnoxius sim, ut Magistro & Domino. Et tu, licèt adhuc mea in te non existant merita, me ut Christianum debes diligere & Amicum. Temerè tamen non dixerim ei rationem deesse meritorum, cui ad amandum intensa famulatur affectio, & voluntas ad obsequium prompta nihil avidiùs concupiscit, quàm ut ei opportunitas à Domino præparetur, qua amici sui satisfaciat votis & usibus. Nam & Deus devotam acceptat pro adimpleto opere voluntatem, & pro qualitate & quantitate affectionis quemque remunerat. Expecto autem & spero à Domino, quia & devotioni meæ facultas dabitur, & procella vestra in auram, authore Deo, in brevi faciliùs & feliciùs transitura est, quàm credatur. Hæc tamen potiùs accipiantur dicta ex certitudine fidei, quàm scientiæ, eò quòd Deum fidelem novimus in promissis, qui tunc demum gloriosiùs pro se patientibus suum ministrat auxilium, quando prorsus cessat humanum. Interìm probat nos Deus, an diligamus eum. Si moram fecerit, æquanimiter tolerandus est: quia quidquid nobis videatur, procul dubio veniet, & non tardabit. Unde securè dico, quia in brevi subveniet, cum pro certo noverim in humanis rebus nihil nisi momentaneum esse, & quòd gloria Mundi ut fumus evanescet, & iniquorum finis est ignis & vermis. Et quidem reliquiæ impiorum interibunt, & est salus justorum indubitanter exspectanda à Domino. Licèt enim extollatur impius super cedros Libani, si modicùm pertransieris, patenter intelliges quia etiam quando florere videbatur, jam non erat, & non erit ulteriùs locus ejus. Ridet hæc prudentia carnis, sed profectò Deus non irridetur, qui interim juxta Salomonem irrisoribus flagella parat, & duros malleos dorsis & cervicibus contemptorum. Cæterùm quod ad humanam opinionem, tibi faciliùs patet, in qua conditione versemur, & quid ex decreto Aulicorum nos timere oporteat vel sperare. Sperabimus autem. Nam ad omnem humilitatem prompti sumus, quia conscientia servatur indemnis, dum legi Divinæ non derogemus, nec honestati. Qua amissa satiùs est mori quàm vivere. Nullam pacis respuimus conditionem, certum habentes, quia melius est in manus hominum incidere, quàm derelinquere legem Dei, vel turpitudinis incurrere maculam. Nec tamen præsumimus jurare observantiam Evangelii, memores infirmitatis nostræ, ut liquidum fit quoniam temerarium est jurare in consuetudines reprobatas. Hoc autem supra modum miror, quòd Cantuariensis Archi-Diaconus aut per se aut per alium de pace non laborat, cum ei constet Deo & mammonæ simul serviri non posse. Salutat te frater meus, R. ..... & domum tuam tecum. Salutem dicimus Clericis Capellæ, qui nec ex nomine excomunicati sunt, nec aliorum participatione. Memento nostri in orationibus tuis, memor tui.

## EPISTOLA XCV.

*Joannes Saresberiensis Magistro Radulpho Lexoviensi.*

LITERÆ tuæ mihi consolationem & desolationem pariter attulerunt, nisi ad eum recurrens meditatio, qui nos in omni tribulatione consolatur, desolationis aculeos facillimè & citissimè depulisset. Nos enim, Deo propitiante, navigavimus in portu, & qui sperantibus in se deesse non novit, supra & contra merita nobis ad sufficientiam, & quod sine Divini judicii timore non eloquor, necessaria ministrat ad gloriam. Nam reverà, si merita discutiantur, indigni sumus, qui pro justitia patiamur, quia talium est, ut nosti, Regnum cœlorum, quod nos multis & magnis peccatis demeruisse, etsi Mundus aliter sentiat, Deus testis est & conscientia. Dat tamen sperandi ausum, qui nos ignobilium & infirmorum Electorum Ecclesiasticæ libertatis professores permisit, assertores Justitiæ, & testes legis, assecurantis quòd nec exilium, nec proscriptionem, dummodo illa vigeat, pro ipsa fidelis debeat formidare. Omnes caussæ nostræ tenes articulos: juramentorum, quæ à nobis exacta sunt, nosti conceptionem, ut in hac parte diligentiùs explananda non oporteat immorari.

Sed fortè dices, quod pridem posita mutabitur formula juramenti: nec cogetur aliquis in reprobarum consuetudinum verba jurare. Contentus erit juramento, si fidelitatis servandæ sibi succinctè & absolutè verba præstentur. Ita quidem ut non adjiciatur, *Fidem Ecclesiæ & Prælatorum obedientiam salvam fore*. Nam, ut ajunt, istis nec vult nec voluit præjudicare. Quod nec exigitur juramentum. Verùm si præjudicare non debet, quare necessariæ ad salutem observationis non licet fieri mentionem? Si præjudicat, qua conscientia præstabitur à fideli? Consilium, inquis, sapientum est, tum pro bono pacis & omni suspicione vitanda, tum pro adipiscenda materia gerendorum, ut necessariis & amicis quisque possit officiosus esse. Nunquid amicorum & nugantium familiarium favore, qui nos deseruerunt in adversis, relinquendus est Pater misericordiarum, qui nos consolatus est & consolatur in omni tribulatione, immò nec tribulationis nos permittit habere scientiam? Suadent alii ut juremus, at ille consilium dat non jurandi: cui nam putas esse credendum? Ego certè Dei, pro me incarnati & mortui, consilium fidelius & salubrius credo: & illum frontis attritæ esse non ambigam, qui suum duxerit præferendum. Ut ego cæteras majores, & tibi notas exilii & proscriptionis caussas taceam, quia Christo juramenta dissuadenti credidi, sum proscriptus: cui quicumque non credit, longè periculosiùs proscribetur. Nam in comminationibus & promissis est æquè fidelis.

Nec



Nec dico quod omne, licet à malo procedat, sit illicitum juramentum. Habet enim interdum veniam: cui locus omninò non est, nisi cum occurrenti culpæ ratio veniam impetrarit. Locum istum prætereo, Deo potiùs discutiendum & conscientiis singulorum, ne si quid argutiùs, pro ut ratio suggerit, elocutus fuero, in aliorum, & fortasse innocentium, qui juramenta præstiterunt, sugillationem videar spiritum effudisse. Malo enim moderationis habena calamum cohibere, quàm Divinæ legis articulos congerere, qui etsi rectè probati fuerunt, interdum non nisi ad subversionem proficiunt auditorum. Transeo ergo ad illa, quorum tu dedisti materiam, orans & obsecrans, ut non deficiat fides tua, nec credas spiritui eorum, qui suum Neptunum sequentes, ipso mediante properant ad Plutonem, & descendunt in Infernum viventes. Loquantur interim quæ voluerint, jactitent se adversùs Christum Domini prævaluisse in vanitate sua, perditio eorum adstat præ foribus, quorum gaudium est ad instar puncti, & gloria ignis, fletus, & vermis. Qua via, in brevi, Deo propitiante, scies: & tinnient aures eorum à sibilis & clamore fidelium, quibus pauperes Christi fuerunt in sibilum & irrisum. Nec dubites, nisi fortè tibi persuasum sit mortales non esse morituros, quin in sententiam anathematis reponantur, qui fraude tacendi & metuendi astutia meritos laqueos videntur evasisse.

Hoc autem amicis nostris, si qui tamen nostri sint, non fortunæ, persuadere memineris, ut non fleant super nos. Et utinam super se ipsos flere non debeant. Quia nobiscum agit Altissimus, verbere tamen deducto, quomodo pater serenissimus cum filis charissimis agere consuevit. Cæterùm tibi compatior, qui minorem securitatem in portu, quàm in naufragio reperisti. Sed si tibi Deus vel ad modicum patientiam dederit, quod tibi indubitata fide pronuncio, naufragi, de quibus desperatur, citissimè poterunt & volent opitulari. Sta ergo in ea conditione, in qua à Domino vocatus es, & saltem quatenus sine periculo potueris, Divinæ legis assertor existe. Satis humanum est quod dico propter infirmitatem carnis nostræ. Quia nisi qui legis custodiam periculis omnibus anteponit, salvari non posse, testis est Beatus Apostolus, & tota concio perfectorum. Scripsi homini pro quo sollicitatis: & credo quod ab ipso per latorem præsentium de statu ejus, qui Deo propitiante bonus est, certioraberis. Amicos nostros saluta diligentiùs, quorum nomina, sicut paginæ subducta, sic animo portitoris confido multiplicatis partibus esse impressa.

## EPISTOLA XCVI.

Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus omnibus Episcopis Cantiæ Provinciæ.

*Thomas Dei gratia Cantuariensis Ecclesiæ Minister humilis Venerabilibus Fratribus suis, Londoniensi, cæterisque totius Cantiæ Provinciæ Episcopis, sic transire per bona temporalia, ut non amittant æterna.*

FRATRES mei dilectissimi, quare non consurgitis mihi adversùs malignantes? Ut quid non statis mecum adversùs operantes iniquitatem? An ignoratis quoniam dissipabit Dominus ossa eorum qui hominibus placent? Confundentur, quoniam Dominus sprevit eos. Satis novit discretio vestra, quoniam error, cui non resistitur, approbatur: & veritas, cùm minimè defensatur, opprimitur. Videturque testante Gb..... consentire erranti, qui ad resecanda, quæ corrigi debent, non occurrit. Inde est quod Dominum Regem Angliæ satis superque sustinuimus, nec ullum ex eo sustinentiæ nostræ assecuta est Ecclesia Dei compendium. Periculosum & intolerabile de cætero nobis visum est tantos illius, officialiumque suorum circa Ecclesiam Dei & Ecclesiasticas personas excessus, ut hactenus, impunitos relinquere: præsertim cum sæpissimè nunciis & litteris, modisque aliis, prout decuit, studuerimus eum à perverso proposito suo revocare. Et quoniam vix ab eo auditi sumus, nullatenus tamen exauditi, scriptum illud, in quo illæ, non consuetudines, sed potiùs pravitates, quibus perturbatur & confunditur ad præsens Anglicana Ecclesia, continentur, ipsiusque scripti authoritatem, invocata Spiritus Sancti gratia, publicè condemnavimus & cassavimus, Universos etiam observatores, exactores, consiliatores, seu defensores earum excommunicavimus. Omnesque vos Episcopos à promissione, qua contra institutionem Ecclesiasticam ad earum observationem tenebamini, authoritate Dei & nostra absolvimus. Quis enim dubitat Sacerdotes Christi, Regum & Principum, omniumque fidelium Patres & magistros censeri? Nonne miserabilis insaniæ esse cognoscitur, si filius patrem, discipulus magistrum sibi conetur subjugare, & iniquis obligationibus illum potestati suæ subjicere, à quo credit se non solùm in terra, sed etiam in cœlis ligari posse & solvi. Proinde ne in hujus sententiæ commissum incidamus, authoritatem ipsius scripti, ipsumque scriptum cum pravitatibus, quæ in eo continentur, in irritum duximus & cassavimus. Præsertim his: quod non appelletur ad Sedem Apostolicam super aliqua caussa, nisi licentia Regis. Quod non liceat Archi-Episcopo vel Episcopo exire de Regno, & venire ad vocationem Domini Papæ, sine licentia Domini Regis. Quod non liceat Episcopo excommunicare aliquem, qui teneat de Rege in capite, sine licentia Regis, vel terram ipsius vel officialium suorum in interdicto ponere. Quod non liceat Episcopo coercere aliquem de perjurio vel fide læsa. Quod Clerici trahantur ad sæcularia judicia. Quod Laici, seu Rex, seu alii, tractent causas de Ecclesiis vel decimis. Et alia in hunc modum.

Denunciamus etiam excommunicatum, & ex nomine excommunicamus Joannem de Oxeneford, qui in hæresim damnatam incidit, præstando juramentum Schismaticis, quo schisma jam ferè emortuum in Alemannia revixit; communicando etiam illi nominatissimo schismatico Reginaldo Coloniæ. Et quia contra mandatum Domini Papæ & nostrum Saresberiensis Ecclesiæ Decanatum sibi usurpavit. Quod quidem factum, tam juri contrarium, quàm Ecclesiæ Dei exemplo perniciosum, penitùs cassavimus, & revocavimus in irritum, præcipientes Episcopo Saresberiensi & capitulo in virtute obedientiæ, & in periculo ordinis sui, ne de cætero visis litteris nostris ex eo facto eum Decanum haberent.

Simi-

Similiter & Ricardum Deibes denunciamus excommunicatum, & excommunicavimus, eò quod in eandem hæresim damnatam inciderit, communicando eidem Reginaldo Colonienſi ſchiſmatico; machinando etiam & fabricando omnia mala cum ſchiſmaticis & Theutonicis illis in perniciem Dei & Eccleſiæ, & præſertim Eccleſiæ Romanæ, ex pactis contractis inter Dominum Regnum & ipſos.

Excommunicamus etiam Richardum de Luci, & Jocelinum de Baill, qui pravitatum illarum authores & fabricatores exſtiterunt.

Radulphum etiam de Broc, qui bona Eccleſiæ Cantuarienſis, quæ alimenta de jure ſunt pauperum, occupavit & detinet, hominesque noſtros, tam Clericos quàm Laicos, cepit, & in captione tenet.

Hugonem quoque de ſancto Claro, & Thomam filium Bernardi, qui ejuſdem Eccleſiæ Cantuarienſis bona & poſſeſſiones abſque conniventia noſtra occupaverunt, & tenent.

Omneſque etiam qui de cætero in poſſeſſione & bona Eccleſiæ Cantuarienſis contra voluntatem noſtram & conſenſum manus violentas extendent, eadem excommunicationis ſententia innodavimus, juxta illud Papæ Lucii: *Omnes Eccleſiæ raptores, atque ſuarum facultatum alienatores à liminibus ejuſdem Matris Eccleſiæ anathematizamus, damnamus, atque ſacrilegos eſſe judicamus*. Et non ſolùm eos, ſed etiam eis conſentientes: quia non tantùm qui faciunt rei judicantur, ſed etiam qui facientibus conſentiunt. Par enim pœna & agentes & conſentientes comprehendit. Et alibi dicit ſcriptura: *Qui conſentit peccantibus, & alium peccantem defendit, maledictus erit apud Deum & homines, corripieturque increpatione ſæviſſima*. Et iterùm: *Si quis peccantem defendit, acriùs quàm qui peccavit coerceatur*.

Sanè in Domini Regis perſonam ferre ſententiam adhuc diſtulimus, exſpectantes ſi fortè Divina inſpirante gratia reſipiſcat. In proximo tamen laturi eam, niſi citiùs reſipuerit. Et inde eſt quod Fraternitati veſtræ mandamus, atque in virtute obedientiæ præcipimus, quatenùs viros prætaxatos, qui à nobis excommunicati ſunt, vos quoque, prout decet, excommunicatos & habeatis, & denunciari faciatis, juxta illud Decretum Honorii Papæ: *Curæ ſit omnibus Epiſcopis excommunicatorum omnino nomina tam vicinis Epiſcopis, quàm ſuis Parochianis pariter indicare, eaque in celebri loco poſita præ foribus Eccleſiæ cunctis venientibus inculcare, quatenus in utraque diligentia excommunicatis ubique Eccleſiaſticus aditus denegetur, & excuſationis cauſſa omnibus auferatur*. Tibi autem, Frater Epiſcope Londonienſis, in vi obedientiæ injungimus, quatenus litteras præſentes aliis venerabilibus Fratribus & Coepiſcopis noſtris omnibus de Provincia noſtra manifeſtes & oſtendas. Valete in Chriſto, & pro nobis orate inſtanter.

## EPISTOLA XCVII.

Thomas Cantuarienſis Archi-Epiſcopus omnibus Epiſcopis Angliæ.

*Thomas Dei gratia Cantuarienſis Eccleſiæ Miniſter humilis venerabilibus Fratribus Cantiæ Provinciæ Epiſcopis univerſis ſalutem.*

SI curamus eſſe quod dicimur, & noſtri nominis, qui appellamur Epiſcopi & Pontifices, noſſe volumus ſignificationem, oportet nos jugi ſollicitudine conſiderare & imitari veſtigia illius, qui Pontifex in æternum à Deo conſtitutus ſe ipſum pro nobis Patri obtulit in ara crucis, & de ſumma cœlorum omnium ſpecula actus & actuum intentiones jugiter ſpeculatur, tandem unicuique rediturus ſecundùm opera ſua. Vices enim illius in terris gerendas ſuſcepimus, adepti ſumus gloriam nominis, honorem fructuſque laborum ſpiritualium temporaliter poſſidemus, Apoſtolis & Apoſtolicis viris in Eccleſiarum faſtigiis ſuccedentes, ut noſtro Miniſterio peccati & mortis deſtruatur Imperium, & in fide & profectu virtutum coaleſcens ædificium Chriſti creſcat in templum ſanctum in Domino. Et quidem Epiſcoporum multus eſt numerus. Qui docendi & paſcendi ſollicitudinem & inſtantiam diligentiorem promiſimus in conſecratione, & verbis quotidie profitemur, ſed utinam fides pollicitationis de teſtimonio operis convaleſcat. Meſſis itaque multa eſt, nec ad eam colligendam & congregandam in horreum Domini unus ſufficeret aut pauci. Ex quo lege Divina cœpit agi Populus in Hebræorum dumtaxat gente conſiſtens, judices oportuit multiplicari, & eſſe plures correptores vitiorum, & morum correctores: quia Legiſlator ſolus tantæ multitudinis onera non poterat ſuſtinere. Electi ſunt itaque mandante Domino ſeptuaginta ſeniores, & adducti ad oſtium Tabernaculi, quod præfigurabat Eccleſiam. Acceperunt à Deo partem ſpiritus Moyſi, per quem lex intelligitur ut prophetarent, & Populi examinarent & deciderent cauſſas: majoribus tamen reſervatis, & referendis ad examen illius, cui totius legis erat credita diſpenſatio. Et ſi ſcripturas perſcrutemur attentiùs, inveniemus hos Hebræorum Præpoſitos exſtitiſſe, quos ab exactoribus Pharaonis in Ægypto legimus flagellatos, adeò ut tædio affecti, & variis attriti ſuppliciis nomina ſua coram Ægyptiis fœtere quererentur. Quia tamen patientiam habuerunt, & Moyſi obtemperantes acquieverunt verbo Dei, hoc præeunte gratia per fidem & jugem laborum experientiam meruerunt, ut cum Moyſe præficerentur Populo, cujus ſalutem procuraverunt: & qui ſtudioſè audierant, Doctores ex diſcipulis redderentur.

Sed & in initio naſcentis Eccleſiæ, ſicut Beatus docet Apoſtolus, *Chriſtus cœlos adſcendens, ut adimpleret omnia, quoſdam quidem dedit Apoſtolos, quoſdam Prophetas, alios Evangeliſtas, alios Paſtores & Magiſtros, ad inſtructionem Sanctorum in opus Miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti*. Neque enim omnia uni committenda erant officia, ſed unumquodque membrum ſuo donandum erat officio, ita tamen ut caput, in quo velut in arce & quo-



quodam capitolio virtutum omnes congeruntur ſenſus, & univerſis & ſingulis provideret, & ei viciſſim omnia ſamularentur pro ratione ſuæ conditionis. Doctor gentium, qui gloriatur ſe non ab homine, neque per hominem Evangelium didiciſſe, ſed inſtructum à Chriſto, adſcendit Hieroſolymam, cum Eccleſiarum Principe de fide contulit, nè fortè in vacuum curreret vel cucurriſſet. Et ut plurimis patet exemplis, ſingula Evangelii flumina ad mare, unde orta ſunt, redeunt, ut iterum fluant. Siquidem fons Paradiſi unus eſt, ſed in plura reſcinditur flumina, ut undique irriget terram.

Quis Romanam Eccleſiam caput omnium Eccleſiarum & fontem catholicæ doctrinæ ambigit eſſe? Quis claves Regni cœlorum Petro traditas eſſe ignorat? Nonne in fide & doctrina Petri totius Eccleſiæ ſtructura conſurgit, donec occurramus omnes Chriſto in virum perfectum, in unitatem fidei, & agnitionem filii Dei? Neceſſe quidem eſt multos eſſe qui plantent, multos qui irrigent, quoniam hoc exigit proceſſus verbi, & dilatatio populorum, cum & antiquus populus, cui unum ſufficiebat Altare, plures ex neceſſitate magiſtros habuerit, nedum modò in concurſu & affluentia gentium, quibus Libanus non ſufficit ad ſuccedendum, & animalia non modò Libani, ſed nec totius Judææ ſufficerent ad holocauſtum. Sed quicumque ſit qui rigat aut plantat, Deus nulli dat incrementum, niſi illi qui plantavit in fide Petri, & doctrinæ ipſius acquieſcit. Sanè ad eum maxima populi judicia referuntur, à Romano examinanda Pontifice, & diſpoſiti ſub eo Matris Eccleſiæ Magiſtratus, quatenus in partem ſollicitudinis acciti ſunt, creditam exercerent poteſtatem. Ut Sacerdos, quod in plebe ſibi commiſſa expedire non poteſt, ad Epiſcopum referat, qui negotia ſupra ſe ad Archi-Epiſcopum reducit aut Primatem, à quibus quidquid maximum fuerit, Romano Pontifici reſervatur. Ordinem hunc Petrus docuit. Hunc uſque modò Catholica ſervavit Eccleſia, nec unquàm, authore Domino, quidquid moliatur iniquitas, ſubvertetur.

In Regno autem Anglorum, quod ſine dolore multo ad mentem reducere, aut ſine lacrymis dicere non valemus, multum præſumitur adversùs Petrum. Sedis Apoſtolicæ, quantum in perverſis Poteſtatibus eſt, attentatur & periclitatur authoritas, dum illi, quos neceſſitas pro compendio pœnitentiæ, vel remedio animæ, aut viſitationis debito compellit ad Dominum Papam iter arripere, ab itinere ſuo præpediuntur, ſpoliantur, tractantur arctiùs, & transfretare prohibentur, vel ab his qui occaſiones quærunt ut faciant mala, vel coacti ideò illicita de præpediendis Clericis & pœnitentibus præſtiterunt ſacramenta. Manus itaque violentas injicientes in Clericos facto ſuo anathematis condemnationem incurrunt. Inde eſt, quod nos ſanctæ Romanæ Eccleſiæ authoritate utentes, Fraternitati veſtræ in virtute obedientiæ, in periculo ordinis veſtri præcipiendo mandamus, quatenus de cætero hoc fieri inhibeatis, & eos qui in Clericos manus violentas injiciunt, publicè excommunicatos denuncietis, & per Epiſcopatum veſtrum denunciari faciatis, & conterminalibus Coepiſcopis veſtris, ut hoc ipſum in Epiſcopatibus faciant ſuis, Domini Papæ & noſtra præcipiatis authoritate.

Ad hæc eodem modo, & ſub eadem intermina-tione præcipimus, ut his qui appellantes, aut Pœnitentes, ad Dominum Papam vel ad nos tendentes, impediunt, aut redeuntes à Domino Papa vel à nobis, denuncietis quoniam ſententiam anathematis incurrunt: tam hi qui hoc faciunt in propria perſona, quàm Regis officiales, qui ad hoc facinus compellunt alios. Illos autem, qui coacti de tranſeuntibus impediendis juramenta illicita præſtiterunt, ab hoc juramento abſolvimus, ut à tanta iniquitate deſiſtant poſtmodùm, & de commiſſo pœnitentes diſcant potiùs Deo quàm homini obedire. Si quis Eccleſiæ ſuæ juſtitiam promovens, & Apoſtolicæ Sedi fidem ſervans, diſpendia reformidat, meminerit, quoniam Eccleſia virtutes, quàm momentaneas opes longè tutiùs & utiliùs theſaurizat. Chriſtus, qui Eccleſiæ Romanæ præſidet, omnes adverſarias cohibet poteſtates. Et qui potentes potenter puniet, omnem decrevit puniri inobedientiam. Non humiles tamen adducens in judicium, ſed glorioſos terræ humiliat Eccleſiæ miniſterio, adversùs quam nec portæ inferi prævalebunt.

Pudeat vos, dilectiſſimi, iniqua exercere judicia, ut juxta quod nobis inſultant proceres Regni, ſi pauper offendit in minimo, illicò à nobis & officialibus noſtris ab Eccleſia excludatur; ſi dives committit crimina, non conveniatur vel verbo, ut in ſic decernentes poſſit illuc & hinc retorqueri: *Et tamen miſeris iraſci numina poſſunt*. Providete vobis & Eccleſiis veſtris, ne ſi hanc injuriam Romanæ Eccleſiæ ulteriùs diſſimulaveritis, meritò videamini adversùs eam cum impiis conſpiraſſe, & appellantium præcluſiſſe vias. Nec de diſpendio ejus veſtrum quæratis compendium. Mementote potiùs, quomodò ſalvi facti ſunt Patres noſtri, quomodò & quibus tribulationibus Eccleſia creverit & dilatata ſit: quas procellas evaſerit navis Petri, quæ Chriſtum habet vectorem. Qualiter ad coronam pervenerint, quorum fides ex tribulatione clariùs eluceſcit. Sic Moyſes meruit populi Principatum. Sic ſeptuaginta judices aſſecuti gratiam Prophetalem. Sic David ſublimatur in Regem. Sic Apoſtoli conſtituti ſunt judices orbis. Sic omnium Sanctorum turba proceſſit, ut perpetuò verum ſit, quia non coronatur, niſi qui legitimè certaverit, & de deliciis ſæcularis exilii nullus ſit omninò tranſitus ad delicias Regni.

## EPISTOLA XCVIII.

*Thomas Cantuarienſis Archi-Epiſcopus Gaufredo Ridel Archi-Diacono Cantiæ.*

EXPECTAVIMUS tempore longo fidelitatem tuam, devotionem, & obedientiam. Sed quia fidelitas tua parùm nobis huc uſque attulit emolumenti, devotio minùs exhibuit gratiæ, obedientia nihil tibi comparare debuit meriti, mandamus tibi, & in virtute obedientiæ, ac in periculo ordinis tui & poſſeſſionum tuarum præcipimus, quatenus poſt ſuſceptionem litterarum noſtrarum Infra quadraginta dies conſpectui noſtro te repræſentes, ſervaturus Domino fidem, Patri devotionem, obedientiam Archi-Epiſcopo tuo, ut vel ſic diſcas officii tui neceſſitates exercere, cujus utinam dignè emolumenta ſenſeris.

EPI-

## EPISTOLA XCIX.

Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Gaufredo Ridel Archi-Diacono.

*Thomas Dei gratia Cantuariensis Ecclesiæ Minister humilis, & Apostolicæ Sedis Legatus, Gaufredo inobedienti, Archi-Diacono Cantuariensi, consultiùs sibi prospicere propter inobedientiam.*

MISIMUS tibi jam pridem præceptorias sub interminatione pœnæ, sub dilatione quadraginta dierum, quatenus infra eosdem ad nos venires, satisfacturus nobis pro officii tui debito. Mittimus nunc correctorias, & merito punitorias, si non venetis responsurus nobis de inobedientia, satisfacturus de communicatione excommunicatorum, excepturus de utroque quod meruisti. Hujus rei exequendæ damus tibi diem peremptorium, quadragesimum equidem à præsentatis tibi litteris nostris, sive fraude tua minùs à te receptis, sive præsumptione refutatis. Veni, ut evadas pœnam pro non veniendo. Accelera, ut lætetur Ecclesia de conversione tua. Ne confundaris, ut sentias commodum de confusione: ut convertaris, sit tibi quod metueris.

## EPISTOLA C.

Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Jocelino Saresberiensi Episcopo.

*Thomas Dei gratia Cantuariensis Ecclesiæ Minister humilis Venerabili Fratri Jocelino, eadem gratia Saresberiensi Episcopo, visis litteris nostris statim resipiscere à malo, & de cætero constantiùs facere bonum.*

CELEBRE proverbium est: *Facilius est vitare discordem, quàm declinare fallacem.* Inde est, quod quamvis propter fallentium argutias, propter animi tui debilitatem, propter propositum tibi corporis tui & tuorum discrimen videaris aliquatenus excusabilis apparere, non ideò minùs ratum habemus te graviter commisisse in Domini Papæ mandatum, meritò incidisse in interdicti nostri sententiam, rem talem egisse, pro qua totus Mundus habet clamare post te. Eò maximè quòd contra Domini Papæ mandatum expressum, ne in Ecclesia Saresberiensi absque Canonicorum ejusdem, exulantium pro nobis & nobiscum, consensu & conscientia, nec per te, nec per Clericos tuos, Decanus ibidem constitueretur: contra nostram etiam prohibitionem, sub anathemate factam, Decani noviter in Ecclesia tua abusivè creati intrusionem confirmaveris: cujus occasione juramenti, sicut vulgò celebre est, schisma jam ferè emortuum revixit in Alemannia, quo credimus eum ipso jure hæresi damnata involvi, qui participatione illius grandis & insignis schismatici, Colonienſem loquor, excommunicationis in se provocavit sententiam. Unde quoniam novimus sententi fraudem minimè fieri posse, & esse iniquum, omnique Canonico juri contrarium, rem tam detestabilem, tum propter factum, tum propter personam, Ecclesiæ tuæ, rem ipsam tam incommodam, aliis exemplo tam perniciosam, ratam & firmam nullatenus posse manere, quoniam ipso jure non teneat, Apostolica authoritate & nostra, qua fungimur, ipsam electionem, immò intrusionem, de Joanne de Oxeneford in Decanatum factam, tuamque super hoc ipso confirmationem & assensum in irritum revocamus, & totum factum ipsum quassamus penitùs. Et quia contra communem Ecclesiæ formam, contra mandatum Domini Papæ, sicut prædiximus, lapsus ipse in hæresim damnatam, excommunicatus participatione excommunicati, ausus est Decanatum ipsum recipere, ne temeritas invadentium impunita succrescat, in virtute obedientiæ tibi & Canonicis tuis in periculo ordinis vestri mandando præcipimus, ne de cætero visis litteris nostris ex hoc facto eum Decanum habeatis: quoniam & tibi ad præsens excommunicatum denunciamus, & ut eum talem denuncies, firmiter injungimus. Præterea ne ex hoc commisso, quo in te severiorem provocasti sententiam, transeas impunitus, authoritate Dei & nostra ab officio Episcopali & Sacerdotali te suspendimus, præcipientes ut à die susceptionis litterarum nostrarum in duos menses veniendi ad nos iter arripias, satisfacturus Deo & nobis de tanto excessu, de injuria tam perspicua. Ex quo resipueris, & emendaveris delictum, sit tibi vale.

## EPISTOLA CI.

Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Capitulo Saresberiensi.

*Thomas Dei gratia Cantuariensis Ecclesiæ Minister humilis universo Saresberiensis Ecclesiæ Capitulo scientiæ & Consilii spiritum.*

SUPER prudentia vestra non satis possumus admirari, quo ausu, immò qua temeritate quemdam ipso jure excommunicatum, utpotè qui in damnatam hæresim incidit, illum etiam qui juramento suo in Alemannia perpetrato, sicut scitur ab omnibus, schisma revocavit, in Decanum Ecclesiæ vestræ elegeritis. Joannem dicimus de Oxeneford. Inconsultis etiam illis, qui nobiscum propter justitiam & Ecclesiæ libertatem exulant. Præsertim cum sine ipsis ne id fieret, specialis inhibitio Romani Pontificis ad vos pervenerit. Et nostra pariter processit, nescio tamen si ad vos usque pervenerit. Propterea quòd circa Decanatum minùs consultè actum est, immò contra omnem juris ordinem, quassamus penitùs, & revocamus in irritum, mandantes vobis quòd jam dictum Joannem excommunicatum habemus, & vobis excommunicatum denunciamus, Apostolica authoritate & nostra inhibentes, ne jam prænominatum Joannem pro Decano habeatis, nec ei obedientiam seu reverentiam Decano debitam exhibeatis. Præcipimus etiam sub ordinis & beneficiorum vestrorum periculo, quatenus post susceptionem harum litterarum infra duos menses vos conspectui nostro præsentetis, satisfacturi super injuria & contemptu Domini Papæ, & nostri. Valete.





## EPISTOLA CII.

*Rotvodus Rothomagensis Archi-Episcopus Henrico Presbytero Cardinali.*

PRO Domino Rege Anglorum omnem exhibemus securitatem, quòd Imperatori nec per se, nec per Nuncios juramentum præstitit aut promissionem, quòd schismatico adhærere velit, Ecclesiam relicturus: immò certi sumus, quòd in illis qualibuscumque de mattimonio pactionibus, licèt Theutonici super hoc laborarent per triduum, nihil unquàm concedere voluit, nisi præeunte in omnibus fidelitate Domini Papæ, & Ecclesiæ, & Regis Franciæ. Ipsi verò litteris vestris mandavimus Domina Imperatrix & nos, ut ab hac nota quàm citiùs se excuset. Nos quidem cum Rothomagi essemus, & illic essent Nuncii Imperatoris, de illis audivimus, sed eos non vidimus. Domina Imperatrix, cum eam videre summopere requirerent, respondit quòd propter Episcopos non auderet. Nec eam viderunt. De ea nulla apud vos habeatur dubitatio, quod aliquo modo vacillaverit. Immò fortitudine accincta de hujusmodi verbis satis admiratur. Nuncium, quem ad nos direxistis, ad eam direximus: ipse vobis referet quæ audivit. Postquàm autem Nuncii Domini Regis ab Imperatore reversi fuerint, omnem rerum veritatem sollicitè inquisitam vobis significare non differemus: Ex verborum tenore perpendere potestis Dictorum falsitatem: quia quinquaginta Episcopos, quos exhiberet, Rex non habet. Nos verò detrimentum Ecclesiæ nec sustinere, quantum in nobis est, possumus, nec videre. Super his Domino Papæ, quòd vobis videbitur, significabitis.

## EPISTOLA CIII.

*Joanni Episcopo Pictaviensi Joannes Saresberiensis.*

GRANDIS est apud nos exspectatio præstolantium, quid paritura sit collatio illustris Regis Angliæ, & Grandi-Montanorum Sanctorum, qui utinam pro celebritate nominis, quàm in Ecclesia Dei subitò nacti sunt, pacem Ecclesiæ studeant procurare. Creduntur enim talentum gratiæ Principum in tantum meruisse, & percepisse à Domino, ut dispensatio Regnorum, quatenus ipsi permiserint, eorum committatur arbitrio. Fama siquidem præconatur, quod in eorum manibus sint consilia & opera Regum. Quia ergo vos eorundem Sanctorum non dubito amatores, & familiares esse confido, quanta possum precor instantia, quatenus eos per gratiam vobis divinitùs collatam adhibita omni diligentia animetis, ut colloquio, quod cum præfato Rege habituri sunt, si tamen nondum celebratum est, prospiciant Ecclesiasticæ paci, quæ, Deo teste, ipsi Regi longè erit utilior, quàm illis, qui se & sua omnia gaudent exposuisse pro Christo. Sive enim vivant, sive moriantur, Domini sunt, & secundùm multitudinem laborum & dolorum, quibus ad modicum flagellantur, consolationes ejus exspectant in misericordia uberi. Quid autem à justo judice, cujus voluntas omnipotentia est, poterit, nisi pœniteat, exspectare, qui gratis persequitur & torquet innocentes? Aut quis erit pœnitentiæ fructus, nisi corde contrito & humiliato confitetur culpam, componat injuriam, damna pro facultate resarciat, & similia in posterùm cavere disponat? Si verò memorati Sancti tanto Domino, tam sincero amico, victi spe vel timore, dicenda tacuerint, quis eum de cætero statuet contra faciem suam? Quis à domo ejus avertet gladium Domini, qui Potentes potentiùs punit, torquet, & aufert spiritum Principum?

Ecce cum Theutonico tyranno quid egerit, quem, sicut fama publica est apud nos, velut illam statuam, quam Nabuchodonosor vidit in somnis, podagra percussit in pedibus, ut incedere nequeat, nisi stipatorum auxilio fulciatur. Et quidem spes est, ut in brevi pateat ruinæ magnæ, Christoque, quem in membris persequitur, dum libertatem Ecclesiæ subvertere quærit, concedat gloriam vel invitus. Iter autem Hierosolymitanum, quod à Regibus dispositum est, quid proderit, si non ante pax reddatur Ecclesiæ? Nam cum ætate nostra maximi & plurimi Principes similem peregrinationem fuissent aggressi, rei miserrimus & Ecclesiæ dolendus eventus docuit de rapinis & injuriis oblata munera Domino non placere, dum ingrati labor obsequii prorsus in contrarium proposito cessit eventum. Sui inconsolabiliter lugent similiter incedentem, & patientem similia comitem Nivernensem: quem non Parthorum jacula, non Syrorum gladii, ut neo gloriosa mors viri fortis aliquid consolationis adferret, sed lachrymæ viduarum, pauperum gemitus, Ecclesiarum querelæ inglorium creduntur extinxisse. Licèt autem sit in finem biennii memoratæ profectionis dilata necessitas, tamen si ante honorem Dei & demigrantium salutem inchoari debet aut peragi, tempus breve est. Nam proverbio Francorum dici solet: *Stulto dormiente terminus Creditoris accurrerat.* Dormit stultus, sed usuræ non dormiunt. Sed quid est quod vos in hac parte sollicito, qui indefinenter & supra vires hanc sollicitudinem geritis, nisi quod scio vos multam ad tantum Principem, tam bonum Dominum habere charitatem, ut salutem ejus & honorem, quod quidem & ego facio, cupiatis ut vestrum?

Vir enim est omni laude major, si Ecclesiæ Dei, ut oportet, deferret magis, & cum his modestius ageret, qui cum eo contrahunt, & aliqua ratione, non impetu iræ, vel alterius reprimendi affectus: & ad mensuram Regiæ gravitatis linguam cohiberet & animum. Aliàs autem naturæ pariter & gratiæ tot & tantis dotibus præditus est, ut ei Principum nullus, quod magis crediderim, similis inveniretur in Orbe. Timeo verò, ne vobis apud eum nocuerit fides & officiositas nostra, eò quòd colloquium, sicut ad honorem & voluntatem ejus volebatis, non potuisti à Cantuariensi Archi-Episcopo impetrare. Unde precor attentiùs, ut mihi quis illius verbi fuerit exitus, & quæ circa vos sunt & vestrates, significare dignemini. In negotio autem, quod vobis præsentium lator exponet, sic procedat diligentia vestra, sicut maxime videritis expedire. De his verò, qui Romam profecti sunt, nihil adhuc certum teneo, sed cum innotuerint refrenda, data Divinitùs opportunitate, meo studio procurante, proficiscentur ad vos.

## EPISTOLA CIV.

*Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Jocelinus Saresberiensis Episcopus.*

VENIENS ad nos Monachus quidam ex parte vestra, ut asserebat, sua nobis relatione indicavit, quòd vestra sublimitas nos gravissimè arguebat de Joanne de Oxeneford, Clerico & fideli Domini nostri Regis, in Decanatum Saresberiensem admisso, quem quidem communi voto & unanimi assensu capituli nostri canonicè electum suscepimus, & secundùm Deum & juxta consuetudinem Ecclesiæ confirmavimus, attendentes ex hoc ipso majorem inchoatæ dilectionis firmitatem inter Dominum Papam & Dominum nostrum Regem proventuram. Vestræ nihilominùs commoditati prospicientes, ut exinde ad gratiam Domini nostri Regis promerendum facilior sanctitati vestræ pateret accessus, non minùs quidem de vestra, quàm de Ecclesia Saresberiensi, pace reformanda, & libertate conservanda diligentes & solliciti. Quia verò præfatus Monachus inauditam suspensionis sententiam, tam ab omni Sacerdotali, quàm Episcopali Officio in nos proposuit, ne tanto gravamine innocentes opprimeremur, absentes, non citati, indefensi, non confessi, neque convicti, ad sedem appellavimus Apostolicam. Et sicut tunc verbo, ita nunc scripto in vestra præsentia appellamus, tam personas quàm totam Ecclesiam nostram protectioni Beati Petri & Domini Papæ submittentes. Noverit Sanctitas vestra non modica nos admiratione moveri, cæterosque hujus rei auditores, tam subito motu, tam severo judicio, non dico præcipiti voluntate, Patrem in filium irruisse innocentem, immeritum, non contumacem, non tertiò, non secundò, sed nec semel citatum, ut prædictum est, absentem, indefensum, non confessum, non convictum condemnasse; ut vestram prudentiam præteriisse videatur illud Gregorii: *Sæpè in solvendis ac ligandis subditis suæ voluntatis motus, non autem causarum merita sequitur Pastor, sicque ipsa ligandi atque solvendi potestate se privat, qui hanc pro sua voluntate, non pro subditorum moribus exercet, qui erga quemlibet proximum odio vel gratia movetur.* Considerandum erat, quod subjectos magno moderamine pastores solvere debeant vel ligare. Dignum erat memoria illud Augustini: *Cœpisti habere fratrem tuum tanquàm publicanum, ligas eum in terra, sed ut justè alliges, vide.* Nam injusta vincula dirumpunt justitiam. Scitis quia qui dicit justum injustum, aut qui injustum justum, abominabilis utique est. Avertat Dominus à Patre meo & Domino, ne quid sibi de Pharisæorum assumat supercilio, ut vel damnet innocentem, vel solvere noxium arbitretur. Legit sanctitas vestra de leprosis præceptum esse, ut se ostendant Sacerdotibus: & si lepram habuerint, tunc à Sacerdote mundi fiant. Ceriùs habenda erat notitia delictorum, audienda varietas peccatorum, exinde ligandum aut solvendum. Nemo enim, ut ait Gregorius, præpropere vel præposterè, scilicèt non commonitus neque convictus, est judicandus, dicente Sixto Papa: *Incerta nemo unquam Pontificum judicare præsumat.* Et quamvis vera sint, non tamen credenda sunt, nisi quæ certis indiciis comprobantur, nisi quæ manifestè convincuntur, nisi quæ judiciario ordine publicantur. Denique, Pater venerande, ne factam appellationem prosequi compellamur, quæ possumus & debemus humilitate Sanctitati vestræ devotiùs supplicamus, ut nostri gratia, paterna moti miseratione, sententiæ rigorem in nos, & in Joannem Decanum Saresberiensem, & Ecclesiam factæ misericorditer relaxetis: & quæ in nobis corrigenda videritis pro loco & tempore, juxta statuta Patrum, & formam Canonum cum debita veneratione corrigatis.

Inter hæc, venerande Pater, unum est, quo admodùm movemur, nec vos minùs tangere debet: quod à vobis, tantæ authoritatis viro, tantæ maturitatis persona, tanto Patre ac pastore, tantæ facilitatis processerit verbum, ut Dominum & Papam nostrum, sive alium nobis Prælatum abjuraremus vel abnegaremus. Absit ut nos adeò derelinquat Dominus & confundat. Deum testamur & veritatem, quæ Deus est, quia nec ex ore nostro processit hoc verbum, nec ex corde propositum, nec quidquàm à nobis actum est, vel etiam exactum, quod adversùs Ecclesiam Dei fuerit, vel quod Dominum Papam vel Prælatos nostros in aliquo debuerit offendere. Unde testes invocamus Cicestrensem, & Exoniensem, & Lincolniensem Episcopos, qui in omnibus, quæ diximus & fecimus, interfuerunt, ubi Dei gratia remissa est nobis & Ecclesiæ nostræ Regia indignatio. Valeat & vigeat chara nobis vestra paternitas.

## EPISTOLA CV.

*Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Capitulum Saresberiense.*

AD nos usque pervenit discretionem vestram in Episcopum nostrum gravaminis non modici dedisse sententiam, & graviorem in Decanum nostrum vos daturos proposuisse. Quoniam ergo Prælatorum nostrorum gravamen nostrum reputamus, statim hoc audito ad Sedem Romanam appellavimus, & in vestra præsentia appellamus, protectioni Beati Petri & Domini Papæ nos & Ecclesiam nostram submittentes. Valeat & vigeat Paternitas vestra.

## EPISTOLA CVI.

*Henrico Regi Angliæ Gilbertus Londoniensis Episcopus.*

VENERABILEM fratrem nostrum Dominum Saresberiensem Episcopum vestræ, Domine, sublimitati dignè duximus commendandum. Quem vobis utique fidelem novimus, & charitate non ficta vestros per omnia desiderare successus, indubitanter agnovimus. Undè Majestati Regiæ





Regiæ honori procul dubio cedet & gloriæ, ut in ipsum clementer respiciatis, & Regiæ pietatis oculos in ipsum attentiùs habeatis. Fidelem quippe Clericum vestrum transmittet ad vos, ut quàm piè Dominus Cantuariensis sit circa ipsum sollicitus, & verbis ejus & scriptis, quæ præ manibus habet, agnoscatis. Onus siquidem suspensionis ad præsens sustinet, & jam citatus, justè sive injustè, excommunicationis sententiam, ut ex scriptis perpendimus, & retroactis manifestè conjicimus, nisi per vos in proximo non evadet. Quam si contigerit in ipsum dari, erit utique sibi dedecori, & omnibus Regni vestri personis concussioni pariter & timori. Quem si vestra Benignitas evocaret ad se, iter acceleraret ad vos, & imminens hoc periculum ope vestra fretus, juvante Domino, optimè declinaret. Unde cum petente petimus, cum supplicante supplicamus, quatenus suspiranti in hoc fideli vestro accessum ad vos ad præsens, si placet, concedatis, & ipsum conatus ejus, qui vobis adversatur in omnibus, & appellationibus & modis aliis, quos revelabit Dominus, usque ad Legatorum vestrorum adventum elidere permittatis. Hoc siquidem vobis honori, securitati nobis omnibus futurum credimus, qui vices nostras in protectionem vestram fratri nostro fidelissimo committere sanè poterimus, ut amoveat abundans cautela, si quid in Regnum vestrum malè machinari voluerit potestas, quod absit, indiscreta. Valere vos optamus in Domino.

## EPISTOLA CVII.

*Jocelino Saresberiensi Episcopo Joannes de Saresberia.*

ACCEPTIS litteris amicissimi mei R..... Archi-Diaconi, Dominum Cantuariensem, quod & ante sæpiùs feceram, super consolatione vestra instantiùs sollicitavi. Et sicut anteà, quando Magister G..... præsens adfuit, omnem operam dedi & diligentiam, ut satisfieret petitioni vestræ. Sed qualis primò inventus est, talis perseverat adhuc. Non quidem, ut conscientia teste loquar coram Deo, in proposito constans odio vestri, sed ne dentur cornua peccatori, & ne facto isto inobedientium temeritas invalescat. Nam si ad obedientiam redieritis, non dubito, quin eum illicò inveniatis clementissimum Patrem. Nititur autem in facto isto & consilio amicorum, quos habet in Ecclesia Romana, & sapientum Ecclesiæ Gallicanæ, qui vexationem ejus ita acerbè ferunt ut suam. Nec est aliquis eorum, qui consulat, ut sententiam revocet, dum inobediens exstiteritis, & excessum vestrum sub appellationis prætextu velitis excusare. Recepit enim Appellatorias vestras, & alias nomine Episcoporum, etsi neutram receperit appellationem, ut ex responsione ejus omnibus palam est. Vos autem, ut ait, nec recessistis adhuc, nec ei unquàm super appellationum renunciatione scripsistis, cum tamen hoc patentibus litteris oporteat fieri, si ab eo misericordiam exspectatis. Appellatorias verò vestras Domino Papæ misit. Et utinam verum esset, quod in suis Episcopi testificati sunt de innocentia & justitia Domini Regis, qui, ut ajunt, *dulce putat obsequium, quoties monetur ut corrigat, si quid fortè deliquit in Deum.* Si tanta est benignitas ejus, quare non convenniunt eum, ut Ecclesiæ Dei pareat & sibi? Si non est, quare patentibus litteris testificati sunt in animas suas? Hæc prætendit Archi-Episcopus: & sic reluctantibus & patenter sitientibus sanguinem ejus contra Ecclesiam & seipsum acquiescere non decrevit. Cæterum si vos subtraxeritis cœtui persecutorum, & redieritis per exhibitionem obedientiæ, pronior erit ad veniam & omnem misericordiam exercendam, quàm vos ad preces. Et hæc quidem, sicut ipse videtis, fieri expedit: immò necesse est. Scitis enim quid Dominus Papa rescripserit fratri vestro Episcopo Constantiensi: quid etiam solatii à Sede Apostolica vobis retulerit Decanus vester. Nam conatus ejus & processus non latet Archi-Episcopum, qui nuper per Nuncios suos recepit consolationem Apostolicam cum multarum fasciculis litterarum. Præfatus quoque Decanus, si dignum ducit, meminisse potest pactionum quas iniit, & cautionum quas præstitit Domino Papæ. Et si ab injuriis Archi-Episcopi sui & Domini postea aliquantulum temperasset, fortassè sibi ipsi utiliùs prospexisset in posterum. Ex eo tamen ipso, unde præjudicatum videtur Archi-Episcopo, præter intentionem gerentium prospectum est ei: & patet ex absolutione excommunicatorum ejus, quàm periculosè eis antea communicatum sit. De hac tamen absolutione, & aliis caussam hanc contingentibus, necessitate mandati ad silentium coarctamur usque in diem certum, quo constet an Dominus Papa pactionibus, quas admisit in caussa Ecclesiæ, instructus sit, an illusus. Interim nihil aliud consulere possum, quàm quod lex Divina præscribit, quod Deo potiùs oportet obedire, quàm hominibus. Nec unquam acceptantur victimæ obedientiam subtrahentis. Nec salubriter incedit, qui debito officii sui præponit voluntatem mundanæ Potestatis. Hæc vobis loquor tanquàm Patri & Domino coram Deo, quem testem invoco in animam meam in districto examine, quia si salubrioris consilii mihi pateret via, illam vobis devotione promptissima aperirem. Et si videritis in quo vobis valeam officiosus esse, securè præcipite ex animo pro viribus parituro. Credo vos recepisse litteras, quas misi Domino Constantiensi, & amicissimo meo Archi-Diacono, ut ad præsens plura scribere non oporteat.

## EPISTOLA CVIII.

Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Gilberto Londoniensi Episcopo.

*Thomas Cantuariensis Ecclesiæ humilis Minister Gilberto Episcopo Londoniensi, quod semel hoc iterùm, sic transire per bona temporalia, ut non amittat æterna.*

MIRANDUM & vehementer stupendum, virum prudentem, sacris litteris eruditum, præsertim Religionem habitu præferentem, adeò manifestè, ne dicam irreverenter, & timore Dei postposito, aversari veritatem, justitiæ resistere & ad omne fas nefasque confundendum, statum San

ctæ Ecclesiæ, quàm ipse fundavit Altissimus, velle evertere. Veritas est quæ dicit: *Portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*. Non sani igitur capitis esse dignoscitur, qui intentat ei ruinam: Homini similis montem magnum fune circumligatum tentanti dejicere. Sed nunquid ita vel odio deferbui; ut exacerbatus jaculari compellar hujusmodi verba in Fratrem meùm, & collegam, & Coepiscopum meum? Absit. Sed de litteris tuis, quas mihi per Archi-Diaconum tuùm destinandas accepi, talia collegi. Neqùe enim de spinis uvas, aut ficus de tribulis colligere potui. Ut clareat, an ita sit; proponamus eas, & continentiam earum in lucem proferamus. Finis collatus principio similitudinèm scorpionis conformat: illo blandiens ad nos ingreditur, illo pungens nos acerbè, silentium nobis imponere machinatur.

Quid enim aliud est primò recognoscere debitam nobis subjectionem, & subjectioni cohærentem obedientiam promittere, demum ne obedire debeas, ad appellationem convolare? Nunquid apud me sunt, *Est*, *& non*, dicit Apostolus. Sed nequè apud Apostoli deberent esse Discipulum. Necessariò acceperunt Discipuli à Domino potestatem calcandi super serpentes & scorpiones. Habitat enim Ezechiel & hodie cum scorpionibus. Et illud vide quo sensu dixeris: *Ad appellationis remedium confugimus*. Christi sequelam te dicis: in hoc dicto secus inveniris. Omnium enim malorum nostrorum efficax, immò efficacissimum remedium commendavit nobis Christus obedientiam, non solùm verbo, sed evidentissimo exemplo factus obediens Patri suo usque ad mortem. Et tu qua fronte appellas remedium obedientiæ impedimentum? Quod non remedium, sed detrimentum rectiùs habet nominari. Sed & qua fiducia hoc præsumis? Sperasnè te habiturum defensorem ad non obediendum illum, qui vindicandi in omnem inobedientiam & officium accepit & præceptum? Malè est hoc sperare de eo, & in ipsum graviter offendere. Poterant te retardare ab hujusmodi præsumptione, quas jam passus es, prima & secunda repulsio. Viva quippe vox tua primùm, & deinde litteræ tuæ ad persuadendum compositæ, expertæ sunt quàm firmiter stet, quàm sit Vicarius Petri, quem non precibus, non donis, nec comminationibus, vel promissis movere potuisti. Sed tertiò attentandus est, ut Domini sui exemplo tertia attentatione triumphum reportet.

Porrò ut nihil deesset gravaminis, defixisti terminum tuæ appellationi anni ferè spatium. Nec misertus es nostri exilii, vel laboris Sanctæ Ecclesiæ, Sponsæ Christi, quam ipse sibi suo sanguine acquisivit. Et ut hæc omittam, non omittenda tamen, providere debueras, cui te favere dicis, Domino nostro Regi, qui quamdiu sic aget in nos, vel in Ecclesiam Christi, nec ad bella procedere, vel in pace degere sine animæ suæ periculo poterit. Ad reliqua transeamus. Quædam commemoras turbata esse in discessu & ex discessu nostro. Timeant turbationis hujus authores & Consiliarii, ne & ipsi turbentur. Magnis me laudibus extollis quasi de bono principio meæ peregrinationis. Et quidem sapientis famam non negligere, sed discreti est nulli magis de se quàm sibi credere. De injuriis insinuor, quasi illatis Domino nostro Regi. Sed quia nullam designas ex nomine, nec ego scio cui respondere debeam. Quia igitur superficie tenus accusor, superficie tenus in hac parte me excuso. Hoc tamen interim accipe responsum: quia nullius mihi conscius sum, nec propterea justificatus sum. De comminatorio minaris, quod nos in eum misimus. Quis Pater videt filium aberrare, & tacet? Quis virga non percutit, ne gladium incurrat? Desperat Pater de filio, quem comminatione non corripit vel flagello. Absit autem ut tecum sentiamus Dominum nostrum Regem, impatientem correptionis, ad exterminationem apostasiæ lapsurum. Non enim Patris cælestis plantatio eradicabitur.

Navem concurit sævissima tempestas. Clavum teneo, & ad summum me vocas. Congeris & statuis ante oculos nostros beneficia nobis à Domino nostro Rege collata, & de exili me commemoras ad summa provectum. Ut autem his aliquantisper respondeam, in insipientia mea tamen, de quam exili putas? Si tempus, quo me in ministerio suo præstituit, respicias, Archi-Diaconatus Cantuariæ, Præpositura Beverlaci, plurimæ Ecclesiæ, præbendæ nonnullæ, alia etiam non pauca, quæ nominis mei erant possessio tunc temporis, adeò tenuem, ut dicis, quantum ad ea quæ Mundi sunt, contradicunt me fuisse. Quod si ad generis mei radicem & progenitores meos intenderis, cives quidem fuerunt Londonienses, in medio concivium suorum habitantes sine querela, nec omninò infimi. Sed ut aliquando Mundi tenebris semotis judicemur à lumine veritatis, quid gloriosius, nasci de mediocribus vel etiam infimis, an de Mundi magnatibus & honoratis, cum dicat Apostolus: *Inhonestiora membra corporis nostri abundantiori circumdamus honore*? Stemmata quid faciunt, ait gentilis Poeta. Quid habet dicere Christianus, Episcopus, & Religiosus? Sed fortassis de exiguitatis meæ memoria notam confusionis mihi objicere voluisti. Confundere verò Patrem, quantum cedat in reatum, ipse videris ex præcepto, quod de honorando Patre accepisti.

Pro gratia verò Regis nobis commendanda, commemoratione beneficiorum ejus non multum fuit laborandum. Testem enim Deum invoco, nihil sub sole me gratiæ ipsius & saluti præponere: tantùm salva sint quæ Dei sunt & Sanctæ Ecclesiæ. Non enim aliter poterit feliciter regnare vel securè. Esto, quia ita est, multò sunt plura, & etiam ampliora, quàm tua explicet oratio, beneficia ejus erga me. Debuìne pro his omnibus, vel etiamsi centumplicarentur, Ecclesiæ Dei libertatem exponere? Quantò minus pro famæ meæ, quæ sæpiùs à vero deviat, conservatione. Si minus in aliis egi, in hoc nec tibi nec alii parco, nec Angelo, si descenderit de cœlo, sed statim, ut audiero talia commonentem, audiet ex me: *Vadè retro Sathana, non sapis quæ Dei sunt*. Absit à me ista dementia. Avertat à me Deus dementiam istam, ut aliquatenus persuadear aliquibus tergiversationibus inire commercium de Christi corpore, undè ego Judæ venditori, & Dominus meus Judæis assimiletur emptoribus Christi.

De promotione verò mea, quàm scribis factam Matre Domini Regis dissuadente, Regno reclamante, Ecclesia, quoad licuit, suspirante, hoc tibi



tibi respondeo: quod Regni reclamationem non audivimus, sed potiùs acclamationem. Dissuasio verò genitricis Domini nostri, si fuit, usque ad publicum non prodiit. Potuit autem fieri aliquas Ecclesiasticas personas ad eandem promotionem, ut solet, adspirantes suspirasse, cum se sentirent ab ea, quàm conceperant, spe decidere: quia & hodie fortassis, in ultionem sui casus, præsentis dissensionis authores sunt & consiliarii. Sed væ illi, per quem scandalum venit. Prætaxatis verò obstaculis, & aliis, si qua fuerunt, Divina prævaluit dispensatio, ut est hodie cernere. Exigor itaque ab ea, quæ ipse est, justitia nulli omninò eum postponere, qui me statuit in gradu isto sua miseratione.

Illud etiam quod ad justificandum Dominum Regem videris proposuisse, judicavi non prætereundum leviter, vel absque discussione. Et utinam à justitia non dissentiret, & nostra adersùs eum minùs justa appareret querela. Dicis ipsum ad satisfaciendum semper fuisse paratum. Hoc te confidenter dicere, hoc te asseris prædicare. Sustine igitur paulisper, & ad interrogata responde. Illud quod dicis paratum ad satisfaciendum, quo sensu intelligis? Illos, quorum se Deus dicit Patrem & judicem, orphanos, pupillos, viduas, innocentes, & omninò quæ nos movet controversiæ ignaros, vides proscribi, & taces; Clericos exterminari, & non reclamas: alios bonis suis spoliari & contumeliis affici, & non contradicis; servientes meos in vincula conjici & teneri, & obmutescis; matris tuæ Cantuariensis Ecclesiæ bona diripi, & non resistis; ma Patrem tuum gladios cervici meæ jam jam imminentes vix evasisse, & non doles. Sed quod deterius est, cum persecutoribus meis, & in me Dei & Ecclesiæ ipsius, & hoc non in occulto, stare non erubescis. Estne hoc satisfacere, perpetrata mala non corrigere, & malis deteriora de die in diem adjicere? Sed fortassis illud in contrarium intelligis, ut satisfacere sit voluntati impiorum deservire, secundùm illud: *Inebriabo sagittas meas sanguine*.

Sed dicis mihi: *Pater mi, de quibus me calumniaris, absolvo me paucis. Tunicæ meæ timeo*: verùm est, fili mi, & nimis verum respondes. Et ideò gladium non habes. Quod enim scribis ipsum paratum stare judicio Regni sui, quasi condigna satisfactio sit hæc. Quis est in terra, vel etiam in cœlo, qui de Divina dispositione præsumat judicare? Humana judicantur, Divina penitus inconcussa relinquuntur. Quantò meliùs, Frater mi, illi salubriùs, tibi securiùs intimares ei, & persuadere modis omnibus elaborares voluntatem Dei de conservanda pace Ecclesiæ suæ, de non appetendis his, quæ concessa non sunt ejus administrationi, de honorandis Sacerdotibus Dei: nec qui sint attendat, sed cujus servi sint.

In Saresberiensem Episcopum, & Joannem de Oxeneford, non Decanum, ut dicis, sed Decanatus invasorem, me præjudicio abusum calumniaris. Sed meminisse debuisti quædam manifesta præcedere ad judicium. Et motum te dicis. Quidni? *Lucalegon trepidat, paries cum proximus ardet*. Et utinam benè movearis ab eo, in quo non benè fecisti. Sciat ergo & intelligat, te intimante, Dominus meus, quia qui dominatur in Regno hominum, sed & Angelorum, duas sub se potestates ordinavit: Principes & Sacerdotes. Unam terrenam, alteram spiritualem; unam ministrantem, alteram præeminentem; unam cui potentiam concessit, alteram cui reverentiam exhiberi voluit. Qui verò his vel illis de suo jure subtrahit, Dei ordinationi resistit. Non indignetur itaque Dominus noster deferre illis, quibus summus omnium deferre non dedignatur, Deos appellans eos sæpiùs in sacris litteris. Sic enim dicit: *Ego dixi, Dii estis, &c.* Et: *Constitui te Deum Pharaonis*. Et: *Diis non detrahes*. Id est, Sacerdotibus. Et de eo qui jurgatus erat, loquens per Moysen ait: *Applica illum ad Deos*. Id est, ad Sacerdotes. Nec præsumat Dominus noster judices suos velle judicare. Terrenis enim potestatibus non sunt commissæ claves Regni cælorum, sed Sacerdotio. Inde scriptum est: *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est*. Paulus etiam dicit: *Nonne Angelos judicabimus? Quantò magis homines?*

Illud etiam, te suggerente, commemoretur Domino nostro, dignum memoria & imitatione, quod in Ecclesiastica historia legitur de Constantino Imperatore, cui cùm oblatæ fuissent scripto actiones contra Episcopos, accusationis quidem libellos accepit, & accusatos convocans, in eorum conspectu eosdem incendit, dicens: *Vos Dii estis à vero Deo constituti, ite & inter vos caussas vestras disponite. Quia dignum non est, ut nos homines judicemus Deos*. O magnum Imperatorem! O discretè regnantem in terra! Quæ aliena sunt non usurpantem, & Regnum æternum in cœlo promerentem. Studeat itaque Dominus Rex tantum, tam discretum, tam felicem imitari Principem, cujus & memoria laudabilis frequentatur in terris, & vita perpetua ac gloriosa habetur in cœlis. Alioquin timeat, quod in Deuteronomio Dominus minatus est dicens: *Homo quicumque fecerit ut non exaudiat Sacerdotem aut judicem, morietur*. Ad hoc enim vocatus est, & in hoc ipsum temporalis Regni pax, de qua nos commones, ministratur ei de cœlo. Alioquin non salvatur Rex per multam virtutem suam, nec si subdantur ei Regna, & inclinentur nationes.

Sed hæc hactenus. Quoscumque autem prætaxatarum habuisti conscriptores litterarum, quod tibi responsum est, noverint sibi esse responsum. De cætero, Fratres, vos commonefacio, rogo, & obsecro, ut vos non separent schismata, nec obnubilent simultates, sed sit vobis in Domino cor unum & anima una. Et audiamus illum qui dicit: *Pro justitia agonizare pro anima tua, & usque ad mortem certa pro justitia. Et Deus expugnabit pro te inimicos tuos*. Non obliviscamur illum districtum Judicem, ante cujus Tribunal constitutos sola nos veritas judicabit, amoto timore & fiducia omnis terrenæ potestatis. Valeat in Domino Sanctitas vestra.

## EPISTOLA CIX.

*Joannes Saresberiensis Magistro Radulpho Nigro, &c.*

EXCUSATIONEM, qua diuturnitatem silentii purgare studuistis, sicut probabilis est, ita probatam habeo, sciens Dilectioni vestræ nequaquàm diligentiam defuisse, sed ipsi diligentiæ non

non adstitisse fortunam. Eò autem de diligentia clariùs liquet, quod post diuturnam & odiosam mihi moram charitatis vestræ sedulitas ad instructionem meam compegit omnia, quæ ex opinione vestra nobis obesse potuerunt vel prodesse. Et licet quædam eorum per alios ante cognoverim, nullus tamen sic speciatim universa peregit & singula. Fuerint autem vera omnia quæ audistis, licèt plura falsa esse non ambigam, quid aliud sine dispendio facere possum, quàm quod ex testimonio conscientiæ præscribit ratio, & ipsa officii mei necessitas inexorata compellit? Nonnè cum Domini Regis ad Curiam accessissem, in omni humilitate offerens quamcumque satisfactionem jura permitterent, vel voluntas sua mihi indiceret honestate incolumi, exclusus sum à forma pacis, quæ tunc magistro Philippo oblata est & allata? Quidnam erat ulteriùs faciendum? Numquid possessiones mihi pro lege Dei violenter & crudeliter ablatæ, quod securè protestor coram Deo, qui, velit nolit Mundus, judicaturus est causam istam, tam turpi erant commercio redimendæ, ut jurarem me observaturum consuetudines, quas lex Dei condemnat, & omnem Archi-Episcopo meo obedientiam abjurarem? Possent hæc ad subversionem fidei meæ sufficere, sed tamen ulteriùs processum est in ea, quæ etiam ab adversariis honestiùs essent tacita, quàm expressa. Non itaque in Regem ista refundo, sed in eos, qui se animum ejus pleniùs nosse dicebant, erantque, ut jactitabant, interpretes voluntatis ejus. Ipse enim me audiente non dixit, quod aut meam aut ipsius dedeceat honestatem: in eo solo ipsum possum arguere, quod cum responsum flagitarem de dispendio & temporis conquerens, sic detorquebat verbum, ut tam majestati & honestati suæ, quàm meæ necessitati esset usque-quaque inutile. Sciens ergo & prudens pro instantia temporis ab eo diverti, ut innocentiæ, necessitati, & verecundiæ meæ prospicerem, immò & caussæ Dei: reversurus tamen, Deo propitio, si quando, quod spero, mihi cum indemnitate conscientiæ & famæ recta apparuerit pacis via. Alioquin ante mihi mortem inferat temporalem pius Jesus, quàm ipsum pro pace vel gratia hominis recuperanda scienter offendam.

Sed tu multas proponis difficultates. Primò, quod Ecclesia Anglorum, in arcum pravum conversa, calcaneum erigit adversùs Dominum. Et Episcopi sub appellationis prætextu malitiam suam nituntur colorare, & evacuare sententiam, quæ de Sedis Apostolicæ judicio emanavit. Sed profectò, si Deus nobiscum est, immò quia per misericordiam suam nobiscum est, pro se patientibus & proscriptis, quia ei in caussa ista ex conscientia nostra decrevimus famulari usque ad mortem, plures nobiscum sunt, quàm cum illis. Certumque est amodò, quod Episcopis imminet labor & dolor, nisi salubriori consilio acquiescentes, pacem Ecclesiæ, quàm non prodendam, sed custodiendam susceperunt, citiùs studeant reformare. Rex in Imperatore confidit, & in captione Domini Papæ, quam ei vaticinantur Prophetæ Baal, falsa videntes & stulta, quia non loquuntur à Domino. Sed ita Achab deceptum esse meminerit, & dum speraret victoriam, hostium gladiis cortuisse. Sapiens interim audiat à Catone: *In morte alterius spem tutus ponere noli*. Præsertim innocentis & Domini, cujus diem prævenire vel voto, parricidii instar est. Sed Deo authore Dominus Papa prosperatur, & capto nuper Albano, sicut certissimè constat, dilatati sunt gressus ejus. Cum è contra Theutonici tyranni, & hæresiarchæ sui vias sepiat Deus quotidiè spinis. Et quod dissimulare non possunt, eorum minuantur vires, & evanescat authoritas. Quod audistis de Siculo, falsissimum esse dicunt milites Remenses, qui stipendiarii ejus fuerunt anno integro, & pridie reversi sunt.

Quod illi non evitantur, quos Dominus Cantuariensis denunciavit excommunicatos, non tam ipsum lædit, quam illos qui eis communicant. Ipsi viderint, qua conscientia communicent: Et qui excommunicati sunt, qua innocentia aut negent aut excusent crimina, quæ eis impinguntur. Ego scio, quod neque in ferenda sententia præsens fui, neque de consilio meo aut de conscientia lata est. Et necdum, Deo teste, quosdam eorum, qui vocati sunt, novi, neque, quod meminerim, vidi. Tentabo utique, ut consulitis, Archi-Episcopum flectere pro Archi-Diacono Pictaviensi, si tamen intellexeritis, quod ad pacem Ecclesiæ possit proficere labor meus. Alioquin probrosum esset & turpe, Patrem circumvenire & Dominum. Sed nostris, quod cum hoc ab anno præterito egerimus, nec semel nobis responsum est ab Archi-Diacono unum verbum. De itinere autem vestro quid consulam, nescio. Sed iter præcisè dictarem, nisi quia non video, quomodò à participio excommunicatorum possitis abstinere. Nam quoniam sententiam meruerunt, nobis aliquatenus, sed illis ex testimonio conscientiæ pleniùs liquet. Eum qui seminat inter fratres discordias, detestatur anima Dei: quid ergo eum, qui cum Idumæo satellite persequitur Sacerdotes, Tabernaculi Domini succendit vicum, & gladio Principis in Leviticum ordinem debacchatur? In hoc ergo articulo consulite conscientiam, & aliquem religiosum & discretum arbitrum adhibete: & cum effuderitis cor vestrum in conspectu ejus, sequimini quod Dominus inspirabit.

Si verò vos ad Curiam suadentibus amicis contigerit proficisci, Archi-Diaconum, quem diligitis, & ego, quatenus permittit sinceritas charitatis, tota mente veneror & amplector, persuadete, ut juxta quod Propheta monet, reflectat oculos mentis ad suas & Domini sui vias, & ponat cor super illas, & non amodò subjiciat ei mollia, sperans in incerto divitiarum, & variis lenocinantis fortunæ blandimentis. Memineritque, quòd summis negatum est stare diu, & ante ruinam exaltatur cor. Nam quantumcumque dissimulet, novit sententiam pastoris, justa sit an injusta, esse timendam. Quid multa? Si potes Loth esse in Sodomis, Joseph in Aula Pharaonis, Chusai in colloquiis & consiliis Absalon, Abdias in obsequio Achab & consortio Jezabel, si Daniel in Babylone, illuc salubriter tibi & illis proficisceris, quibus persuadebis, ut custodiant innocentiam, & videant æquitatem, quoniam sunt reliquiæ homini pacifico. Et cum injusti simul dispereant, salus justorum exspectatur à Domino, qui fidelis est in promissis, & electos suos supra id quod possunt, tentari non patitur, sed eis universa cooperantur in bonum. Iter & actus tuos dirigat Dominus.







## EPISTOLA CX.

*Idem eidem Radulpho Nigro.*

FIDES & devotio tua testimonium habent majus Joanne, quæ non verborum strepitu, sed operum exhibitione clarescunt. Nam & Jesu veritas, cujus utinam sic imitatores simus, sicut sumus & professores, attestationem operum testimonio Joannis præfert. Non hoc quidem condemnans ut reprobum, sed illud tanquàm probabilius sui innotescentia censuit præferendum. Siquidem opera cujusque testimonium perhibent de eo. Et arbor nec ex sui parvitate & robore, nec ex ramorum multitudine & venustate, nec ex ubertate foliorum & condensitate, sed ex fructuum utilitate pensatur. Cum ergo tu nihil omiseris ex contingentibus, & fidei tuæ ac devotionis fructus, etsi non pro voto, planè pro tempore processerit & speretur, cur ad allegationes charitatis adstruendæ oratio tua progreditur? Si eam vis esse fidelibus commendatam, acta agis; si infidelibus, nihil. Unus autem, & singulariter unus est, cui eam desidero commendari, sed non tam allegationum ornatu & phantasmatibus dictionum, quàm charitatis sinceritate, & vitæ continentis & affectuosæ orationis instantia. Et quidem ex his locis tibi arbitror provenisse, ut amico nostro Hugoni responderes id, quod etsi imperitis rerum videatur afferre dispendium, conscientiæ tamen & salutis procul dubio compendium adfert. Unde & studiis tuis congratulor, quem agnosco ex signis perspicuis in urbe garrula & ventosa, ut pace scholarium dictum sit, non tam utilium argumentorum locos inquirere, quàm virtutum. Nam qui argumentorum multiplices locos & fedes credit, & virtutum nullos, garrulus utique potest esse & vanus, sed procul dubio non Dialecticus, immò nec Philosophus est.

Ut tamen à generalibus ad specialia transeam, quod Archi-Diaconi Pictaviensis, dum excommunicatus est, quidquid tibi offeratur, detrectas inire consortium, laudo quod Deum homini, temporalibus æterna prætulisti. Sed ut sine prejudicio verioris sententiæ loquar, & Canonum reverentia salva sit, distinctionem in participatione cum excommunicatis sentio admittendam. Nam qui malitiæ eorum communicat, se ipsum quoque anathematis obligatione condemnat. Cæterum in his quatuor cautio specialis videtur: Osculo scilicèt, mensa, oratione, & salutatione. Personarum & rerum multiplex, ut arbitror, differentia attendenda est. Aliter enim hæc professionem perfectionis habentes, aliter imperfecti determinant. Aliter qui necessitate urgentur, aliter expediti. Nam perfectus nulli unquam excommunicato communicat, nec etiam in verbi commercio, quin ei denunciet culpam, quare ipsum oporteat evitari. Quantò magis ergo in mensa, vel in Ecclesia, & similibus? Undè Helizeus à Rege Juda super exitu expeditionis conventus, & Joram Rege Israel, quem noverat esse Idolatram, respondit: *Vivit Dominus, in cujus conspectu sto, quod si non vultum Josaphat Regis Judæ erubescerem, nec attendissem quidem te, nec respexissem.*

Ecce quia propheta, in perfectionis gradu constitutus, ob alterius reverentiam necessarium, quod quærebat, divinæ voluntatis, quamvis Idololatræ culpa, ut oportuit, denunciata, revelavit arcanum. Naaman verò Syrus, etsi curatus à lepra, & verum Deum agnoscens & confitens, nullum perfectionis gradum assecutus, de sancta terra duorum burdonum onus deferens secum, ab eodem Helizeo obtinuit, ut ei orationibus Domini sui, quod ex necessitate officii cogebatur, liceret assistere, & Dei gratiam non demereri. Ait enim: *Quando ingreditur Dominus meus in templo Remmon, ut adoret, innitente super manum meam si adoravero cum eo in eodem loco, precor ut ignoscat mihi Dominus servo tuo pro hac re.* Dixitque Helizeus: *Vade in pace.* Patet hinc, quatenus imperfectos urget interdum reverentia publicæ potestatis. Ex quibus quæ tibi auserim suadere colligo, ut si præfatus Archi-Diaconus tuum vult habere consortium, accedas ad ipsum, exploraturus quatenus apud ipsum possis proficere, & quod fides exigit familiariter & in aure denuncies, ut meminerit se Christianum esse, & sententiam, qua innnodatus est, vereatur, & præ omnibus mortalibus timeat illum, qui potest corpus & animam mittere in gehennam. Utinam cum Rege, & tam isto quàm aliis omnibus excommunicatis sint aliqui viri timentes Deum, qui eos familiariter & amicè statuant contra faciem suam, & revocent ab impietatibus suis. Quod si te, quia Christianus es, vocare destiterit, Christus, quem in te odit, dispendium hoc facillimè & felicissimè, nisi merita tua præpediant, poterit compensare. Salus enim justorum à Domino est, qui protegit eos in tempore tribulationis.

## EPISTOLA CXI.

*Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Joannes de Saresberia.*

PROPOSUERAM paternitati vestræ non scribere, quia scripti vestri vicissitudo mihi negata est. Verumtamen circumspectionis vestræ prudentiam attendens magis approbo vestræ considerationis in non scribendo industriam, quam quasi amicam quandam in scribendo dispensationem. Facto enim magis quàm scripto, rebus magis quàm verbis, beneficio magis quàm suaviloquio, filii ad obsequia paterna sunt invitandi. Siquidem secundùm leges sæculi obsequiis paternis filii sunt deliniendi, non obligatoriis pactionibus adstringendi. Visis autem litteris, quas Regi Angliæ, & quas suffraganeis vestris direxistis, exultavi gaudio magno pro fervore & justo zelo tuo pro Ecclesia Dei, quo inardescitis: Quòd saltem in hoc periculoso tempore aliquis invenitur, qui pro injuriis Ecclesiæ, pro membris Christi, quæ ipso glorioso sanguine suo redemit, in servos nequitiæ, in hostes veritatis, in persecutores Christiani nominis ferrum cum Beato Petro pro nomine Christi stringere non dubitat. Laudo zelum & propositum, laudo severitatis vestræ & discretionis censuram, quam adversùs improbos mores exercetis. Sed attendo quod scriptum est: Capite languescente cætera membra redduntur languida. Attendo suffraganeos vestros qui defecerunt in die belli. Immò erexerunt cervicem inobedientiæ, & se adversarios statuerunt. Quid igitur solus faciet,

faciet, qui non habet sublevantem, nequè cooperatorem? Si tamen Dominus pro nobis, nemo proficiet contra vos. Ipse enim reprobabit cogitationes & machinationes injustas Episcoporum Angliæ, & dissipabit consilia Principis. Scripsit autem Rex Angliæ Domino Coloniæ Henricum Pisanum & Wilhelmum Papiensem in Franciam venturos ad novas exactiones faciendas, ut undique corradant & contrahant, undè Papa Alexander in Urbe sustentetur. Alter, ut nostis, levis est & mutabilis, alter dolosus & fraudulentus, uterque cupidus & avarus: & ideò de facili munera cœcabunt, & ad omnem injustitiam incurvabunt. Audito eorum detestando adventu statim vehementer formidare cœpi præsentiam eorum causæ vestræ multum nocituram: & ne vestro ac vestrorum sanguine gratiam Regis Angliæ redimere non erubescant. Hoc itaque consulo, ut per Regem Francorum & per Cistercienses circa hunc articulum ita præveniantur, ut etiamsi velint, in hac parte non possint perversè agere. Confidite tamen & in justitia vestra: & bona fides in spe certa vos foveat. Papa enim Alexander indubitanter obtinet. Filius enim Siculi, in paterno Regno confirmatus, ei ad omnem nutum assistet. Et vindicta Dei manifestè desævit in medio Principum Alemanniæ. Conspiraverunt nunc multi Principum contra Ducem Saxoniæ. Quod tamen Imperator pacificare contendit. Coloniensis etiam in partem Adversariorum cedit, deficiens à societate, quam cum Duce contraxerat. Sed & Coloniensis, cum convocatis militibus accinctus esset ad eundum in Italiam, arreptus est duplici Tertiana, & ea adeò laborat, ut quasi certum sit eum ante hyemem ire non posse. Promisit autem mihi in hac ægritudine sua, quod si ipse in Italiam non iverit, sive Imperator iverit sive non, consilio Cisterciensium, & Regis Francorum, & vestro se committet de facienda pace cum Papa Alexandro. Et ita proponit ordinare, ut quodammodo cogatur à Clero suo id facere. Istud in confessione vobis scribo, sicut Patri & Domino, ut sit absconditum penes vos, donec videamus, si res aliquem habitura sit effectum. Si à debitis meis fuero liberatus, etiam non vocatus à vobis redibo. Medio tamen tempore, si vobis in aliquo me intellexero necessarium, semper ad redeundum paratus ero. Vale.

## EPISTOLA CXII.

*Alexander Papa Episcopo Meldensi, & Abbati Sancti Crispini.*

DEVOTIONIS ac sinceritatis inspectio, qua circa nos & Ecclesiam Dei prudentia vestra fervescit, nos admonet multipliciter & invitat vos super negotio Ecclesiæ confidenter sollicitare, & vobis, etiam quæ ardua sunt & difficilia, sine dubitatione committere exequenda. Sanè discretioni vestræ non exstat incognitum, quantis molestiis, adversitatibus, gravaminibus, & persecutionibus atque pressuris venerabilis frater noster Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus à Rege suo, zelo justitiæ pro libertate Ecclesiæ sibi commissæ, fuerit prægravatus, & longo exilio maceratus, & tam possessionibus quàm reditibus Ecclesiæ suæ privatus. Siquidem tamquam fratri charissimo, & præcipuò Ecclesiæ membro, interna super his mentis affectione compatimur, & ei, in quibus possumus, libenter nostræ consolationis solatium impartimur. Indè est quod prudentiæ vestræ per Apostolica scripta mandamus, & mandando præcipimus, quatenus prædictum Regem ex parte nostra commovere & inducere omnibus modis laboretis, ut sicut animæ suæ salutem diligit, prædicto Archi-Episcopo, & Ecclesiæ suæ reditus, & honores, & possessiones ablatas postposita mora restituat, & restitui faciat, & liberè ac quiete dimitti, ita quod ex hoc non possit animæ suæ periculum incurrere, aut divinam formidare vindictam. Eidem quoque Regi super hoc blanda & dulcia, aspera & dura, si expedire videritis, sicut viri discreti & providi, proponatis.

## EPISTOLA CXIII.

Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Henrico Vintoniensi Episcopo.

*Thomas Dei gratia Cantuariensis Ecclesiæ humilis Minister venerabili fratri Henrico, Dei gratia Vintoniensi Episcopo, scientiæ & consilii Spiritum.*

QUANTO vobis compatiamur affectu, is optimè novit, qui scrutator est cordium. Scimus quidem quàm multa sint & magna, quæ vos turbent & moveant, & quàm nulli vel pauci sint, qui spiritum vestrum roborent, & in hac tempestate confirment. Sed viriliter agite, confortetur cor vestrum, ne inimici nostri prævaleant, & dolis & circumventionibus suis vos involvant. Capite potiùs vulpes, quæ vineam demoliuntur. Inter colubros siquidem & tortuoso itinere incedentibus necessaria est serpentina astutia. Hæc vobis loquimur ut fratri, & dilecto in Christo.

Verùm habemus aliquid adversùm vos, in quo ob excessum vestrum non modicum tristati sumus: Siquidem pro certo accepimus, quòd Crucem vestram auream ab Ecclesia vestra alienaveritis, quod satis improvidè & contra omnem Canonum censuram factum interpretamur. Alienationes siquidem hujusmodi prorsùs à Canonibus inhibentur. Propterea vobis mandamus, & mandantes in virtute obedientiæ præcipimus, quatenus infra quadragesimum diem post litterarum nostrarum susceptionem præfatam Crucem ad jus ac dominium Ecclesiæ, cui Deo Authore præsideris, studeatis modis omnibus revocare. Quod si non effeceritis, ad præsentiam nostram à quadragesimo illo die infra duos menses, super causa alienationis factæ satisfacturus, venire non differas. Valeat Fraternitas vestra.

## EPISTOLA CXIV.

*Alexander Papa Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo.*

CURAM & sollicitudinem, quam circa commissam tibi administrationem prudenter & magnanimiter geris, digna laude prosequimur. Et toleratiæ tuæ propositum multipliciter in Domino commendamus. Quod autem significasti nobis venerabilem fratrem nostrum Vintoniensem Episcopum occasione injuriarum & persecutionum, quas ei Rex graviter & importabiliter inferebat, Episcopatui suo abrenunciasse, hoc grave satis & molestum ferimus: & abrenuntiationem ipsam, nisi priùs, quomodò facta sit, per ejus litteras vel Nuncios cognoscamus, nec possumus ratam, aut non ratam habere.



## EPISTOLA CXV.

*Alexander Papa Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo.*

SACROSANCTA Romana Ecclesia digniores personas, & eas maximè, quas honestate, prudentia, litteratura, & eminentia virtutum præfulgere cognoscit, ampliori consuevit charitate amplecti, & gratia & honore prævenire. Attendentes itaque devotionis & fidei constantiam, qua pro Ecclesia Dei sicut columna immobilis perstitisti, honestatis, litteraturæ, ac discretionis prudentiam, qua præeminere dignosceris, nihilominùs considerantes, dignum duximus personam tuam, tantarum virtutum insigniis decoratam, quodam speciali privilegio, & singulari prerogativa diligere & honorare, tuæque utilitati solita benignitate prospicere, & attentiori sollicitudine providere. Inde est, quòd nos tibi legationem totius Angliæ, excepto Episcopatu Eboracensi, benigno favore concedimus, ut ibi vice nostra corrigas quæ inveneris corrigenda, & ad honorem Dei, & sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, & salutem animarum statuas, ædifices, & plantes, quæ statuenda fuerint & plantanda. Quapropter monemus Fraternitatem tuam atque mandamus, quatenus cuncta cum prudentia & discretione, secundùm quod Deus tibi administraverit, agas, vitia exstirpes, & virtutes in vinea Domini studeas complantare. Datum Anagniæ, septimo Idus Octobris.

## EPISTOLA CXVI.

Alexander Papa Clero Cantiæ Provinciæ.

*Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus Episcopis, & dilectis filiis Abbatibus, & aliis Ecclesiarum Prælatis, per totam Angliam extra Episcopatum Eboracensem constitutis, salutem, & Apostolicam benedictionem.*

EX injuncto nobis à Deo Pontificatus officio præter eam, quæ diversis Ecclesiarum Prælatis in sibi subditos est concessa potestas, quandam specialem de omnibus nos oportet curam & sollicitudinem gerere, quæ ad nostram solummodò provisionem, vel ad ejus, cui vices nostras in his commisimus exequendas, noscitur pertinere. Proinde siquidem est, quoniam etsi de universis Dei Ecclesiis curam & studium habeamus, quæ ad nostrum tamen spectant officium, ubique præsentialiter exequi non valemus, venerabilis fratris nostri Cantuariensis Archi-Episcopi prudentiam & discretionem, & circa nos & Ecclesiam Dei suæ sincerissimæ devotionis affectum sollicita consideratione pensantes, quantò personam suam inter cæteras, quæ in partem commissæ nobis sollicitudinis à Domino sunt vocatæ, chariorem, & in omnibus magis expertam habemus, tantò eum præ aliis Ecclesiæ filiis specialis dignitatis prærogativa duximus honorandum. Et ideò discretionis & honestatis suæ constantiam attendentes, ipsum legatum Apostolicæ Sedis per totam Angliam, excepto Episcopatu Eboracensi, de communi consilio fratrum statuimus, & ejus prudentiæ nostras ibidem vices commisimus exequendas, ita videlicet quod ibi vice nostra & corrigenda corrigere, & quæ statuenda fuerint, authore Domino salubriter debeat stabilire. Quocirca Universitati vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus eidem tanquàm Apostolicæ Sedis Legato humiliter in omnibus obediatis, & ad ejus vocationem sine contradictione aliqua venientes, ei in his, quæ ad nostrum spectant officium, pleniùs respondeatis. Ea quoque, quæ ad honorem Dei & fidelium ejus salutem statuerit, suscipientes firmiter & servantes, digna ipsum reverentia & congruis semper studeatis honoribus prævenire, ut per prudentiam & curam ipsius, & obedientiam ac humilitatem vestram Ecclesiæ vobis commissæ tam spiritualiter quàm temporaliter de bono in meliùs Domino cooperante provehantur, & vos per hoc ad interminabile gaudium possitis feliciter pervenire. Datum Laterani, octavo Kalendas Maii.

## EPISTOLA CXVII.

*Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Herefordensi & Vigornensi Episcopis.*

ET ratio juris, & fidei ac honestatis vestræ sinceritas, & sacrarum juge exercitium litterarum nobis facilè persuadent, quòd nullius turbinis impetus charitatem vestram à fide & obedientia sanctæ Romanæ Ecclesiæ poterit separare: ad quam cum ex institutione filii Dei, Ecclesiam in se petra solidissima fundantis, omnis anima teneatur, arctiori quidem vinculo adstrictus est ordo Pontificum, qui in consecratione de observatione legis divinæ & sacrorum Canonum, & de obedientia Mandatorum Sedis Apostolicæ, & eorum à quibus munus consecrationis accipiunt, verbo & scripto specialiter profitentur. Sed & nos Ecclesiæ Romanæ pro Comprovincialibus nostris non ambigimus obligatos, cum illa utriusque vestrum electionem procreaverit, & nostro ministerio consecrationem. Unde etiam vos personæ nostræ magis oportet esse obnoxios, nedum Apostolicæ Sedi, cui fidem & obedientiam solus infidelis, aut hæreticus, aut schismaticus subtrahit. De vestra itaque devotione plenissimam fiduciam obtinentes, Fraternitati vestræ litteras Apostolicas mittimus, ut vobis & per vos aliis fratribus vestris innotescat, quoniam Dominus Papa nobis vices suas commisit in Regno Anglorum. Loquimur scientibus & docentibus legem, & quos non credimus esse de numero eorum, qui tenentes legem Dominum nescierunt: & non in fraudem scripturæ, quæ solvi non potest, sed propriæ salutis quærunt, ut impugnando fidem fideles videantur, & habeantur juris-periti, cum perdentes se & alios perdiderint jura, & putentur filii esse obedientiæ, cum qualicumque prætextu inobedientiam suam potuerint colorare. Sed frustrà. Quia non est sapientia, non est consilium contra Dominum, qui jam testimonio patentis operis cœpit revelare consilia cordium, & parvulos suos jugiter consolatur, nec permittit

mittit eos tentari supra id quod possunt. Clamat terra adversùm impios, & cœli revelabunt iniquitatem eorum. Consolamini itaque, consolamini, dilectissimi, dicit Dominus, quia in proximo est, ipso authore, liberatio vestra. Et nisi fides vestra defecerit, salus nobis in januis est, & præ foribus Ecclesiarum vestrarum pulsat, ut admittatur. Interim vobis in virtute obedientiæ Apostolica authoritate mandamus, quatenùs adhibita celeritate & diligentia procuretis, ut fratres nostri, & Co-Episcopi conterminales vestri, Vintoniensis videlicet, & Bathoniensis, Saresberiensis, Cestrensis, Exoniensis, Menevensis, vestra sedulitate cognoscant nobis legationis officium, sicut ex litteris Domini Papæ patet esse commissum. Sed ante eas fratri nostro Episcopo Londoniensi cum litteris nostris à vobis eadem authoritate ostendi præcipimus, ut ipse eas & Comprovincialibus & Dunelmensi ostendat. Quia in periculum vestrum, immò & aliorum omnium vertitur, nisi hoc Domini Papæ & totius Ecclesiæ negotium fideliùs & diligentiùs geratur.

## EPISTOLA CXVIII.

*Alexander Papa Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo.*

QUOD juxta officii tui debitum circa libertatem Ecclesiæ, & jura Ecclesiastica defensanda sollicitus & intentus existis, sollicitudinis & constantiæ tuæ prudentiam digna laude prosequimur, & eam in hac parte multimodis commendamus. Unde sententiam Ecclesiasticam, quam in Richardum de Welcestria, & Joannem de Oxeneford, & in omnes alios Ecclesiæ Dei perversores rationabiliter promulgasti, nulla ratione immutare curabimus, sed eam potiùs ratam & firmam authore Domino habere decrevimus.

## EPISTOLA CXIX.

*Idem eidem.*

QUONIAM ad omnem cubitum manus pulvillum supponere non debemus, & aliquos in malitia sua fovere, sed annunciare impio iniquitatem suam, & ipsum ab ea rigore severitatis Ecclesiasticæ revocare, Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus si hi, qui in possessionibus & bonis Ecclesiæ tuæ, tibi aut tuis etiam, violentiam vel injuriam intulerunt, legitimè commoniti vobis ablata restituere, & satisfactionem congruam exhibere noluerint, tu in eos, si opportunitatem videris, Ecclesiasticam justitiam non differas exercere. Et nos, quod inde rationabiliter feceris, authore Deo ratum & firmum habebimus. Verùm de persona Regis speciale tibi Mandatum non damus, nec tamen jus tibi Pontificale, quod in ordinatione, & consecratione tua suscepisti, adimimus, sed & ipsum volumus authore Domino illæsum & integrum tibi conservare.

## EPISTOLA CXX.

*Alexander Papa omnibus Episcopis Cantiæ Provinciæ.*

QUONIAM ad omnem cubitum pulvillum supponere non debemus, & aliquos in malitia sua fovere, sed annunciare impio iniquitatem suam, & ipsum ab ea rigore severitatis Ecclesiasticæ revocare, venerabili fratri nostro Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo per scripta nostra dedimus in Mandatis, ut si hi, qui sibi in possessionibus & bonis Ecclesiæ suæ, aut suis etiam, violentiam vel injuriam intulerunt, legitimè commoniti eisdem ablata restituere, & satisfactionem congruam exhibere noluerint, in eos, si opportunitatem viderit, Ecclesiasticam justitiam non differat exercere. Quocirca Universitati vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus justitiam, quam prædictus Archi-Episcopus vester super hoc rationabiliter duxerit promulgandam, ratam & firmam penitus habeatis, & eam per Parochias vestras faciatis ab omnibus inviolabiliter observari. Verùm de persona Regis speciale ei Mandatum non damus, nec tamen in aliquo jus ei Pontificale, quod in ordinatione & consecratione sua suscepit, adimimus, sed & ipsum volumus authore Domino illæsum & integrum ei conservare. Nos enim exinde, quod canonicè fecerit, authore Domino ratum & firmum habebimus.

## EPISTOLA CXXI.

*Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Gilberto Londoniensi, & omnibus Episcopis Angliæ.*

MITTIMUS vobis litteras Domini Papæ, quibus præcipit sub anathematis interminatione, ut Clericis nostris universa cum integritate reddantur, quæ eis ablata sunt, cuicumque commissa sint ex Mandato Regis. Inde est quòd nos sub eadem interminatione vobis Apostolica authoritate præcipiendo mandamus, quatenus infra duos menses post harum susceptionem, quidquid exinde recepistis, nobis restitui faciatis, ne vobis juxta quod Dominus Papa comminatur, eveniat. Præcipimus etiam, ut Parochianos vestros, qui eorum reditus aut bona abstulerunt vel receperunt, ad restitutionem eorum similiter compellatis.

## EPISTOLA CXXII.

*Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Gilberto Londoniensi Episcopo.*

MEMINIMUS nos juxta constitutionem sanctorum Patrum vobis denunciasse, quos propter injurias sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Cantuariensi, & aliis Ecclesiis in Regno Angliæ illatas excommunicavimus, & in virtute obedientiæ præcepisse, ut eos tanquàm excommunicatos per Episcopatum vestrum facereris evitari, & hoc ipsum denunciaretis Fratribus & Coepiscopis vestris. Quod si injunctum obedientiæ munus ad honorem Dei & Ecclesiæ Romanę, & utilitatem Ecclesiarum, & salutem vestram, ut oportuit, fideliter implevistis, charitati vestræ congratulamur in Domino. Sin autem, dolemus quidem, non tam pro læsione nostra, quàm pro Domini Papæ, & Sedis Apostolicæ injuria, & vestra: Quod ad honorem suum & nobis salubriter Deus avertat incommodum. Licèt enim plerisque remissa videatur manus & lenta indignatio summi Pontificis, certè tamen efficax est & gravis, & exigentibus meritis insanabile vulnus interdùm infligere consuevit. Non est enim sub sole, qui de manu ejus possit eruere. Solus infidelis, aut qui eum errore superat hæreticus, aut schismaticus Apostolicis obtrectat obedire mandatis. Scienti legem loquimur, & qui publicè docet obedientiam omnibus victimis præferendam, ut non oporteat sapientem moneri, & præsertim in Religione nutritum, & Religionis exercitationibus tritum, quæ affectiones virtutum, aut virtutes affectionum obedientiam comitentur. Moliri potest quis fraudem contra animam suam, sed verbum Dei veritate, quam substantialiter habet, defraudari non potest, dicens: *Væ illis, qui justificant impium, & dicunt bonum malum, & ponunt tenebras lucem.* Et nunc quidem dicit illis *Væ*; sed in brevi *Væ* acerbissimum inferet: Potentes quidem potenter puniens, & judicium durissimum exercens in eos, qui inutiliter præsunt, & impio impietatem annunciare detrectant. Tunc qui fideliter obedierint, triumphantes feliciter coronabit, & interim adversùs injustitiam decertantes multipliciter consolatur.

Rogamus igitur & obsecramus in Domino Jesu, ut quoniam mala adversùs Ecclesiam multiplicantur in terra, & culpis nostris exigentibus nimis invaluerunt, exsurgatis in adjutorium Ecclesiæ Dei, & gladium verbi, qui vobis creditus est, exeratis in virtute Spiritus Sancti ad vindictam malorum & bonorum solatium, ne eum sine causa portetis & vos: Quos autem segniores vel tepidiores videritis ad justitiam faciendam, erigatis & animetis, vobisque dictum intelligatis à Christo in articulo passionis suæ, quoniam ab impiis iterum crucifigitur. *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Vos autem nos ad liberationem Ecclesiæ habebitis adjutores & prævios, & in his, quæ ad honorem Dei pertinere noverimus, in nullo deerimus vobis, quatenus nobis vires Divina Clementia ministrabit. Sed & Dominus Papa debitam opem libenter impendet, & nobis jam, ut iniquitati possimus efficaciùs obviare, vices suas commisit in Regno Angliæ, sicut ex litteris ejus, quas vobis transmittimus, potestis advertere. Mandamus itaque Fraternitati vestræ, & in virtute obedientiæ, & in periculo ordinis vestri, Apostolica authoritate præcipimus, quatenus eas Fratribus & Comprovincialibus vestris Episcopis, & Dunelmensi Episcopo ostendatis adhibita celeritate & diligentia, & easdem postmodùm nobis restitui faciatis. Prædicta eadem authoritate, & sub eadem interminatione jubemus, ut horum portitoribus, qui Domini Papæ negotium gerere dignoscuntur, debitum exhibeatis honorem, & eorum sic provideatis indemnitati, sicut honori vestro vultis esse prospectum.



## EPISTOLA CXXIII.

*Henrico Regi Angliæ Gilbertus Londoniensis Episcopus.*

PLACUIT excellentiæ vestræ, quòd Ecclesiæ Clericorum Archi-Episcopi, quæ in Episcopatu Londoniensi, sive in Cantia consistunt, sub nostra essent custodia constitutæ. Quod quia pietatis affectu vobis intelleximus inspiratum, ne per manus scilicet laicas dispensarentur res Ecclesiasticæ, oblationes scilicet fidelium, eleemosynæ pauperum, & decimationes populorum aliter quàm fas est tractarentur, nos cum multa & mera, Deus scit, charitate libenter onus illud suscepimus, ut & vos à peccato in parte hac mundum & immunem servaremus, & Clericos nihilominùs, si quando debita humilitate vestram recuperarent gratiam, indemnes pariter conservaremus. Archi-Episcopus autem, qui quasi sedens in insidiis, adversùs meam specialiter personam occasiones quærit, inde mihi nocere nititur, unde aliis prodesse studebam. Qui directis litteris mihi nuper injunxit in vi obedientiæ & in virtute Spiritus Sancti, ut quidquid ex iisdem recepissem Ecclesiis, infra quadraginta dies post litterarum susceptionem sibi suisque Clericis restituere non omitterem. Ego verò invocata Spiritus Sancti gratia, objectoque appellationis remedio Mandatum, quo meam injustè gravare volebat innocentiam, usque ad audientiam Domini Papæ suspendi, suspensumque declinavi ad tempus, certus quidem, quòd hæc & graviora his supra dorsum meum fabricantur ab eo, & illi assistentibus. Hinc est, quòd vestræ sublimitati supplico in ea fiducia, qua me semper audire consuevistis, ut custodiam prædictarum Ecclesiarum alii, cui honestè prævideritis, committatis, & me, si placet, hoc onere eximatis, ut alia, quæ mihi parantur, onera fortiùs sustinere, promptiùs possim explicare in Domino. Pecuniam quoque, quam exinde recepi & consignavi, ad summam centum octo libras, & quatuordecim solidos, & sex denarios, peto, si placet, liceat mihi cum gratia & permissione vestra in tuto deponere penes quamcumque personam Ecclesiasticam, eamque, licèt ingratis, his quorum gratia fit, adhuc consignatam salvamque conservare, donec Dominus judicaverit, ad quem debeat exitum res ista devenire.

Supersest adhuc aliud, in quo tota vobis nobiscum supplicat Anglorum Ecclesia, & illi præcipuè, qui salutem vestram & vestrum honorem maximè diligunt & amplexantur. Duriùs enim, quàm vestræ expediat magnificentiæ, agitur apud vos cum illis, quos Dominus Domesticos suos esse constituit, quos in privatam adscivit familiam, quos mensæ suæ dispensatores ordinavit. Cum Sacerdotibus videlicet, qui in Regno Angliæ nec laica fruuntur libertate, nec judiciis tractantur Ecclesiasticis. In quo si omnes tacent, ego non tacebo; si omnes desperant, sed non ego. Absens igitur corpore, sed spiritu præsens oro & obsecro vos per salutem vestram, ut Wilhelmum, quondam Capellanum Archi-Episcopi, & quamplures Clericos per Angliam, quos nec confessos nec convictos vestri priùs præsumunt, quàm judicent, punire ministri, Ecclesiæ Dei, cujus sunt obsequiis deputati, restitui jubeatis. Vale.

EPI-

## EPISTOLA CXXIV.

*Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Gilbertus Londoniensis Episcopus.*

SEVERITATEM vestram, Pater, Dominus Saresberiensis, & ego, aliique fratres nostri ex retroactis & agnitis non immeritò suspectam habentes, pertimuimus ne in Dominum nostrum Regem Angliæ, aut in Regnum ejus, vel in nos Cantuariensis Ecclesiæ suffraganeos Episcopos, aut commissas nobis Ecclesias maledicti aut interdicti sententiam ferendam esse decerneretis, & nos indefensos, juri tamen semper stare promptissimos, jam dictæ pœnæ nexibus involveretis. Quod ne vobis omninò foret liberum, ad clementiam Domini Papæ juxta Quadragesimæ initium appellavimus, & appellationi diem, octavas Purificationis Beatæ Mariæ, constituentes hoc vobis scripto præsenti significare curavimus, ut si quid habetis in nos, quod judicio prosequi libeat, in ejus tunc præsentia, juvante Domino, respondeamus, & ejus per omnia sententiæ humiliter & devotissimè pareamus. Avertat iram suam Dominus, ne quod proponitis, optato fine concludatis.

## EPISTOLA CXXV.

*Alexandro Papæ Gilbertus Londoniensis Episcopus.*

SEVERITATEM, Domine, Patris nostri Domini Cantuariensis Archi-Episcopi ex quibusdam auditis & agnitis rectè suspectam habens, ne indebitæ pœnæ nexibus me arctaret & laqueis, ad vestram circa initium Quadragesimæ appellavi Clementiam, & appellationi diem, octavas Purificationis Beatæ Mariæ constitui, ut iram, qua me injustè persequitur, vestra declinarem protectione, & nexus, quibus immeritum parabat involvere, usque ad diem cognitioni causæ in præsentia vestra constitutum, objectu vestri nominis aliquatenus evitarem. Unde dilecte mi in Domino Pater, sanctitati vestræ toto prostratus spiritu supplico, ne indultum oppressis omnibus commune remedium mihi, si placet, subtrahatis. Ne me tanquàm reprobum à vestri protectione tutaminis abjiciatis. Sed facta ad vos appellatione suscepta, si qua præter modum est in me lata sententia, ipsam, ut justum est, habeatis irritam, aut teneatis suspensam, ut in die, qua juvante Domino sublimitati vestræ paratus sum assistere, juxta quod merui statuatis in me, & vel convictum abjiciatis, vel innocentem, si sic visum fuerit, absolvatis. Nam culpa mea, si qua est, hæc utique est, quòd mandatorum pondere, quæ utique aut declinare necesse mihi fuerat, aut cum defectu & omni miseria suscipere, me gravatum sentiens, ad Apostolicam ausus sum audientiam appellare, ut vestro me per omnia consilio cõmitterem, ut consultis vobis aut Regno discederem, aut alleviato mandatorum onere in commissa mihi Ecclesia residerem. Nam ut brevi complectar quod verum est, dum inter Dominum Regem & Dominum Cantuariensem res in hunc modum vertitur, impossibile est me, aut alium Regni ipsius Episcopum unius mandatum suscipere, & alterius iram importabilem declinare. Agat itaque, si placet, paterna pietas, ut si in me, nec confessum, nec convictum, nec citatum, nec ullo modo conventum, post interpositam etiam appellationem ad sublimitatem vestram, ulla est præproperè vel præposterè lata sententia, hanc viribus, ut justum est, evacuetis. Et si vestram ex sanctitate remittatis, injuriam saltem Beati Petri, & Sanctæ Sedis ejus ad animum revocetis, & me ad omne, quod jusseritis, obsequium utique promptissimum invenietis. Conservet vos incolumem in longa tempora Dominus, in Christo dilectissime Pater.

## EPISTOLA CXXVI.

Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Clerus Angliæ.

*Venerabili Patri & Domino Thomæ, Dei gratia Cantuariensi Archi-Episcopo, suffraganei ejusdem Ecclesiæ Episcopi, & personæ per eorundem Diœceses locis variis constitutæ, debitam subjectionem & obedientiam.*

QUÆ vestro, Pater, in longinqua discessu, inopinata rei ipsius novitate, turbata sunt, vestra sperabamus humilitate & prudentia in pacis pristinæ serenitatem cooperante Dei gratia revocari. Erat quidem nobis solatio, quòd post discessum vestrum ad omnes illicò fama divulgante pervenit, vos in transmarinis agentem nil altum sapere, vos in Dominum nostrum Regem aut Regnum ejus nulla machinatione insurgere, sed sponte susceptum paupertatis onus cum modestia sustinere: lectioni & orationi insistere, præteritorumque jactura temporum jejuniis, vigiliis, lachrymisque redimere, & spiritualibus occupatum studiis ad perfectionis apicem beatis virtutum incrementis adscendere. Ad pacis bona reformanda vos studiis hujusmodi gaudebamus insistere, ex quibus spes erat vos in cor Domini nostri Regis hanc posse gratiam desuper evocare, ut vobis iram Regia pietate remitteret, & illatas in discessu & ex discessu vestro injurias ad cor de cætero non revocaret. Erat Amicis vestris, & benevolis ad ipsum aliquis, dum hæc de vobis audirentur, accessus, & ob conciliandam vobis gratiam supplicantes benignè quandoquè sustinuit. Jam verò quorundam relatione didicimus, quod ad memoriam anxiè revocamus, vos scilicet in eum Comminatorium emisisse, quo salutationem omittitis, quo non ad obtentum gratiæ consilium precesvè porrigitis, quo non amicum quid sentitis aut scribitis, sed intentatis minis interdictum aut præcisionis elogium in eum jam dicendum fore multa severitate proponitis. Quod si quàm durè dictum est, tam fuerit severè completum, quæ turbata sunt non jam speramus ad pacem redigi, sed in perenne quoddam odium & inexorabile pertimescimus inflammari. Rerum verò finem prudentia sancta considerat, dans operam sollicitè, ut quod prudenter inchoat, bono quoque fine concludat. Advertat itaque, si placet, discretio vestra, quò tendat, an conatibus hujusmodi queat finem obtinere, quem optat. Nos quidem his ausis à spe magna cecidimus, & qui pacis obtinendæ spem quandoque concepimus, ab ipsis jam spei liminibus gravi quadam desperatione repellimur. Et dum velut extracto gladio pugna conseritur, pro vobis supplicandi locus utique non invenitur. Unde Patri scribimus ex charitate consilium, ne labores laboribus, injurias superaddat injuriis, sed omissis minis patientiæ & humilitati inserviat, causam suam Divinæ clementiæ, Dominique sui gratiæ misericordi committat. Et sic agendo carbones ignis in multorum capita coacervet & congerat. Accenderetur hoc modo charitas, & quod minæ non poterant, inspirante Domino, bonorumque suadente consilio, sola fortasse pietas obtineret. Bonum erat de paupertate voluntaria gloriosè laudari, quàm de beneficii ingratitudine ab omnibus in commune notari. Insedit altè cunctorum mentibus, quàm benignus vobis Dominus noster Rex exstiterit, in quam vos gloriam ab exili provexerit, & in familiarem gratiam tam lata vos mente susceperit, ut Dominationis suæ loca, quæ à Boreali Oceano ad Pyrenæum usque porrecta sunt, Potestati vestræ cuncta subjecerit, ut in his solùm hos beatos reputaret opinio, qui in vestris poterant oculis complacere. Et ne vestram gloriam mobilitas posset mundana concutere, in his quæ Dei sunt voluit immobiliter radicare. Et dissuadente matre sua, Regno reclamante, Ecclesia Dei, quoad licuit, suspirante & ingemiscente, vos in eam, qua præestis, *dignitatem* modis omnibus studuit sublimare, sperans se de cætero regnare feliciter, & ope vestra & consilio, summa securitate gaudere. Si ergo securim accipit, unde securitatem sperabat, quæ de vobis erit in cunctorum ore narratio? Quæ retributionis hactenus inauditæ rememoratio? Parcatis ergo, si placet, famæ vestræ, parcatis & gloriæ: & humilitate Dominum, filiumque vestrum charitate vincere studeatis. Ad quod si nostra vos monita movere nequeunt, debet saltem Summi Pontificis, sanctæque Ecclesiæ Romanæ dilectio & fidelitas inclinare. Vobis enim suaderi debet è facili, ne quid attentare velitis, quod laboranti jamdiu Matri vestræ labores augeat, quòvè multorum inobedientiam deploranti in eorum, qui obediunt, amissione dolor accrescat. Quid enim si vestra, quòd absit, exacerbatione & opera Dominus noster, quem largiente Domino Populi sequuntur & Regna, à Domino Papa recesserit, ipsumque sibi fortassis adversùm vos solatia denegantem sequi de cætero declinaverit: Ipsum namque in hoc quæ supplicationes, quæ dona, quot quantàve promissa sollicitant? In petra tamen firmus huc usque perstitit, & totum quod mundus offerre potest, victor alta mente calcavit. Unum nobis timori est, ut quem oblatæ divitiæ, & totum quod in hominum gloria pretiosum est, flectere nequiverunt, animi sui valeat indignatio sola subvertere. Quòd si per vos acciderit, in Threnos totus ire poteritis, & lachrymarum fontem oculis vestris de cætero negare nulla quidem ratione poteritis. Revocetis itaque, si placet sublimitati vestræ, consilium, Domino quidem Papæ, sanctæque Romanæ Ecclesiæ, vobisque, si placet advertere, modis omnibus, si processerit, obfuturum. Sed qui penes vos alta sapiunt, vos hac fortè via progredi non permittunt. Hortantur experiri quis sitis, in Dominum Regem, & omnia quæ sua sunt, potestatem exercere quæ præestis. Quæ nimirùm potestas peccanti timenda est, satisfacere nolenti formidanda: Dominum verò Regem non quidem non peccasse dicimus, sed semper Domino paratum satisfacere confidenter dicimus & prædicamus. Rex à Domino constitutus paci providet per omnia subditorum. Et ut hanc conservet Ecclesiis & commissis sibi populis, dignitates Regibus ante se debitas & exhibitas sibi vult ac exigit exhiberi. In quo si inter ipsum & vos aliqua est oborta contentio, à Summo super hoc Pontifice paterna gratia per venerabiles Fratres nostros Londoniensem & Herefordensem Episcopos conventus & commonitus, non in cœlum os suum posuit, sed de omnibus, in quibus vel Ecclesia, vel Ecclesiastica quæcumque persona se gravatam ostenderet, se non alienum quærere, sed Ecclesiæ Regni sui pariturum judicio, humiliter & mansuetè respondit. Quod quidem & factis implere paratus est. Et dulce reputat obsequium, ut corrigat, si quid offendat in Deum. Nec solùm satisfacere, sed etiam, si jus exigat, in hoc satisfacere paratus est. Igitur & satisfacere volentem, Ecclesiæque se judicio in his quæ sunt Ecclesiæ, nec in modico subtrahentem, colla Christi jugo subdentem, quo jure, qua lege, quovè canone aut interdicto gravabitis, aut securi, quod absit, Evangelica præcidetis? Non impetu quidem ferri, sed judicio prudenter regi laudabile est. Unde nostrum omnium una est in commune petitio, ne consilio præcipiti mactare pergatis & perdere, sed commissis ovibus, ut vitam, ut pacem, ut securitatem habeant, paterna studeatis gratia providere.

Movet quidem omnes nos, quòd in fratrem nostrum, Dominum Saresberiensem Episcopum, & Decanum ejusdem, præposterè, ut quidam existimant, nuper actum audivimus: In quos suspensionis aut damnationis pœnam ante motam de culpa controversiam, calorem, ut videtur, iracundiæ, plusquàm justitiæ secutus tramitem, intorsistis. Ordo judiciorum novus hic est, huc usque legibus & Canonibus, ut sperabamus, incognitus: Damnare primum, & de culpa postremò cognoscere. Quem ne in Dominum nostrum Regem & Regnum ejus, ne in nos & commissas nobis Ecclesias & Parochias, in Domini Papæ damnum, sanctæque Romanæ Ecclesiæ dedecus & detrimentum, nostræque confusionis augmentum non modicum, exercere tentetis & extendere, remedium vobis appellationis opponimus. Et qui contra metum gravaminum in facie Ecclesiæ viva jamdudum voce ad Dominum Papam appellavimus, iteratò jam nunc ad ipsum scripto etiam appellamus, & appellationi terminum diem Adscensionis Dominicæ designamus, quanta quidem possumus devotione supplicantes, ut inito salubriori consilio vestris ac nostris laboribus, expensisque parcatis, causamque vestram in hoc, ut remedium habere queat, ponere studeatis. Valere vos optamus in Domino, Pater.

## EPISTOLA CXXVII.

Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Universo Clero Angliæ.

*Thomas Dei gratia Cantuariensis Ecclesiæ Minister humilis Venerabilibus Fratribus suis, universis Cantiæ Provinciæ Dei gratia Episcopis, si tamen universi scribunt, salutem, & id agere quod nondum agunt.*

FRATERNITATIS vestræ scriptum, quod tamen de prudentiæ vestræ communi consilio non facilè credimus emanasse, nuper ex insperato suscepimus. Cujus continentia plus videtur habere mordacitatis, quàm solatii: & utinam magis esset emissum de pietatis studio, de charitatis affectu, quàm de obedientia voluntatis. Charitas enim non quærit quæ sua sunt, sed quæ Jesu-Christi. Erat quippe de jure officii, si veritatem habet Evangelium, quod quidem habet, si rectè agitis ejus officium, si fideliter ejus negotium geritis, cujus repræsentatis figuram, magis eum timere, qui potest animam & corpus mittere in gehennam, quàm qui potest corpus occidere. Magis Deo obedire quàm hominibus, Patri, quàm Domino: Ejus exemplo, qui factus est Patri obediens usque ad mortem. Mortuus itaque est ipse pro nobis, nobis relinquens exemplum, ut sequamur ejus vestigia. Commoriamur ergo & nos ei ponamus animas nostras pro liberanda Ecclesia à jugo servitutis, & oppressione tribulantis, quam ipse fundavit, cujus comparavit libertatem sanguine proprio, ne si secùs egerimus, meritò comprehendat nos illud Evangelicum: *Qui amat animam suam plusquàm me, non est me dignus*. Optimè nosse debueratis, quoniam si justum est, quod præcipit Imperator, ejus debetis exequi voluntatem; si verò contrarium, respondere: *Quoniam oportet nos magis obedire Deo, quàm hominibus*. Unum vobis dico, ut salva pace vestra loquar, multo tempore silui, exspectans si fortè inspiraret Dominus vobis, ut resumeretis vires, qui conversi estis retrorsum in die belli. Si fortè saltem aliquis ex omnibus vobis adscenderet ex adverso, opponeret se murum pro Domo Israhel, simularet saltem inire certamen contra eos, qui non cessant quotidie exprobrare agmini Domini. Exspectavi, non est qui adscendat. Sustinui, non est qui se opponat. Silui, non est qui loquatur. Dissimulavi ego, non est qui vel simulatione certet. Reposita est mihi de reliquo querelæ actio, ut meritò clamare habeam: *Exurge Deus, judica causam meam*. Vindica sanguinem Ecclesiæ, quæ eviscerata est, quæ facta est oppressione exanimis. Sapientia enim eorum, qui oderunt ejus libertatem, adscendit semper, nec est de cætero qui faciat bonum.

Utinam, Fratres dilectissimi, is esset nobis affectus in defensionem libertatis Ecclesiæ, qui paret & propinatur nobis in ejus confusionem litteris vestris, ut credimus, minùs legitimè appellatoriis. Verùm fundata est ipsa supra firmam Petram, nec est qui eam possit evellere, etsi concutere. Ut quid ergo quæritis me confundere? Immò vos ipsos in me. Immò & me vobiscum. Hominem qui suscepi in me periculum, sustinui tot opprobria, toleravi tot injurias, expertus sum etiam proscriptionem pro omnibus vobis. Expediebat quidem unum affligi pro Ecclesia ista, ut vel sic excutiatur à servitute. Discutite mente simplici causam istam, examinate negotium, diligenter attendite quis ejus debeat esse finis, ut deducta majestate Imperii, postposita penitus personarum acceptione, quarum Deus acceptor non est, faciat ipse vobis intelligere, quid est quod egeritis, quidque quod intenditis agere. Auferat ipse Deus velamen de cordibus vestris, ut cognoscatis quid agere debeatis. Dicat ex omnibus vobis qui noverit, si unquam post meam promotionem alicujus vestrum tuli bovem aut asinum, si alicujus pecuniam, si alicujus causam iniquè judicavi, si alicujus vestrum dispendio comparavi mihi compendium: Reddo quadruplum. Si verò non est quod offenderim, ut quid me solum derelinquitis in causa Dei? Quare vos ipsos vobis ipsis opponere curatis in causa ista, qua nulla specialior est Ecclesiæ? Nolite, fratres, nolite vos ipsos & Ecclesiam Dei, quantùm in vobis est, confundere, sed convertimini ad me, & salvi eritis. Dominus enim dicit: *Nolo mortem peccatoris, quantùm ut convertatur, & vivat*. State mecum viriliter in prælio, apprehendite arma & scutum, & exurgite mihi in adjutorium. Accingimini gladio verbi Dei potentissimi, ut simul omnes fortiùs & validi valeamus unà resistere pro officii nostri debito adversùm malignantes, adversùm operantes iniquitatem, adversùm eos qui quærunt tollere animam Ecclesiæ, quæ est libertas, sine qua nec viget Ecclesia, nec valet adversùm, qui quærunt hæreditate sanctuarium Dei possidere.

Festinemus ergo simul omnes id agere, ne ira Dei descendat super nos, tamquàm super negligentes Pastores & desides. Ne reputemur canes muti, non valentes latrare. Ne exprobretur nobis à transeuntibus: *A Senioribus Babylonis egressa est iniquitas*. Reverà si me audieritis, scitote quoniam Dominus erit vobiscum, & cum omnibus vobis in cunctis viis vestris ad faciendam pacem, & defendendam Ecclesiæ libertatem. Alioquin judicet Deus inter me & vos, & Ecclesiæ confusionem requirat de manibus vestris. Quoniam velit nolit mundus, necesse est ipsam stare firmiter in verbo Domini, in quo fundata est, donec veniat hora ejus, ut transeat de hoc mundo ad Patrem. Judicabit Deus de eo, quod reliquistis me solum in certamine, nec est qui velit mecum adscendere ad pugnam ex omnibus charis meis. Solum adeò, ut cogitet quilibet vestrum vel dicat: *Væ soli, quia si ceciderit, non habet sublevantem se*. Sed reposita est mihi hæc spes mea in sinu meo, quoniam solus non est, cum quo Dominus est, qui cum ceciderit, non collidetur: Supponit enim ipse Dominus manum suam.

Ut itaque veniamus ad rem, dicite fratres mei, exciditnè à vestra memoria, quid ageretur mecum, & cum Ecclesia Dei, dum adhuc essem in Anglia? Quid in exitu meo, quid post exitum, quid etiam agatur diebus istis. Quid maximè apud Northamtonam, cum iterùm judicaretur Christus in persona mea ante Tribunal Præsidis: Cum arcteretur Cantuariensis ob injurias sibi & Ecclesiæ Dei passim illatas, & sine delectu, Romanam audientiam appellare. Bona sua, quæ malè dicimus sua, cum sint bona pauperum, patrimonium Crucifixi, quæ potiùs ei sunt commendata, quàm donata, sub Dei ponere protectione & Ecclesiæ Romanæ. Quis unquàm, etsi aliquando injustè proscriptum Divina declaravit Clementia, vidit, audivit Cantuariensem judicari, condemnari, cogi ad fidejussionem in Curia Regis, à suis præcipuè suffraganeis? Ubi est inventa ista juris vel Canonum authoritas adversa, immò perversa perversitas? Ut quid enormitas ista non parit vobis erubescentiam, erubescentia non immittit confusionem, confusio non elicit pœnitentiam, pœnitentia non excutit satisfactionem coram Deo & hominibus? Ob tot quidem & tantas Deo & Ecclesiæ ejus illatas injurias, immò mihi propter Deum, quas sustinere non debui salva conscientia mea, nec sine discrimine vitæ meæ potui emendare, nec dissimulare sine animæ periculo, elegi potiùs declinare ad tempus, ut habitarem salubriùs in Domo Domini, quàm in tabernaculis peccatorum, donec completa esset iniquitas, revelarentur corda iniquorum, manifestarentur cogitationes cordium. Ita tot injuriarum illatio fuit causa appellationis meæ. Hæc fuit occasio recessus mei, quem dicitis inopinatum, qui magis secundùm ea quæ proponebantur adversùm me, quæ agebantur mecum, si veritatem loquimini qui novistis, debuisset fuisse inopinatus, ne impediretur præscitus. Sed Domino vertente casus adversos in melius, prospectum est Domini nostri Regis honori & suorum, ne quid fieret in me in ipsius ignominiam, & generationis suæ. Meliùs etiam consultum est his, qui suspirabant in necem meam, qui sitiebant meum sanguinem, qui adspirabant ad fastigium Ecclesiæ Cantuariensis, ut vulgò dicitur & creditur, in nostram perniciem, utinam minùs ambitiosè, quàm avidè. Appellavimus, & appellati sumus, rebus Ecclesiæ Cantuariensis, nostrisque, & nostrorum, sicut juris exigit ratio, in tuto manentibus, nostram prosecuti sumus appellationem.

Si nobis recedentibus, & in discessu nostro turbata sunt, prout dicitis, sibi imputet qui causam dedit, qui hoc procuravit. Facientis procul dubio culpa hæc est, non recedentis: Persequentis, non declinantis injurias. Damnum enim dedisse videtur, qui causam damni dedit. Quid plura? Præsentavimus nos Curiæ, nostras & Ecclesiæ expositimus injurias, adventus nostri causam & appellationis exposuimus: Non adfuit qui nobis responderet vel in aliquo. Expectavimus, nec venit qui nobis aliquid objiceret. Nulla adversum nos reportata sententia, antequàm veniretur ad Regem: Nobis adhuc de more exspectantibus in Curia, si fortè nobis aliquid opponeretur, ad nostros accessum est Officiales, interdictum est eis, ne in aliquo super temporalibus nobis obedirent, ne nobis vel nostris quidquam ministraretur ab ipsis citra Mandatum Regis & conscientiam. Te, Frater Londoniensis, cum Richardo de Welcester & Eboracensi, sicut dicitur, dictante sententiam. Festinatum est inde ad Dominum Regem: Viderit ipse, in caput ejus convertatur, qui hoc dedit consilium. Sine judicio, sine ratione, post appellationem, nobis etiam adhuc in Curia morantibus, spoliata est Ecclesia, spoliati sumus & nos cum nostris, proscripti & ipsi Clerici cum Laicis, viri cum mulieribus, mulieres cum infantulis in cunabulis. Addicta sunt fisco bona Ecclesiæ, patrimonium crucifixi: Pars pecuniæ conversa in usus Regios, pars in tuos Frater Londoniensis, si vera sunt quæ audivimus, & tuæ Ecclesiæ. Quam, si ita est, exigimus à te, præcipientes tibi in virtute obedientiæ, quatenus infra quadraginta dies post istarum susceptionem litterarum, quidquid inde tulisti, vel in usus Ecclesiæ tuæ conversum est, remota omni occasione & dilatione, infra tempus prænominatum nobis integrum restituas. Iniquum enim est, & juri valdè contrarium, Ecclesiam ditari de alterius Ecclesiæ incommodo. Si laudas authorem, sciré debes super rebus Ecclesiæ ablatis eum legitimè non posse præstare authoritatem, qui violentam facit injuriam.

Quo ergo jure perverso, quo Canonum ordine transposito poterunt se tueri raptores sacrilegi, bonorum Ecclasiasticorum invasores, non restitutis ablatis Ecclesiæ? Opponentnè appellationis obstaculum? Absit. Quæ nova, immò quæ juri contraria introduciis in Ecclesias istas? Videte quid agatis. Certè cudetur in vos faba ista, & in Ecclesias vestras, si non meliùs vobis prospexeritis. Periculosè enim ageretur cum Ecclesia Dei, si raptor sacrilegus, alienorum bonorum invasor, maximè Ecclesiæ, tutus esset adversùs eam appellationis auxilio. Frustrà enim juris implorat auxilium, qui juri non obtemperat, immò qui est juri contrarius, sunt-ne istæ injuriæ, quas addimus injuriis, labores quos laboribus adjicimus, quia ista & alia enormia, quæ fiebant, & quæ fiunt in Ecclesia ista, non sustinuimus, quia gravati appellavimus, quia recessimus à Curia, quia ausi sumus super injuriis Ecclesiæ & nostris conqueri, & super his omnibus non tacemus, quia ista paramus corrigere? Periculosè ecce affligitur, cui saltem conquerendi solatium denegatur. Vos amici mei, qui altiora sapitis inter alios, qui geritis vos aliis prudentiores, quoniam solent filii hujus sæculi prudentiores esse filiis lucis, ut quid decipitis fratres vestros & subditos? Quare inducitis eos in errorem istum? Quæ authoritas, quæ scriptura contulit hanc Principibus prærogativam in Ecclesiasticis, quam vos vultis eis conferre? Nolite Fratres, nolite jura Regni & Ecclesiæ confundere. Discretæ quidem sunt Potestates istæ, quarum una vim & potestatem sortitur ex alia. Legite scripturas, & invenietis quot & qui periere Reges, qui visi sunt sibi Sacerdotale officium usurpare. Provideat ergo vestra discretio, ne ob istam pressura Divina vos atterat injuriam. Quam, si venerit, non effugietis de facili.

Consulite etiam Domino nostro Regi, qui ejus comparatis gratiam Ecclesiæ dispendio, ne, quod absit, pereat ipse, & domus ejus tota, sicut periere qui in consimili deprehensi sunt delicto. Si verò ab hoc incæpto non desiterit, qua animi conscientia non puniemus ista, qua puritate conscientiæ ista dissimulabimus? Dissimulet quidem qui hanc habet dissimulandi authoritatem, non ego, ne veniat in animam meam ista dissimulatio. Innuitis litteris vestris, immò apertè dicitis me Regno reclamante, Ecclesia etiam suspirante & ingemiscente, fuisse promotum. Scitis quid dicat veritas? Os quod mendacium scienter loquitur, occidit animam. Verba

ba verò Sacerdotis ſemper comitem debent habere veritatem. Deus bone, nunquid non erubeſceret aliquis de plebe iſta dicere? Conſulite conſçientias veſtras, advertite formam electionis, conſenſum omnium ad quos ſpectabat electio, aſſenſum Principis per filium ſuum, & eos qui ad hoc miſſi ſunt. Filii etiam cum omnibus primatibus Regni. Si aliquis eorum contradixit, ſi reclamavit vel in aliquo, loquatur qui noverit, dicat qui eſt conſcius. Si verò inde turbatus fuerit aliquis, non dicat pro ſua moleſtia toti Regno & Eccleſiæ factam fuiſſe injuriam. Litteras quoque Domini Regis, & omnium veſtrum diligentiùs attendite, poſtulantes nobis cum multa inſtantia Pallium, & obtinuiſſe. Sic ſe habet rei veritas. Verùm ſi quem torſit invidia, ſi quem afflixit ambitio, ſi cui tam pacifica, tam legitima, tam ſine contradictione facta electio dolorem & amaritudinem impreſſit animi, eatenus ut ob hoc machinetur & velit turbari omnia, indulgeat ei Dominus & nos, eò quod culpam ſuam minimè taceat, ſuamque animi indignationem in conſpectu omnium publicè confiteri non erubeſcat.

Dicitis me de exili ſublimatum ab ipſo in gloriam. Non ſum reverà Atavis editus Regibus. Malo tamen is eſſe, in quo Nobilitas generis degeneret. Fortè natus ſum de paupere tugurio? Sed cooperante Divina clementia, quæ novit facere miſericordiam cum ſervis ſuis, quæ eligit humile ut confundat fortia, in exilitate mea, antequàm accederem ad ejus obſequium, ſatis copiosè, ſatis abundanter, ſatis honorificè, ſicut ipſi noviſtis, prout abundantiùs inter vicinos meos & notos, cujuſcumque conditionis fuerint, converſatus ſum. Et David, de Poſtfœtantes aſſumptus, conſtitutus eſt ut regeret Populum Dei, cui aucta eſt fortitudo & gloria, quoniam ambulavit in viis Domini. Petrus verò de arte piſcaria electus, factus eſt Eccleſiæ Princeps, qui ſanguine ſuo meruerit pro nomine Chriſti in cœlis habere coronam, & in terris nomen & gloriam. Utinam & nos ſimiliter faciamus. Succeſſores enim Petri ſumus, non Auguſti. Novit Dominus, quo intuitu nos ipſe deſideraverit ſublimari. Reſpondeat ei ſua intentio, & nos reſpondebimus ei pro officii noſtri debito, fideliùs per miſericordiam Dei in ſeveritate, quam qui blandiuntur ei in mendaciis. Meliora enim ſunt verbera amici, quàm fraudulenta oſcula inimici.

Impingitis nobis ingratitudinis notam. Per quandam inſinuationem credimus, quia nullum peccatum criminale eſt quod importet infamiam, niſi proceſſerit ex animo. Unde ſi quis homicidium invitus commiſerit, etſi homicida dicatur & ſit, non tamen homicidii reatum incurrit. Sic dicimus: Etſi Domino noſtro Regi obſequium debeamus jure Domini, ſi teneamur ad reverentiam præſtandam jure Regio, ſi Dominum ſuſtinuimus, ſi filium paterno affectu convenimus, ſi in conventum, non auditi & dolentes, neceſſitate officii cenſuram ſeveritatis exercemus, plus credimus nos pro ipſo facere & cum ipſo, quàm contra ipſum. Plus ex eo promereri gratiam, quàm ingratitudinis notam vel pœnam. Sæpiſſimè certè beneficium confertur invito. Unde commodiùs ejus proſpicitur indemnitati, qui etſi non aliàs, urgente neceſſitate revocatur à perpetratione delicti. Præterea defendit nos ab ingratitudinis nota Pater noſter & Patronus, qui eſt ipſe Chriſtus. Jure Paterno tenemur ad ejus obedientiam, qua non obſervata puniemur juſta exhæredationis pœna. Poteſt enim Pater exhæredare filium ex juſta cauſa. Ipſe enim dicit: *Si non annunciaveris impio iniquitatem ſuam, & moriatur in delicto ſuo, ſanguinem ejus de manu tua requiram*. Ergo ſi delinquentem non convenimus, ſi non audientem non corripimus, ſi pertinacem non coercemus, committimus in Mandatum, & tanquàm inobedientiæ rei jure exhæredamur. Jure Patronatus, quo ejus ſumus liberi juſtitiæ per ejus gratiam, obligamur ei ad reverentiam & obſequium. Unde quoniam nemini, niſi ſalva ejus fide, tenemur obnoxii, ſi ſit contra eum in diſpendium Eccleſiæ pertinaciter, meritò, ſi non punimus commiſſum pro ea parte ſollicitudinis, in quam vocati ſumus, collatum revocabit à nobis ob ingratitudinem ipſe ſolus beneficium, ex quo verè apparebimus ingrati.

Proponitis nobis periculum Eccleſiæ Romanæ, jacturam temporalium. Periculum quidem noſtrum & noſtrorum, nec fit mentio de periculo animarum. Intentatis etiam comminatorium de receſſu Domini Regis, quod abſit, à fidelitate & devotione Romanæ Eccleſiæ. Abſit, inquam, ut Domini noſtri Regis devotio & fides ob temporale commodum vel incommodum à fidelitate & devotione diſcedat Eccleſiæ. Quod quidem criminale & damnabile eſſet in privato, nedum in Principe, qui multos ſecum trahit poſt ſe. Abſit etiam, quod quis ejus fidelis hæc unquam cogitare debeat, nedum dicere ſupinus aliquis, nedum Epiſcopus. Videat diſcretio veſtra, ne oris veſtri verba inficiant aliquem, vel plures, in animæ ſuæ diſpendium & damnationem, ad inſtar calicis aurei, qui dicitur Babylonis, interiùs & exteriùs veneno illiniti, de quo cum quis biberit, non timeat venenum, cum viderit aurum, & ſic in publicum veniat veſtri operis affectus. Ille enim, qui non fallitur, opus furtivum producit in lucem, & machinationes denudat iniquas. In tribulatione quidem & ſanguinis effuſione conſuevit Eccleſia creſcere & multiplicari. Proprium enim eſt Eccleſiæ, ut tunc vincat cum læditur, tunc intelligat cum arguitur, tunc obtineat cum deſeritur. Nolite ergo fratres ſuper ipſam flere, ſed ſuper vos ipſos, qui facitis vobis nomen, ſed non grande ex hoc facto & dicto ex ore omnium. Qui provocatis in vos Dei odium & univerſorum. Qui paratis Innocenti laqueum, qui cuditis novas & ingenioſas rationes in ſubverſionem libertatis Eccleſiæ. Fratres per miſericordiam Dei in vanum laboratis. Stabit enim ipſa Eccleſia, etſi ſæpiùs concuſſa, in ea fortitudine & firmitate, in qua firmiter fundata eſt, donec filius ille perditionis ſurgat, quem non credimus de partibus occidentalibus adſcenſurum, niſi perverſè mutatus fuerit ordo rerum, & ſeries ſcripturarum. Si verò de temporalibus agatur, plus timere debemus animæ periculum, quàm temporalium. Scriptura verò dicit. *Quid prodeſt homini totum mundum lucrari, animæ verò ſuæ ſuſtinere diſpendium?* Periculum itaque noſtrum & noſtrorum penitùs abjicimus. Non enim timendus eſt ille, qui corpus perdit, ſed qui corpus & animam.





Arguitis nos ſuper ſuſpenſione venerabilis fratris noſtri Saresberienſis Epiſcopi, & excommunicatione Joannis illius ſchiſmatici Ex-Decani, priùs, ut dicitis, inflicta pœnaliter, quàm de cognitione proceſſa legitimè, quàm de ordine judiciorum canonicè prodita. Reſpondemus, quoniam utrumque iſtorum notavit juſta pœnæ ſententia, illum ſuſpenſionis, excommunicationis iſtum. Si perfectè tenetis negotii ſeriem, ſi rectè attenditis judiciorum ordinem, non erit, ut credimus, hæc veſtra ſententia. Hoc quidem habet authoritas, quæ vos latere non debet, quoniam in manifeſtis & notoriis non deſideratur iſta cognitio. Perpendite diligentiùs, quid actum ſit à Saresberienſi ſuper Decanatu poſt Domini Papæ prohibitionem & noſtram, ſub excommunicatione factam, & tunc rectiùs intelligetis, ſi de manifeſta inobedientia ſuſpenſio rectè ſequitur. Unde Beatus Clemens: *Si Prælatis ſuis non obedierint cujuſcumque ordinis univerſi, omneſque Principes tam inferioris quàm ſuperioris ordinis, atque reliqui populi, non ſolùm infames, ſed etiam extorres à Regno Dei, & conſortio fidelium, & à liminibus ſanctæ Dei Eccleſiæ alieni erunt*.

De Joanne de Oxeneford dicimus, quia diverſis modis excommunicantur diverſi: Alii lege eos denunciante excommunicatos, alii ſententia notati, alii communicatione & participatione excommunicatorum. Illum verò, quoniam incidit in hæreſim damnatam communicando Schiſmaticis, & Domini Papæ excommunicatis, reatumque & maculam excommunicationis in ſe contraxit, quæ peſtis more lepræ inficit & intingit, conſimilique pœna facientes & conſentientes confundit, & quoniam contra Domini Papæ Mandatum expreſſum, & noſtrum ſub anathemate, Decanatum Saresberienſem excommunicatus uſurpavit, denunciavimus & excommunicavimus, & excommunicatum firmiter tenemus. Et quod de eo factum eſt in Decanatu, & ſuper Decanatu, caſſavimus, & caſſatum tenemus, ſicut & Dominus Papa jam ipſemet caſſavit authoritate octavæ ſynodi, cujus hæc eſt ſententia: *Si quis palam vel abſconsè cum excommunicato locutus fuerit, aut junctus communione, ſtatim in ſe contrahit excommunicationis pœnam*. Et Concilium clarè dicit: *Qui communicaverit cum excommunicato, ſi Clericus eſt, deponatur*. Videat ergo diſcretio veſtra, ne quis veſtrum cum eo communicaverit. Calixtus enim Papa dicit: *Excommunicatos quouſque à Sacerdotibus nullus recipiat ante utriuſque partis examinationem juſtam, nec cum eis in oratione, aut in cibo, aut potu, aut oſculo communicet, aut* Ave *eis dicat. Quia quicumque in his vel aliis prohibitis ſcienter excommunicatis communicaverint, juxta Apoſtolorum inſtitutionem ſimili excommunicationi & ipſi ſubjacebunt*. Hic eſt ordo Canonicus, non Canonibus, ut credimus, incognitus, ſed authoritate Canonum fultus.

Et ne miremini, ſi quandoque condemnatur abſens. Legite Paulum, qui abſens publicè fornicantem cum noverca ſua non convictum teſtibus, non confeſſum, etiam abſentem, cujus crimen omnes ſciebant, & non arguebant, ſicut vos iſtius, quem non de jure defendit Regia Poteſtas, ejecit à Cœtu fidelium, & judicavit eum tradi Sathanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus fieret, ſicut nos iſtum. Cæterùm quoniam hoc tempore in partibus noſtris multa hujuſmodi, & ſatis gravia, in abſentia noſtra fiunt enormia, quæ de cętero, licèt abſentes corpore, præſentes tamen authoritate, ſalva animi noſtri conſcientia prętirire non debemus, nec poſſumus incorrecta, tibi frater Londonienſis, qui noſſe debueras illud Gregorii ſeptimi: *Si quis Epiſcopus fornicationi Presbyterorum aut Diaconorum, vel crimen inceſtus, in ſua Parochia, pretio, precibuſvè, ſive gratia interveniente conſenſerit, vel commiſſum authoritate ſui officii non impugnaverit, à ſuo ſuſpendatur officio*. Illudque Leonis: *Si qui Epiſcopi talem conſecraverint Sacerdotem, qualem eſſe non liceat, etiamſi aliquo modo damnum proprii honoris evaſerint, ordinationis jus ulteriùs non habebunt, nec ulli unquam Sacramento intererunt, quod immerito præſtiterunt*. Quoniam in iſtorum ſententiam Canonum, ſicut pro certo audivimus, deliquiſti dupliciter, mandamus tibi, & in virtute obedientiæ mandando injungimus, quatenus, ſi ita eſt, infra tres menſes poſt iſtarum ſuſceptionem litterarum, venerabilium fratrum veſtrorum Coepiſcoporum conſilio de tanto exceſſu ſic ſtudeas te offerre correctioni & ſatisfactioni, ne cęteri tuo exemplo in conſimile delictum incidant, & nos pro negligentia tua debeamus tibi ſeveriùs Mandatum proponere.

Opponitis nobis contra metum gravaminum non remedium per appellationem, ſed impedimentum, quo minùs, ſicut intelligimus, exerceamus adverſùm malefactores, invaſores bonorum Eccleſiaſticorum, diſciplinæ cenſuram Eccleſiaſticæ; ne in Dominum noſtrum Regem, vel terram ſuam, in perſonas veſtras & Eccleſias, aliquid ſtatuamus eo ordine, quo progreſſi ſumus contra Saresberienſem, ſicut dicitis, & ejus Decanum. Abſit à nobis, ut aliquid in eum vel terram ſuam, in vos & Eccleſias veſtras inordinatè ſtatuerimus vel ſtatuamus. Sed quid eſt, ſi eo delinquitis modo, vel conſimili, quo jam deliquit Saresberienſis, numquid hac appellatione poteſtis ſuſpendere authoritatem noſtram, ne in vos vel Eccleſias veſtras ſeveritatis diſciplinam exerceamus, ſi delicti enormitas hoc exiget? Advertite diligentiùs, ſi hæc legitima appellatio, & quæ ſit hæc appellationis forma. Scimus quoniam omnis appellans aut ſuo nomine appellat, aut alieno. Si ſuo, aut à gravamine quod ei infertur, vel quod timet ſibi inferri. Certum tenemus, quòd nullum vobis gravamen, Deo gratias, à nobis illatum eſt, unde debeatis ad appellationis confugere remedium. Nec credimus vos ad præſens habere cauſam adverſùm nos aliquam, quæ ſpecialiter veſtra ſit. Si contra metum gravaminum, ne quid de cætero ſtatuam in vos vel Eccleſias veſtras, videte ſi ſit iſte metus qui debeat cadere in homines conſtantiſſimos, ſi hæc ſit appellatio quæ debeat ſuſpendere omnem authoritatem & poteſtatem noſtram, quam habemus in vos & Eccleſias veſtras. Creditur verò à ſapientibus, credimus & nos eam nullius eſſe momenti, tum quia formam appellationis habere non videtur, tum quia rationi conſentanea non eſt, immò totius juris penitùs auxilio deſtituta.

Si alieno appellaſtis nomine, aut Domini Regis, aut alterius. Si non alterius, Domini Regis. Si Domini Regis, certè noſſe debuerat diſcretio veſtra, quoniam introductæ ſunt appellationes ad propulſandam injuriam, non ad inferendam: ad-

sublevandos oppressos, non ad ampliùs opprimendos. Unde si quis non confidentia justæ causæ, sed causa afferendæ moræ, ne contra eum feratur sententia, appellaverit, hujusmodi appellationem non esse recipiendam. Quis enim erit Ecclesiæ status, si subversa ejus libertate, si rebus ejus occupatis ac detentis, Episcopis à propria sede expulsis, vel non pacificè cum omni securitate omniumque ablatorum restitutione admissis, raptores, occupatores, invasores, ne coerceantur, liberè, appellaverint, & se defenderint per appellationem? Quæ erit ista Ecclesiæ destructio? Videte quid agatis, quidque dicatis. Nonne Vicarii Christi estis, nonne vices ejus in terra geritis, nonne vestrum est convenire, corripere, coercere malefactores, ut vel sic desistant Ecclesiam Dei persequi? Ut quid non nimis est, si ipsi sævierint in Ecclesiam, nisi & nos pro eis vobis ipsis & Ecclesiæ in ejus perniciem opponatis? Quis unquam audivit hæc mirabilia? Et audietur & prædicabitur in omni populo & gente, suffraganeos Cantuariensis Ecclesiæ, qui cum Metropolitano suo ob defensionem Ecclesiæ, ejusque libertatis, haberent vivere & mori, omniaque sustinere dispendia, velle ad Mandatum Regium, quantum in ipsis est, suspendere potestatem ipsius & authoritatem, ne severitatis disciplinam exerceat in delinquentes adversùs Ecclesiam. Unum certè scio; Duorum personam simul gerere non rectè potestis, appellantium & appellatorum. Vos estis qui appellastis, vos estis adversùm quos appellatur. Nonne una est Ecclesia, & vos de corpore ejus estis? En certamen satis legitimum Cadmæum, ut qui membra sunt Ecclesiæ, ineant certamen cum Capite suo, quod est Christus. Timeo fratres, ne, quod absit, dicatur de vobis: *Isti sunt Sacerdotes, qui dixerunt, ubi est Dominus? Et tenentes legem nescierunt eam*. Præterea discretionem vestram latere non credimus, quoniam non solent audiri appellantes, nisi quorum interest, aut quibus mandatum est, aut qui negotium gerunt alienum. Interestnè vestra, ut non coerceantur delinquentes adversùs Ecclesiam? Absit. Immò certè contrarium. Si verò qui subvertit Ecclesiæ libertatem, qui bona ipsius invadit & occupat, ac in suos convertit usus, in sui defensionem minimè super hoc auditur appellans, multò minùs & pro eo appellantes. Ergo nec Domino Regi suffragatur à vobis pro ipso edita, nec videtur vobis prodesse pro ipso *Appellatio* emissa. Unde si in hoc casu appellare non potest, nec mandare, sic nec vos super hoc ab ipso Mandatum suscipere. Adjicimus etiam vos in parte ista nullatenus ejus gerere posse negotium. Nemo enim Episcoporum alterius contra se negotium gerere potest, maximè in oppressione Ecclesiæ, cujus ipse defensor est: & præsertim unde generaliter læditur Ecclesiæ conditio. Ergo si nec vestra interest appellare, nec super hoc Mandatum valetis suscipere, nec alienum gerere negotium, nec auditur appellatio vestra, nec de jure tenetur.

Est-ne ista devotio, consolatio vestra, fraternæ charitatis affectus Metropolitano vestro, pro vobis omnibus exulanti, à fraternitate vestra exhibitus? Indulgeat vobis Deus hanc inclementiam. An ignoratis Fratres, quòd chaos magnum in fraudem legis & canonum inter nos & vos firmatum sit, ut non possit aliquis de vestris sine discrimine capitis, vel captionis, vel truncationis membrorum, ad nos transire, etsi de vestris aliqui liberiùs possent, si vellent ad nos transmeare? Et idcircò miramur, quem ordinem exigitis, ubi nullus ordo circa nos, circa Ecclesias vel Ecclesiasticas personas, sed horror, qui utinam sempiternus non sit, & injuriæ observantur? Cum spoliati simus, & nostri. Quorum quidam, tam Clerici quàm Laici, capti redempti sunt post appellationem factam apud Northamtonam, & vestram adversùm nos. Cùm etiam post istam, quam dicitis, appellationem edictum generale sit propositum, sicut dicitur, ut nemo de nostris inventus sit in terra Anglicana, qui non capiatur: Nemo vestrum vel aliorum amicorum nostrorum litteras nostras vel Nuncios audeat suscipere. Et hæc reverentia appellationi debita, exhibita, & observata, infra cujus tempus, si justa est, nil innovari oportet: Vos ipsi videritis. Quo ergo jure, quo ordine desideratis à nobis litteras vestras & Nuncios benignè suscipi & audiri? Non hoc ideò dicimus, quidquid nobiscum agatur & cum nostris, ut quidquam circa personam Domini Regis vel terram suam, circa personas & Ecclesias vestras unquàm inordinatè fecerimus, vel per Dei misericordiam facturi simus.

Credebamus quidem, si rectè intelligitis, si cupitis utiliter Ecclesiæ subvenire, de nimis ordinata & longa patientia magis à vobis culpari, quàm de severitatis mora commendari. Mora enim trahit ad se periculum: Quia nimis ordinata patientia plus habet remissionis quàm commendationis, plus vitii quàm virtutis. Et inde est quòd breviter vobis dicimus & affirmamus constanter, Dominum nostrum Regem nullatenùs fore injustè gravatum, si adversùs eum, à Domino Papa & à nobis ipsis legitimè litteris & Nuntiis ac sæpissimè conventum, satisfacere cum possit nolentem, severitatis censura processerit. Non enim injustè gravatur, quem jus punit legitimè. Et ut omnia brevissimo fine concludam, certum tenete, quoniam raptores, invasores, occupatores bonorum Ecclesiæ, ejusque libertatis subversores nec tuetur juris authoritas, nec appellatio defendit. Præterea fratres, si cupitis ei prodesse, prout justum est, quod & nos cupimus, novit Deus qui scrutator est cordium, procurate ei subvenire illo modo, quo non offendatis in Deum, non in Ecclesiam, non in ordinem vestrum. Quo etiam expeditiùs & salubriùs animæ suæ periculum, quod jam in foribus est, valeat evadere. Hæc idcircò diximus, si inspirante ei Divina clementia, de consilio vestro satisfecerit Ecclesiæ, gaudebit ipsa de filii sui reversione, & cum gratiarum actione & devotione multiplici parata fuit, & est semper eum suscipere. Gaudebimus & nos.

Judicium verò vestrum, quo dicitis eum satisfacere volentem, paratum etiam satisdare, si super aliquo de libertatibus Ecclesiæ inter ipsum & nos, sicut dicitis, orta est contentio, quod quidem satis miramur, si alicui vestrum hoc est in dubium, cùm toti ferè mundo sit notum, quoniam non est consentaneum rationi, immò penitùs juri contrarium, si non suscipimus, immò quia non suscipimus, in quo delinquimus? Estnè causa ista sufficiens, estnè peremptoria, quo minùs sæpissimè & canonicè conventus, non satisfaciens, injurias superaddens injuriis, severitate Divina coerceatur? Absit. Scimus enim vos nulla ratione in hac caussa judicis officio inter ipsum & nos fungi posse. Tum quia adversarii ejus estis, & esse debetis in ea ob defensionem libertatis Ecclesiæ, cujus partis defendendæ, officii vestri necessitate, cura vobis commissa est, & sollicitudo credita: quam si negligenter omittitis, si periculosè dissimulatis, vos ipsi videritis. Tum quia non legimus superiores ab inferioribus, Metropolitanos maximè à suis Suffraganeis, judicari posse. Tum quia nobis & Ecclesiæ quidam vestrum suspecti sunt. Utinam non omnes: diversis rationibus, quas in præsenti tacemus.



Audiat itaque Dominus meus postulationem fidelis sui, consilium Episcopi, Patris exhortationem, ut beneficiat ei Deus, & augeat dies ejus, & annos filiorum ipsius in tempora longa. Permittat Ecclesiam frui pace & libertate sub ipso, tanquàm sub Rege Christianissimo, Ecclesiam Romanam ut jure & libertate in terra sua, quam habere debet, & habet in cæteris Regnis. Restituat Cantuariensi Ecclesiæ & nobis jura sua & libertates, & omnia ablata cum pace & securitate nostra, ut liberè & quietè possimus Deo militare sub ipso, & ipse debeat obsequio nostro uti, prout ei placuerit, salvo honore Dei & Ecclesiæ Romanæ, & ordine nostro. Istæ sunt dignitates Regiæ, leges optimæ, quas petere debet Rex Christianissimus & observare: quibus gaudere debet, & sub ipso florere Ecclesia. Istæ sunt leges obtemperantes legi Divinæ, non derogantes, quas qui non observaverit, inimicus Dei constituitur. *Lex enim Domini immaculata, convertens animas*. De legibus enim suis dicit Dominus: *Leges meas custodite*. Et Propheta: *Væ qui condunt leges iniquas, & scribentes scripserunt injustitias, ut opprimerent pauperes in judicio, & vim facerent caussæ humilium populi Dei*. Non erubescat ergo Dominus meus redire ad cor, humiliari in cordis contritione & humilitatis mansuetudine coram Domino, satisfacere ei & Ecclesiæ ipsius de illatis injuriis. Cor enim contritum & humiliatum Deus non despicit, sed amplectitur sinceriùs. Sicut & Sanctus David, qui cùm peccasset, humiliavit se coram Domino, petivit misericordiam, & obtinuit veniam. Sic & Rex Ninive & civitas tota, cum interminata esset subversionis severitas, quoniam in cinere & cilicio humiliavit se Domino, mutata sententia meruit ultionis censuram contritione cordis & lachrymarum compunctione redimere.

Non hæc, fratres, vobis scribimus, ut facies vestras confundamus, sed ut lectis litteris nostris & intellectis valeatis & velitis officii vestri necessitates fortiùs & validiùs exercere. Opto vos de cætero semper meliùs agere, ut sit nobis pax celerior, & amplior libertas Ecclesiæ. Orate pro nobis, ut non deficiat in tribulatione ista fides nostra, sed & securè possimus dicere cum Apostolo: *Quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque aliqua creatura poterit nos separare à charitate Dei, quæ subjecit nos tribulationi, donec veniat qui venturus est, qui faciet nobiscum misericordiam suam, & ducet nos in terram promissionis, terram fluentem lacte & melle, quam non dabit nisi diligentibus se*. Valete omnes semper in Domino, & instantiùs oret, petimus, pro nobis tota Anglicana Ecclesia.

## EPISTOLA CXXVIII.

### Clerus Cantiæ Provinciæ Alexandro Papæ.

*Patri suo & Domino, summo Pontifici Alexandro, Provinciæ Cantuariensis Episcopi, & personæ per eorundem Diœceses locis pluribus constitutæ, Domino Patrique debitum charitatis & obedientiæ famulatum.*

VESTRAM, Pater, meminisse credimus Excellentiam, vos devotum filium vestrum, Dominumque nostrum Charissimum, illustrem Anglorum Regem, per venerabiles fratres nostros, Londoniensem & Herefordensem Episcopos, directis jam dudum litteris convenisse, & de corrigendis quibusdam, quæ Sanctitati vestræ in ipsius Regno corrigenda videbantur, Paterna gratia commonuisse. Qui mandatum vestrum debita veneratione suscipiens, ut satis notum est, ad vestra quidem monita non iratus intumuit, non elatus obedire contempsit, verùm agens gratias Paternæ correptioni, Ecclesiæ se statim submisit examini, asserens de singulis, quæ juxta vestri formam mandati sibi diligenter expressa sunt, Ecclesiæ Regni sui se parituram judicio, & quæ corrigenda decerneret, ipsius se consilio, laudabili quidem & in Principe dignè commendabili devotione correcturum. Ab hoc verò non recedit proposito, non mentem revocat à promisso. Sit qui sedeat, qui cognoscat & judicet Divini reverentia timoris, non majestatem præ se ferens, sed ut filius obediens judicio sistere, legitimæque parere sententiæ, & se legibus alligatum Principem præsto est in omnibus exhibere. Unde nec interdicto, nec minis, nec maledictionum aculeis ad satisfactionem urgeri necesse est divinarum se legum examini sponte subdentem. Ejus enim opera nequaquàm luci se subtrahunt, nec occultari tenebris ulla ratione deposcunt. Rex namque fide Christianissimus, in copula castimoniæ conjugalis honestissimus, pacis & justitiæ conservator ac dilatator incomparabiliter strenuus, hoc votis agit, totisque in hoc fervet desideriis, ut de Regno ejus tollantur scandala, cum spurcitiis suis eliminentur peccata, pax totum obtineat atque justitia, & alta securitate & quiete placida sub ipso gaudeant & refloreant universa. Qui cùm pacem Regni sui enormi insolentium quorundam Clericorum excessu non mediocriter aliquando turbari cognosceret, Clero debitam exhibens reverentiam, eorundem excessus ad Ecclesiæ judices retulit Episcopos, ut gladio gladius subveniret, & pacem, quam regebat & fovebat in populo, spiritualis Potestas fundaret & solidaret in Clero. Qua in re partis utriusque zelus enituit; Episcoporum in hoc stante judicio, ut homicidium, & si quid hujusmodi est, ex-authoratione sola puniretur in Clerico; Rege verò existimante pœnam hanc non condignè respondere flagitio, nec stabiliendæ paci benè prospici, si Lector aut Acolythus quemquam perimat, ut sola jam dicti ordinis amissione tutus existat. Clero itaque statuto cœlitùs ordini deferente, Domino verò Rege peccatum justo, ceu sperat, odio persequente, & pacem altiùs radicare intendente, sancta quædam oborta est contentio, quam excusat, ut credimus, apud Dominum sim-

simplex utriusque partis intentio. Hinc non dominationis ambitu, non opprimendæ Ecclesiasticæ libertatis intuitu, sed solidandæ pacis affectu eò progressum est, ut Regni sui consuetudines & dignitates, Regibus ante in Regno Angliæ à personis Ecclesiasticis observatas, & pacificè ac reverenter exhibitas, Dominus noster Rex deduci vellet in medium, & ne super his contentiosus funis traheretur imposterum, notitiæ publicæ delegari. Adjuratis itaque per fidem, & per eam quæ in Deum spes est, majoribus natu Episcopis, aliisque Regni majoribus, retroacti temporis insinuato statu dignitates requisitæ, palam prolatæ sunt, & summorum in Regno virorum testimoniis propalatæ. Hæc est Domini nostri Regis in Ecclesiam Dei toto orbe declamata crudelitas, hæc ab eo persecutio, hæc operum ejus perversorum rumusculis undique divulgata malignitas. In his tamen omnibus, si quid fuerit periculosum animæ, si quid ignominiosum Ecclesiæ, Regni sui consilio se correcturum, devotione sanctissima jamdiù est pollicitus, & constantissimè pollicetur. Et quidem pacis optatum finem nostra, Pater, ut speramus, obtinuisset jam postulatio, si non iras jam sopitas, & ferè prorsus extinctas, Patris nostri Domini Cantuariensis de novo suscitasset exacerbatio. Verùm hic, de cujus modestia redintegrationem gratiæ huc usque sperabamus, ipsum quem monitis emollire, quem meritis & mansuetudine superare debuerat, per tristes & terribiles litteras, devotionem Patris aut Pontificis patientiam minimè redolentes, cum in pacis perturbatores exercitum nuper ageret, durè satis & irreverenter aggressus est, in ipsum excommunicationis sententiam, in Regnum ejus interdicti pœnam comminando. Cujus si sic remuneratur humilitas, quid in contumacem statuetur? Si sic æstimatur obediendi prompta devotio, in obstinatam perversitatem quonam modo vindicabitur? Minis quoque gravibus superaddita sunt graviora. Quosdam namque fideles & familiares Domini nostri Regis, primarios Regni proceres, Regiis specialiter assistentes secretis, in quorum manu consilia Regis & negotia Regni diriguntur, non citatos, non defensos, non, ut ajunt, culpæ sibi conscios, non convictos aut confessos, excommunicationis innodavit sententia, & excommunicatos publicè denunciavit. Adjecit etiam, ut venerabilem fratrem nostrum, Dominum Saresberiensem Episcopum, absentem & indefensum, non confessum aut convictum, Sacerdotali priùs & Episcopali suspenderit officio, quam suspensionis ejus causa comprovincialium aut aliquorum etiam fuisset arbitrio comprobata. Si hic itaque judiciorum ordo circa Regem, circa Regnum tam præposterè, ne dicamus inordinatè, processerit, quidnam consequi posse putabimus? Dies enim mali sunt, & occasionem habentes malignandi quàm plurimam, nisi ut tenor pacis & gratiæ, quoniam Regnum & Sacerdotium usque modò cohærent, abrumpatur, & nos cum commisso nobis Clero in dispersionem abeamus exilii, aut à vestra, quod absit, fidelitate recedentes ad schismatis malum, in abyssum iniquitatis & inobedientiæ provolvamur? Compendiosissima quippè via hæc est ad omne Religionis dispendium, ad Cleri pariter populique subversionem ac interitum. Unde ne Apostolatus vestri tempore tam miserè subvertatur Ecclesia, ne Dominus Rex & servientes ei populi à vestra, quod absit, avertantur obedientia, ne totum, quod privatorum consilio machinatur, possit in nos Domini Cantuariensis iracundia, adversùs eum & ipsius mandata, Domino nostro Regi aut Regno ejus, nobis aut commissis nobis Ecclesiis gravamen aliquod importantia, ad sublimitatem vestram voce & scripto appellavimus, & appellationis terminum diem Adscensionis Dominicæ designavimus, eligentes apud vos in omne, quod sanctitati vestræ placuerit, humiliari, quam ad sublimes animi ipsius motus, nostris non id exigentibus meritis, de die in diem tædiosissimè prægravari. Conservet incolumitatem vestram, Ecclesiæ suæ in longa tempora profuturam, omnipotens Deus, in Christo dilecte Pater.

## EPISTOLA CXXIX.

*Alexandro Papæ Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus.*

ABUTITUR Ecclesiæ patientia Rex Angliæ, & tanta immanitate in Sponsam Christi jugiter sævit, ut Petrus, cujus fidei & zelo illa commissa est, gladium cogatur educere, & persecutorum Christi in virtute Sancti Spiritus malitiam cohibere. Iteratò enim rapitur Christus, & ad Crucem trahitur, Discipuli disperguntur, qui tamen ad impetum turbinis non abjecerunt omninò fidem, aliis iterùm machinantibus quomodò filium Dei prodant in osculo pacis, & sub juris obtentu & reverentia legis justitiam subjicere valeant, & Deum legitimè impugnare. Quia memores officii nostri, & judicium Dei, in quo nulli parcetur culpæ, formidantes, pro justitia mutire ausi sumus, dati sumus in opprobrio multis, expositi pro Christo periculis omnibus, tanquàm signum ad sagittam. Tandem addicti exilio cum omnibus nostris, Clericis & Laicis, mulieribus & parvulis, pusillis & majoribus, ut nec reverentia ordinis, nec conditio sexus, nec ætatis miseratio quidquàm iræ detraheret aut furori. Multi eorum jam in exilio mortui sunt: quos, quoniam innocenter pro justitia patiebantur, confidimus ad requiem convolasse, & cum electis laborum suorum recepisse mercedem. Plurimi verò adhuc expectant misericordiam Dei, in fame & siti, in frigore & nuditate. Alii tenentur in vinculis: inter quos Capellanus noster Religiosus, qui de conscientia & consensu Regis remanserat in Anglia, ipso post illam, quam dicunt, appellationem mandante tenetur afflictus in carcere. Hæc omnia sustinuimus, tentantes an per patientiam mansuetudinis nostræ possemus aliquo modo mitigare sævitiam ejus. Sed quantò plura patimur, tantò magis crudescit immanitas, ut publicè fateatur se nullo modo posse placari, nisi ei ad nutum exponatur Ecclesia, & de consensu vestro recipiantur ab omnibus consuetudines, immò perversitates suæ, non modò Canonibus & legibus adversæ, sed Evangelio Christi penitus inimicæ. Quia ergo non acquiescimus, & prædicamus Deo potiùs obediendum quàm homini, quærit animam nostram, ut cum ea auferat Ecclesiæ libertatem, & in Regno suo Sedis Apostolicæ Privilegia usquequaque convellat.

Hoc proposito nuper in capitulo Cistertiensi proximo denunciavit inimicitias toti ordini, & quòd omnes domos eorum exterminabit à terra sua, nisi Cistertienses me Exulem & proscriptum pro Domino, & fidelitate Ecclesiæ Romanæ, & Cleri libertate, ejiciant à Monasterio Pontiniacensi, invito Abbate loci & fratribus, qui pro reverentia precum vestrarum, & Christianissimi Regis Franciæ & Optimatum Galliæ interventu, benignissimè & liberalissimè plurimam mihi & meis, quod eis rependat Altissimus, humanitatem exhibuerunt, & adhuc, si licuerit, exhibere parati sunt. Et licèt tribulemur & conteramur soli cum parvulis nostris, qui fidem divitiis & deliciis prætulerunt, pro libertate totius Ecclesiæ, tamen ad subversionem justitiæ & libertatis, quorundam Episcoporum citra mare & ultra nititur consilio, qui præ cæteris sapientes sunt ut faciant mala, & eloquentes ut dedoceant legem. Hi sunt os ejus, hi calamus, horum freti auxilio fautores ejus gloriantur, quòd nostris confodiant jaculis, & spoliis oppriment. Habent fiduciam, quòd Jordanis influat in ora eorum. Veruntamen respondebit eis justitia sua, & nos per misericordiam Dei Petrus, cum quo & pro quo dimicamus, in fortitudine brachii vestri expediet. Annunciavimus impio sæpiùs impietatem suam, ne sanguis ejus requiratur de manibus nostris. Minas intentastis & vos, ut vel sic evitaret laqueum damnationis. Sed ipse obsurdescens ad omnem Domini vocem, seipsum præcipitavit in laqueum, dum violentas manus injecit in Sacerdotem. Leges impugnat, immò & Evangelii, quantum in ipso est, statuta convellit. Suam ponit cum schismaticis portionem, quibus communicat, & cum eis vanas & nefarias contrahit obligationes, & anathematis sententiam sciens & prudens incurrit. Novit enim & ipse, quòd qui violentas manus in Clericos injicit, facto ipso excommunicatus est. Nonnè facientis culpam habet in talibus, qui fieri mandat, immò compellit? David legitur interfecisse Uriam, sed gladio filiorum Ammon. Achab arguitur & punitur effudisse sanguinem Naboth, quod ministerio impiorum factum nomine ejus, & ratihabitione convincitur placuisse.

Placeat itaque dignationi vestræ tantis mederi morbis, & nostræ, immò Ecclesiæ afflictioni prospicere, ut severitate justitiæ absolutionem quærere compellatur, qui temeritate sua, & contemptu legis, & potestate in caput suum, operum pravitate anathematis condemnationem intorsit. Episcopus Londoniensis honorem usurpavit in Anglia contra morem antiquum & perpetuam æquitatem, ut glorietur in Provincia nostra nihil mandari posse aut statui, nisi per ipsum, aliis non æquanimiter ferentibus Pharisaicum hoc ejus supercilium. Dissimulavimus primò, exinde corripuimus hunc tumorem, sed quia ad perniciem indurescit, eum diu sine correctione non poterimus sustinere. Cohibeat Dominus linguam Londoniensis à malo, & labia Lexoviensis ne loquantur dolum, ad interitum cui ministrant consilia, & etiam suum. Joannes Oxeneford Sanctitatis vestræ præsumit apparere conspectibus, & quasi re benè gesta, & schismaticis de schismate perpetrando, quod exinde convaluit, præstito juramento, iteratis dolis Apostolicam Sedem appetit, ut quam perjurio nequivit subvertere, impura purgatione & fraudibus exquisitis decipiat. Qui nisi characterem bestiæ reporteet in fronte, timemus ne quidquid honoris reportaverit sibi, in confusionem Sedis Apostolicæ, & totius Ecclesiæ ignominiam, & confortationem schismaticorum convertatur. Cætera posuimus in ore nunciorum nostrorum, quibus, si placet, fidem habeat Majestatis vestræ dignatio, & provideat ne innocentia nostra periclitetur in adventu Domini Wilhelmi Papiensis, per quem persecutores nostri palam gloriantur se operaturos nostram depositionem. Ignoramus tamen an in hac venturus sit potestate, sed certum habemus, quòd nisi cogamur à Majestate vestra, nullius nos, nisi sanctitatis vestræ, credemus judicio. Meminisse potestis, si placet, qua fide nobiscum, qua charitate nobiscum ambulaverint quidam, qua sinceritate procuraverint preces Regis Angliæ, justificantes causam hominis Ecclesiam persequentis, adversùs quem terra clamat exigentibus culpis, & cœli revelabunt, nisi quia velatæ non sunt & occultæ iniquitates ejus. Absit ab Ecclesia Dei, ne illa compleantur, quæ Presbyter, Clericus memorati Amici nostri & Domini, nuper promisit Regi Angliæ: scilicet ut causam, quæ inter nos vertitur, Legatus ad Regis definiat voluntatem. Frater Sacerdotis, qui tenetur in vinculis, expediet cætera. Miseremini, si placet, nostri, & eorum, immò totius Ecclesiæ Dei.

## EPISTOLA CXXX.

*Bartholomæo Exoniensi Episcopo Joannes Saresberiensis.*

MULTA quidem scribenda essent, sed angustia temporis & necessariarum tumultus occupationum cogunt, ut ea perstringam potiùs quàm exponam. Recepi nuper, authore Domino, fratrem meum benignitati & liberalitati vestræ congratulantem in plurimis, & me præter plurimam, quam habeo ad vos, devotionem fecit & magis obnoxium. In primis verò adventu cujusdam amicissimi nostri recepi litteras, quibus me voluit præmunire, & vos, si fieri posset, per me: quando Rex præcepit per Jocelinum de Baillolio, & quosdam alios Ministros pietatis suæ, vos & Dominum Vigornensem sic habendos in omnibus & tractandos, ut capitales inimicos Regni, & publicæ salutis hostes. Utinam vanus sit timor meus. Sed quidquid Episcopi in appellatoriis suis Papæ de eo scripserint, quidquid prædicent de pietate & mansuetudine ejus, de justitia & affabilitate, de reverentia Sacerdotii, nihil adeò impium est in Deum, in homines inhumanum, quod Franci & Latini de eo faciliùs non credant. Unde plurimùm mirantur & stupent qui audiunt, qua conscientia, qua impudentia, qua fronte ausi fuistis asserere, scribere, & Episcopalis authoritatis characteribus confirmare innocentiam hominis, cujus injustitiæ sunt omnium fabula, cujus supplantationes & violentias Mundus agnovit. Quomodò in subversione justitiæ falsum dedit tot & tantorum Patrum venerabilis Universitas pro malitia testimonium? Nam scripti vestri verba sunt hæc pro Rege, cujus causam Notarius vester justificare conatur: *Rex omnem promittit justitiam, & eam factis implere paratus est. Et dulce reputat*

*putat obsequium, cum monetur ut corrigat, si quid offenderit in Deum. Nec solùm satisfacere, sed etiam, si jus exigat, in hoc satisdare paratus est.* Et post pauca subjungit eundem se judicio in his, quæ sunt Ecclesiæ, nec in modico subtrahentem, sed colla Christi jugo subdentem. Et paulo superiùs: *Dominum Regem non quidem nunquàm peccasse dicimus, sed semper Domino paratum satisfacere confidenter dicimus & prædicamus.* O inquiunt, quàm sana, quàm sancta prædicatio Episcoporum Angliæ, quàm sincerum, quàm incorruptum pro libertate Ecclesiæ testimonium! Quàm vera est assertio Sacerdotum, qui illud prædicant, quod Mimus aut Histrio sine dispendio verecundiæ non loqueretur! Si fidem, quam non habet, desiderat Scriba vester, & si qui ei consentiunt, exeundum est eis de orbe Latino, ne quoties hæc prædicaverint, *Quære Peregrinum*, Vicinia rauca reclamet. Et ne tamen adversus Ecclesiam pro consuetudinibus, immò pravitatibus avitis testimonium daret sapiens ille Tabellio, & facundus adversùs populum testificator, inseruit scripto vestro: *Rex à Domino constitutus paci per omnia providet subjectorum, & ut hanc conservet Ecclesiis & commissis sibi populis, dignitates Regibus ante se debitas & exhibitas sibi vult & exigit exhiberi.* Quid hæc audiens Ecclesia Gallicana? *Ita*, inquit, *Deus & Evangelii verba adjuvent eos, à quibus & pro quibus hæc scripta sunt.* Providet forsitan pacem omnibus, sed à longè: quia præsentialiter omnia turbat. Dicunt Episcopi, aut forsitan, ut veriùs dicatur, Episcopus: *Quoniam pax est.* Et omnes è contra clamant: *Quia pax non est, sed amaritudo omnium amarissima.* Si verò non nisi debitas exigit consuetudines, sicut vester Demosthenes asserit, illis profectò debuerat esse contentus, quæ non sunt Divinis legibus inimicæ, quæ bonis moribus non adversantur, quæ Sacerdotium non dehonestant, quæ periculum non ingerunt animarum, quæ Matris Ecclesiæ, de cujus manu suscepit gladium ad ipsam tuendam & injurias propulsandas, non subruunt libertatem. Sed in notis ipsius omnia contraria sunt, sicut scriptura ejus, Sanctorum patrum authoritate & summi Pontificis ore damnata testatur, & quotidianæ querelæ Cleri & populi: & timeo ne Pontifices ipsi contra scripta sua venire cogantur, & deprædicare quod prædicant, & quam modò damnant, justificare caussam, & quam justificant, condemnare. Signata est attestatio eorum omnium quidem concepta nomine, sed trium dumtaxat Episcoporum roborata sigillis: Archi-Synagogi videlicet Londoniensis, & Domini & Amici mei, cui interim parco, Episcopi Vintoniensis, & æquè doctrina & eloquio pollentis, veteris quidem scholastici, sed novitii Episcopi Herefordensis. Quorum præeminebat authoritas, si non opinioni bonæ consensus iniquitatis, & manifestæ falsitatis attestatio, scripto utrúmque & sigillorum munimine convincente, præjudicaret. Alii interim, quos libelli concludit inscriptio, mitiùs arguuntur: quia non facilè credi potest, ut tot sapientes convenerint, tot contulerint Religiosi in fraudem Divinæ legis & Canonum, & in perniciem Ecclesiæ conscripserint, unde convalescat & prævaleat usquequaque iniquitas, & justitia opprimatur. Sed, ut audio, omnes illi scripto præstiterunt authoritatem. Quod si ante viderint, impiissimum fuit tantæ iniquitati testimonium perhibere; si non viderint, stultissimum alienæ iniquitati suorum impositione characterum præstare authoritatem.

Sed quid in re conspicua, cum ex necessitate plura dicenda sint, protendo sermonem? Nam pagina illa, etsi vestrorum cessaret opera, nostrorum tamen diligentia ad Romanum defertur Pontificem, qui & mores illius, quem justificatis, ex multis novit indiciis, & facilè deprehendet, qua sinceritate Episcoporum concepta sit hæc attestatio, quæ fuerit intentio scribæ vestri, qui quoniam, Deo aliter disponente, quod ambiebat, esse non potuit Cantuariensis Archi-Episcopus in Anglicana Ecclesia de consensu, consilio, & authoritate eorum, qui Christum persequuntur, factus est Archi-Synagogus. Scripsit ei nuper Dominus Rex per Radulphum Dicetensem, Archi-Diaconum suum, quod se, totum Regnum suum, & causam quæ inter ipsum & Ecclesiam vertitur, ipsius tanquàm Patris & fidelissimi amici committat arbitrio. Et præcipit ut sui officiales ei in omnibus usquequaque obediant. Si quid ergo vobis vel Ecclesiæ vestræ, aut Domino Vigornensi incubuerit, illum faciatis conveniri, ut pro vobis & Ecclesia Dei commoneat Regem, qui sicut in illa nobili Epistola sua, quæ jam Provincias & Regna circuit, testatus est, *Dulce putat obsequium, cum admonetur ut corrigat, si quid deliquit in Deum.* Nam qui delinquit in proximum, in Deum quoque delinquit. Et sponsum exhonorat Christum, quicumque inhonorat Ecclesiam, ejus sponsam. Sunt enim corpus unum. Immò & spiritus unus. Et quod amplius est, collatione gratiæ quodammodò sunt Deus unus, dum admirabili commercio illa, quæ carnis sunt ex natura primitiva, Deo impertit, ut ab illo plenitudinem Divinæ naturæ recipiat, & oleo exultationis quadam ratione consortii abundet ab illo, & effluat tota. Primitivam naturam dixerim, ne abusionis inveteratus mos natura reputetur, juxta quem *omnes sumus natura filii iræ.* Non quòd in ea conditi simus, sed quia in eam degeneravimus. Nam, ut ait orator, usus altera natura est, à quo difficillimum est avelli. Nec tamen Archi-Synagogum idcircò conveniendum censeo, quia multùm sperem vos ipsius patrocinio posse proficere, sed ut veritas ampliùs elucescat, & ut in verbis mendacii, quod Spiritus Sanctus inhibet per Prophetam, ulteriùs nemo confidat.

Ut paucis concludam quod sentio, aut scriptura, quæ solvi non potest, fallax & falsa est, & veritas Dei à seipsa degenerat, aut in laqueis suis comprehendentur iniqui. Et qui fratri foveam parat, prior in eam incidet. Christe te ipsum convenio, te, qui indeficiens veritas es, appello, in extremo die judicii tuum, si ratio permiserit, redarguturus mendacium, nisi quo judicio quis judicaverit judicetur, & mensuram condignam recipiat pro mensura. Certè spiritus sapientiæ est qui loquitur: *Quia per quæ peccavit quis, per hæc & punitur.* Primus homicida Cain occisus est; Pharao, dum submergere moliebatur, submersus est; Adonizedech vicissitudinis hujus expertus est legem. Cham, dum servitutem aliis affectabat indicere, perpetua servitute damnatur. Et in omni gente & ætate, si quis Divinæ dispensationis animadvertat historiam, planè cognoscet semper esse conformitatem quandam culpæ & pœnæ. Quod loquor experimur & nos, agnoscimus justum flagellum culparum conscii, exspectantes, sed non desiderantes in proximo, ut virga corripientis retorqueatur in tortores & adversarios nostros. Mallemus enim quòd redirent ut filii, quàm ut, quod eis imminet, torqueantur ut servi. Nam talium genus non nisi suppliciis emendatur. Scribit Ezechiel, & verum est, quia qualis consultor, talis & Propheta ejus. Et à facie Domini Spiritus mendax egredietur adhuc, ut sit in ore omnium Prophetarum Achab, & similium Regum. Sic & Rex Anglorum, ut dicunt, qui Appellatorias Archi-Synagogi audierunt, Episcopos sibi conformes habet, qui, ut de aliis scriptum est, docuerunt linguam suam loqui mendacium, & ut iniquè agerent laboraverunt. Sollicitat alios ut subvertat, & eum alii sollicitando subvertunt. Quàm gloriosam, quàm Catholicam, quàm piam Epistolam Coloniensi Episcopo schismatico nuper miserit, ex rescripto ejus, quod vobis mittitur, potestis conjicere, ut pateat omnibus quàm verum sit, quod de pietate & de justitia Regis nostri tanta confidentia prædicatur.



Ad ipsum quoque nuper venerunt ex parte de Monte Ferrandi jam Illustres, Abbas Sclusenus, & Electus Hipporiensis, postulantes unam filiarum Regis filio Marchionis, constantissimè repromittentes, quia Cantuariensem Archi-Episcopum deponi facient, dummodò filiam petitam obtineant. Rex sub hac spe direxit Nuncios cum eis, Joannem scilicet Cumin, Radulphum de Thamerwurda, & Joannem de Oxeneford, in quem à Decanatu est lata sententia, & Summi Pontificis authoritate ac scripto roborata. Scriptum verò est penes Cantuariensem Archi-Episcopum, primatem Angliæ, & Apostolicæ Sedis Legatum, cujus sententiam, quam tulit in deprædatores Cantuariensis Ecclesiæ & Regis consiliarios, Dominus Papa ratam habuit, & confirmavit, & ab Episcopis Cismarinis & Transmarinis præcepit observari. Ei namque & legatio data est, & primatus totius Angliæ confirmatus. Scripsit super hoc: Londoniensis jam recepit litteras, vobis omnibus ostendendas.

Prætereà memoratus Archi-Episcopus & Legatus Apostolica authoritate excommunicavit, & excommunicari jussit omnes qui portus observant, ut impediant appellantes vel appellatos, aut ex pia devotionis caussa tendentes ad Apostolorum limina, vel ad ipsum qui Apostolicas vices habet & agit: præcepit etiam, ut hanc sententiam ejus faciant omnes Episcopi per suas Diœceses publicari. Licèt autem appellationem, quam adversùs eum fecerunt Episcopi, nullius credat esse momenti, tamen oportebat, ut qui eam aliquas vires habere opinantur, utpotè Rex, Episcopi, & proceres, ponentes prudentiam carnis brachium suum, omnia ad Archi-Episcopum pertinentia in eodem statu esse permitterent. Nihil innovari debet appellatione pendente. Postea verò de mandato Regis captus est Wilhelmus Capellanus, & alii Clerici, ut de Laicis taceatur: Ecclesiæ possessionibus ablatis atrociter tractatæ sunt. Unde & Archi-Episcopus Regem ipsum denunciavit Domino Papæ in Canonem incidisse, & facto suo esse excommunicatum, nisi fortè Sedes Apostolica Leges Ecclesiasticas censeat Civilibus comparandas, quæ, sicut ait Anacharsis Schyta, telis aranearum conferuntur, retinentibus quidem muscas; sed transmittentibus volatilia grandiora. Præceperat autem Dominus Papa, ut Bituricensis, Rothomagensis, Turonensis, Burdigalensis, & Eboracensis observent, & in suis Provinciis faciant observari sententiam, quam Cantuariensis Archi-Episcopus, Sedis Apostolicæ Legatus, ferret in malefactores Cantuariensis Ecclesiæ, & suos. Hoc tamen adjecit in litteris illis, quia non dat mandatum, ut personam Regis excommunicet, sed nec prohibet quidem, quia eum potestate sua privare non debet, præsertim cum idem Rex patientia Ecclesiæ abutatur in multis. Præcepit etiam sub anathemate, ut omnes, qui de mandato Regis Clericorum Archi-Episcopi reditus receperunt & bona, omnia cum integritate eisdem restituant quibus ablata sunt, quia Rex, qui in causa prædonis versatur, nulli potest authoritatem præstare.

Egi satis apud Cantuariensem, ne litteræ istæ procederent, sed consilium prævaluit aliorum suadentium, ut dum Dominus Papa superest, cujus mortem Rex desiderare cognoscitur, sibi indulto privilegio & beneficiis utatur. Præsertim cum ad patientiam ejus semper erubescat inhumanitas & immanitas Regis. Cæterùm si ad vos mandata hæc pervenerint, nullum occasione eorum, quæ nobis ablata sunt apud vos, periculum timeatis: quia quidquid de rebus nostris fiet ad Beneplacitum vestrum, nos illud authore Deo ratum & gratum habebimus. Personatus enim retinentes & jura, mobilium jacturam non magni facimus, dum proficiat vobis. Excusavimus innocentiam vestram apud Dominum Cantuariensem, & satis excusata est, ut nulli suadenti contrarium fidem habeatis. Præmetitur & timet pericula vestra, ut vos malit cum aliis exultare Deo, quàm inutiliter & probosè contemi mundo. Vos utramque partem ponderate, & de consilio ejus & nostro semper sequimini meliora, id est, quæ Deo, si innotuerit vobis, magis placita fuerint. Quod si & illud ambiguum est aut occultum, fides sequenda est: quia quod non est ex ea, peccatum est. Mittit ergo litteras vobis vocationis, Apostolica authoritate præcipiens, in virtute obedientiæ, & in periculo ordinis vestri, ut infra quadraginta dies à susceptione earum, occasione & dilatione postposita, accedatis ad ipsum, audituri mandatum Domini Papæ, & de necessitatibus Ecclesiæ tractaturi. Vos autem, si videritis vobis expedire, mandato quidem utemini, sin autem, sic accipiatis de consensu mandantis, quasi mandatum non fuerit. Non enim vobis laqueum procuravimus, sicut alicui suorum negligens diligentia præparavit, sed puero dedimus in mandatis, ut magistro Baldewino Archi-Diacono, aut R..... filio Ægidiæ, Fratri vestro, tradat litteras, & posteà, si eas volueritis recipere vel videre, fiat pro beneplacito vestro. Hoc autem pro certo sciatis, quia nisi Rex Wilhelmum Capellanum reddiderit, in caput ejus feretur sententia anathematis, nec ei amodò parcetur in aliquo, si talia attentare præsumpserit.

EPI-

## EPISTOLA CXXXI.

*Henrico Regi Angliæ Gilbertus Londoniensis Episcopus.*

TANTA nos, Domine mandati moles ad præsens opprimit, tanta se nobis authoritas opponit, ut consilium pariter & auxilium à vobis expetere summa compellamur necessitate. Nam quod authoritas Apostolica præcipit, hoc appellatio non suspendit. Nec adversùs mandatum potest ullum esse remedium, cum quod præcipitur implere necesse sit, aut inobedientiæ reatum incurrere. Die namque Beati Pauli, cum Londonii ad Altare consisteremus, litteras Domini Papæ de manu cujusdam nobis penitus ignoti suscepimus, quibus legatio in totam Angliam, excepto Eboracensi Episcopatu, Domino Cantuariensi conceditur, & authoritate confirmatur. Omnibus etiam nobis ipsius Regni Episcopis eadem authoritate injungitur, quatenus ei, tanquàm Apostolicæ Sedis Legato, humiliter obediamus, & ad ejus vocationem absque contradictione conveniamus, & super his quæ ad nostrum spectant officium, ei plenè respondeamus, & quæ statuerit, firmiter observanda suscipiamus. Adjicitur etiam, ut omnes, qui Beneficia Clericorum Archi-Episcopi in eorum absentia mandato vestro perceperunt, ad plenam eorum infra duos menses restitutionem anathematis sententia, omni appellatione remota, compellamur. Denarium etiam Beati Petri à fratribus & Coepiscopis nostris præcipimur exigere, & Nunciis destinatis ad nos integrè consignare. Litteras etiam Legationis jam dictæ, & litteras Archi-Episcopi, quas ad plures transmittit Episcopos, ipsis aut mittere aut præsentare præcipimur, si in nostri status & ordinis integritate ulteriùs perseverare curamus. Ad pedes itaque sublimitatis vestræ corde postrati desposcimus, ne ob magna negotia, quæ cura Regia subministrat, respicere desinatis in nos, sed ne in summam nostri ignominiam ex toto redigamur in nihilum, pietate Regia provideatis. Quod quidem benè facietis, si mandatis Apostolicis pace vestra obediri concesseritis, & reddito Denario Beati Petri, & Clericis quæ sua sunt in misericordia vestra restitutis, Episcopis omnibus mandaveritis, ut si in litteris Archi-Episcopi adversùs Regni consuetudines gravamen aliquod intellexerint, ad Dominum Papam statim, vel ad Legatos, qui diriguntur ad vos, confidenter appellent. Sic enim opus misericordiæ perficietis, & nos ab inobedientiæ reatu conservabitis, & causæ vestræ ne in aliquo detrimentum accipiat, communi omnium appellatione providebitis. Doceat vos Dominus facere voluntatem suam, & eam sublevare moneat, quam ad præsens experimur, angustiam. Valeat Dominus meus in Christo charissimus.

## EPISTOLA CXXXII.

*Wilhelmus Papiensis Gilberto Londoniensi Episcopo.*

AMICITIÆ ratio, qua vobis adstringimur, & illustrissimo Regi Angliæ, serviendi diligendique propositum nullatenus immutandum plurima persuadet, ut his quæ honori suo ac vestro consona videantur, facilem præbeamus assensum. Inde est quod ea, quæ nobis per litteras intimastis, quatenus facultas indulsit, diligenti sollicitudine studuimus promovere. Sicut enim ex quo Domini Regis notiam suimus assecuti, vigili opera elaboravimus efficere, ut eum Ecclesia Romana materno sinu specialiter amplecteretur & extolleret, ita ex quo perturbationes emerserunt, cum omni sedulitate curavimus suadere, ut tolerantia præjudicium severitati faceret, & Regiæ dignitatis inspectio, servitiaque innumera ampliorem sibi locum, quam imminuta devotio & reverentia postmodùm fortè subtracta apud Apostolicam mansuetudinem vendicarent. Nihil itaque, labore nostro vigilique cura interveniente, adhuc est ultionis seu severitatis adhibitum, nihilque de cætero proventurum, quod absit, nos authore Domino speramus effecturos, donec per misericordiam Dei aperiatur plenæ pacis via, & pristinus amor inter Ecclesiam & ipsum penitùs reformetur.

## EPISTOLA CXXXIII.

*Abbati Sancti Edemondi Joannes de Saresberia.*

CICERONEM in Epistola ad Marcellum scripsisse memini, quia sapientis judicio refert plurimùm, cui quis obligetur. Et honesti Viri gravatur animus, quoties eum aut rei familiaris angustia, aut articulus temporis illi constituit debitorem, quem ratio honestatis & morum titulus coli prohibet vel amari. Et hoc quidem, ut arbitror, elegantèr & verè dictum est. Quod si fideliter exauditur, nec à naturæ consortibus vinculum subtrahitur charitatis, nec contemplatione naturalis consortii, erroris quoque participatione confœderat moribus dissidentes. Benè igitur cum his agitur, qui in ratione accepti beneficii viris honestis solummodò obligantur. Quorum, ut de testimonio conscientiæ loquar, unus ego sum, quem Divina dignatio inductum à procella tempestatis hujus, emergentis ab Aquilone contra Ecclesiam, non permisit esse ex causa liberalitatis, mihi aut meis exhibitæ, multorum debitorem, cum tamen ante obsequiis & beneficiis promeruerim multos. Siquidem jam exilii mei quartus agitur annus, & tertius proscriptionis, nec possum nisi paucorum fide amicorum vel pauca & parva ad animum reducere monimenta. Nam plurimi in Focini videntur incidisse sententiam, dicentis:

*Dat pœnam laudata fides, cum sustinet illos,*
*Quos fortuna premit. Fatis accedo, Deisque.*
*Et cole felices, miseros fuge. Sidera terris.*
*Ut distant, ut flamma mari, sic utile recto.*
*Nulla fides unquam miseros elegit amicos.*

Hæc profectò est prudentia, Deo procul dubio inimica, mendax, plena turpitudine, vitiorum mater & nutrix, & quam parens & altrix virtutum, & officiorum moderatrix Philosophia non modò fidelium, sed etiam Gentilium verissimis & evidentissimis rationibus damnat & detestatur. Præscribit enim, quoniam utile & honestum se prædicatione mutua circumscribunt, ut nihil unius admittat nomen, quod non & alterius exigat rationem. Hoc utriusque Testamenti adstruit pagina, hoc consona voce Ecclesiæ Doctores prædicant, quoniam quæ inhonesta & turpia sunt, dispendium quidem salutis ingerunt, & nulla ratione possunt esse utilia. Quid enim proderit homini, si mundum lucretur universum, & animæ suæ detrimenta conquirat? Sed ad vocem hanc vulgares amici obsurdescunt, qui volunt beneficiis obligari, non obligare. Qui fidem umbratilem, veram enim non habent, ponunt & deponunt ad arbitrium fortunæ. Qui ut qualitercumque vivant, vivendi, quæ penes solam virtutem sunt, abjiciunt causas.

Expertus hæc loquor, & paucis obnoxius, quibus utique tantò arctiori vinculo obligatus sum, quantò sinceritas fidei eorum probatior ex perspicuis indiciis enitescit. Sed in primis horum nobis merita vestra præcipuum dedere locum: & si illa discutiantur ad purum, jure & meritò dixerim primum. Multa sunt enim & magna, & unde clarescunt magis, necessaria sæpè: ut quorum usus frequens, immò quotidianus est, gratiam jugiter ad largientem cogant augeri, nihil excidit à memoria: de universis & singulis gratias ago, reputans etiam illa mihi à vestra liberalitate esse exhibita, quæ ex relatione Nuncii mei, & vestrarum testimonio litterarum voluistis & præcepistis meis usibus exhiberi. Nescio enim qua secreti dispensatione consilii amicus & focius meus magister G..... Mandato vestro non paruit, subtrahens aut differens auxilium, quod vestra dilectio necessitati meæ & meorum decreverat exhibendum. Non enim facilè crediderim, quod ille præter meritum meum, & contra opinionem omnium hoc fecerit, ut mihi noceat, sed aliqua dispensatione, cujus rationem ignoro, vestrum suspendit beneficium. Sed devotionis meæ ad vos & gratiarum actionis nemo suspendit affectum. Gaudeo verò, quod cum Episcopi sub appellationis obtentu languorem Ecclesiæ, quæ authore Domino convalescet in brevi, studuerunt protelare, vos, ut audio, tendiculas eorum eleganti veritatis & justitiæ compendio declinastis, ut nec poneretis cum iniquis portionem malitiæ, nec fit quod ante Provinciæ Præsides vobis de jure debeat imputari. Illi scripserunt & prædicant, quod *Rex dulce putat obsequium, cum monetur ut corrigat, si quid delinquit in Deum.* Numquid adeò excœcati sunt, ut eum dubitent hac Ecclesiæ vexatione, & innocentum, ut de aliis taceam, parvulorum & mulierum proscriptione delinquere, vel ita reprobi, ut Dominum patientem, immò benignè audientem, & correptoribus habentem gratias, nolint, quod desiderat, commonere ut satisfaciat Deo? In consilium illorum non veniat anima justi, quorum furor maledictus est, quia pertinax, & indignatio, quia dura: quærentium dumtaxat, ut quia malè diu libuit, impunè diutiùs liceat. Sed qui sperat in Domino, non confundetur: & qui eum præ mundi potestatibus timuerint, non deficient omni bono.

## EPISTOLA CXXXIV.

*Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo quidam Cardinalis.*

REDDITÆ sunt nobis dignationis vestræ litteræ variæ à diversis exilii vestri & vestræ fluctuationis temporibus, ex quarum complexione intelleximus animum vestrum, pulsatum simulationibus Æmulantium, secreta cordis vestri, & sacramenta sermonis penitus ignorantium, adversùm nos vehementer esse commotum. Et usque adeò invaluit sugillatio, ut non solùm nos in suspicionem vestram moveret. Non miramur, si vester animus detractionibus & falsis rumoribus moveri potuit, sed miramur, si fides vestra, innumeris charitatis nostræ argumentis & officiis firmamata, vel ad modicum vacillare debuit. Nondùm enim nobis firmato in Ecclesia Romana, & adhuc cereo impressa est, & quasi sculpta imago Cantuariensis Ecclesiæ, quam indelebiliter servavimus, & servare cum vita proposuimus contra omnes impetus fortuitos. Sanè si aliquid in causa, quam contra Regem Angliæ habetis, dispensativè diximus, & sermonem nostrum temporaliter temperavimus, testis sit Deus, ut irati animum mitigaremus, sicque quasi placida manu eum ad pacem traheremus, id fecimus. Pro-certò id ipsum pacis & gratiæ, quod offert, non severitati Ecclesiasticæ, sed mansuetis consiliis nostris adscribit. Decet præterea Sacerdotalem gravitatem & honestatem, ut passibus humilitatis, patientiæ, & moderationis prosequatur pacem tanti Principis, quam, etsi non juxta desiderium vestrum & nostrum plenariè oblatam, rogamus & consulimus in Domino conscientia pura, quatenus nullatenus adspernemini, sed ea mansuetudine & affectione suscipiatis, ut dulcedine vestra eum ad reliqua mollire debeatis. Solet enim debile principium melior comitari fortuna. Et Principes, præsertim hoc tempore, leniendi potiùs sunt, quàm exacerbandi.

## EPISTOLA CXXXV.

*Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Hyacintho Diacono Cardinali.*

ECCLESIAM Anglorum & nos posuimus in manibus vestris, ut profectus sic ad vestram, de cujus ope nitimur, gloriam rectissimè referatur, & desolatio nostra ad vestrum spectet dispendium, qui nos & nostra vestræ affectione promptissima devovimus voluntati. Persecutores Ecclesiæ eatenus in malitia processerunt, ut ultra progredi nequeant, sed velint nolint deficient in se ipsis nisi eis Ecclesia Romana in perniciem suam dederit vires. Flumina eorum in tonitrua convertentur, & turbo ventositatis hujus facilè solvetur imbre. In brevi futurum est authore Deo, ut viceritis, dummodò citam & certam possitis exspectare victoriam. Mementote Pompei vestri, quem Cæsar itidem vester insuperabilem esse dicebat, si tam benè sciret vincere, quàm benè noverat pugnare. Egerat primò Rex Angliæ, ut ad Sedem Apostolicam nulla fieret appellatio, suam schismatis cum schismaticis posuit portionem ministerio, immò perjurio Joannis de Oxeneford, qui nunc vestris audet apparere conspectibus; sed nunc perductus est, ut coactus sit confugere ad Sedem Petri, & Domini Papæ invocare nomen, quod ante inhibuerat invocari. Et quidem ad Ecclesiam Romanam rectè confugeret, si declinaret injuriam, non inferret; si devotionem præsentaret Ecclesiæ, & non ipsius quæreret subversionem; si non plus noceret fictas amicitias & falsum spon-

ſpondens obſequium, quàm nocuerit manifeſtum profeſſus inimicum. Ecce dulciſſime Pater & Domine, modò apparebit, qui viri ſitis. Reducite ad mentem, quoniam *Fiſtula dulce canit, volucrem dum decipit auceps: Ne vos decipiant animi ſub vulpe latentes*. Si quid unquàm veſtri contemplatione compendii in diſpendium Eccleſiæ feceritis ad preces ejus vel munera, ipſemet in confuſionem veſtram, & Apoſtolicæ Sedis opprobrium, more ſuo præconabitur iſtud, & quod nunc ſæpè & multis dicere conſuevit, ſcilicèt omnia Romæ eſſe venalia, tunc paſſim prædicari faciet ſuper tecta. Utinam ſolus audiſſetis, quæ locutus ſit de Legatis illis quos recepit, & etiam de illo quem ſimulat ſe amare, & quem denuò dicitur petiiſſe Legatum. Solus, inquam, ut probra ſolutioris linguæ ſtultorum & credulorum non infeciſſent aures. Benignè, ſi placet, ſuſcipite Nuncios noſtros, per quos cætera audietis. Et compatimini Sacerdotis, quem poſt illam, quam dicunt, appellationem capi violenter fecit, & conjecit in carcerem, cum poſteà non debuerit contra nos aut noſtros aliquid innovare, ſi appellati ſumus, immò qui eo præſente appellavimus, & jam biennio exſpectantes ſententiam poſtulamus. Advertite qualiter Eccleſias poſſeſſionibus & libertate ſpoliaverit, qua immanitate nos perſequatur & noſtros pro libertate Eccleſiæ, pro fidelitate Sedis Apoſtolicæ patientes, & paratos pati adhuc pro viribus, quas nobis Deus contulerit. Presbyter, Clericus Wilhelmi Papienſis, nuper promiſit Regi Angliæ, quod ad voluntatem ejus definiet Dominus ſuus cauſam iſtam, accepta Legatione. Certum ſit, quòd nos nec perſonam noſtram nec cauſam Eccleſiæ credemus ei, cujus affectionem ad nos & Regem pridem ſatis experti ſumus. De vultu Domini Papæ judicium iſtud prodiet, cui Eccleſia ſtat aut cadit. Stabit autem per miſericordiam Dei, & auxilium & conſilium veſtrum.

## EPISTOLA CXXXVI.

*Thomas Cantuarienſis Archi-Epiſcopus Boſoni Cardinali.*

INDUBITANTER credimus, & verum eſt, neminem eſſe in Curia, qui pleniùs vobis noverit, quantam fidem, obedientiam, & devotionem Cantuarienſis Eccleſia Sedi Apoſtolicæ conſueverit exhibere. Nam ut taceamus de aliis deceſſoribus noſtris, quorum doctrina, virtutibus, & exemplis illuſtratur Eccleſia, qui jam miraculis, Deo meritis eorum reſpondente, coruſcant, noviſſimus Deceſſor noſter, veſter quidem amicus, & Romanæ Eccleſiæ devotiſſimus filius, bis à Sede propria pro fide & obedientia excluſus eſt, Rege Stephano hoc in eo perſequente, quod contra prohibitionem ejus vocatus à Domino Papa Eugenio ad Concilium Remenſe venerat, cæteris Epiſcopis domi contra obedientiam remanentibus, exceptis tribus, qui de mandato Regis venerunt, ut aliorum abſentiam excuſarent. Alia autem, ut ſcitis, cauſa perſecutionis ejus exſtitit, quod contra prohibitionem Romanorum Pontificum filium Regis Euſtachium noluit coronare. Quem aliorum Epiſcoporum in tota Inſula noſtra vidiſtis aut legiſtis ſe pro tuenda libertate Eccleſiæ, pro conſervandis Inſtitutionibus Patrum, pro reverentia & obedientia Sedis Apoſtolicæ, præter Cantuarienſes, ſe oppoſuiſſe Principibus? Et noſtra quidem ætate nec unus exſtitit: & ſi veteres revolvantur hiſtoriæ, nullus occurret. Cantuarienſium verò alii pro lege Dei fuderunt ſanguinem. Alii fundendum perſecutoribus obtulerunt. Si verò conſuetudines, aut potius abominationes, quæ exiguntur à nobis, deceſſoris noſtri tempore viguiſſent, ſe Rege prohibente deceſſor noſter ex cauſa obedientiæ non expoſuiſſet naufragio, nec ei ſummus Pontifex gratias, quas devotione meruerat, in pleno Concilio retuliſſet: *Eò quod*, ut verbis ejus utamur, *natando potiùs, quàm navigando ad Concilium venerat*. Si perverſitates hæ viguiſſent, utique poſt prohibitionem Apoſtolicam coronaſſet filium Regis, quoniam hoc fieri oportere decreverat Curia ejus. Nam & quoſdam eorum, qui nos perſequuntur, ille Rex habuit hujus fomitis incentores. Nonnè recolitis quomodò ille, qui nunc Eboracenſis eſt, Romam profectus ſit, Regis illius & procerum procurans negotium: ut quia Cantuarienſem Archi-Epiſcopum non poterant flectere, ſaltem prohibitionis Apoſtolicæ ſolutionem à Domino Papa Eugenio impetrarent? Sed quid novi revolvimus, præſertim in auribus veſtris, qui tenetis memoriter illius temporis Geſta, & fidem ac devotionem Cantuarienſis Eccleſiæ non modò lectione librorum, ſed viſu & auditu pleniſſimè didiciſtis? Hæc vobis devota ſemper exſtitit, & authore Deo noſtris temporibus ipſius ad vos devotio non tepeſcet. Siquidem juſtum eſt, ut potiùs augeatur, cum à tempore Guidonis Piſani familiaritatem perſonaliter contraxerimus, & nobis mediantibus amicitiam inieritis cum deceſſore noſtro. Nobis autem propoſitum eſt, ut pro ætatis proceſſu charitas invaleſcat, & ſi opportunum fuerit, cumulentur obſequia. Unde dilectioni veſtræ ſupplicamus attentiùs, quatenus hæc ad Domini Papæ notitiam reducatis, ut cum cæteris aut præ cæteris Dominis & Amicis noſtris impetretis ab eo, ne tradat beſtiis Eccleſiam ſemper Deo & Sedi Apoſtolicæ famulantem, & nos cum illa in brachio extento eripiat de manibus eorum, qui quærunt animam noſtram, ut auferant eam, & in depreſſione noſtra totius Eccleſiæ perimant libertatem. Nam & Rex Stephanus ab anteceſſoris noſtri perſecutione non deſtitit, antequam piæ recordationis Dominus Eugenius, omni ceſſante appellationis obſtaculo, in caput ejus anathematis, & in terram Interdicti ſententiam præcepit ab omnibus Epiſcopis authoritate Apoſtolica exerceri. Lupus enim ab ovili facilè non arcetur, niſi clamore canum terreatur & baculo.

## EPISTOLA CXXXVII.

*Thomas Cantuarienſis Archi-Epiſcopus fratri Nicolao de Monte Rothomagenſi.*

NOVIT Fraternitas tua, quàm patienter ſuſtinuerimus damna, injurias, & contumelias nobis & noſtris illata à dilectiſſimo Domino noſtro, illuſtri Rege Anglorum. Ipſe autem abuſus patientia noſtra, ad Sanctiſſimæ Matris ſuæ prorupit injurias, ſponſam loquimur Crucifixi: & illam non veritus ancillare, pro cujus liberatione filius Dei Deus morte turpiſſima voluit condemnari. Monuimus eum affectu Patris, ſæpiùs fide Domino debita ſupplicavimus, corripuimus eum authoritate Paſtoris: ipſe autem in perſona noſtra Patrem ſuum itidem fidelem contempſit, & Paſtorem. Et ne quid de cætero veritati ſubtractum ſit, quod Eccleſiæ periculoſius & ei perniciofius eſt, illum, cujus gerimus vicem, ſprevit Chriſtum. Habeantur hæc vana, & contemnat, ut ſolet, ſi filius Dei Eccleſiæ non dicit Paſtoribus: *Qui vos ſpernit, me ſpernit; & qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei.* Proceſſit ulteriùs ſollicitudo noſtra, ut ei pro pace Eccleſiæ ſummus Pontifex devotas preces *adhibuerit*, ſed non eſt exauditus. Exhortationes adhibuit, & ſurdum reperit auditorem. Increpationes adjecit: contemptæ ſunt. Tandem Apoſtolica tuba comminationes intonuit, ſed nec ſic potuerunt fides & *Obedientia* excitari. Ne quid autem omitteremus ex contingentibus, Rex Francorum, qui ei eſt amicus & Dominus, omnem adhibuit operam & diligentiam, ſed nec ille pro ſua reverentia meruit exaudiri. Ad colloquium ejus acceſſimus, ſed nec ad conſpectum ejus ſumus admiſſi, neque noſtri nominis aut cauſſæ Dei permiſit fieri mentionem. Miſimus ei poſteà Nuncios Venerabiles viros, & litteras patentes, ut petierat, in quibus expreſſa erat & juſtitia Eccleſiæ, & noſtræ petitionis ſententia, ſed noſter & eorum labor, quantum in eo eſt, ceſſit in caſſum. Secuti eramus fidem Dominæ Imperatricis, ſicut tu noſti, & ipſa ignorare non debet, ſed nos uſquequaque deluſit. Quia ergo hæc patientia noſtra Eccleſiæ Dei perniciofa eſt, ſed perniciofior illi, cujus noviſſima fiunt in dies deteriora prioribus, nobis autem perniciofiſſima, quos oportebit ante Tribunal Sponſi non modò de operibus propriis, ſed etiam de ſanguine ejus & afflictione ſponſæ reddere rationem, pro certò noveris, & Dominæ Imperatrici intimes, quod in perſonam ejus & terram in brevi, immò in breviſſimo, vita comite & Deo authore, exeremus gladium Spiritus Sancti, qui omni gladio ancipiti penetrabilior eſt, ut ſit in ruinam induratæ carni, & ſopito, immò extincto ſpiritui in ſalutem. Perſuadeas ergo Dominæ noſtræ, ut nos de cætero habeat excuſatos in eo, quod ultra diſſimulare non licet: ſciatque pro certo, quod ſi revixerit filius ejus, & conſilium Matris recipiat audiens vocem Dei, nos ad honorem Dei & voluntatem ſuam paratos inveniet. Interim morientem filium pariter, & eodem lugeamus affectu, qui ſalutem ejus & honorem, Deo teſte, conſimili deſiderio optamus pariter & oramus. Hæc cum dolore, lacrhymis, ſingultibus, & ſuſpiriis loquimur, tanquàm viſcera noſtra de clauſtro pectoris acerbitate ferri extracta, ardore cauterii inuramus. Quod & Deus ſcit, in cujus injuriam exercere ulteriùs non debemus impiam pietatem, ei Matrem, Patrem, Sororem præferendo, vel Dominum. Non eſt dolor ſicut iſte dolor, ſi charitas Dei & utilitas & honor ejus, qui curatur, nos urget, ut hunc forti animo ſufferamus. Valete.

Saluta & ſollicita fratres noſtros, ut nobis impetrent Spiritum conſilii & fortitudinis, orantes pro Domino Rege, ut ei adſit Spiritus pœnitentiæ & pietatis, quatenus pax ejus Eccleſiæ Dei & nobis reformetur in Domino.



## EPISTOLA CXXXVIII.

*Alexandro Papæ Thomas Cantuarienſis Archi-Epiſcopus.*

SATIS ſuperque ſuſtinui, Pater amantiſſime, correctionem Regis Angliæ expectans, nec ullum omninò patientiæ meæ fructum obtinui, quin potiùs detrimentum & exterminium authoritatis & libertatis Eccleſiæ Dei, dum incautè ſuſtineo, cumulavi. Conveni eum multoties per Nuncios Religioſos & idoneos, & ad debitam ſatisfactionem frequentiùs invitavi. Litteris etiam, quarum tranſcripta vobis miſi, Divinam ei ſeveritatem & ultionem, niſi reſipiſceret, intentavi. Ipſe verò magis ac magis proficit in deterius, conculcans & deprimens Eccleſiam Dei, ſed & perſonam meam, & eos qui mecum exulant, adeò perſequens, ut etiam beneficia ſervorum Dei, qui nobis Dei & veſtri cauſa victualia provident, minis & terroribus ſuis auferre conetur. Scripſit enim Abbati Ciſtertienſi, ut ſicut Abbatias ordinis, quæ in ipſius poteſtate ſunt, diligit, ita nos à beneficio & familiaritate ordinis faciat alienos. Quid multis? Eò uſque ſub patientia noſtra tam ipſius Regis, quàm officialium ejus profecit impietas, ut ſi multitudo virorum, quantumlibet Religioſorum, rem vobis ut eſt, interpoſitis etiam juramentis aſſereret, miror ſi vel ſic eorum aſſertioni credulitatem aliquam veſtra Sanctitas adhiberet. Hæc igitur cum anxietate cordis attendens, & periculum tam Regis quam meum conſiderans, perniciofas illas non tam conſuetudines quàm pravitates, quibus perturbatur & confunditur Anglicana Eccleſia, publicè condemnavi, tam obſervatores quàm exactores earum generaliter excommunicationi ſubjiciens. Scriptum etiam & authoritatem ſcripti, quo perverſitates illæ fuerant confirmatæ, caſſavi: & Epiſcopos noſtros à juramento, quo ad obſervationem earum violenter adſtricti fuerant, relaxavi. Et hæc ſunt, quæ in ſcripto illo ſpecialiter condemnavi.

Quod non liceat Epiſcopo excommunicare aliquem, qui teneat aliquid de Rege, abſque licentia ipſius.

Quod non liceat Epiſcopo excommunicare aliquem de perjurio vel fide læſa.

Quod Clerici vel viri Religioſi trahantur ad ſæcularia judicia.

Quod Laici, ſeu Rex ſeu alii, tractent cauſas de Eccleſiis vel Decimis.

Quod non appelletur pro cauſa aliqua ad Sedem Apoſtolicam.

Quod non liceat Archi-Epiſcopo vel Epiſcopo venire ad vocationem Domini Papæ abſque licentia Regis.

Et alia in hunc modum. Nominatim etiam excommunicavi Joannem de Oxeneford, qui communicavit ſchiſmatico & excommunicato illi Reginaldo Colonienſi, quique contra mandatum Domini & veſtrum uſurpavit ſibi Decanatum Saresberienſis Eccleſiæ, & in Curia Imperatoris, quale ipſe audiſtis, præſtitit juramentum.

Similiter etiam Ricardum de Welceſtre, qui eidem ſchiſmatico communicavit. Et una Ricardum de Luci, & Jocelinum de Baillolio, qui Regiæ tyrannidis fautores, & hæreticarum illarum pravitatum fabricatores exſtiterunt.

Radulphum etiam de Broc, & Hugonem de Sancto Claro, & Thomam filium Bernardi, qui possessiones & bona Ecclesiæ Cantuariensis absque licentia & consensu nostro usurpaverunt.

Omnes, inquam, istos anathematis vinculo innodavimus. Verùm in Personam Regis nondùm sententiam dedimus, daturi forsitan, nisi resipuerit, & ex his quæ fecimus, apprehenderit disciplinam. Ut ergo, Beatissime Pater, Apostolicæ Sedis authoritas, & Ecclesiæ Dei libertas, quæ in partibus nostris tota ferè periit, utcumque valeat restaurari, necesse est & modis omnibus expedit, ut quod à nobis gestum est, ratum omnimodis habeatis.

## EPISTOLA CXXXIX.

*In eundem modum Conrardo Moguntino Archi-Episcopo, & Sabino Episcopo, & Domino Hyacintho, & Henrico Pisano, Cardinalibus, usque :* Nisi resipuerit.

UNDE dilectionem vestram instantiùs precor & moneo, ut constanter in hac parte vos habeatis, Dominum Papam studiosiùs commonentes, ut quod à nobis factum est, ratum habeat, alioquin & authoritas Apostolica minuetur ultra modum in partibus illis, & libertas Ecclesiæ, quæ jam ex maxima parte deperiit, tota sine dubio peribit. Ecce enim crescunt hæredes ipsius Regis, qui paternæ crudelitatis imitatores existent, nisi perniciosa genimina cum immenso vigore severitatis Ecclesiasticæ fuerint radicitus amputata. Ego autem multò magis vellem non solùm usque ad sanguinem, sed usque ad ipsam mortem resistere, quàm in Ecclesia Dei tam flagitiosa piacula diutiùs impunita relinquere. Sciatis autem Dominum Rothomagensem & quosdam alios Regi in faciem dixisse, nullum ex eis contra mandatum Domini Papæ communicaturum, quin potiùs sententiam, si in eum & terram ipsius lata fuerit, ad jussionem Domini Papæ firmiter observabunt. Scimus autem & certum habemus, quòd obstinatio Regis citissimè frangeretur, si in terram ejus cismarinam districta sententia poneretur.

## EPISTOLA CXL.

*Bartholomæo Exoniensi Episcopo Joannes Saresberiensis.*

LICET ex more scribentium ad amicos salutis votum pagina non prætendat, nihil tamen affectuosius est in votis & orationibus meis, quàm ut viæ vestræ jugiter prosperentur in Domino. Salutationem etenim Domino & Patri debitam nequaquàm suspendit defectus aut imminutio charitatis, sed consulta dispensatio, & officiorum & omnium quæ rectè geruntur, ratio moderatrix. Dispensationis verò causa in propatulo est, ut eam non oporteat, aut potiùs expediat allegari. Nam insidiis dicuntur omnia plena esse, ut bonis invicem colloquendi aut scribendi tutum non possit esse commercium. Nescio quid frivolum contra innocentiam molitur iniquitas, & urgente stimulo conscientiæ, incessanter pungentis & urentis, omnes suspectos habet & omnia. Jure quidem & meritò: quia pax impiis esse non debet. Hostes suos justitia impugnante & prævalente, profectò quod timet impius veniet super eum, justusque de angustia liberabitur, quoniam os Domini locutum est. Ad momentum turbinis adversùs Ecclesiam malitia debacchatur, & adversùs Dominum videntur prævalere impii : quibus in brevi Christus, quem persequuntur, sic respondebit ad merita, ut præponderare videatur libra vindictæ. Et quos potenter puniet, non tam examinare lance æquitatis, quàm mole magnitudinis prægravare. Non quidem quod injuriam inferat, sed quia sine mensura & modo peccantibus immensam & immoderatam ingeret pœnam. Nec opinetur quisquam me in longa tempora prophetare, licet oraculi Divini sicut authoritas, sic & fides perpetuentur, cùm planum sit jam aliquatenus inchoatum esse judicium, immò executioni mandari sententiam.

Nonnè Theutonicus Tyrannus nominis sui fama nuper orbem perculerat, & ferè subegerat Regna vicina : etiam Imperium Græcorum terrore concusserat, ut magis deditionem, quàm confœderationem, legationibus missis, videretur offerre? Sed ecce, Deo authore, timetur minùs, & qui antè tam vicinos quàm remotissimos solo nutu terrebat, Principes suos ab injuriis cohibere non potest. Qui solo verbo pacem gentibus ad arbitrium indicebat & bella, nunc à suis & inter suos petitis & acceptis treviis gratulatur. Nam sicut ipsemet conqueritur, ex quo Latonam venit, ut Regem Francorum & Gallicanam Ecclesiam separaret à fide, & in suam hæresim perverteret, ut adorarent idolum suum, successus ejus relapsi sunt: & quæ eum extulerat, in depressionem ipsius cœpit fortuna fluctuare. Spes autem fidelium est, quod ad honorem Dei in brevi ampliùs deprimetur, donec eum omninò Christus, cujus sponsam persequitur, conterat sub pedibus ejus.

Nonnè, & apud vos jam judicium exercetur adversùs Tortores Ecclesiæ? Intuemini quantus erat Rex Angliæ, cum parvulus videretur in oculis suis, & ad Ecclesiam Dei vel speciem fidei & reverentiæ prætendebat, & planè videbitis eum in nullo frustratum conatu. Sagitta ejus retrorsum non abjit, clypeus non declinavit in bello, & hasta ejus non est aversa. Super prædam accumbebat ut leo, ut nullus eum excitare præsumeret : vel visu terrebat hostes. Vicini se inclinabant obsequiis. Remoti Principes amicitias expetebant. Colebatur à suis, honorabatur ab externis, prædicabatur à cunctis. A bonis diligebatur, sed maximè à Clero, qui eum colebat supra vires, pro viribus venerabatur, & unanimi proposito diligebat super amorem mulierum. Quid multa? Rerum expetibilium omnium abundantia, quod ad humanum judicium, fruebatur, sublato timore & sollicitudine, nisi quam non necessitas aut ratio, sed voluntas aut impetus ingerebat. Sed quo fine hæc universa Dei dona conclusit, si tamen sine pœnitentia & satisfactione subsistit in finibus istis, ut singularum Ecclesiarum, quas antè per ignorantiam, aut sui juris prætextu læserat, injurias taceamus, Tholosam bello aggressurus, omnibus contra antiquum morem



rem & debitam libertatem indixit Ecclesiis, ut pro arbitrio ejus & satraparum suorum conferrent Incensum. Nec permisit, ut Ecclesiæ saltem precibus conquererentur in hac contributione, vel magis exactione, tam indebita quàm injusta. Nam Ecclesiæ in deteriori calculo vertebantur, utpotè quæ rebus suis aut honore videbantur indignæ. Sed quem successum attulit hæc pecuniarum immensitas, tantis exactionibus & injuriis acquisita? Nonnè projecta est in saccum pertusum, ut hosti suscipienti proficeret, & effundenti non modo esset inutilis, sed damnosa? Nunquid non ab ea die fortuna ejus retrorsum successit, & successum ubertas emarcuit?

Sed dicet aliquis, quoniam hæc indictio census & Ecclesiarum vexatio in Cancellarium ejus, qui nunc aut Archi-Episcopatur, ut credo, aut Archi-Episcopari contendit, ut Æmuli mentiuntur, penitùs retorquenda est, qui Regem tunc ad omnia pro arbitrio impellebat, & hoc, sicut multa alia mala, induxit. Quod etsi ego falsum esse noverim, utpotè qui eum scio tunc authoritatem non præstitisse libidini, sed obsecundationem necessitati, tamen quia eum ministrum fuisse iniquitatis non ambigo, jure optimo taliter arbitror puniendum, ut eo potissimùm puniatur Authore, quem in talibus Deo bonorum omnium Authori præferebat, eique sit vice versa in pœnam, quem habebat & laudabat suæ perversitatis authorem. Nam in sapientium corde & ore celebre est illud sapientiæ : *Quoniam per quæ peccat quis, per hæc & punitur*. Sic Cain primus homicida occisus est. Canaam servitutem ingerens aliis perpetua servitute damnatur. Pharao in aquis submersus cum potentatu suo, quibus Hæbreos submerserat innocentes. Patent in hunc modum quàm plurima.

Sed esto, nunc pœnitentiam agit, agnoscit & confitetur culpam, & si cum Saulo quandoque Ecclesiam impugnaverit, nunc pro ea cum Paulo ponere paratus est animam suam. Quis ergo negabit Judicium jam cœpisse à domo Domini, cum jam Principes Populi in patibulis suspendantur ad Solem, ut justitia Dei in conspectu Gentium reveletur? Nonne enim Principes Populi sunt hi duo, quorum alter dispensat spiritualia, alter temporalia administrat? Nonne lex dispensationis & ministerii hujus manibus istorum tractanda committitur? Hæc enim sunt duo Cherubim, quorum alis Lex & propitiatorium obumbratur, se mutuò respicientia, versis tamen vultibus in propitiatorium, quia sic sibi invicem debent adspectu mutuo complacere, ut legem Dei in arca pectoris jugiter inspiciant & revereantur : nec pro se ad invicem, aut ob aliam causam admittant, unde propitiationem Dei debeant demereri. Non enim licet à propitiatorio vultus avertere. Si ergo in his suis Angelis reperit Deus pravitatem, eamque puniat, quis subditorum caussas apud Altissimum jam ventilari diffidat, aut esse ventilatas? Circumferat quis oculos mentis, & intueatur quot & quales adversarios ei Dominus suscitaverit, ex quo adversùs Deum in depressione Ecclesiæ erexit calcaneum suum, & planè mirabitur, & si prudens est, venerabitur judicium Dei, qui non Imperatores, non Reges, non Principes nationum ut ipsum domaret, elegit, sed extremos hominum Britones: Vivicollinos primò, & posteà illos ad contradictionem & solemne certamen animavit, qui vestigia pedum ejus consueverant adorare. Et hoc quidem, ut non glorietur omnis caro, sed nomen Domini sit benedictum in sæcula. Sic ad puniendam ingratitudinem Salomonis recedentis à Domino, non tam Principes erexit, quàm latrunculos & servos abjectos. Nisi suspicetur quispiam, ut amodò prosperetur conditio ejus, nisi Deo propitiante per pœnitentiam revertatur, & magis pio utatur consilio. Nam, ut Propheta loquitur, in diebus & regionibus nostris inventi sunt stulti Principes Taphneos, qui Regi suo consilium dederunt ipsi pien s. Urunt eum undique sollicitudines, sed bellum, quod adversùs Christum & Ecclesiam exercet, ulteriùs prægravat, & ei videtur inextricabilis labyrinthus.

Accitis ergo nuper ad colloquium Chinonense magnatibus suis cum familiaribus, qui rerum malarum industriam habere dignoscuntur & usum, & sapientes sunt ut dicent & faciant mala, studiosiùs inquisivit cum promissis, minis & obtestatione quàm plurima, quonam consilio sibi utendum esset adversùs Ecclesiam, de Cantuariensi Archi-Episcopo gravissimè conquerens non sine gemitibus & suspiriis multis. Et ut tunc præsentes posteà retulerunt, lachrymatus est dicens, quod idem Cantuariensis ei corpus & animam pariter auferret. Tandem dixit quod omnes Proditores erant, qui eum adhibita opera & diligentia ab unius hominis infestatione nolebant expedire. Ad hæc Dominus Rothomagensis aliquantùm excanduit, adversùs hæc corripiens eum, mitiùs tamen, more suo, in spiritu lenitatis : cùm causa Dei magis exigeret severitatem, & authoritatem Pontificis morbo languescentis rationis & fidei fuisse adhibitam. Erat autem dolor acerbior urgente me, quem conceperat ex litteris, quas jam dictus Cantuariensis illi & Matri ejus transmiserat. Earum exemplum vobis transmittitur. Timebat quidem, & meritò, ne in terram ejus interdicti, & in personam anathematis sententia citissimè ferretur, ex authoritate & mandato summi Pontificis. Cum ergo his angustiis premeretur, Lexoviensis Episcopus unicum dixit esse remedium, imminentem sententiam appellationis ostaculo præpedire. Et ita nescio quo pacto, nisi quia veritas ventilata plus pollet, & justitia, quò magis concutitur, eò ampliùs convalescit, dum Rex per avitas consuetudines appellationum jus evacuare conatur, magis confirmat, dum ipsemet pro capite suo ad appellandi refugium cogitur evolare.

Ab illo ergo consilio egressi sunt à facie Dei & Regis sui Lexoviensis & Sagiensis Episcopi, ad sæpè dictum Cantuariensem properantes, ut appellatione interposita usque ad octavas Paschæ suspenderent ejus sententiam. Rothomagensis quoque cum eis profectus est, non quidem appellaturus, ut ait, sed de pace, quam desiderat, tractaturus. Archi-Episcopus verò noster, in procinctu ferendæ sententiæ constitutus, iter arripuerat ad Urbem Suessionum orationis causa, ut Beatæ Virgini, cujus ibi memoria celebris

bris est, & Beato Dransio, ad quem confugiunt pugnaturi, & Beato Gregorio Anglicanæ Ecclesiæ fundatori, qui in eadem Urbe requiescit, agonem suum precibus commendaret. Est autem Beatus Dransius gloriosissimus Confessor, qui, sicut Franci & Lotharingi credunt, Pugiles, qui ad memoriam ejus pernoctant, reddit invictos: ut & de Burgundia & Italia in tali necessitate confugiatur ad ipsum. Nam & Robertus de Munfort ei pernoctavit adversùs Henricum de Esexa dimicaturus. Sic ergo Domino faciente delusa est sollicitudo Episcoporum regalium. Quia cum venissent Pontiniacum, Archi-Episcopum, quem appellarent, non invenerunt, sed frustrati à proposito suo reversi sunt queruli, quod sua consumpserant, laboraverant, & non profecerant.

Archi-Episcopus verò, cùm in præfatis Sanctorum memoriis triduò pernoctasset, die proxima post adscensionem versùs Vizeliacum properabat, ut ibi in die Pentecostes in Regem & suos anathematis sententiam daret. Sed nutu Divino contigit, ut dum esset in Ecclesia Reginensi, sexta feria jam dicta præcedente solemnitatem, nunciatum sit ei certissimè & verissimè, quod Rex Angliæ gravissima laborabat infirmitate, ut ad colloquium Regis Francorum, quod multo desiderio & magnis muneribus expetierat, miserit Excusatores, Richardum Pictaviensem, & R..... de Humaz, qui hanc causam absentiæ ejus præstito juramento volebant adstruere. Hac ergo ratione, cùm hoc per Nuncium Regis Franciæ innotuisset Archi-Episcopo, in Regem ferre sententiam distulit, sicut ei antè consuluerat Joannes vester, suadens ne ad pœnitentiam properaret. Joannem verò de Oxeneford publicè denunciavit excommunicatum, & authoritate Romani Pontificis excommunicavit, ut verbis ejus utar, eò quod in hæresim damnatam inciderit præstando Imperatori sacrilegum Sacramentum, & communicarit Colonienſi schismatico, & contrà mandatum Domini usurparit Decanatum Saresberiensis Ecclesiæ. Has autem causas allegavit in pulpito, in auditu omnium, qui Vizeliacum de diversis nationibus ad diem festum convenerunt. Ibidem etiam, allegatis variis caussis & justis, excommunicavit Richardum Pictaviensem Archi-Diaconum, & Richardum de Luci, Jocelinum de Baillolio, Radulphum de Broz, Hugonem de Sancto Claro, & Thomam filium Bernardi, & omnes qui de cætero in possessiones vel bona Cantuariensis Ecclesiæ manus extenderint, ut eis abutantur, aut eorum usus impediant, quorum necessitatibus sunt deputati.

Regem verò, quem antè per litteras & Nuncios secundùm Regiam dignitatem & morem Ecclesiæ vocaverat ad satisfactionem, publicata vocatione ad fructum pœnitentiæ invitavit, comminans se in eum laturum sententiam anathematis in brevi, ni resipuerit, & de tantis adversùs Ecclesiam Ausis satisfecerit. Quod tamen non nisi invitus faciet. Nec novi aliquem domesticorum suorum, qui ad lationem hujus sententiæ pronus sit. Præterea scriptum illud, in quo continentur pravitates malignantium adversùs Ecclesiam, quas avitas consuetudines dicunt, publicè condemnavit, omnemque nodatis anathematis vinculo, quicumque de cætero authoritate illius scripti utentur. Et nominatim de consilio Romanæ Ecclesiæ hæc capitula in primis damnata sunt:

Quod non liceat Episcopo excommunicare aliquem, qui de Rege teneat, sine licentia Regis.

Quod non liceat Episcopo coercere aliquem Parochianorum suorum pro perjurio vel fide læsa.

Quod ad sæcularia judicia trahantur Clerici.

Quod Laici, sive Rex sive alii, causas de Ecclesiis & Decimis tractent.

Quod non appelletur pro caussa aliqua ad Sedem Apostolicam, nisi Regis & officialium suorum venia impetrata.

Quod non liceat Archi-Episcopo, vel Episcopo, vel alii personæ venire ad vocationem Domini Papæ absque licentia Regis.

Alia quoque in hunc modum, quæ Divinis Legibus & institutionibus Sanctorum Patrum inveniuntur adversa. Episcopos verò omnes absolvit à promissione, quàm de scripto illo observando contrà institutionem Ecclesiasticam fecerant.

Hoc etiam per litteras suas Archi-Episcopis & Episcopis denunciavit, sicut ei ab Ecclesia Romana consultum fuerat. Hæc quidem interim gessit Archi-Episcopus.

Et Rex, quod ad vestram notitiam venisse non ambigo, virum bonum magistrum G..... de Insula misit in Angliam cum litteris à colloquio Chiconensi, ut Insulanos super facta appellatione præmuniret, & portus & transitus faceret diligentiùs observari, & Clerum ab obediendo suspenderet, cùm tamen nondum facta sit appellatio, & Archi-Episcopus possit facilè inveniri. Nec dubito, quin prædicto G..... machinatio ista displiceat cum omnibus quæ præsumuntur adversùs Ecclesiam, quoniam Deum timet. Accivit etiam ad se Rex Dominum Ciceſtrensem, & alios per quorum prudentiam credit malitiam sui consilii adversùs Deum posse armari. Sed profectò, si saperent, vel sibi & suis parcerent in hac causa, quoniam pœna reversura est ista in caput suum. De cætero Dominus Papa in Urbe prosperatur. Cremona contra Theutonicum cum aliis octo civitatibus pro certo dicitur rebellare. Episcopus Tusculanus & Humbaldus Cardinalis diem obierunt. Obiit quippe Wilhelmus Rex Siculus, cui successerunt filii sui, alter in Regnum, alter in Ducatum Apuliæ. Et in extremis agens quadraginta millia Sterlinorum Joanni Neapolitano tradi fecit ad usum Domini Papæ. Filius quoque ejus, qui ei successit in Regnum, totidem misit. Rex Franciæ Cantuariensi Archi-Episcopo patrocinatur in omnibus, & eum magis veneratur quàm fratrem. Quæ autem circà Anglorum Curiam innovantur, ubi rerum crebræ mutationes sunt, vobis notiora esse arbitror, quàm nobis. Vigeat & prosperetur in Domino Paternitas vestra, & nos Sanctorum precibus studeat commendare, ut nos consolentur in omni tribulatione nostra. Revertemur autem, cum placuerit ei, qui nos segregavit ad exulandum, & pro quo, quatenus ei beneplacitum fuerit, voluntate promptissima decrevimus exulare, & adversa pati quæ jusserit, & ad quæ perferenda roboraverit nostram infirmitatem. Det utinam sua gratia patientiam, qui indignis pro se patiendi contulit voluntatem. Valeat pro voto & oratione mea Ecclesia & Domus vestra tota, & omnes qui intercessionum beneficio communicant necessitati vestræ.



## EPISTOLA CXLI.

*Joannes Saresberiensis Nicolao de Monte-Rothomagensi.*

DISSIPAT Dominus gentes, quæ bella volunt. Et qui se à pace Dei elongant, indubitanter peribunt. Quis persecutorum Ecclesiæ ultricem dexteram Dei, qui potentes potentiùs punit, legitur evasisse? Unde Domino nostro Regi Anglorum, quem Deus, si in beneplacito suo est, optimum faciat, & hæredibus suis, quod sine dolore non dico, plurimùm timendum est, ne scindatur Regnum eorum, & infirmetur potestas, qua contrà Ecclesiam abutuntur. Nam si differtur ultio ad correptionem & probationem filiorum, quos Pater misericors castigat ut coronet, non tamen aufertur, sed post sanctorum patientiam in impios acerbiùs excandescet. Quare, quæso, vir sapientissimus, & tantis virtutibus & potestate amplissima, & ferè omnibus bonis donatus à Domino, non redit ad cor, & qui tot & tantarum urbium Domitor est, intemperantiam hanc domare non potest? Cur Ecclesiam persequens unicè dilectam Sponso, iram illius provocat, qui aufert spiritum Principum, & sublimium colla propria calcat virtute? Profectò, si saperet, in eos retorqueret indignationis suæ aculeos, qui cum circumvenientes in hoc non consilium, sed præcipitium impulerunt. Et saltem Babylonis Regem, ut eo non inveniatur crudelior, imitaretur, qui illos conjecit in lacum leonum, quorum consilio illuc detruserat & incluserat Danielem: Ut pœnam, quam intentaverant innocenti, Consiliarii nocentes exciperent. Et si historiarum commovetur exemplis, eum vel Fredericus Ex-Augustus potest instruere, qui de fastigio Romani Imperii ob Ecclesiæ persecutionem in paupertatem & ignominiam miser, sed nulli miserabilis corruit, ad gloriam ejus, qui solus pro arbitrio Regna & Imperia transfert? erigit quas vult, & dejiciti Potestates. Ille suos punire noluit, qui eum depravaverant, Consiliarios, sed in eos digitus Dei gloriosam exercuit ultionem. Nunquid Rex Angliæ ultimus pœnitentiæ fructus offeret Deo, qui eum præ cæteris Principibus sublimavit? Archi-Episcopus sancti Jacobi, diu proscriptus, jam à multo tempore revocatus est à Rege suo. Rex Danorum suum revocans consilio ejus agit omnia, compescit inimicos, & eum colit ut Patrem. Lugdunensis suam recepit Sedem, & Provinciam Catholicæ reddidit unitati. Urbes Italiæ, ejectis coram Frederico Schismaticis, Catholicos Episcopos receperunt. Deo teste, nisi Dominus Rex suum revocet, quod de illo timeo, dicere reformido. Et si eum revocaverit, & Ecclesiæ Dei reddiderit pacem, confido spe haud dubia, quod circa eum & suos antiquorum gratia successuum precibus Ecclesiæ reflorebit. Quid multa? Una via patet consilii, ut pravos & inimicos Ecclesiæ excludat Consiliarios, & Deum, quem offendit, placare studeat, quo invicto regnare non potest, aut feliciter principari. Sustinuit eum hactenus in multa patientia, sed nisi caveat, adversùs immoderationem ejus ut parturiens loquetur in brevi.

## EPISTOLA CXLII.

*Alexander Papa Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo.*

PERLATUM est ad audientiam nostram, quod Saresberiensis Episcopus enormiter satis excessit, & in Deum & Ecclesiam graviter & immoderatè deliquit. Undè quia credimus eum non spontè, sed coactè, & timore ac metu, qui in quemlibet virum constantem cadere posset, aliquid contra decus ejusdem Ecclesiæ commisisse. Cum scriptum sit, *affectus tuus operi tuo nomen imponit*, voluntas & propositum distinguunt maleficia. Si ita est, mitiùs cum eo absque dubiò videtur agendum. Si autem ex deliberatione & spontanea voluntate ipsum in Deum & Ecclesiam deliquisse constiterit, secundùm qualitatem delicti debet puniri. Verumtamen, quidquid discretio tua in eum propter hoc Canonicè duxerit statuendum, nos authore Domino ratum & firmum habebimus.

## EPISTOLA CXLIII.

*Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Rotrodo Archi-Episcopo Rothomagensi.*

SICUT novit vestra prudentia, multo jam tempore correctionem Domini Regis exspectavimus, nec ullum adhuc in eo diligentiæ vel sustinentiæ nostræ fructum invenimus. Undè & congruè, licet cum interno mentis dolore, dicere cogimur: *Sustinuimus pacem, & non invenimus; quæsivimus bona, & ecce turbatio*. Discrimen ergo tam nostrum, quàm Regis ipsius attendentes, si excessus tantos impunitos, ut hactenus, vellemus relinquere, damnavimus atque cassavimus scriptum illud, in quo hæreticæ illæ pravitates continentur. In irritum duximus præsertim hæc: *Quod non liceat Episcopo, &c.* Ut superiùs continetur usque: *Usurpaverunt*. Omnes, inquam, istos vinculo anathematis innodavimus. Quos etiam volumus & rogamus, ut & vos excommunicatos denuncietis. Excommunicavimus etiam omnes, qui in possessiones & bona Cantuariensis Ecclesiæ absque voluntate & assensu nostro de cætero manus extendent.

## EPISTOLA CXLIV.

*Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Roberto Episcopo Herefordensi.*

PERVENIT ad aures nostras querimonia, quod Canonici de Brumfeld circumventione quadam & dolo facti sunt Monachi in Monasterio de Gloucestria: Quodque possessiones & bona Ecclesiæ hac occasione translata sunt ad prædictum Monasterium. Canonicus etiam quidam ipsius Ecclesiæ, qui iter arripuerat veniendi ad nos, ut super tam enormi facto nobis conquereretur sicut accepimus, captus est & incarceratus. Super qua re Fraternitati vestræ mandamus, quatenus rei veritatem simul cum Vigornensi Episcopo diligentiùs inquiratis & investigetis,

geûs, eamque nobis insinuare litteris vestris non differatis. Damus etiam vobis in Mandatis, atque in vi obedientiæ præcipimus, quatenus à præsentium litterarum susceptione infra duos menses, omni excusatione & occasione remota, iter veniendi ad nos arripiatis. Habemus enim de magnis & arduis Ecclesiæ negotiis tractare vobiscum, ad quæ expediendà plurimùm indigemus vestra presentia. De cætero noverit Fraternitas vestra, quod nos damnavimus atque cassavimus scriptum illud, in quo hæreticæ illæ pravitates continentur, & in irritum duximus quæ in eo scripta sunt. Et presertim hæc: Quod non liceat Episcopo excommunicare, &c.

## EPISTOLA CXLV.

*Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Cicestrensi Episcopo.*

QUIA Dominum Regem Angliæ satis superque sustinuimus, nec ullum ex eo sustinentiæ nostræ fructum percepimus, periculosum & intolerabile nobis omninò visum est tantos illius & Officialium ejus excessus jam ex hoc, ut hactenus, impunitos relinquere: præsertim cum & Nunciis, & litteris, & modis aliis studuerimus, nec potuerimus eum à perverso proposito revocare. Proindè scriptum illud, in quo illæ non consuetudines, sed potiùs pravitates continentur, quibus perturbatur & confunditur Anglicana Ecclesia, publicè damnavimus & cassavimus, & ipsius scripti authoritatem. Universos etiam observatores & exactores earum, consiliatores & adjutores, seu defensores excommunicavimus: & Episcopos nostros à promissione, qua tenebantur ad observationem earum, absolvimus. Authoritatem etiam scripti, & ipsum scriptum, & quæ in ipso continentur, in irritum duximus. Et præsertim hæc: *Quod non liceat Episcopo, &c.* Ut supra usque: *Nisi vespuerit.*

Unde est, quod mandamus vobis, & in virtute obedientiæ præcipimus, ut eos qui à nobis excommunicati sunt, Vos quoque, prout decet, excommunicatos & habeatis, & denunciari faciatis. Juxta illud Decretum Honorii Papæ: *Curæ sit omnibus Episcopis excommunicatorum nomina tam vicinis Episcopis, quàm suis Parochianis pariter indicare, eaque in celebri loco præ foribus Ecclesiæ cunctis venientibus inculcare, quatenus in utraque diligentia excommunicatis ubique Ecclesiasticus aditus denegetur, & excusationis causa omnibus auferatur.*

## EPISTOLA CXLVI.

*Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Nicolaus de Monte-Rothomagensi.*

VEHEMENTER gavisi sumus, ex quo per litteras vestras nobis innotuit, quod Institutiones pravas, ad quarum observantiam Princeps noster Anglorum Episcopos voluit obligare, publico anathemate condemnastis. Cum enim vobis non sit incertum, paucos ad præsens inveniri, qui vel resistant pravitatibus, vel eos, quos excommunicastis, publicè devitent, scimus quòd non in humanis auxiliis, sed in eo fiduciam executionis sententiæ posuistis, qui dedit potestatem talem hominibus. Ad quem respiciens Moyses non virtute corporis, nec armatura potentiæ, sed verbo eum, qui se vexabat, subjecit. Siquidem excellentiùs & sinceriùs inchoastis, quàm si in ipsam Regis personam dedissetis sententiam. Condemnando namque prædictas pravitates, citra liberationem Ecclesiæ Dei omnem vobis redeundi aditum obstruxistis. Proinde frater G..... qui litteras vestras deferre debuerat, non venit, & ob hoc eas Domino Rothomagensi coram puero, latore præsentium, legimus & tradidimus. Qui eas quo animo, quo vultu susceperit, puer ex parte cognoscit. Quod à communione se subtrahat eorum, quos excommunicastis, nec dixit, nec negavit. Quod eos publicè non denunciaret, asseruit dicens hæc ideò vos mandasse, quia plures exilii socios velletis habere. Quod litteras vestras suscipere non debuisset, affirmat: Quoniam ipso adveniente, vos ejus præsentiam devitastis. Intelleximus etiam ab ore ejus, quòd ad infirmandam sententiam, seu quæ data est, seu quæ dabitur à vobis, parati erunt probare ipse Rothomagensis, Lexoviensis, & Sagiensis, quod propter hoc ad vos pergebant, ut vobis offerrent omnem satisfactionem, eorum judicio, quos æquum est judicare inter vos & Regem.

Nostræ itaque parvitati visum est, si id vestræ discretioni, & eorum qui vobiscum sunt, congruum videatur, quatenus litteras vestras Domino Rothomagensi & prædictis Episcopis dirigatis, in quibus eis significetur, quòd paratus fuistis, estis, & eritis, redire ad Sedem vestram, & subire judicium, quodcumque Archi-Episcopus Cantuariensis juxta Canonum censuram subire debuerit: Si tamen ipsi impetrare potuerint à Rege, ut habeatis in primis redeundi securitatem, Domina Imperatrice & Domino Rothomagensi interponentibus partes suas, secundùm quod Dominus Papa censuit. Item si Ecclesia in integrum restituatur, tum ad libertatem, in qua erat aliquandò, priusquàm querela mota est inter vos & Regem, quandò scilicet Episcopi non erant obligati ad observantiam pravitatum, tum ad ea quæ postmodum ablata sunt vobis & vestris. Rogetis etiam illos, quod si impetrare non possint à Rege id, quod fieri Canonica dictat authoritas, ne habeat illos adjutores in Ecclesiæ detrimentum, quibus acquiescere non vult in his, quæ spectant ad charitatis judicium. Hæc illis mandanda credimus, priusquàm in Regem sententia detur: Non quòd horum quidquam faciant, sed ne his, quæ à vobis gesta sunt vel gerentur, quoquo modo valeant obviare. Et si ad eos litteras miseritis, earum transcriptum nobis mittite. Præterea Dominus Rothomagensis Imperatrici conquestus est, quòd ei hujusmodi litteras tradiderimus. Totum quoque quod agitis, aut extollentiæ imputat, aut iræ. De nobis pro certo sciatis, quod excommunicatis à vobis nec in salutationis verbo communicabimus. Unde vobis supplicamus attentiùs, quatenus nobis rescribere dignemini, an in his, & in omnibus aliis, à Regis communione debeamus abstinere, si in eum sententiam dederitis, ut nec ab eo quidquam accipere, nec eum in celebratione Missæ liceat nominare. Quale cumque enim terrenum commodum vel periculum credimus postponendum, ut quantùm in nobis est, totum



totum quod convenit censuræ districtionis Ecclesiasticæ, compleatur. Litteras, quas Cicestrensi Episcopo mittebatis, apud nos tenemus exspectantes, ut pro certo cognoscamus, ubi morum faciat, vel si fortè partibus nostris appropinquaverit, ut ei ipsas tradamus. Præterea tam in Curia Regis, quam apud nos plures asserunt, quod Cancellariam Francorum Regis habere debetis. Aliqui conjectant, quod in festo sanctæ Mariæ Magdalenæ in Regis personam proferetis sententiam. Domina Imperatrix audiens in quos sententiam dederatis, quasi ludo id accipiens, eos pridem excommunicatos esse respondit. Post hæc cùm ex parte Richardi de Welcestria salutaretur, nihil respondit.

De rumoribus Curiæ pauca scimus, nisi quod Barones de Episcopatu Cenomanensi pacem cum Rege fecerunt. De Britonibus necdum quisquam, sed in vigilia Apostolorum erat Rex cum exercitu ad quatuor leucas de Felgeres. Cùm Abbas de Derbi redierit, plura scientes vobis mandabimus. Radulphus de Hospitali veniens ab Anglia dixit nobis, quod Episcopi convenientes circa festum sancti Joannis appellaverint contra vos ad *Viri Galilæi*: Eò quòd Episcopum Saresberiensem absque eorum consilio suspendistis, & quia in Dominum suum Regem dare sententiam minati estis. Archi-Diaconus verò vester nititur, quantum potest, habere licentiam transfretandi. Necdum tamen litteras vestras accepit. Per Canonicum Regularem fratrem Adam, qui propter zelum justitiæ vos diligit, scribere poteritis, quod vestræ placuerit paternitati: quoniam absque mora ad nos reversurus est. Valeat sanctitas vestra. Hoc pro certo sciatis, quod Episcopi vestri, etiam Herefordensis, contra vos dura loquuntur: quòd Anglicanam Ecclesiam & Romanam conturbatis. Concilium quoddam habituri sunt in octavis Apostolorum Episcopi, & omnes Abbates apud Northamtonam.

## EPISTOLA CXLVII.

*Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Joannes de Saresberia.*

ET ferè omnia, quæ mihi vestra significavit dignatio, fama divulgante audieram, sed authoritate nominis vestri facta sunt certiora. Ea ergo non tanquàm certa, sed velut audita, per litteras meas significavi Domino Pictavensi, adjectis his, quæ de Angliæ statu audieram, rogans attentiùs, ut vobis super hoc consilium daret. Ex quò verò per litteras vestras certioratus sum, illicò cum Amicis vestris, de quorum sinceritate non dubito, adhibito magistro Philippo, contuli super negotio vestro, nulli tamen ostendens transmissarum nobis exempla litterarum. Et licet, ut præscripseratis, singulatim convenerim Amicos vestros, Abbatem Sancti Remigii, & magistrum Fulconem, & magistrum R. .... omnes tamen non modò in eundem sensum, sed ferè in eadem verba convenerant. In summa ergo nullus eorum inventus est, qui Domini Papæ consilio adversetur. Omnesque communiter approbant consilium, quod vobis dedit Nicolaus Xenodochus Rothomagensis, licet nec de litteris nec de consilio ejus aliquid audierint. Attendenda enim est instantia temporis, conditio Ecclesiæ Romanæ, necessitas Regni Angliæ, periculum non modò Sedis vestræ, sed commissarum vobis Ecclesiarum & animarum. Quibus si vel occurrere vel subvenire potueritis, vix tanti debetis facere animam vestram, ut non pro salute ipsius animæ & liberatione Ecclesiæ naufragantis accedatis ad colloquia persecutorum, & experiamini quid per humilitatem vestram dignetur efficere pius JESUS, qui post Adscensionis gloriam protestatus est, sicut in litteris invenitur authenticis, se adhuc paratum esse mori pro humilibus, & Crucis ignominiam sustinere. Præsertim cùm illi, qui vos persecuti sunt, & Christum in vobis, dicantur aliquantulùm à Regis gratia excidisse, & in ea conditione versari, ut eos jam tædeat vitæ suæ. An verum sit, nescio, sed rumor apud nos publicus est. Sive autem ita sit, sive non, certo certiùs est, quia procul dubio triumphabit, & reddet unicuique non modò juxta opera sua, sed & voluntati consummatæ perfecti operis attribuet coronam. Perfectorum Amicorum, à quibus ego & magister Philippus non dissentimus, consilium est, ut si vos Imperatrix vocaverit, ad ipsam ducente Rothomagensi Archi-Episcopo securè accedatis. Et si ibi boni aliquid audieritis, agatis gratias Deo. Et ita per omnia incedatis, ut modestia vestra omnibus innotescat. Si verò, quod absit, secùs acciderit, reducente præfato Archi-Episcopo in terram peregrinationis vestræ cum honestate & securitate revertemini. De Clericis verò ducendis hoc consulunt, ut non multitudinem ducatis, sed paucos providos & discretos: Si quos tamen habetis tales, quorum possitis inniti consilio, si opus fuerit, & sub prætextu eorum qui defuerint, si hoc necessitas exegerit, dilationem possitis commodè impetrare. Ego autem me in hoc opus non ingero, sed nec refugio quidem, si me decreveritis itineris vestri, & laboris, & sortis fore consortem. Nam in omnem hujusmodi casum paratus sum, Authore Domino, pro fidelitate Ecclesiæ, & vestra. Si tamen placuerit, ut vobis occurram, me tanti temporis spatio præmunite, ut ad locum & diem, quem præscripseritis, commodè valeam pervenire. Nam in me mora non erit ulla, licèt multas domi pro tempore necessarias habeam occupationes, tum ex instantia Abbatis mei, tum ex præsentia Girardi Archi-Diaconi, quorum desideriis, sicut nostis, non possum deesse.

## EPISTOLA CXLVIII.

*Alexander Papa Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo.*

EX litteris tuis jam pridem, & certa multorum relatione cognovimus, quòd tu in Jocelinum Saresberiensem Episcopum, quoniam tibi inobediens fuit, interdicti sententiam protulisti. Ipse verò, licèt super hoc ad nostram audientiam appellasset, & Dominieam, qua cantatur, *Ego sum Pastor bonus*, proximò tunc venturam, appellationi suæ terminum præfixisset, eadem instante nec venit, nec ad nos aliquem pro se responsalem transmisit. Quocirca nos eum in

in contumacia & rebellione sua contra te fovere nolentes, sententiam, quam in eum propter hoc tuleris, authore Domino ratam & firmam habebimus, & totam causam ejus tuæ discretionis arbitrio duximus relinquendam, quòd inde Canonicè feceris, ratum cessante appellationis obstaculo habituri.

## EPISTOLA CXLIX.

*Idem eidem Archi-Episcopo.*

EX rescripto litterarum, quas Saresberiensi Episcopo destinasti, cognovimus quòd concessionem Decanatus, quam idem Episcopus Joanni de Oxeneford enormiter fecit, duplici ratione cassasti. Tum quia idem Joannes Schismatis se laqueo involvit, tum etiam quòd id contra prohibitionem & Mandatum nostrum fuisset factum. Prohibueramus enim, ne absque consensu Canonicorum, tecum & pro te exulantium, Decanus in præscripta Ecclesia aliqua ratione constitueretur. Unde nos authoritate, qua fungimur, prænominatam concessionem omninò cassamus, & irritam esse decernimus.

## EPISTOLA CL.

Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Joannes Saresberiensis.

*Salutem & confortari in eo, qui dissipat consilia gentium, & impiorum conatus evacuat, & Potestates evertit.*

RECEPI nuper litteras Paternitatis vestræ, quibus præcipitis ut vobis rescribam, quod mihi visum fuerit inspectis litteris Domini Saresberiensis, & Joannis de Oxeneford, & magistri Hervei, & Domini Nicolai. Puer autem neque Joannis, neque magistri Hervei, quas plurimùm desidero, litteras tradidit, sed mentem Joannis ex vestris, & Episcopi & Capituli Saresberiensis, facile est agnoscere. Electus verò Carnutensis quid vobis significaverit, nescio, quia in litteris ejus nihil aliud continetur, nisi ut Vincentio credatis. Hoc ergò defuit instructioni meæ, quam plurimùm appetebam, & scitu dignissimum est: Nosse videlicet, quantùm negotia vestra prosperata sint in manu magistri Hervei, & quam opem naufragio Ecclesiæ Anglicanæ Sedes Apostolica, pro qua patimur, decreverit impertiri. Inde enim oportebit cautelam consilii informari, ut juxta parabolam Evangelicam quis turrim ædificaturus sedens priùs computet, & cum Rege congressurus copias suas domi recenseat, ne magni conaminis aut ostentationis subita & inconsiderata præsumptio risui aut ruinæ turpiter exponatur. Nec hoc dixerim, quòd Ecclesiam Romanam spei nostræ fundamentum arbitrer statuendam, sed ipsum solum, super quem & illa fundata est, & in quo quælibet opera fideliter radicata convalescit ad fructum, & consummatur in gloria. Ille nobis sit in conscientiæ fundamento, & homo procul dubio non prævalebit. Nec timeri oportet, vel Tyrannorum minas, aut tendiculas carnaliter sapientium, aut proditorum perfidiam, aut pusillanimitatem Judicis, aut avaritiam & inconstantiam eorum, qui quærunt in omnibus quæ sua sunt: Carnis, non quæ Jesu-Christi. Nam, ut fidissimè scriptura docet, turris fortissima Nomen Domini. Ad ipsum justus confidit, & de omni angustia liberatur.

Quia ergò parvitatis meæ consilium quæritis, consulo nunc, quòd semper, ut omnem & totam spem nostram projiciamus in eum, qui eruere nos potest à tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis. Quod ut justè & misericorditer velit, ponamus, monente Aggeo, corda nostra super vias nostras, & facientes pœnitentiæ dignos fructus, suscipiamus poculum hujus salutiferæ amaritudinis in lætitia de manu Domini, cujus muneribus abutentes pestifera dulcedine prosperorum in perniciem nostram toties exhilarati sumus. Hæc est enim gratia illius, qui ita novit beare suos Amicos, ut per multas tribulationes examinatos, purgatiores, & clariores, & solidiores introducat in Regnum. Omnium temporum seriem percurramus, quem ab initio invenimus Electorum de deliciis migrasse ad delicias, quem legimus hic floruisse & exultasse cum mundo, & nunc in ubertate fructuum lætari & regnare cum Christo? Mente autem sic exulcerata in se per pœnitentiam, per patientiam roborata, & mitigata & erecta per spem, & sanctæ conversationis testimonia, nihil consultius arbitror secundùm ea quæ proposita sunt, quàm ut sequendo consilium Nicolai, quem Dei Spiritum habere confido, scribatis Imperatrici, & Archi-Episcopo & Episcopis Nortmanniæ, vos semper fuisse, & esse paratos obtemperare juri secundùm censuram Canonum, & redire ad Sedem vestram, & vestra recipere & vestrorum, dummodò vobis & illis securitas procuretur, & Ecclesia in eam restituatur libertatem, in qua erat antequàm hujus iniquitatis procella concuteret. Eòque modestiùs scribendum & conditiones censeo exigendas, quo mihi certior esse videor animos adversantium Ecclesiæ Dei sic induratos esse, ut nullam omninò conditionem admittant, nisi quæ Ecclesiæ libertatem evertat, & vestram & omnium nostrum subruat honestatem.

Scriptum tamen eatenus proderit, ut vobis sit contra malignantes Episcopos in testimonium, & modestia vestra, quod plurimùm expedit, omnibus innotescat. Si verò, quod non spero, illi hoc Regi obtulerint, & ipse conditiones admiserit usque ad cautionem securitatis, non videtur mihi quod vos in verbo illo nimis scrupulosos esse expediat, dummodò Imperatrix & Archi-Episcopus se interponant, & Rex protestatione publica & scriptura patente vos & vestros jubeat esse securos. Quid enim si Deus hac sollicitudine vos exercitare decreverit, ut vivatis in medio insidiantium, & obsideamini ab illis, qui quærunt animam vestram, ut auferant eam? Nonne ex causa consimili Gad Propheta David peregrinantem à facie Saulis redire monuit, & compulit in Judæam, ut ei inimicorum insidiæ ad exercitia virtutum proficerent, & meritorum insignia sic clariùs radiarent?

Sed arguet quis fortassè temeritatem hujus consilii, caput vestrum hostilibus gladiis objectantis, dicetque commodius esse & cautius, exspectare ut peregeritis pœnitentiam, quia ex conscientia peccatorum nondum estis apti Martyrio. Ad quod ego: Nemo



Nemo non aptus est, nisi qui non vult pati pro fide & operibus fidei. Parvulus sit an adultus, Judæus an Gentilis, Christianus an infidelis, vir an mulier, non refert. Nam quicumque pro justitia patitur, Martyr est, id est, testis justitiæ, assertor causæ Christi. Sed quorsùm hæc? Scio enim, secundùm quod præsagit animus, quod Rex eatenùs non convalescet, ut de securitate agi oporteat. Et quia illa robustissima columna templi dicit, quòd quidquid agitis, extollentiæ est aut iræ, huic opinioni occurrendum est exhibitione moderationis, tam in factis & dictis, quàm in gestu & habitu: Quod tamen apud Deum non multùm prodest, nisi de arcano conscientiæ prodeat.

De negotio Saresberiensi recolo, quod ex parte Episcopi & Ecclesiæ de intrusione Decani audivi vobiscum, & Episcoporum circumventione, qui Episcopum & Ecclesiam suo consilio induxerunt ad transgressionem Apostolici Mandati. Et si apud homines, sicut jure cautum est, nulli suus patrocinabitur dolus, multò minùs apud Deum patrocinabitur, qui disperdet labia dolosa, & prudentiam prudentium reprobabit. Et sicut mihi ab Urbe significatum est, & ego vobis scripsisse me memini, Dominus Papa jam vestram sententiam confirmavit, immò suam vindicavit injuriam.

De appellatione Episcoporum quid sentiam, non silebo. Quia liberi esse volunt, timeo ne perpetuetur servitus. Jure quidem. Quia cum annus remissionis adesset, annus videlicet gratiæ, Ecclesiam in libertatem evocantis, post sex annos, quibus afflicti erant quasi in luto & latere, maluerunt, eò quòd quidam eorum uxores duxerant, quarum tenentur affectione, alii juga boum plurima adunarunt, alii thesaurizant pecuniam, nescientes tamen cui congregetur, alii aliis & variis voluptatibus se dederunt, & premente se jugo sibi placentium vitiorum maluerunt, inquam, in antiqua servitute teneri, & aures suas perforari subula perpetuæ servitutis, qua se profitentur moribus obedire servilibus perversarum consuetudinum, quàm in libertatem Spiritus velle evadere. An non recolitis, quòd duæ tribus & dimidia, quia pecora multa habebant & possessiones plurimas, non sortitæ sunt hæreditatem in medio Fratrum, id est, communione, terra scilicèt promissionis, sed Jordane nondum transito in Amorrhæorum finibus substiterunt? Hæc nonne in Evangelio interpretatur pius Jesus, per figuram dictionis affirmans, quia faciliùs est camelum per foramen acus transire, quàm divitem intrare in Regnum cœlorum. Et quidem qui ad transeundum Jordanem pigri fuerant, Altare contradictionis & scandali posteà erexerunt: sicut Episcopi nostri, qui sub prætextu juris formam & vigorem justitiæ conantur eludere. Sed & hos ad unitatem & pietatis cultum triumphator gentium legatione missa revocabit Jesus, ad professionem legis & justitiæ cultum, ut quod rectum est coram Deo, sapiant, loquantur, & faciant, & armati exhortatione Moysis, id est, divinæ legis, præcedant Fratres suos, donec Christo hæreditas sua, Ecclesia scilicèt, liberetur de manibus hostium. Et post inclitos de vitiis triumphos stabiliatur in terra.

Si interim Herefordensis Episcopus, qui à plerisque videbatur liberaturus Israel, in contemptu mundi & peritia litterarum, quarum ab ignaris vel eum ignorantibus creditur habere copiam, vos conturbatores Ecclesiæ nuncupat, ei & complicibus ejus responderi poterit verbis Eliæ similiter objurgati, dicentis ad Achab: *Non ego turbavi Israel, sed tu, & Domus Patris tui, qui dereliquistis mandata Domini, & secuti estis Baalim.* Non quòd velim, qui modestiam suadeo, ore vestro hæc Episcopis responderi, sed sibi à conscientiis suis, vel ab aliquo Religioso, qui corripiat eos, eò quod sint cultores Jezabel, quæ cohabitatrix, quod nomen meretricis est, interpretatur: aut fluxus vanus, quia more meretricum, quæ convivia sectantur & tabernas, se luxuriæ primùm, & omni postmodùm turpitudini exponentes, non nisi fluxa, cum quibus & ipsi pereffluant, confectantur, ut in momento pariter evanescant cum vanitatibus suis. Vos igitur istis interpretatoribus, immò detractoribus vestris quid possitis modestè respondere? Nempe quòd sanctissimus & modestissimus David intorsit in negligentiam Abner, qui in patris lucernam vertitur, quando Saulem in castris dormientem custos somnolentus exposuit hostibus, ut in argumentum desidiæ lanceam Regis & scyphum aquæ auferrent à capite ejus, & asportarent. Dicatur ergò Herefordensi, quoniam ipse sui Saulis custos est, ut ajunt. Et Londoniensi, qui à Summo Pontifice custodiam hanc, cùm à Sede sua migraret in aliam, noscitur accepisse. Dicatur, inquam, utrique eorum: *Nonquid non vir tu es, & quis alius similis tui in Israel? Quare non custodisti Dominum tuum Regem? Vivit Dominus, quia filii mortis estis vos, qui non custodistis Dominum nostrum, Christum Domini. Ubi enim hasta Regis*, justitiæ directionem significans: *Et scyphus aquæ*, vas scilicèt legis puræ, *qui fuerat ad caput ejus*, ad refrigerium carnis, & refectionem spiritus in siti sua? Sed & illi continuò verbis Abner fidei & sollicitudini vestræ increpationem respondebunt, dicentes: *Quis es qui clamas, & inquietas Regem?* Ac si dicant: Permittite nobiscum in contemptu mandatorum & persecutione sanctorum dormire Regem nostrum, ut eum pausantem sic in contemptu Divinæ Legis producamus & perducamus ad somnum mortis.

Vos tamen, qui reminiscimini Domini, ne taceatis, & ne detis silentium ei, sed exequamini quod ait Apostolus: *Argue, obsecra, increpa, opportunè, importunè.* Id est, quacumque opportuna importunitate. Sub prætextu tamen appellationis omnes se de cætero tuebuntur, parati quamlibet incurrere inobedientiam: Exspectantes interim aut mortem Domini Papæ, quam optant, aut vestram, aut alium casum, qui eorum malitiæ patrocinetur. Rex autem, à cujus excommunicati communione se nunquàm suspendent, nonne ei semper Pontifices & Clerus ferè totus adstiterunt adversùs Dominum, & adversùs Christum ejus? Credo tamen in Episcopis aliquos esse, qui vobiscum, immò cum Deo & Ecclesia ejus, votis & orationibus firmiter perseverant, & si inimicis & persecutoribus Ecclesiæ corpore & verbo tenus in multis communicent. Sic Jonathas corpore cum Saule Patre suo versabatur, sed tota mentis sinceritate cum David exulabat. Sic etiam ad filii Parricidæ consortium Chusai Arathiten in exilium properantem remisit David, malens illum cum amicis Sadoc & Abiathar Sacer-

Sacerdotibus inter inimicos utiliter commorari, quàm sibi inutiliter coexulare. Quosdam Episcoporum justitiæ Dei & vobis favere non dubito, & maximam partem Cleri, sed vel ex necessitate vel pusillanimitate dissimulant. Quis enim opinetur omnia sidera defectum pariter sustinere?

Ut ergo de cætero manum contraham, consilium quod à me quæritis, ingenioli mei vires excedit. Neque unquàm ut in Regem Dominum vestrum anathematis, aut in innocentes Regni feratis sententiam interdicti, præcipitabo consilium. Adhuc fixum est apud me, quod auribus vestris intimavi apud Castrum Theodorici, nec ab illa recedo sententia. Quid illud sit, potestis meminisse, quia idem sentiebatis. Hoc tamen adjicio, ut super & aliis, quæ posteà emerserunt, consulatis Dominum Pictaviensem, & aliorum sapientum sententias exploretis. Et Hervei, si eum interim reduxerit Dominus, habeatis consilium. Sed ante omnia incumbatis precibus, & aliis exercitiis militiæ Christianæ, & agonem vestrum media sanctorum intercessione Domino commendetis. Et sic procedatis ad id, quidquid illud sit, quod per organa sua, sapientes & fideles dico, docuerit Spiritus Sanctus, & quòd causa vestra desiderat. Credo quòd & vos ipsi habetis Spiritum Dei. Quia qui zelum dedit immerito, bene merenti credendus est in necessitatis articulo consilium ministrare. Non ergo suadeo, ut secundùm quod communis Pater noster & Dominus dicere consueverat, consilium, quod Dominus inspiraverit cordi vestro, in caligula reponatis, & aliorum minùs in causa vestra vigilantium præferatis opiniones.

Post festum Beati Petri dispono statim Deo authore venire ad vos, & tunc ex mutua collatione multa ad invicem clarere poterunt, quæ pagina non sufficit expedire. Quid egeritis Vizeliaci, Archi-Episcopo & Ecclesiæ Remensi à multis diebus innotuit: Nec operæ pretium puto divulgata referre. Si Templarius offensus est, dissimulatione utendum arbitror: Quia qua facilitate concipere, eadem aborsum facere consuevit. Et cum ei nihil debeatis adhuc, non consulo, ut vos obnoxios illi reddatis in talibus. Ad hæc si ei fuerit supplicatum, magnificabit injuriam. Si dissimulatum, etiamsi qua præcessit injuria, dissimulatione poterit aboleri. Via autem reconciliationis facillima erit, ut in aliquo munusculo capiatur. Video tamen Templarios in Curia ejus benignè recipi, & eorum negotia commodè expediri. Ipse autem ad Claram-Vallem profectus est, accitus, ut ajunt, à majore parte Conventus in ruinam Abbatis. Fromundus, qui hoc iter ejus procuraverat, pridiè idus Julii obiit, & in Monasterio sancti Remigii sepultus est.

## EPISTOLA CLI.

*Joanni Pictaviensi Episcopo Joannes Saresberiensis.*

MIRATUR fortasse vestra discretio, quod Dominus Cantuariensis colloquium Regis Angliæ, quod vestra procuraverat industria, respuit, cùm anteà sæpiùs ad colloquium ejus accesserit non rogatus, & quod ampliùs est, spretus in contumeliam Christi, & variis affectus injuriis. Erat enim cupidus pacis suæ, sed Ecclesiasticæ liberationis longè cupidior: Sed & salutem Regis & gloriam, & liberorum ejus indemnitatem maximè cupiebat. Ob has ergo causas se & suos conviciis, contumeliis, & variis periculis, ut taceam labores & sumptus, exposuit, dum per viam humilitatis pacem reformari posse ratio suadebat. Sed postquàm multis & manifestis agnovit indiciis, quod ille Domini Papæ patientia semper magis ac magis abutitur, & humilitate crescit inhumanitas, & de exhibita mansuetudine nascitur ac dilatatur insolentia, alia via, & utinam feliciori, sibi censuit incedendum. Præsertim cum patenter agnosceret, quod vobiscum & cum ipso prorsus agebatur in dolo. Sic *Fistula dulce canit, volucrem dum decipit auceps*. Nondum spes pacis promittitur, pernicies Ecclesiæ transmissa ad Sedem Apostolicam legatione procuratur. Archi-Episcopus invitatur ad colloquium, ut non caveat tendiculas eorum, qui quærunt animam ejus, ut auferant eam. Nam quæ non prævidentur, jacula feriunt citiùs, & magis lædunt. Ubi, quæso, scripturæ veritas, si ille qui omnibus foveam parat, quandoque non præcipitatur in ipsam? Quis fidelis & verax est, si fallax est & falsa veritas, quæ mentientibus operum merita præmiorum fructus ad eandem, sed coagitatam, refertam & superefluentem mensuram pollicetur? Nonnè pondus & pondus in manu hominis est abominatio apud Deum? Nunquid ergo pondus & pondus erunt in manu Dei, ut inter pauperes & divites iniquè decernat? Absit hoc ab eo, qui orbem judicat in æquitate, qui ipsis Angelis non pepercit, qui potentes potenter punit, qui aufert spiritum Principum, qui contemptores suos reddit ignobiles. Ipse judicet causam suam, & Ecclesiæ oppressores aut convertat aut conterat. Pauperes suos ad gloriam nominis sui, pro-ut eis novit expedire, liberet & eripiat à facie gladii imminentis, ne quando dicant Gentes, *ubi est Deus eorum?* Patiens quidem Cantuariensium Deus, sed idem procul dubio fidelissimus Retributor. Et quidem spes est, quod non diu differet ultionem, sed comminabitur in brevi. Et nisi per pœnitentiam & satisfactionem persecutor Ecclesiæ declinaverit ictum, ferietur irreparabiliter, & erit sæculo in exemplum.

## EPISTOLA CLII.

*Joannes Saresberiensis Nicolao de Monte-Rothomagensi.*

NOTAM ingratitudinis jure contrahit, quem ad promerendum amorem & obsequium beneficiorum memoria non accendit. Et quidem tantò uberior debetur gratia, quantò cumulatiùs, & frequentiùs ad nec meritum nec merentem à sola divite vena innatæ liberalitatis beneficia processerunt. Sed unde mihi, dilecte & omni jure & meritò diligende, ut humanitati condigna liberalitatis compensatione respondeam? Exulo, proscriptus sum, expositus paupertati, coexulantium mihi magis quàm propriis incommodis urgeor, & eorum, quæ in pressuris Ecclesia Dei patitur, à me nihil reputo alienum, sed in omnibus Deum mihi propitium sentio, cujus muneris est, ut exilium pro justitia subeam, libens rapinam bonorum meorum pro fide, si necessarium est, gaudens excipiam, nec angustias timeam, aut erubescam ignominiam paupertatis, discipulus & professor pauperis Christi, certus ab ipsius veritatis oraculo, quod tristitia nostra vertetur in gaudium. Fidelis enim est, nec patietur pupillos suos & pusillos tentari supra id quod possunt, sed ad gloriam suam faciet, ut humilium tentatio eis transeat in profectum. Cæterùm unde mihi interim, amicorum dulcissime, ut tuæ respondeam liberalitati? Eam namque dissimulare non possum, quam toties expertus loquor, cujus beneficia toties mei senserunt, quoties opportunitas data est, ut tuæ charitatis solatio fruerentur. Quod itaque possum ad præsens, gratias devotione maximas ago, exspectans ut miserationi vestræ respondeat in misericordia uberi, cui in nobis beneficiorum pecuniam dedistis ad usuram. Hoc enim solum est honestum fœnoris genus, & quod usurarum & totius avaritiæ condemnatrix pagina veritatis non modò absolvit, sed centupli mercede remunerat. Nam & hoc Salomon in proverbiis testatur dicens: *Fœneratur Domino, qui pauperis miseretur. Et vicissitudinem suam reddet ei.* Temporaliter quidem quatenus expedierit, plenissima retributione in vita æterna. Quod si Divina dignatio eatenus desideriis meis satisfaceret, ut benefactoribus meis sua authoritate & meo ministerio vicem duceret rependendam, votorum temporalium summam mihi fore omninò viderer assecutus. Sed quid de pace nostra sentiam, non planè video, aliis asserentibus eam desperatiùs elongari, eò quòd Dominus Rex prosperatur in viis suis, aliis è contra dicentibus, quod ei pax non displiceret, si honesta reconciliationis forma occurreret. Et hoc utique crediderim citiùs, eò quòd vir prudens in hanc ipsam successuum facilitatem & copiam debet habere suspectam, & viarum suarum conscius esse tutus non poterit, si injuriando Ecclesiæ & pauperibus Christi Deum sibi reddiderit inimicum. Sed Deo propitiante non faciet quòd Principatus sui gloriam debeat obfuscare, nec contrà Deum præsumet de facilitate aut etiam fallacia successuum, qui meminit, quoniam *equus fallax est ad salutem*. Hazael velocitate cervos, ut refert historia, anteibat, & pernicitate currendi capreis prævolabat, sed quia agilitati nimis indulsit, hostem persequens fugientem, eum coegit ut instanti fatalem inferret plagam, qui fatum disposuerat declinare per fugam. Fugit interdùm Christus à facie persequentis, sed væ impœnitenti, in quem provocatus torvo respicit oculo. Saluta Socios Curiales, qui excommunicati non sunt.



## EPISTOLA CLIII.

*Joannes Saresberiensis Radulpho de Bello-Monte.*

VERÆ titulus pietatis nullo meliùs clarescit indicio, quàm cùm illis misericorditer subvenit, qui humano solatio destituti sunt, & quos ingratus Deo gratis persequitur mundus. Hunc itaque te assecutum esse congratulor, gaudens quòd præter opinionem multorum, & ferè omnium, non dico sæcularis adminiculo philosophiæ, sed ignículo Spiritus sancti, tuum ad sapientiam veram animum accendentis pariter & illustrantis, exerces opera pietatis. Et sicut ex relatione latoris præsentium didici, inter charitatis impugnatores, quod verum decet Christianum, Fraternitatis, quæ in Domino est, ausus es reminisci. Sed unde hoc tibi, mi Radulphe, præsertim cum qui columnæ videbantur esse Ecclesiæ, trepident, & Gigantes, qui orbem portare debuerant, faciliùs inundatione aquarum submergi acquiescant, quàm gemere? Mandavit Dominus nubibus suis, ne in partibus illis pluant imbrem, & tu in eisdem non es veritus ad stillicidium Divinæ gratiæ germinare fructus misericordiæ, & opera Salvatoris. Credideram profectò te philosophantis habere verba, non animum, sed nunc recolo te aliquatenùs esse discipulum magni Aristippi, qui omni conditione temporis æquanimiter utebatur, & in ipsis philosophabatur nugis, jucundus omnibus, nulli gravis. Qui aliquando interrogatus, ei quid philosophia contulerit, dicitur respondisse: *Ut cum omnibus hominibus intrepidè fabularer*. Ergo de cætero in te securiùs arbitror confidendum, quia non diffidis de Regno Christi. Qua spe rogo, ut, sicut cœpisti, latori præsentium, contemplatione Dei & obsequii ejus, in opportunitatibus suis adesse memineris.

## EPISTOLA CLIV.

*Joannes Saresberiensis Wilhelmo Suppriori Ecclesiæ Christi Cantuariæ.*

MIHI nuper locutus es in parabolis, dicens tuas, immò Ecclesiæ opes, de novo publicatas, & studiosiùs deprecatus, ne me eas prodente transferantur in Babyloniam. Sed si publicatæ sunt, miror quare usque ad Patrem, se pro filiorum salute & libertate Matris devoventem, & jam triennio ærumnis expositum, ante liberalitatis beneficio non pervenerunt. Si publicatæ sunt, debueramus & nos esse de contentis in populo. Si Patrem profitemini, ubi est amor ejus? si Dominum recepistis, debitæ venerationis quò profectus est timor? Si vos fratres asseritis & amicos peregrinantium, cur cessant humanitatis officia, & debitæ solatia charitatis? Sed fortasse quò gratius Patri præstetis obsequium, exspectatis ut ampliùs egeat, interim picturis inanibus imperitæ multitudinis oculos oblectantes, rati impensum iri publicis usibus, quod in spectaculis & curiosorum lenocinijis oculorum ineptiùs erogatur. Profectò *non hoc ista sibi tempus spectacula poscit*. Illudque Satyricum videtur in vos, scio cui

cui & quibus loquar, probabiliter retorquendum: *Non habet infelix Numitor quid mittat Amico. Quin-tille, quid donet, habet. Nec defuit illi, unde emeret multa pascendum carne Leonem.* Nec hoc dixerim, quod verbum hoc in omnes cadat, sed in eos, quos indubitanter nostis, quia potuerunt non transgredi, & transgressi sunt; bona facere, nec fecerunt. Novit inspector cordium, quia mihi tristitia est, & dolor continuus cordi meo, quod vobis dormientibus in periculo vitæ, soli alieni naufragio nostro ferunt opem. Dicetur tamen ad cumulum doloris mei, quod circa unum in tanta necessitate Patri præstitistis obsequium, diligentem adhibendo custodiam, ne quocumque casu evaderet, qui de manu carnificum elapsus convolaverat ad nostrorum præsidia Patronorum. Si timorem prætenditis, at profectò Deus non irridetur. Si timetis eum, cui ad momentum credita est dispensatio peccata corripiendi in corporibus, quare non pertimetis eum, qui potest corpus & animam perdere in gehennam? Expergiscimini mihi, & memineritis Abdiæ dispensatoris Achab, qui centum Prophetas in lacubus latitantes pavit in persecutione Jezabel. Quidquid autem in alterutra parte feceritis, procul dubio ad mensuram bonam & superefluentem in sinus vestros refundet Altissimus. Neque hoc impediet ille vester Collega Bathoniensis, qui utinam submergatur in thermis, quibus dignus est, quas meruit: ut conjiciatur in ruthæ folium, cujus Petronius meminit in pœnam delinquentium, aut sepeliatur in salinario Eduorum. Ut ad parabolam tuam redeam, scias quia nomina librorum apud me sepulta sunt. Sigillum quidem nomine tuo recepi, sed illud mihi tuus abstulit Britonellus. Quod ex condicto tuo factum suspicabor, nisi mihi restitueris.

## EPISTOLA CLV.

Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Nicolao de Monte Rothomagensi.

*Suus suo salutem, & animi constantiam.*

SI grandia loquitur, si magnalia spargit, qui jurisjurandi commercio mirando novit inducere, haud mirandum credimus, nec rei admiratione cedendum. Satiùs enim est alieno scelere nos perire, quàm metu nostro. Tu verò certum tene, quidquid mentiatur Juratoris famosa dolositas, quidquid minetur tortoris austeritas captiosa, quia per misericordiam Dei neque mors, neque vita, neque Angeli, neque aliqua creatura poterit nos separare à charitate Dei, quæ subjecit nos tribulationi. Sed nec ipse Papiensis, donec compleatur iniquitas, donec evanescat conditionis nostræ pressura. Ad cujus ingressum incipiant saltem apparere vestigia libertatis, ut eodem studio, quo ipsa parabatur deleri penitus, quo libertas funditùs credebatur extingui, vestigia se præbeant eminentiora, resurgat fortior ipsa libertas. An ignoras arbores magnas diu crescere, una hora extirpari? Stultus est, qui fructus earum exspectat, nec attendit casum. Sit itaque tibi solatio, quia *inimici Domini, mox ut honorificati fuerint & exaltati, deficientes quemadmodùm fumus deficient.* Exspecta parùm, perquid insibilet eis sibilus auræ lenis, in quo Dominus: *& adhuc pusillum, & non erit peccator. Quæretur locus ejus, & non invenietur.* Hæc hactenùs.

Cæterùm si absolvendi sunt, vel jam absoluti excommunicati nostri, constat eos esse vel fuisse excommunicatos. Sequitur ergo eis scienter communicantes contraxisse in se maculam excommunicationis. De cætero quid inde proveniat, ipsi viderint. Unum scias, non tulit gratis beneficia ipsa Joannes. Habet aliquid compensationis, quod pro certo audivimus à redeuntibus de Curia: Renuntiatum esse per ipsum ex parte Regis Consuetudinibus Regiis, quas petebat à nobis Rex sibi concedi & confirmari. Hoc optamus ministerio tuo provenire ad aures Regis, & Comprovincialium tuorum, tacito tamen me Authore. Sed nec te ipsùm patiaris inde laudari authorem, ut vel sic de præsumptione sua confundatur garrulus ipse, & de gloriæ suæ vanitate reddatur inglorius. Tu autem confortare, & esto robustus, quia per misericordiam Dei propior est nostra salus, aut censuræ vigor, quàm mentiatur falsa crudelitas, quam sibi blandiatur adulatio deceptoria. Valete.

Valeat & tecum Nicolaus noster. Exspectate finem gaudentes, qui cujusque rei solet esse pars potissima, unde sortiatur sibi quisque certum exspectationis suæ experimentum. Valete iterùm, & semper.

## EPISTOLA CLVI.

*Constantiensi Episcopo Joannes Saresberiensis.*

SUPER afflictione Domini mei Saresberiensis Episcopi, quod quidem justissimum est, anxiatur Spiritus meus: Eò quidem graviùs, quò minùs laboris hujus facilem exitum videt. Qua autem sedulitate apud Dominum Cantuariensem egerim, ut eum relaxaret, novit inspector & Judex omnium. Sed labori meo successus defuit ex variis causis, quas retexere supervacuum arbitror, quia plurimas earum Magister Gilebertus, fidelis vester, ab ipsius Archi-Episcopi ore audivit. Ut verò taceam plurima, ex eo maximè movetur Archi-Episcopus, quod Dominus Saresberiensis formam inobedientiæ cæteris dedit, & adhuc assistit Londoniensi, & aliis qui quærunt animam ejus, ut auferant eam. Adjicit etiam, quòd ei contumaciter scripserit, & sub prætextu frivolæ appellationis crimen inobedientiæ studuit colorare. Sed nec eum posteà præsumptionis pœnituit, ut appellationi renunciaret, sed quadam inconstantia verbi & operis, dissimulata injuria appellationis, qua se tuetur, opponit obicem corripienti, & tamen simulata humilitatis reverentia misericordiam petit. Nihil aliud ergo ab eo potest aliquis impetrare, nisi ut Episcopum ab appellatione recedentem, & culpam publicè profitentem, & de cætero obedientem, Paterna benignitate recipiat, & exinde quasi Filium charissimum in omnibus tractet. Nam de Archi-Episcopi mansuetudine, si hoc, quod necessarium esse scitis, Episcopo fuerit persuasum, omninò non dubito. Nostis enim quid super hoc vobis nuper scripserit Dominus Papa, & quid remedii Decanus huic causæ retulerit ab Apostolica Sede. Cujus tamen si promissa præcesserint, & eorum, quæ juramento firmata sunt, fides fuerit adimpleta, Archi-Episcopus & sui reconciliabuntur in brevi, & pax cum honestate Ecclesiæ inter Regnum & Sacerdotium reformabitur. Interim quòd vobis innotuisse potest, ad silentium eorum, quæ Romæ gesta sunt, necessitate mandati arctamur. Sed cùm de fide aut perfidia constiterit pactionum, propalare licebit universa. Quia ergo Dominus Saresberiensis & Reginaldus Archi-Diaconus me in causa ista sollicitant, rogantes ut quod invenero eis rescribam aut vobis, precor attentiùs, ut jam dicto Archi-Diacono litteras, quas ei mitto, habere faciatis, & felicem Deo Authore provideatis exitum causæ.



## EPISTOLA CLVII.

*Joannes Saresberiensis Roberto de Feveresham.*

INHUMANUS est, & extremæ impietatis maculam incurrit & notam, qui paterna afflictione non læditur. Præsertim ubi Paternæ benignitatis in filium plura & grandia luce clariùs radiant argumenta. Constat enim ex sententia Domini, Chananæorum gentem perpetua servitute damnatam, quia Pater eorum Cham, à quo genus & nomen contraxerunt, inhumanus exstitit in Parentem. Nam ex commisso Authoris impii tota posteritas præjudicium tulit. Et dum odibile servitutis excipit jugum, devitandæ impietatis salutare omnibus procurat exemplum. Sanè & ego me deteriorem Chananæo quolibet arbitrer, si Patri non compaterer laboranti, si flagella ejus non exulcerarent animam meam super dolorem vulnerum propriorum. Hujus rei testis est conscientia, testis est conscientiæ scrutator & arbiter Deus, qui fortè citiùs, quàm credebatur, illustrabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Et jam quidem adstamus ante Tribunal ejus, & eum in causa nostra Judicem exspectamus, ut in conspectu ipsius stultum sit & temerarium mentiendo totius laboris & vitæ, si quid tamen salubriter patimur aut rectè agimus, mercedem perdere. Laboravi ergo, sicut ipse novit, apud Dominum Cantuariensem, utens nunc mitigativis, nunc acerbioribus, & omni sermonum genere, sed labor meus, quòd doleo, cessit in cassum. Quos autem obices illæ precibus & persuasionibus nostris opponat, & retexere longum est, & ferè superfluum, cum magister Gilebertus, quem vobis fidelem esse non ambigo, omnia plenissimè audierit ex ore ejus. Deum tamen testem invoco in animam meam, quod, ut ex animi mei sententia loquar, Archi-Episcopus Episcopum sincerè diligit, & saluti ac indemnitati ejus cupit esse prospectum. Sed insistit, ut qui inobedientiæ & illiciti ausus aliis dedit formam, seipsum salubris & necessariæ obedientiæ cæteris præstet exemplum. Quod si sibi scripturarum authoritate, Amicorum consilio, & Domini Papæ mandato persuaderi permiserit, ipsum Archi-Episcopum, quem nunc fortasse plus justo timet, piissimum Patrem inveniet, & longè proniorem ignoscere, quàm ulcisci. Potestis enim, & expedit, reminisci, quid super hoc à Sede Apostolica nuper Domino Constantiensi rescriptum sit. Nam ad vestram aut venit, aut debuit pervenisse notitiam. Scitis etiam quid solatii inde retulerit Decanus vester. Aut si nescitis, utinam omnia, quæ Romæ gessit, tam in hac causa quàm in cæteris, non modò vobis, sed & toti innotuerint mundo. Et si liceret adhuc ea publicari, per nos facilè innotesceret quid actum sit & de consuetudinibus, unde litigium vertitur inter Regnum & Sacerdotium, de pace Archi-Episcopi & libertate Ecclesiæ, de integra restitutione & securitate omnium exulum. Quid etiam juraverit, & qua cautione firmaverit pactiones. Et interim silemus necessitate mandati, dum promissionum speratur & exspectatur fides. Sed nihil opertum, quod non reveletur, idque authore Deo in brevi. Juxta enim est dies perditionis eorum, qui in mendacio deprehendentur, & retributionis ac vindictæ adesse festinant tempora. Quod si meum consilium interim quæritur, ecce coram Deo, quem hujus verbi in extremo examine testem invoco, tota spiritus libertate, & in fide illi tanquàm Patri promissa & debita respondeo, quòd in omni ardua dubietate censeo faciendum. Scilicet ut primò omnium quæramus & sequamur quod super hoc lex Divina præscripsit: Quæ si nihil certum exprimit, recurratur ad Canones & exempla sanctorum. Ubi si nihil certum occurrit, tandem explorentur ingenia & consilia sapientum in timore Domini, illique, seu pauciores seu plures sint, cæteris præferantur, qui honorem Dei commodis omnibus anteponunt. Nullus enim salubriter incedit, lege Dei, quæ omnibus est certissima forma vivendi, neglecta. Et qui Patrum vestigia detrectat imitari, ad consortium Regni, quo illi gaudent, intrare non poterit. Nam & Josue & Seniores Israel in fœdere Gabaonitarum patuerunt culpæ, quia sicut scriptura testis est, sumptis eorum cibariis os Domini non interrogaverunt. Quid autem significatur per os, nisi verbum Domini, quo semel locutus est, ut idipsum repeti non oporteat. Hujus autem perspicua est & clara in lege sententia: *Quoniam melior est obedientia quàm victimæ. Quia & ariolandi crimen est repugnare, & quasi scelus Idololatriæ nolle acquiescere.* Hanc Christus edicto promulgavit, & firmavit exemplo, factus obediens usque ad mortem, docens quibus finibus obedientia debeat limitari. Obediendum enim est non modò ad jacturam temporalium & corporis cruciatus, sed usque ad exitum mortis. Et si citrà in necessitate cessatur, virtus obedientiæ non assequitur palmam. Sapientiores Amici meliùs fortasse consulent, sed ego, Deo teste, ad præsens nescio commodius. Sic enim Domini mei JESU-CHRISTI gratia persuasus sum, & omnes Amicos persuaderi desiderio, quod *summum credo nefas animam præferre pudori, & propter vitam vivendi perdere causas.*

## EPISTOLA CLVIII.

*Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo quidam Amicus.*

FERVENTIS & indubitati pignus exstat amoris etiam in exilium corpore & animo comitari Amicum. Profectò novimus plerosque domi

domi amicis mente coexulare. Sed nec nullos audivimus, animo & corde domi relicto, corpore dumtaxat amicorum compati exilio. Commendabiliorem quidem compatiendi modum verus Amicus ille vester sibi elegit Dominus Vigornensis, qui exilii vestri viam prosecutus, tenerè vobis compassus, ad Sedem suam nec oculos corporis deflexit, nec ad Potestatis terrenæ blandimenta vel minas cordis constantiam inclinavit. Iste siquidem solus inventus est, qui simul corpore & spiritu Patris sui molestias comportaret, & Prælati sui reverentiam deliciis & divitiis anteferret. Quantò igitur firmius ipsius fidelitatis apparet argumentum, tantò vobis tutius esset & utilius, ipsum eundem tanquàm contra mundi pericula in loco graviori opponere firmamentum, ubi tempore congruente, & Principe quandoque mitigato opportunitatem concedente, vestri haberet memoriam & mentionem. Mihi itaque videretur consultius, & vobis expedientius, quòd prædictus Amicus vester ad vocationem sui Principis repatriaret, & illum charitatis vigorem, quo vos amplectitur, ibidem exerceret. Ibi enim id exercendi materiam copiosam inveniret. Hic verò, quo ad præsens mihi occurrit in mentem, non æquè vobis poterit subvenire, nec voluntatem, quam erga vos gerit, ostendere. Benè valeat Dominus.

## EPISTOLA CLIX.

*Joannes Saresberiensis Magistro Richardo.*

INSTANTIA Portitoris & temporis angustia scribentis quidem verba coarctant, sed scribentis affectionem cohibere aut coarctare non possunt. Essent autem nunc plura scribenda pro tempore, sed animus sapientis ex paucis plura deprehendere consuevit. Ut ergo vobis primùm innotescat vestra, quam optimam esse desideratis, conditio, noveritis Dominum Cantuariensem & Co-Exules ejus primùm Regi Christianissimo, deinde totius Franciæ optimatibus, secundùm quod operis exhibitio indicat, esse acceptos, & pacem Ecclesiæ in brevi, ut spes est, adsuturam à Domino exspectare. Ad hoc etenim destinati Cardinales laborant dicentes, quod si alia via vulpeculas Allophylorum compescere nequeunt, caudas eorum ad sata jam in messes germinantia facibus succensis & succedentibus inurent, in correptionem & exemplum omnis carnis & generationis. Sed quid verba eorum recolo? A fructibus eorum cognoscemus eos. Vos autem, dilectissime, quæ circa vos sunt nobis rescribere non gravemini, & interim in subventione Ecclesiæ naufragantis, immò jam auxiliante Deo convalescentis, talentum vobis creditum erogare. Nam fortasse pro salute multorum vos ad illam barbariem Dominus destinavit, ut contrito schismatis capite, Coloniensis Ecclesia per industriam vestram, ad Catholicam redeat unitatem. Imperator enim, quasi torris raptus de incendio, confusus ab Urbe recessit. Et licèt fœtor cadaverum à castris ad nares adscenderit, Domino manum suam extendente super eum, nondum tamen voluit agnoscere, & confiteri errorem suum. Erigatur itaque spiritus vester: Quoniam Christus vincit, regnat, & imperat, & recordatus pauperum suorum potentes impios potentiùs torquet.

## EPISTOLA CLX.

*Alexander Papa omnibus Episcopis Angliæ.*

TANQUAM ex injuncto nobis officio, de universorum jure in sua integritate servando curam tenemur & sollicitudinem gerere ad illorum justitias, qui in partem sollicitudinis nobis commissæ à Domino sunt vocati. Quantò in gradu sublimiori existunt, tantò frequentiùs retorquere debemus super his majorem diligentiam, & curam propensiorem habere. Hac siquidem consideratione inducti fraternitati vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, & in vi obedientiæ injungimus, quatenus iis, quæ ad Ecclesiæ Cantuariensis jura, dignitates etiam, aut libertates spectare noscuntur, vos sine conscientia & assensu Venerabilis Fratris vestri Thomæ, ejusdem Ecclesiæ Archi-Episcopi, intromittere nullatenus præsumatis, nec occasione appellationis, quam contra eum ad nos fecistis, id aliquatenùs acceptetis. Quòd si aliquis vestrum contra hoc præceptum nostrum quolibet ausu venire præsumpserit, ita in eo excessum istum studebimus, Domino authore, graviter vindicare, quod pœna docente agnoscet, quoniam periculosum fuerit Apostolicis contraire præceptis. Datum Laterani, quinto Kalendas Februarii.

## EPISTOLA CLXI.

*Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Joannes Saresberiensis.*

LITTERAS, quas ad consolationem vestram & sublevationem Ecclesiæ, post longum tandem exilium & proscriptionem vestri & vestrorum omnium, vobis Patri suo filii Cantuariensis Ecclesiæ, fratres & Coepiscopi vestri, nuper transmiserunt, diligentiùs relegens, nihil probabilius ex earum inscriptione potui opinari, quàm eas consilio Achitofel, quem credibile est ab inferis rediisse, per manum Doech Idumæi, sitientis adhuc sanguinem Sacerdotum, & quærentis & insatiabiliter persequentis animam Christi, qui in Electorum fide ex charitate vivit, fuisse dictatas. Sic enim pervertunt omnia, ut cuivis vel parùm intelligenti perspicuum sit mentem earum esse longè ab opinione communi: Sed à veritate longiùs distat. Namque omnes blanditiæ, & exquisiti colores eò tendunt, ut sub appellationis prætextu, jure videatur subvertendus esse viculus Sacerdotum Nobe, qui vertitur in latratum, significatque Pastorum Ecclesiæ diligentem custodiam, ne post hanc conspirationem eorum quisquam in Grege Domini audeat vigilare, & luporum imminentium prædicationis officio propulsare furorem. Ait Salomon in proverbiis: *Quia melior est finis orationis, quàm principium.* Sed profectò finis huic principio deterior est. Siquidem in initio salutem optant, profitentur obedientiam; & utinam utrumque fideliter ut contra pro-



prohibitionem Dei non loquantur bona cum proximo, & mala sint in cordibus eorum. Subinde amaras, sed, unde gratias agendum est Deo, falsas, & quas captivus à Pyratis consuevit porrecto audire jugulo, subtexunt historias, quibus justificant causam impii, & dicunt bonum malum, & malum bonum, unde per consequentiam rationis tandem videantur inferre: *Reus est mortis, qui contradixit Cæsari.* Nonne ille, quem præfigurávit Achitophel, Judas proditor, non modò Judæis in nece Christi, sed & Scribis vestris, & Phariseis proditionis & parricidii relinquentes exemplum, ad Christum accessit humili salutatione honorans Dominum & Magistrum, dicens, *Ave Rabbi?* Et quem verbo prodebat & osculo, subinde cum gladiis & fustibus militum, quibus isti freti sunt, fugatis discipulis & dispersis, trusit ad Principes Sacerdotum, ut illic argueretur, & à falsis convinceretur testibus, Paternas, quæ & Avorum sunt, evacuare leges, & leges Cæsaris impugnare: Quia suam Deo imaginem, deducta ratione Cæsaris, docebat esse reddendam, ut reus videretur impietatis, quia obloquebatur, reclamabat, immò & repugnabat iniquitati. Dicunt enim, sed qua conscientia, viderit Deus & judicet: *Dominum Regem non quidem nunquàm peccasse dicimus, sed semper paratum Domino satisfacere, confidenter dicimus & prædicamus.* Nunquid non facies meretricis facta est eis, & frons adamante durior, ut non erubescant confidenter, ut ajunt, prædicare innocentiam hominis, cujus malitiam & iniquitates novit, prædicat, & detestatur Christianus Orbis? Convenerunt eum, ut dicitur, Episcopi Londoniensis & Herefordensis, quibus se, ut ajunt, ad omnem justitiam obtulit. Nonne Episcopus Londoniensis ille est, qui primus in Anglia scidit Ecclesiæ unitatem, quod omnes noverunt, & Archi-Episcopandi, quod plurimi suspicantur, ambitione tractus, totius discordiæ fomes inprimis exstitit & incentor? Nonne Stylus ipse convincit Achitophel, & Doech, quorum spiritu plenus est, in hac Epistola expressisse, communicatis his, quæ fingere potuit ex spiritu suo, qui neutro eorum in talibus rerum experientia comprobatur inferior? Nam & loquela ejus ipsum manifestum facit. Nec curo de mendaciis, quæ super introitu vestro interferere ausus est, quia præsens audivi & vidi. Solus ille verbum electionis vestræ gratum non habuit, qui præ cæteris omnibus, quod ex multis claruit & claret Judiciis, ut in Sedem vestram inducereturr, adspiravit. Non tamen diu obloqui ausus est, aliis arguentibus ambitionem & impudentiam ejus. Quidquid ergò haberet animi, quem de conscientia judicat Deus, in primis eligentium fuit, & electioni factæ ferè omnibus plus applausit. Quid dicam de Herefordensi, nisi quòd aliquamdiu, etsi non magni, stetit tamen alicujus nominis umbra, antequàm sciretur quis esset? Hic autem sub obtentu ejus, quia litteratus creditur ab his, qui litteras ignorant aut ipsum, suam volunt impii malitiam picturare, ut videatur consentaneum rationi, quidquid litteratus & antiquus dierum Episcopus approbavit. Ergò istis duobus respondere, vel sententiæ eorum adquiescere est transire omninò in sententiam Londoniensis, ac si in Cæsarem computaretur & Bibulum. Ethici siquidem meministis: *Non Bibulo quidquam nuper, sed Cæsare gestum est. Nam Bibulo gestum Consule nil memini.* Qua autem impudentia dixerunt, &, ne verba in ventos evanescerent, scripserunt, quod omnibus falsum esse innotuit: *Quia Rex*, quem impatientissimum esse nullus ambigit, *gratum habet cùm corripitur, & dulce putat obsequium, eùm monetur ut corrigat, si quid deliquit in Deum? Si quid*, inquiunt, ac si dubium sit eis illum deliquisse in Dominum, qui Ecclesiæ libertatem impugnat, avitas perversitates Evangelio Christi præfert & sanctionibus Patrum, & ut de vobis taceam & Clericis, quos injustè proscripsit, qui mulierculas & parvulos in cunis innocentes omni solatio destitutos, non tam crudeli sententia, quàm insania compulit exulare. Qui schismatis furorem jam penè sopitum excitavit, & roboravit, & resuscitata procella, quæ jam plurimùm detumuerat, navem Apostolicam, quantum in ipso est, cum Christo submersit, immò & adhuc mergit. Quidnam quæso ducunt in crimine, qui hoc esse innocentiam gloriantur? Aut numquid hæc probationibus indigent, quæ mundus agnovit, quæ in suis doloribus & tormentis indefinenter sentit & Ecclesia, quæ quotidianis rerum experimentis luce clariùs patent? Sed si *corripi dulce putat obsequium*, planum est eos amplioris esse perfidiæ, qui Dominum suum, cujus obsequio corpus devoverunt & animam, tam enormiter patiuntur errare. Sanè impletum est in eis hodie propheticum illud. *Quasi vulpes in deserto prophetæ tui Israel*, cùm ad subversionem Ecclesiæ, qui prophetarum in ea locum tenent, dolositatis suæ multiplices laqueos texant. Dulce salutationis præmittunt alloquium, devotam profitentes obedientiam, auxilium & consilium promittentes, ut transeuntes per nubeculas rationum, & verbis legitimis abutentes, in dispendium legis, tandem inferant: *Reus est mortis, crucifige, crucifige eum. Neque enim reservetis hunc, sed Barabbam.* Ecce quam salutem Patri desiderant, quam fidei devotione adimplent obedientiam, qua diligentia pacem inter Regnum & Sacerdotium cupiunt reformari. Et quidem hæc tam vobis quàm omnibus, causam & Historiam proscriptionis nostræ intelligentibus, dicta esse non dubito ex abundanti, sed impietatis & doli, impudentiæ & falsitatis attendens cumulum, profectò nec animum, nec calamum potui continere. Nam etsi natura negat, facit indignatio verbum adversus malitiam & impudentiam eorum, quorum omne in præcipiti vitium stetit, ut nequitiæ eorum vix aliquid possit addere, aut etiam excogitare, quamlibet subtilis, & in malis inveniendis arguta posteritas. Sed quid in his moror? Retribuat eis Deus, & planè, nisi veritas ipsa, quod impossibile est, vertatur in falsitatem, retribuet abundanter facientibus & foventibus nequitiam istam. Vos autem, ut mihi visum est, litteris & malitiæ eorum prudentissimè & elegantissimè respondistis, & argutias eorum, diu excogitatas & elaboratas, velut aranearum casciculos validissimis rationibus dissolvistis. Et licèt grandiuscula sit Epistola, quæ tamen necessaria sola exequitur, vellem

vellem tamen vos circa unum articulum, qui & verus & notus est, diligentiùs institisse, scilicèt ostenderetis patientiam, quam diu habuistis, & sollicitudinem, quam paci reformandæ adhibuistis, Regem sæpiùs cum omni humilitate revocando per litteras, & Nuncios Domini Papæ, per nostros, per Matrem suam, cui credi debuisset, per Episcopos Transmarinos & Cismarinos, per Fratres Templi & Hospitalis, per Regem, & Optimates Regni Francorum, & tandem in propria persona accessistis ad colloquium ejus, & sustinuistis repulsam. Cetérum quia Episcopi vestri scribunt, & confidenter prædicant eum *ad omnem justitiam & debitam satisfactionem esse paratum, & etiam satisdare volentem, si ratio exegerit*, mihi & quibusdam aliis amicis vestris videtur consilium, ut evocetis Episcopos, & nominatim illos, qui litteris hæc significaverunt, & Saresberiensem, qui de injusta suspensione conqueritur, & Vigornensem qui est principium generationis vestræ in Domino, & si qui sunt alii, quorum utilem credatis esse præsentiam, & experiamini, an fida sit testificatio, prædicatio, & scriptura eorum. Vocati autem in virtute obedientiæ fortasse non venient, licèt inobedientiam nulla unquàm tueatur appellatio, sed causa vestra liquidior erit, si falsitas & malitia eorum fuerit revelata. Non tamen arbitror omnes Episcopos, sicut nec personas in Diœcesibus, quas fallax claudit inscriptio, huic malitiæ consentire, cùm certum sit aut saltem videatur esse probabile, in tanta Ecclesia decem & octo Episcopatuum adhuc inveniri vel illos decem, quorum contemplatione Deus interim Insulæ parcit, ne cum sororibus suis, quarum imitatur luxuriam & impietatem, funditùs deleatur. Licèt enim aliqui plus justo taceant, & quacumque consideratione dissimulent, credo tamen aliquos in Episopis & multas personas de pietate fidei & conscientia bonorum operum sperare, & exspectare Regnum Dei. Nam & Joseph fidelis inventus est in domo Pharaonis, Loth justus mansit in Sodomis, Chusai in consiliis Absalon utiliter versatus est, Daniel innocenter præfuit in Babylone, Abdias in consortio Achab & Jezabel, dissimulans cum dolore, quod emendare non poterat, Prophetas Domini in atriis latitantes salubriter exhibens, clementiam Dei, & gratiam Prophetiæ patientia longa promeruit. Unde commodum arbitror, ut si chaos, quod inter nos & Patriam nostram firmatum est, permiserit, hanc Epistolam nostram ad singulos Episcopos & celebriores Ecclesias transmittatis, ut imitantium firmetis fidem, & omnium provocetis affectum. Crebris etiam scriptitationibus singulos Episcopos in spiritu mansuetudinis & lenitatis sollicitetis, ut redeant ad cor, & meminerint conditionis suæ. Et in omnibus prævideatis, ne quid vestram arrogantiæ aut immoderationis prætendat imaginem. Ad hæc, accepi ab his, qui Herefordensem Episcopum familiariùs nosse dicunt, quod dum versaretur in Scholis, laudis avarus erat, & tantus amator gloriæ, quantus pecuniæ videbatur contemptor esse. Putatur itaque, quòd nihil illum magis movere posset, quàm si eum magistri scholarum & viri Religiosi, utpotè Prior sancti Victoris, & similes, quos in Gallia familiares habuerat, socordiam ejus, qui sperabatur redempturus Israel, suis litteris excitarent, & animarent: ut nunc ostendat Episcopum, quem in Scholis depingere consuevit, & à se propellens vitia, quæ in aliis arguebat, amissam redimat famam. Idem etiam de Vigornensi consulitur. Ego tamen nec de ipsis benè spero, nec de Rege Francorum, quod sicut cætera in aure dictum sit, cum ad supremæ necessitatis articulum ventum fuerit, præsumo supra modum: nec de Ecclesia Romana, cujus mores & necessitates nobis innotuerunt, multùm confido. Utique Dominus Papa vir sanctus & justus est, & Dominum Abbatem, ut à plerisque dicitur, imitatorem habet. Sed ejus sunt tot necessitates, & tanta aviditas & improbitas Romanorum, ut interdum utatur licentia potestatis, procuretque ex dispensatione, quod Reipublicæ dicitur expedire, etsi non expediat Religioni. Timeo ergò ne appellationis diem oporteat exspectari, & cùm eò ventum fuerit, ne qui diligunt munera, sequantur retributiones. Vereor enim angustias temporis, & circumstantias nostras & aliorum. Nostris, immò Christi & Ecclesiæ adversariis decretum est, ut nos vulnerent & confodiant spoliis nostris, quibus si interim vexatio data fuerit ad intellectum, fortasse proniores erunt metu laborum & sumptuum, ad pacem reformandam sibi & nobis. Nam hoc ipsum malitiam eorum & audaciam nutrit, quòd nobis solis laborantibus, illi in opulentia & voluptatibus suis hactenus quieverunt. Et quia humanum nobis deest auxilium, tota mentis intentione confugiamus ad Deum, ut à præsentibus & imminentibus malis expediat, & scuto miserationis suæ circumdet nos veritas ejus.

## EPISTOLA CLXII.

*Herefordensi Episcopo Ermus Abbas, & R. Prior Sancti Victoris.*

MAGNAM de promotione vestra concepit Ecclesia nostra lætitiam, & spe non modica hilarati sunt auditores vestri, tum universi Scholares animati ad amorem litterarum, & cultum virtutum, vestri laboris & successus exemplo. Nos autem idcircò gavisi sumus præ cæteris. Amabamus & Ecclesiam Anglorum, quam præter charitatem, quam habemus ad omnes Ecclesias, quadam speciali affectione natura suadente diligimus, & vestra confidebamus conditione proficere, & Religione provocari ad Divinæ Legis cultum, & contra adversa roborari vestræ prædicationis officio, & virtutis exemplo. Nunc autem supra modum dolemus, quòd neque desideria nostra de vobis impleta sunt, nec preces nostras pro vobis Dominus exaudivit. Et utinam essent aures vestræ ad ora scholarium, & Religiosorum suspiria audiretis, ut sic erigeretur spiritus vester, qui divitiarum pondere dicitur opprimi, & amore Episcopandi, & deliciarum affluentia infirmari. Nam, ut ajunt illi, confirmaverunt vos divitiæ, quas in schola & frequenti verborum commercio consuevistis canigenas appellare. Speciosum tunc depingebatis Episcopum verbo, quem ex voto nostro doctrina nunc exprimeretis



retis & vita. Numquid tunc fungebamur vice cotis, *acutum reddere quæ ferrum valet, exsors ipsa secandi?* Mirum est si non tinniunt aures vestræ à confabulatione scholarium, detractione Æmulorum, & amicorum querelis. Adversùs Patrem vestrum & conservatorem, eundemque pro justitia, & libertate Ecclesiæ exulantem, nuper appellastis cum aliis, qui subversionem justitiæ quærunt & suam eversionem, & ponendo cum impiis portionem, undè vehementer dolemus, famam vestram plurimùm denigrastis. Nunquid enim litteras appellatorias non vidistis, quas Episcopi ad Archi-Episcopum suum transmiserunt? Certè si non vidistis, stultum fuit, ut pace vestra veritatem loquatur charitas, non examinatum de re tanta, & quæ ad Ecclesiam Romanam perferenda est, signare testimonium. Si autem vidistis eas, qua conscientia, qua fronte, ausi fuistis afferere, & ut scribitis, cum omni fiducia prædicare, quod falsum esse novit, non modò Vicinia tota, sed ferè Latinus Orbis. Prædicatis enim, quem sic scribitis, & ut de vestra potissimùm utatur authoritate, signatis scripturam cum Episcopo Londoniensi, quòd Rex vester, etsi interdùm ut homo deliquerit, omnes excessus suos corrigere paratus est, & in omnibus obtemperare justitiæ. Et si non credatur ei, etiam satisdationem offert, & adjicitis: *Quoniam diligit corripientes se, & increpantes libenter auscultat*. Sed qui hoc verum esse putat, quid credet esse falsum? Noti sunt enim mores hominis, ut vos talia prædicantes oporteat quærere peregrinum, sed extra latinum orbem. Vos autem qui justitiam ejus adstruitis, quam innocentiam allegatis in ejectione mulierum, & parvulorum innocentium proscriptione? Sed hæc, & his similia Dominus judicabit, & facientem, & consentientes pari pœna percellet. Cogitate interim quam sententiam tunc accepturi sint Episcopi, qui modò tantis patrocinantur injuriis. Hæc sincera charitate, dulcissime Pater, scripsimus vobis, ut memineritis doctrinæ vestræ, officii vestri, desiderii nostri, & Divini judicii, ut redimatis famam vestram, & Ecclesiam, quæ manibus vestris collabitur, studeatis erigere. Vestri fuimus, sumus vestri, & Deo propitio, semper erimus, prompti ad honorem, & obsequium vestrum.

## EPISTOLA CLXIII.

*Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Joannes Saresberiensis.*

ETSI certum sit, quod Episcopi ad inobedientiam proni, & Pastores pascentes se ipsos, qui amore quietis & luxus, & temporalium metu damnorum, impio impietatem suam annunciare detrectant, ad omnem subversionem juris, & singula præjudicia Ecclesiarum dicentes, *Euge, Euge*, se de cætero adversùs omnia mandata vestra, & etiam Apostolicas sanctiones, quatenus eis displicuerint, sub prætextu appellationis exhibitæ, tueri proponant. Expedire tamen arbitror, ut de vestris Suffraganeis statim, si fieri potest, aliquos evocetis, vel audituros Domini Papæ mandatum, aut nobiscum de statu Cantuariensis Ecclesiæ tractaturos, aut alia evocationis eorum causa proposita, si qua vobis, & his, qui vobiscum sunt, occurrit commodior. Cùm enim jam appellaverint, quod fortasse jam Domino Papæ significatum est, & in omnibus Regi suo obtemperent, nihil videro de cætero, quare colloquium eorum oporteat evitari. Sed neque Regis. Credo enim, quòd metu laboris, quem subituri sunt, & sumptuum quos verentur, & ob imminentium periculorum instantiam, & dubium causæ eventum paci Ecclesiæ & reconciliationi nostræ diligentiorem operam dabunt: quia nec unum eorum opinor inveniri, quem tot & tantarum incommoditatum dispendia subire non pigeat. Et si transfretaverint, fortasse mediante Imperatrice, pax Ecclesiæ reformabitur, aut Deo propitio causa vestra in meliori calculo relinquetur. Instat enim tempus, ut ajunt, quo Aquila rupti fœderis, juxta Merlini vaticinium, frænum deauratura est, quod Apostolo ejus datur, aut modò fabricatur in sinu Armorico. Nam sicut accepi pro certo, postquàm priores litteras exaraveram, in accessu Fulgeriarum grave damnum perpessus est, quod adhuc apud nos deplorant amici Francorum, quorum quidam capti sunt, alii vulnerati, dum purum sitientes argentum, nitebantur strenui præ cæteris apparere. Audieram hoc priùs in Curia Christianissimi Regis Francorum, apud Laudunum honestè & reverenter susceptus ab eo. Sed non facilè Nugigerulis credidi, licèt aliquantulam fidem faceret dubitanti, quod Comes Robertus tristitiam indè conceptam dissimulare non poterat. Dicitur etiam quòd famelici faturos, & inopes copiosos rerum omnium obsident hostes, & quòd obsessus obsidente longè securior est. Radulphus enim, ut perhibent, castrum suum optimè præmunivit, vastavitque quidquid alimentorum in circuitu suo potuit inveniri, nec ad remotiora sine magnis copiis pabulatum pregredi licet, eò quòd electissimorum militum Robertus memoratus copiam habens, vias eorum acutissimis sepit spinis, & aculeis urget equos, ut cadant adscensores eorum retrò, & in ipsum exercitum crebras, ut loquuntur, facit irruptiones. Adjiciunt, quòd potentissimis Britanniæ proceribus, excepto comite Ludone, confœderatus est fœdere mutuo. Nonne sic ferus singularis aut singulari proximus aper, qui depascitur, & conculcat vineam Domini, cohiberi poterit, & infrænari? Ego quidem sic illam interpretor Prophetiam, exspectans, ut Aquila, quacumque subornatione incommoditates istas inauret: nisi fortè Alexander noster Merlini cognatus, & oraculorum ejus interpres prudentior, aliud sentiat. De his hactenùs. De cætero pergratum mihi feceritis, si Domino Lugdunensi, quem apud vos esse audio, & plurimùm videre desidero, nomine meo fueritis gratulati, & quæ circa vos sunt diligenter rescripseritis.

EPI-

## EPISTOLA CLXIV.

Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Joannes Pictaviensis Episcopus.

*Domino & Patri Reverendo Thomæ, Dei gratia Venerabili Cantuariensi Archi-Episcopo, suus in eadem gratia, Pictaviensis Ecclesiæ humilis Sacerdos salutem, & juges in Domino successus.*

IPSO die Purificationis Beatæ Mariæ, quo litteras vestras recepi, locutus sui cum Joanne Cumin, & Radulpho de Tamewurde, qui præcedente die Turonum ingressi sunt, à Curia Domini Papæ in continenti revertentes. A quibus cùm multa, tàm super statu, quàm super agendis suis explorare in voto haberem, in paucis per eos certiorari potui, tanquàm à me omnia occultando, Domino suo se crederent obsequium præstare. Verumtamen ab eis vel pauca, vel invitis extorsi, nonnulle à Decano Beati Mauricii, in cujus hospitio recepti erant, accepi. Aliqua etiam per Clericum quemdam Xantonensem, qui in comitatu eorum aliquamdiu venerat, addidici. Retulit siquidem mihi idem Clericus, quòd Dominus Papienfis multiplicibus, & instantissimis precibus Regis Angliæ sollicitatus, & à Domini Papæ simili sollicitudine & instantia impetratus, procul dubio Legatus venit in omnem terram prædicti Regis. Et creditur, quòd omni plenitudine potestatis veniat, ut cognoscat, judicet, plantet, & evellat: maximè ut inter Regem sive alios, & vos super universis querelis vestris potenter decernat, & irrefragabiliter pronunciet, remoto omnis appellationis obstaculo. Ita quòd non multum vobis prodesse possit Decretum repetendæ restitutionis vestræ, præsertim ut tanto tempore habeatis possessionem, ante principalis causæ constitutionem. Omni enim exceptioni, omni decreto, ut dicitur, præjudicium adferret, præfati Legati plena potestas. Sed & huic adjunctus esse narratur Dominus Oddo, Diaconus Cardinalis de carcere Tulliano. Et utinam Stellæ namque unius malitiam, si non extinguat, temperat tamen & attenuat sibi adjuncta magis propitia stella, & benevola. Hi siquidem duo Urbem egressi sunt in Kalendis Januarii, ad partes nostras properantes. Illud autem, quod mihi significastis, Clericum quendam vestrum a Curia redeuntem vobis attulisse, non facilè mihi persuaderi potest, quod sub tali conditione absolutus sit Joannes de Oxeneford, nec quod consuetudines illas Domino Papæ abjuraverit, sivè de mandato Regis, sivè alio modo. Hoc autem dicitur, quod persona ipsius Joannis erepta est à potestate vestra, quantùm ad excommunicationis innodationem. Namque, sicut referunt isti, qui nunc redierunt, Joannes Cumin, & Radulphus de Tanwurde, Joannes de Oxeneford plus gratiæ & favoris in oculis Domini Papæ promeruit ex hoc, quod suggessit ei, pacem inter Regem & vos posse reformari, si esset, qui de ea fideliter tractaret: promisitque se ad hoc omnimodam operam daturum. Unde prædicti Joannes & Radulphus illum Joannem de Oxeneford Regis proditorem vocant, & prædicant. Qui, quod Rex habet pro impossibili, se factu-



rum pollicitus est, ut in propriis negotiis meliùs procederet. In hunc modum ipsi Joanni de Oxeneford in operibus suis omnibus detrahunt isti duo Joannes & Radulphus. Dicunt quoque, sicut à Decano Beato Mauritii, qui fideliter ab eis hæc omnia exploravit, accepi, quòd omnes litteras, quas Domino Papæ contra Regem direxistis, vel alii pro vobis, & petitiones vestras omnes Regi apportant. Inter quas multùm mirantur se invenisse litteras Domini Bituricensis, de quo Rex nihil tale suspicabatur. Sed & quorundam Episcoporum litteras de terra Regis, immò etiam quorundam de domo Regis, contra ipsum pro vobis scribentium, dicunt se habere. Verùm qui essent, vel Episcopi, vel illi de domo Regis, noluerunt aliqua ratione revelare, nisi ipsi Regi. Jactitabat autem Joannes Cumin se Domino Papæ improperasse, quòd ei litteras contra Regem misissetis. Et ne hoc posset inficiari, principium litterarum dixit tale esse: *Satis superque, satis, Domine Reverende, sustinui*. Sequens ipsarum continentia erat, quod *vos in personam Regis sententiam ferretis*. Litteras verò istas dixit se in conchis acquisisse. Ubi quidam Nuncius vester eas deferens dicitur fuisse deprehensus. At veri-similius est, quod eas in Cancellaria habuit. Ab ipsis Joanne & Radulpho didici, quod alii excommunicati vestri missi sunt ad absolvendum quibusdam in partibus vestris, sed qui illi essent, per illos scire non potui. Creditur autem, quod Joannes de Oxeneford in Angliam profectus sit, ut testes & accusatores contra vos cum consilio eorum, qui sanguinem vestrum sitiunt, præparet, & instauret, & adducat. Quorum machinationibus duris & diris, dum tempus habetis, consulo, quocumque modo potestis, occuratis. Magna enim & multa in vos parati sunt tentare: Innocentiam vestram super criminibus gravibus accusare: Verùm ille nullam consolationem recepit, nec aliquam fiduciam de promissionibus Regis concipit. Medicis autem quærentibus ab eo ægritudinis ejus caussam & occasionem, respondet, quòd si qua medicina rancorem & indignationem animi tollere potest, tunc ipse, & non aliter, curari poterit. Ad hæc isti, qui modò à Curia redierunt, multùm vobis minantur, eò quòd in litteris vestris, quas Domino Papæ direxistis, & quas modò Regi reportant, Regem malitiosum Tyrannum nominastis, & sæpiùs malitiam ejus reperistis. Benè valete, & Spiritus consilii vobiscum sit, & in quantùm famam ejus conservaverim, magister Scholaris noster vobis scribit.

## EPISTOLA CLXV.

Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Joanni Clerico suo.

*Thomas Dei gratia Cantuariensis Ecclesiæ Minister humilis Joanni Cantuariensi Salutem.*

QUOMODO de novo facti sumus opprobrium vicinis nostris, subsannatio, & illusio his, non modò qui in circuitu nostro sunt, verùm etiam omnibus ferè gentibus utriusque Regni, & Francorum & Anglorum, & fortè Imperii,



rii, qualisque fama, ne dicamus infamia, & scandalum circumvolat per aures & ora omnium in Dominum Papam, unde magis dolemus, Deus novit, quàm de propria persona, & in totam Curiam graviter vehementium, & insultantium, & improperia inexpiabilia improperantium, ex subscriptis aliquatenus poteris perpendere, & Domino Papæ, & amicis, si qui tamen sunt, secretiùs intimare. Ecce Joannes de Oxeneford, & alii Regis Nuncii à Curia redierunt, extollentes se supra id quod dicitur, aut quod colitur Deus, dicentes se se impetrasse in Curia quidquid desideraverunt. Videlicèt, quòd Rex exemptus sit à potestate omnium Episcoporum, præterquàm Domini Papæ, quòad excommunicationis innodationem. Et quòd habiturus sit Legatum quem petivit, Wilhelmum scilicèt Papiensem, qui inimicus noster est plusquàm manifestus, cum plenitudine potestatis in omnem terram Regis, ut ædificet, & plantet, & præsertim eradicet, & evellat, omni remedio appellationis sublato, & maximè ad decidendam principalem, quæ inter Regem & nos vertitur, causam, & omnes incidentes, omni exceptioni omne de cætero, ut dicitur, præjudicium allaturas. Et cum hac pompa, cum hoc fastu rediit Joannes de Oxeneford in Angliam. Et cùm applicuisset in portu quodam, invenit ibi Fratrem nostrum Herefordensem Episcopum, auram prosperam ad transfretandum, furtim saltem, exspectantem: quia palam non poterat, prohibitus à ministerialibus Regis ex parte Regis, & litteris ejus. Quo invento, inhibnit ei primò ex parte Regis ne transiret, deinde ex parte Domini Papæ. Episcopo autem quærente, sicut Nuncius suus, qui ad nos posteà venit Dominum suum excusaturus, nobis retulit, utrum super hoc litteras haberet? Dixit se habere: quibus inhibebat Dominus Papa, & ei, & aliis Episcopis Angliæ, ne venirent ad vocationem nostram, neque in aliquo nobis obedirent, quousque veniret Legatus de Latere Domini Papæ, à Rege imperatus, qui & causam super appellatione, quam fecerant, & causam etiam principalem inter Regem & nos, & omnes alias incidentes cum plenitudine potestatis, remoto omni appellationis obstaculo, terminaret. Cùm instaret Episcopus, ut litteras inspiceret, dixit se non habere præ manibus: quia miserat eas cum expedimento suo usque in Vintoniam, quæ distat à portu Hamtonæ per duodecim milliaria. Misit itaque Episcopus, habito consilio cum suis, Vintoniam cum Joanne magistrum Eduvardum Clericum suum, virum probum, ut credimus, & fidelem, qui vidit litteras unà cum Londoniensi Episcopo, similiter transfietare volente. Qui Londoniensis, visis litteris, prorupit in vocem gratulabundus dicens: *De cætero Thomas meus non erit Archi-Episcopus*. Adjecit etiam Joannes: quia privilegiata erat persona, ne de cætero posset à nobis excommunicari, nec etiam conveniri nisi in præsentia Domini Papæ, & liberam se habere potestatem donandi Decanatum Saresberiensis Ecclesiæ, cui vellet, & in omnibus imminutam nostram dignitatem usque in adventum Legati venturi. Hæc omnia mandavit nobis Episcopus per Capellanum suum, Canonicum Regularem, virum Religiosum, quem misit ad nos, excusaturum, quare non venerit ad vocationem nostram. Vocaveramus enim eum semel, & secundò, & tandem tertiò, cum peremptorio edicto, quatenus infra Purificationem nobis exhiberet præsentiam suam, tanquàm Vir magnæ authoritatis, & familiaris Regi, tractaturus de pace inter Regem & nos, si quo modo fieri posset. Hæc omnia paratus erat Canonicus jurare, se ita accepisse ab ore Episcopi, nobis ex parte ejus significanda. Quæ si vera sunt, tunc procul dubio suffocavit, & strangulavit Dominus Papa, non modò personam nostram, sed & se, & omnes Ecclesiasticas personas utriusque Regni. Immò etiam utramque Ecclesiam, tam Gallicanam, quàm Anglicanam. Quid enim exemplo hoc pessimo non audebunt cæteri Principes terrarum adversùs Ecclesiasticas personas? Ad quem recurrent? Quomodò confidere poterunt de Ecclesia Romana, quæ non pro ipsa stantes, & usque ad sanguinem decertantes, ita deseruit, & destituit? Quid erit, si manentibus his inauditis, & detestandis privilegiis, & emancipationibus, tam personæ Regis, quàm aliorum, sub quocumque prætextu contingat, quod Deus avertat, ut decedat Dominus Papa, vel ut in Urbe turbata fuerint omnia? Transferentur hæc in hæredes, nec poterunt avelli à manibus eorum. Et quod deterius est, alii Principes hoc exemplo similia extorquebunt privilegia, & emancipationes ab Ecclesia, velit nolit ipsa, & sic peribit omnis Ecclesiæ libertas, & Episcoporum jurisdictio atque potestas, cùm non sit qui cohibere possit, vel coercere Tyrannorum flagitia, quorum tota intentio est, hodiè grassari in Ecclesiam Dei, & ejus ministros: nec desistent, quousque eos, sicut & alios, in servitutem redegerint. Quis tamen erit finis, adhuc nescimus? Verùm id scimus, quia supra modum gravamur, sivè vera sint, sivè non, quæ proponuntur. Non enim obediunt nobis, nec respiciunt nos in aliquo sicut solent, vel Episcopi, vel Abbates, vel de Clero Angliæ, jam quasi certi super depositione nostra. Verùm securus sit Dominus Papa, quòd nulla ratione intrabimus terram Regis litigaturi, nec stabimus judicio inimicorum nostrorum, & præsertim Papiensis, qui non sitit, nisi sanguinem nostrum, ut obtineat Sedem nostram, quæ reverà, ut accepimus, ei promissa est, dummodò à nobis possit liberari. Est & aliud, in quo gravamur, quia Nobiles viri tam Proceres, quàm Episcopi, & alii Prælati de Regno Francorum, jam quasi desperati de nobis, co-exules nostros quos misericorditer sustentabant, nobis remiserunt, qui frigore & fame de cætero peribunt, sicut & quidam jam perierunt. Hæc omnia Domino Papæ diligenter insinua, ut remedium aliquod contra hæc mala nobis provideat, sicut petimus: si quid zeli Dei in eo remansit, adhuc speramus, & utinam spes non confundat. Vale, & quàm citiùs poteris, Nuncium nobis istum remitte, per quem & de his & aliis certioremur, utpotè in arcto constituti; si vera sunt, quæ proponuntur.

## EPISTOLA CLXVI.

Alexandro Papæ Lombardus Romanæ Ecclesiæ Sub-Diaconus.

*Reverendo Patri ac Domino Alexandro, Dei gratia, Summo Pontifici, Lombardus ejus Clericus fidelis obedientiæ famulatum.*

CUM vestræ Sanctitatis Puer, & vestrarum manuum opus in Christo sim, quæ in nostræ famæ sugillationem, atque vestri nominis derogationem celebriter dicuntur, quæque in totius Ecclesiæ detrimentum callidè struuntur, dissimulare nec possum, nec debeo. Joannes siquidem Oxenofordensis, cum Decanatus honore & gratiæ vestræ plenitudine Roma rediisse insolenter se jactat, nihilominus adjiciens se privilegio fore munitum adversùs Dominum Cantuariensem, & omnem Episcopum, & quasi paulominus à Cardinalium ordine constitutum, vobis soli, & Apostolatui vestro se subjectum asserit. Præterea, quod Regum nullus unquàm obtinere valuit, pro Rege obtinuisse gloriando superbè loquitur: scilicet inter Regis filium & filiam Comitis Britanniæ, in tertio gradu consanguineos, matrimonium vestra authoritate firmatum. Addens quoque, à Rege Legatos speciaiter postulatos destinari, qui appellationis remedio sublato, audiant & definiant quidquid Regi adversùs Dominum Archi-Episcopum proponere placuerit. Hæc, Sanctissime Pater, Joanne Roma redeunte divulgata sunt, quæ, quantò magis inusitata, quantò rariùs fieri solent, tantò vehementiùs Audientium animos perculerunt. Quibus auditis Francorum Rex, vester & Ecclesiæ filius devotus, ita vehementer turbatus est, ut confestim se velle Nuncios dirigere, qui Legatis vestris Regni sui ingressum inhiberent, diceret. Qui plus aliquid fecit, quod in ore Latoris posui. Convocare etiam Archi-Episcopos & Episcopos se velle dixit, quatenùs eis exponeret & proponeret, quomodò Romana Ecclesia adversùs se, & eam malignantes exaltat, eum autem deprimere quærit, dicens: an non laborat me inhonorare, qui sanguinem Cantuariensis Archi-Episcopi, viri innocentis, pro justitia & Ecclesiæ libertate exulantis, callidè effundere quærit, impiè tradens ipsum manibus inimicorum & persecutorum ejus, quem non obsequiorum obtentu, cum nobis magis injurias intulerit, obsequendo tum ei, qui nunc ipsum persequitur, sed potiùs justissimæ causæ, quam fovet, intuitu, ejus probitatis contemplatione, amore etiam Domini Papæ, qui satis instantiùs me pro eo rogavit, exhibere honorificè & decenter, quamdiu in exilio fuerit, & quasi in sinu meo confovere constanter disposui, sicut & jam cœpi. Denuncians etiam & manifestè protestans, non esse sibi minùs molestum, quòd pro hac causa Legatos mittitis, quàm si ad Coronam ejus auferendam eos destinaretis. Ejus animum adeò concitatum non defuerunt qui magis incenderent. Data est occasio adversùs nos, & Dei Ecclesiam malignandi, atque plurima moliendi his, quibus ab initio animus & nocendi vobis cognitus fuit. Quorum malevolum propositum vestra non mutavit Indulgentia, etsi horum conatum repressisset authoritas. Hæc per quemdam Clericum vobis fidelem & devotum, præsentem dum hæc agerentur, mihi ea privatim referentem, didici. Illud unum, Pater Sanctissime, verissimè scio, quòd tamen absque lachrymis non scribo, quia vestri nominis odor ex aliqua parte offuscatur: quoniam famæ vestræ derogatio, quasi cibus est & potus detrahentium, & maledicorum, qui velut vino poti atque inebriati, vestram famam decerpunt, & quasi vos totum maledictionis dentibus corrodunt, tum favore Domini Cantuariensis, partim odio eum persequentis. Maximè cùm propè esset dies victoriæ ejus & vestræ, sicut à multis credebatur. Timebat enim Rex adeò, die appellationis elapso, ut manifestè diceret se Episcopis appellare nec persuasisse, nec eos compulisse, ideoque partes suas in ea re non esset interpositurus. Episcopi verò in tantum angebantur, & interdici metuebant, ut quidam ad Dominum Cantuariensem Nuncios mitterent, quidam ad ejus vocationem parati essent, cum Joannes de Oxeneford, velut Legatus vester, universos Episcopos convocans, eis authoritate vestra, sicut fama est in Gallia, ne ad Domini Cantuariensis vocationem venirent, præcepit. Qua occasione magister Robertus Herefordensis Episcopus, cùm jam ad mare venisset transfretaturus, revocatus est. Sic ipse coram Domino Cantuariensi per Nuncios suos, viros Religiosos, & benè notos, me præsente, se excusavit. Propterea tanta est in multorum animis perturbatio. Verentur enim plurimùm Regis versutias, & ex his Anglicanæ atque omnium Ecclesiarum terræ suæ ruinam, & libertatis subversionem, ac prolixiorem, vehementioremque Archi-Episcopi persecutionem. Quippe cum à multis, & sæpè audiverim, quòd Rex in adversa fortuna & obitu vestro, quem Deus sua benignissima clementia in longa tempora differat, omnem spem suam locasse dicatur. Firmissimè asserens, sicut à pluribus fertur, successorem vestrum se nequaquàm suscepturum, nisi priùs omnes dignitates & consuetudines Regni sui confirmaverit. Ea propter dolose & fraudulenter creditur Legatos postulasse, utpote ad suam voluntatem, non solùm adversùs Dominum Cantuariensem, verùm etiam adversùs omnes Episcopos terræ suæ complendam, vel ut saltem sic ejus excommunicatio, & terræ Interdictum differatur: quatenus hoc modo frustando tempora, Domini Cantuariensis authoritatem evacuare possit, ut si fortè vestro tempore non ligetur, à successore vestro ligari non metuat, cùm nec facilè, sicut à multis dicitur, proposuerit eum se suscepturum. Itaque, prudentissime Pater, qui Spiritum Dei habent, & pacem Ecclesiæ desiderant, spiritum Danielis in vobis excitari, ad Belis astutias deprehendendas, & draconem interficiendum, summo animi affectu optant, super quo Deum assiduis & cumulatis precibus exorant. Valeat Sanctitas vestra in tempora multa.

EPI-



## EPISTOLA CLXVII.

*Bartholomæo Exoniensi Episcopo Joannes Saresberiensis.*

ME causa duplex in præsentiarum impulit ad scribendum, tum ne præter consuetudinem sine litteris abire patiar aliquem ad vos de mea conscientia proficiscentem, tum ut Amicis, quorum voluntati satisfieri par est, morem geram. Voluerunt enim Latorem præsentium à Devonia oriundum, ut asserit, & si credi possit, eum ab ulterioribus Convicaneis vestris circa montem Beati Archangeli in sinu Armorico traxisse originem, pietati vestræ, meæ parvitatis officio commendari, utpotè quem in pago Remensi per annos laudabiliter & sine querela perhibent conversatum. Eis itaque satisfaciens, pietati vestræ tam securas, quàm sinceras porrigo preces, cùm pridem & rerum experientia & conditio mihi, sicut & multis, constet discretionem vestram legis, quæ inter amicos tam æquitatis suasu, quàm decreto Philosophantium sancita est, non esse ignaram. Ea autem est, ut meliùs nostis, ut honestas precum sit moderatrix, & in his dumtaxàt audiantur amici, quibus illa non adversatur. Præscribit enim ratio, ne ex caussa amicitiæ illicita petantur aut fiant. Quia ergo amicorum gratia amicum apud patrem & Dominum commendare suscepi, precor ut contemplatione Dei, & mearum interventu precum, eum, si expetierit, audiatis in his, quæ necessitati ejus, & honestati vestræ discretio dictaverit expedire. Et si fortè eum de conscientia vestra ad nos redire contigerit, me super statu vestro, & amicorum, acceptis saltem publicorum rumorum litteris, poterit certiorare. De meo autem statu ad præsens parciùs scribo, non quia aliquid meorum à vobis velim esse absconditum, sed quia recolo me per Fulconem nuperrimè omnia plenissimè nunciasse. Nam si quid deerat paginæ grandiori, portitoris officio, & diligentia ratus sum esse supplendum. Quoad publicum verò statum, hæc posteà multorum assertione vulgata sunt, omnes Episcopos Angliæ ex mandato Regis convenisse. Et ne sententia, quam Dominus Papa dictaverat, locum haberet, appellasse contra Archi-Episcopum suum, qui pro salute eorum, & libertate Ecclesiæ, facultates *permittit* raptoribus, fortunam non erubescit aut timet. Venerunt ad eum nuper Clerici duo, sicut mihi pro certo relatum est ab eo, qui tunc erat Pontiniaci, hæc publicantes & appellantes, unus ex parte Domini Saresberiensis, alter ex parte Decani sui, inficiantis omninò se juramentum præstitisse Imperatori, vel Reginaldo Coloniensi schismatico in aliquo communicasse. Idem etiam confitens se Clericum familiarem de mensa magistri Joannis de Oxeneford, qui Clericus Regis est, se Regis ad Archi-Episcopum verbum habere dixit: appellans ex parte & nomine Regis, & mandato ejus, ut ajebat, eundem Archi-Episcopum ad audientiam Domini Papæ Alexandri, & per eum appellabat, diem præfigens qua cantabitur: *Ego sum Pastor bonus*. Archi-Episcopus verò & in hæc verba respondit: *Tu, cùm nobis ignotus sis, nec mandatum nec litteras Regis habeas, & ex communione Domini tui Joannis de Oxeneford, quem excommunicatum esse constat, per litteras Domini Papæ excommunicatus sis, appellantis officium implere non potes. Non autem mandatum Apostolicum exequimur, & Deo authore implebimus.* Quid autem animi ad Saresberiensem habeat, scire volens, ad eum proprium Nuncium destinavi, qui mentem ejus familiariùs exploraret. Cæterùm factum istud Episcoporum Francia tota miratur, dicens eos oportuisse convenire, ut tractarent de salute Regis sui, quem sicut Imperatorem ex causa schismatis, ita propter Clerum & Ecclesiam, quam collidit, quotidiè labefactari conspiciunt. Oportebat quoque eos de libertate Ecclesiæ & pace sollicitari, & operam dare & diligentiam, quomodò reformaretur pax Clero, non quomodò se & sua sumptibus, laboribus, & periculis exponerent, & famam suam deturpantes imposterum Ecclesiam subjicerent servituti. Rem quoque mirabilem, si tamen vera est, omnes, qui audiunt, pariter admirantur. Quod scilicèt Herefordensis, vir litteratus, & mundi contemptor habitus, in Archi-Episcopum suum & consecratorem invehitur, dicens eum turbatorem rerum, quia Ecclesiæ vendicat libertatem. Nonne sic Præpositi Filiorum Israel in Moysem & Aaron, Divinæ Legis executores, culpam refunderunt, quia flagellabantur ab exactoribus, negatis paleis, quæ debebantur de Jure? Nonne ministris Dei improperabatur, quod præpositorum nomina fœtere fecerant coram Rege, & servis suis? Illi tamen, etsi queruli & murmuratores, tamen secuti sunt Moysen: & utinam hi, qui modò queruntur & murmurant, Domini sequantur Legem. Quod si fecerint, convenient hinc Regem, inde Archi-Episcopum, & quem in culpa viderint, palam arguent, & è diverso stabunt, nec consensu, aut dissimulatione alienæ iniquitatis, contractu immunditiæ polluentur.

## EPISTOLA CLXVIII.

*Joannes Saresberiensis Magistro Girardo Pucel.*

QUOD dilectioni vestræ respondeo tardiùs, & rariùs scribo, cùm jam litteras vestras secundò receperim, facit intermeantium raritas, locorum distantia, & transituum difficultas nostratibus ignotorum. Sed eò quidem fervet affectio, lingua silet impatientiùs, quo charitati succensæ per exhibitionem obsequiorum prodire non licet in publicum, & commercio verbi negatum est mutuas in corda nostra, more amicis usitato & jucundo, trajicere sententias animorum. In hoc itaque malo aliquis usus est, dum per absentiam corporum magis invalescit integritas animorum, & amoris impatientia mentem exulcerans doloris sui dispendio & usu exercitii sui in virtutis compendium proficit, & ex assuetudine dissidentium ad laborum tolerantiam roboratur. Malim tamen, etsi profit, hujus impatientiæ abesse usum, dum cohabitare possimus, & mutuis recreari colloquiis, consiliis instrui, & auxiliaribus officiis muniri, & firmari in omnem casum. Sed quandoquidem dispositioni Divinæ aliter visum est, prompta devotione ipsius pareamus arbitrio, cujus, etsi possimus evitare sententiam, mutare consilium non vale-

valemus, quo diligentibus se omnia cooperatur in bonum, & salubri dispensatione procurat, ut omnia cedant in usum sapientis. Exposuistis mihi vestra, gratias ago, sed maximas. Quæsistis consilium meum ministerio magistri Radulphi. Respondeo quod desidero, quod spero de misericordia Dei, quia & citra operam meam Deus vobis salubria providebit, & utinam parvitatis meæ officio Fraternitati vestræ dignetur erogare, quod ad honorem vestrum conferat, expediat ad utilitates, & proficiat ad salutem. Dicam ergo quod sentio, ut ex conscientia nihil subtraham veritati, ea fide & devotione vobiscum agens, qua agendum didici cum amico, & qua Dominis meis placere consuevi. Noveritis itaque, quòd de recessu vestro variæ fuerunt sententiæ, multis accusantibus, excusantibus paucis transitum, quem fecistis. Non enim noverat multitudo, quid animi haberetis, quæ vos urgeret necessitas, quatenus vobis Romanus Pontifex indulsisset, quid utilitatis ex hujus vestri dispensatione consilii provenire possit Ecclesiæ. Verùm intuentur schismatis crimen, malitiam eorum ad quos transistis, periculum convivendi excommunicatis: Ex justa causa & justè. Et quem vident damnatorum contactibus immisceri, consentire quoque opinantur errori. Ego qui caussam vestram & animum aliis quibusdam familiariùs novi, in parte consentio multitudini, sed dissentio in magna parte. Nam quod ad schismatis condemnationem, rectè sentiunt; eò quòd ab initio legis clarè, quanta sit malitia criminis hujus, constat, cùm schismaticos primos, Chore, Dathan, & Abiron, & sequaces eorum insueta hominum morte consumptos tradat, eorumque periculosissimus est convictus, nisi à crimine eorum sit manifestus vita & verbo dissensus. Unde in libro numerorum, scienti etenim & docenti legem loquor, Moyses à Fidelium Cœtu Dathanitas & Abironitas ejiciens, ait: *Recedite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum.* Sed nec sacrificiis talium culpa redimitur: quod patet ex eo capitulo legis, ubi Chore thurificans Divini ignis incendio vastatur. Cæterùm societas corporalis salutis dispendium non ingerit illis, qui ab impiis pietate dissentiunt, & errores aliorum, tam operum dissimilitudine, quàm verborum increpatione, corripiunt. Sic in quarto Regum Eliseus Regi Israel idololatriam detestatur, & ei oraculum Prophetiæ non subtrahit. Sed quid sit, quidvè passurus sit ex merito, palam loquitur, & proverbium nullum dicit. Sic itaque potestati defert, sic pro reverentia alterius respondet alteri, ut non Religio jacturam faciat, sed zelus exprimat charitatem. Ait enim: *Quid mihi, & tibi Rex Israel. Vade ad Prophetas Patris tui & Matris tuæ. Vivit Dominus, in cujus conspectu sto, quod si non vultum Josaphat Regis Judæ erubescerem, ne attendissem quidem te, nec respexissem.* Eorum verò sacrificiis periculosissimè, &, ut opinor, non sine salutis detrimento communicatur: quod ex Canonum lectione pleniùs, ut nostis, patet. Nam & Naaman Syrus, ministerio Elisei curatus à lepra, Domini sui & Regis Syriæ publicis orationibus interesse non audet, nisi venia impetrata, nisi onus duorum burdonum, cui instet & sedeat, asportet in Idolium de terra sua, nisi Propheticis orationibus hunc purget excessum, dicens: *Quando ingreditur Dominus meus Templum Remmon ut adoret, & illo innitente super manum meam adoravero Deum verum in eodem loco, oro, quæso, ut ignoscat mihi Dominus servo tuo pro hac re.* Si ergò tantùm timuit gentilis, ignarus legis, quantùm timere debet Philosophus Christianus, Doctor Legis? Porrò qui inter tales veritatis assertor est, Cultor justitiæ, Divini Præco judicii, aliorum non inquinatur attactu. Sic enim Loth Deo placet in Sodomis, Joseph in Domo Pharaonis, Moyses inter Æthyopes, Chusai in consiliis Absalon, Abdias in consortio Achab & Jezabel, Daniel à Deo dirigitur & diligitur in Babylone. Meum itaque consilium & desiderium est, ut in schismaticos & hæreticos fidem prædicetis & pacem, ea sapientia & moderatione, quæ prosit Ecclesiæ, in cujus fortasse utilitate & salute personam vestram Dominus ad hos barbaros destinavit. Apostolus omnibus factus est omnia, ut lucrifaciat universos: & per infamiam, & bonam famam, & quacumque potest occasione, Christum annuntiet. Sic & vos, si potestis, apud Imperatorem, quia potestis apud Coloniensem, annunciate Christum. Non est enim, ut fraudulenter verborum astutia suum tueantur errorem. Redarguit eos conscientia sua, malè de eis vobis respondet vestra, non dico quoad dispensationem vestram, sed quoad temeritatem eorum. Terra clamat adversùs eos, & exspectatur omninò: tamen jam enervari, & exinaniri cœpit potestas eorum, & fastus evanescit in fumum. Quis enim similis erat Frederico in filiis hominum, antequàm in Tyrannum verteretur ex Principe, & ex Catholico Imperatore schismaticus, & hæreticus fieret? Non dico quod in articulis fidei, ne rectè credatur, inducat errorem, sed quia in sinceritate Ecclesiastici ordinis procedere non sinat veritatem. Ille Sacerdotium scidit adversùs Dominum, & à Domino scissuram sentit Imperii. Sic & Rex Anglorum, qui vicinis principibus terrorem incusserat, ex quo calcaneum erexit adversùs Ecclesiam, & eam conatus est subjicere servituti, ab inermibus hominibus expugnatur, ut adjacentium nationum opem cogatur implorare, & adversùs Dominum intumescens illicò manifesta virium suarum & suorum sensit dispendia. Plurima, ut scripsistis, machinatur adhuc. Sed profectò aut Spiritus Sanctus, quod prophanus credit, fallax & falsus est, aut convertetur dolus ejus in caput ejus, & in verticem ipsius iniquitas ejus descendet. In laqueis enim suis comprehenduntur iniqui, & qui fratri foveam parat, incidit eam prior. An non meministis scripturæ dicentis: *Quia semper jurgia quærit malus, Angelus autem crudelis mittetur contra eum.* Misi litteras vestras Domino Cantuariensi, sed quia Nuncium vestrum ultrà finem Sancti Remigii non potui retinere, Responsum ejus nondum acceperam. Certum quidem est, quod officiositati vestræ plurimas habet gratias, quas & aget, authore Domino, accepto tempore opportuno. Hoc autem de Statu ipsius vobis indubitanter constet: quoniam pluris est, quòd in virtutibus & litteris acquisivit, quàm quòd ei Regis & commalignantium



tium sibi extorsit improbitas. Confirmatus est ei de novo primatus, & Archi-Episcopo Eboracensi injunctum, ut eum agnoscat primatem suum exhibitione obedientiæ. Idem est Legatus totius Angliæ, excepto Episcopatu Eboracensi, qui ideò interim huic nostræ jurisdictioni subtrahitur, quia Archi-Episcopus Eboracensis Legatus est Scotiæ, nec solet Ecclesia Romana alicujus Ecclesiam Legati, tempore Legationis indultæ, alteri Legato subjicere ratione Legationis. Sed nec subtrahit quidem, si alio jure subjecta est. Quærit Rex noster, ut Wilhelmus Papiensis, & alius Cardinalis mittantur Legati, sperans ut causam hanc ad ipsius diffiniant voluntatem. Ipse verò, ne voluntas sua procedat, multis & magnis procuravit injuriis & rapinis. Unde mihi commodum videtur, ut si fieri posset, Coloniensem induceretis, quatenus sub consilii spe & amoris Regem statueret contra faciem suam, & caussæ difficultates ostenderet. Quo enim jure, qua ratione, qua Lege vel Canone cogetur Cantuariensis caussam ingredi spoliatus post appellationem? Nonne ei debent anteà universa restitui, & pax integra reformari, & cætera, quæ Canones in hac parte diligentiùs explorari præscribunt? Utique plusquam decem millia marcarum eis & suis ablata sunt posteà, nec citra restitutionem earum jure aliquo cogi potest, ut respondeat, etiamsi quid competeret his, qui eum persequuntur. Campus hic orationis discretioni vestræ latiùs patet, ut si fieri potest, quoniam rationes meliùs nostis, ei per Coloniensem persuadeatis, ut desistat ab injuriis & rapinis, & intentionis suæ in usus adversariorum non multiplicet exceptiones. Hoc ipsum nuper aggressus est Episcopus Cicestrensis, intimans Regi, quòd Cantuariensem juvaret plusquàm aliquis hominum. Quærenti modum respondit: quia caussam ejus crebris, & eisdem multis & magnis justificatis injuriis, & justitiam vestram, si qua fuerat, suffocastis. Datis ei etiam consilium & auxilium, ut meliores, aut de melioribus Clericis, quos habeatis in terra vestra, quos cogitis ei coexulare, nec permittitis ut revertantur. Motus est Rex ad ista, & sollicitudinem suspiriis protestatus est, sed conceptæ indignationis vehementia non permisit, ut saperet. Ad hæc, quia Regem Francorum amicum quandoque habuistis, & nescitis quid pariat ventura dies, consulerem, ut eum aliquibus aut placaretis, si recessu vestro offensus est, aut magis alliceretis munusculis, si in veteri amicitia perseverat. Nihil autem est, unde ipsum adeò, & totam Gallicanam Ecclesiam, immò & Romanam, vobis conciliare potestis, quam si audierint vos, quod Philosophum decet, immò Christianum in utroque jure peritum, veritati, quod debetis, testimonium reddere, & honestati non opes Cræsi, nec aliquas præferre delicias. Si enim Ethicus, & Ethnicus laudabiliter ad litterarum commendationem dixit. *Quia vatis avarus haud temerè est animus.* Nonne Philosophum Doctorem honestatis, Præconem Evangelii pudebit, si à mundana supellectile opprimatur, quam Gentilis Poeta contempsit? Spero autem in Domino, quòd devotioni vestræ dabit opportunitatem, ut vel in consiliis, vel in inquisitionibus, vel alio modo, prout expedire novit, possitis cum indemnitate vestra, in auribus Principum, ad vestram & illorum salutem, pro veritate facere verbum, & Spiritus Patris vestri promovebit illud. Nec retardet vos, si in Ecclesia Romana videtis aliquid reprehensibile, qui meministis in Evangelio mandatum esse fidelibus, ut non imitentur opera sedentium in Cathedra Moysi, sed doctrinam eorum operibus impleant. Valete, & mei semper memoris vestri, quam amicum decet, habeatis memoriam.



## EPISTOLA CLXIX.

*Joannes Saresberiensis Richardo Pictaviensi Archi-Diacono.*

PUER meus à vobis rediens, undè Sanctitati vestræ innumeras gratias ago, litteras retulit, multa fidei & charitatis indicia præferentes. Eo enim Spiritu videntur esse conceptæ, ut singula verba, & ferè singuli apices signis fidelibus protestentur, se ad amicum de sincerissimæ dilectionis adipe processisse. Sed quia in illis, sicut in Domini mei Episcopi scripto, plura continebantur Capitula negotiorum, quæ sollicitudinem amantis augere poterant, utpotè quòd plena convalescentia ipsius, quæ nondùm erat, sperabatur. Et quod de pace inter ipsum & Regem reformanda convenerat, & de me reconciliando mentio habita est, & in hunc modum plura, in quibus amico gessistis morem, latorem præsentium ad vos usque transmisi, ut eo intermeante me de prædictis & cæteris, quæ statum vestrum contingunt aut publicum, per litteras vestras, si placet, reddatis certiorem. Obtemperans autem vestro consilio de industria talem misi, qui nulli sit apud vos aut paucis notus, & mihi & meis in omnibus fidelis inventus est. Injunctum est illi, ut apud Dominum Episcopum gerat negotium magistri Gualteri Clerici Domini Remensis pro recuperandis libris, quos idem G..... magistro P..... Heliæ commendaverat, de quibus vobiscum locutus sum apud Andegavum, & Commonitorium dedi. Ipsum itaque tanquàm puerum de domo Remensis Archi-Episcopi tractare poteritis, ut tempus exposcet, sed ut citò remittatur, continuæ sollicitudinis stimulus animæ meæ quietem denegat, donec aliquid certiùs de præmissis agnoscam. Si verò, quod plurimùm desidero ad honorem Dei & Ecclesiæ, pax Domino Episcopo reformata est & completa, quæ sperabantur implenda, qualiter in electione juratorum processum sit, & in quibus finibus caussa steterit, mihi diligentiùs recurrentibus litteris vestris placeat significare. Nam quid timuerim, immò quid timeam in omnibus articulis oblatæ conditionis, perspicuum est ex litteris, quas Domino Episcopo misi. Neminem tamen arbitror sapientem, qui dissuadeat pacem, quæ fieri potest in Domino, & ante humanum diem honestati non derogat. Fiat utinam pax cum salute conscientiæ, & integritate famæ in diebus nostris, sed quæ nec simulatoria sit, nec momentanea. Horum tamen neutrum in nobis est. Nam alterum ab adversario, alterum à Deo pendet. Quomodò autem ille, cum quo vobis negotium geritur, amicos & contrahentes secum beare consueverit, ex quo ei in omnibus voluntatibus

suis, & cum dispendio famæ & conscientiæ non acquiescunt, multis patet exemplis. Ex quo longè periculosiùs, quàm inconsiderati homines opinentur, esse arbitror, aliquam ad promissiones ejus jacturam facere conscientiæ & honestatis, quæ si semel lædantur, facilè nequeunt reparari. Nam quæ in alterutro fiunt vulnera, ferè lethalia sunt, ut tamen, Ferè, magis ex infirmitate carnis dictum accipiatur, quàm ex judicio rationis. Hac enim judice perniciosiora sunt, quàm illa, quæ corporis & animæ compagem solvunt, Ethnico, nedùm Christiano, dicente: *Summum crede nefas animam præferre pudori, & propter vitam vivendi perdere causas*. Unde tota mentis affectione deposco, ut si de pace mea actum fuerit, ea provideatur forma, in qua non offendatur Deus, & honestas, quam non audeo dicere ego, sed Deus mihi hactenùs integram conservavit, illæsa quoque imposterùm ad homines conservetur. Et si fortè talis potuerit inveniri, agam gratias Deo, & vobis, & omnibus, qui ad hoc operam dederint. Si verò de juramentis actum fuerit, novit Dominus meus Episcopus, quàm subtili reverentia in talibus tenear. Nunquid ergò jurare possem in ea præscriptione verborum, aut potiùs salutis proscriptione, quæ ab aliis, ut audio, exigitur, & præstatur, ubi nec Dei, nec Legis, nec Ordinis salvandi licet fieri mentionem? Sed de consuetudinibus reprobis, & legibus ignotis, aut repugnantibus Legi Dei servandis, quis Sacramentum petat nisi alienus à fide, & omnium Sacramentorum contemptor? Sanè temerarium nimis, & omninò præcipitem, & præcipitantem se in mille damnationis laqueos reputarem, qui se ad observantiam sacrorum Canonum, aut certè ipsius Evangelii custodiam juramento præstito obligaret. Nisi fortè eo major sit, qui suæ conscius infirmitatis, & testis nostræ humilitatis confitetur, quia in multis offendimus omnes. Si de præteritis agatur, non nego me Cantuariensi Archi-Episcopo, sicut Domino & Patri meo, debitum & devotum præstitisse obsequium, & utinam efficaciter præstitissem, nec unquàm, Deo propitio, adhuc pro quacumque utilitate, vel damno deducar, ut Dominum meum, quicumque sit, abjurando vel abnegando maculem vitam meam, immò & memoriam nominis & gentis meæ coram Deo & hominibus. Cæterùm sicut à pluribus accepi, nisi hæc & prædicta fecero, pacem mihi reformari aut impossibile est aut difficillimum. Ad hoc itaque proficiat, si placet, vigilantia Episcopi, & vestra, ut si de reconciliatione mea actum fuerit, iniquæ & periculosæ conditiones amoveantur, & ego in omnibus, quæ sine periculo salutis & famæ fieri possunt, Domini Episcopi, & vestrum, quod ab eo non discrepat, consilium sequar. Sed nec proficisci vellem ad Curiam, pacem facturus, nisi aliquatenùs præcognita fama ejus. Nam rei familiaris angustia, & negotiatio litterarum, quæ mihi solatium pariter & subsidium præbet, nec magnos sumptus faciunt, nec diù abesse patiuntur. Facultas enim solito magis tenuis est, sed onera non decrescunt. Rarescunt autem auxilia, etsi ab initio rarissima fuerint. In profectione versus Andegavim, & Paschalibus colloquiis Regum, tredecim libras expendi, & duas amisi equitaturas, ut de laboribus, molestiis, & Curiarum tædiis taceatur. Quod quia magis piget, cuncta cesserunt in cassum. Nam labor periit, & impensa, nec vellem, si fieri posset, occupationum, & rerum simile subire dispendium. Status meus vobis ex parte per Nuncium innotescet. Idem est ferè qui fuit. De caussa Cantuariensis non despero, quia ipse pœnitentiam agens super commissis in Curia, de Domino non desperat, nec ponit, ut opinor, carnem brachium suum. Credo autem, quòd Deus adhuc supremum remedium differt, quia nondùm est omni humano auxilio destitutus. Vocat me magister Girardus, ut, salva fide Ecclesiæ Romanæ, Coloniam transeam, sed authore pio JESU, pro nullo quæstu ponam cum schismaticis ad subversionem Domus Domini schismatis portionem. Ipsum tamen Girardum nequaquàm schismaticum reputo, quia fidei ejus perspicua patent indicia ex litteris ejus, quorum Rescriptum Domino Episcopo mitto, suppresso tamen Authoris nomine, ne & illi & aliis noceat, si fuerit divulgatum. Non dubito, quin mihi compateremini, si constaret, in qua sollicitudine versatur animus meus, nec tamen, Deo teste, pro me, licèt apud Duricordes habitem, quantùm pro amicis sollicitor: quia mihi, quoad me, sufficeret commercium litterarum, nisi urgerent & alii, quorum oportet me necessitatibus communicare. Si nescitis, Belgica secunda, quæ modò Remorum dicitur, in antiquis Historiis Provincia Duricordium appellatur. Licèt, habita contemplatione quorundam, possit & Mollicordium appellari. Neque enim Duricordiam Archi-Episcopi, & suorum quisquam familiariùs accedens probabiliter arguere poterit. Sed quis, quæso, nostratum & veterum amicorum de gente Duricordium non convincitur esse? Dicam, quod fortassè non creditis, sed certè verum est, filius magistri Gaufredi mihi coexulavit mensibus octo, sed cùm ad eum Nuncius meus ab Episcopo Norwicensi & Abbate Sancti Edmundi divertisset, profectò nec unas ad me litterulas potuit impetrare. Scit tamen Deus, quòd nihil ab aliquo eorum petii, in eoque mihi benè actum est, quod nondùm ab initio proscriptionis meæ erubescentiam sustinui de repulsa. Ex his & præcedentibus patet via rationi, sed in litteras ex affectione totus defluerem, nisi modestia, & multiplicitas occupationum, quibus id tantillum surripui, compellerent, ut dicam ex animo, Vale.

## EPISTOLA CLXX.

*Joannes Saresberiensis Magistro Girardo Pucelle.*

PLENAM devotione & eruditione nuper à vobis recepi epistolam, quam quò diligentiùs relego, eò societatis vestræ solatium à nobis subtractum esse, acerbiùs ingemisco. Cæterùm cùm tota epistola, tum venustate, tum affectione & reverentia nominis vestri plurimùm mereatur, illud præ cæteris placet, quod in calce litterarum prudenter, &, ut spero, veraciter intulistis: vos dixisse, scripsisse, fecisse, perpenso tenore litterarum mearum quidquid dici, scribi, & fieri oportebat. Mihi autem nunquàm persuaderi potuit, quod in tanto salutis discrimine aliquid ex contingentibus omitteretis, & sordidam divitiarum evanescentium commutationem pro anima recipiendo, non modò Philosophantis nomen velletis amittere, sed, quod longè pernicio-



ciosius est, abjicere conscientiam Christiani. Absit hoc, absit hoc, dilectissime, à discretione & honestate vestra, ut pro temporali emolumento ponatis cum schismaticis portionem, & quidquam de Hierichontino anathemate imprudentiùs & impudentiùs rapiatis, quòd castris Domini exercituum in ruinam & perniciem convertatur. Et quidem ut sententiæ, vestræ, immò Catholicæ Ecclesiæ authoritati consentiam, dum grana cum paleis, & boni malis admixti sunt, & in adimplendis mandatis Moysi, & promovenda prædestinantis gratiæ dispositione laborat JESUS, Anathema in medio Israel est, cujus occasione pereunt multi, & qui præordinati sunt, post triumphos gloriosiùs coronantur. Unde navis Petri, quasi Domino dormiente, fluctibus variis sæpè colliditur, sed quia de Christo vectore confidit, semper ad salutis enavigat portum. Nec ambigitis, quin & in medio vestri, Coloniensis Ecclesiæ dico, non tam lateat anathema, quasi aliquam reverentiam Dei & hominum verecundiam habens, quam insaniat & æviat adversùs Deum, & Ecclesiæ unitatem, præsertim cum toti mundo ferè jam innotuerit, quantus incentor & author schismatis, ex quo potuit, fuit ille Coloniensis Præsumptor Ecclesiæ, maximus inter Locustas Bestiæ, quarum potestas est in linguis & caudis earum. Defecerat enim schisma, pacem fuerat Tyrannus vester Ecclesiæ redditurus, nisi eum Coloniensis etiam adhuc adversùs Ecclesiam incitaret, ut pari voto non tam summi Pontificis vitam, quam Petri dignitatem conentur extinguere dicentes: alligemus justum, quoniam inutilis est nobis, scientiam viarum Dei nolumus, Regem nescientes nisi Cæsarem. Eo enim, ut ajunt, proposito in Italiam profecti sunt, ut Cremensem Hæresiarcham intrudant in Sedem Petri, & Vicarium Christi aut comprehendant, aut ejiciant, aut occidant. Verumtamen sine intermissione fit oratio ab Ecclesia ad Deum pro eò, ut supra modum timere non debeat à duabus caudis fumigantium titionum, Frederico & Reginaldo, qui ponentes carnem brachium suum sanctum Israel blasphemare non cessant. Profectò ubi humanum deest, Divinum auxilium necessitatibus Ecclesiæ suffragatur. Nemo suum fraudulenta verborum excusatione tueatur errorem, voluptatibus suis nullus applaudat, quia Deus non irridetur, qui non secundùm visionem judicat oculorum, nec auditum aurium sequitur, sed in æquitate judicabit orbem terrarum, & pro mansuetis condemnans impios. Inde est, quod affectuosiùs peto, quatenùs instantiùs agatis quæ agitis, dicendo, scribendo, faciendo, quod ad evacuationem schismatis per collatam vobis sapientiam à Domino cognoveritis pertinere, ut & conscientia sit tutior apud Deum, & apud proximum fama convalescat. De cætero ut ex conscientia loquar, de Cantuariensi & suis injunctam concepisti suspicionem: quia quantum perpendere potui, & de illo & de illis plenam in charitate debetis obtinere fiduciam. Non ergò illis imputetis indignationem Regis Francorum, sed vobis, qui sine conscientia ejus recessistis, ut conqueritur, ipso prope transitum vestrum existente ad duas leucas. Eoque magis motus est, quod cùm vos habuerit familiarissimum, sic transistis quasi ad Æmulos Regni Francorum, & nominatim ad schismaticum Coloniensem, qui non modò Ecclesiam Dei persequitur, sed & ipsum, ut audivit, impudenti scurrilitate verborum consuevit Regulum appellare. Sed cùm vobis id cordi fuerit, benignitatem Christianissimi Principis vobis placabilem fore non dubito.

## EPISTOLA CLXXI.

*Joannes Saresberiensis Magistro Girardo Pucelle.*

LICET mihi dilectio vestra non rescripserit, ego tamen opportunitate inventa, sicut fervorem animi, præsertim ad amicos, & in assertione justitiæ, cohibere non possum, sic & à scribendo non potui calamum cohibere. Et fortasse plura scriberem nostrum, Ecclesiæ Anglorum dico, contingentia statum, nisi quia opinor Patrem vestrum Dominum Cantuariensem vobis super his pleniùs rescripsisse. Progrediens ergò ad reliqua, Deo in primis gratias ago, qui mihi, supra & contra merita mea, dedit in omni tribulatione solatium, & omnes adversariorum tendiculas in gloriam suam convertit, & parvitatis meæ profectum. Quanti enim facere debeo exercitium litterarum, & negotiationem virtutis, & experientiam propositi rectè Philosophantium, & patientium innocentiam, & pro assertione fidei & justitiæ defensione? Sed & sorti vestræ aggratulor, audito quòd inter hostes Ecclesiæ, authore Domino, gratiam invenistis, & ut temporalibus abundetis ad materiam gerendorum, & quadam litterarum & virtutum præmineatis authoritate, ut apud Barbaros, quod discretio vestra dictaverit, reputent Sacrosanctum. Verùm quod plurimi facio, illud est, quòd odistis Ecclesiam malignantium, &, ut audio, contra schismaticos in virtute Spiritus Sancti publicè pro fide in omni libertate conscientiæ loquimini, & scribitis veritatem. Nam profectò ubi Spiritus Dei est, ibi libertas. Nec est, quod magis Philosophum deceat, quàm professio veritatis, justitiæ cultus, contemptus mundi, & paupertatis, cùm necessè est, amor. Legimus Philosophos gratis tanquàm virtutis impedimenta contemsisse & abjecisse divitias. Sed quod etiam ingentibus aliquis eorum opibus postposuerit veritatem, hactenùs inauditum est. In eo namque totius Ethicæ gentilis præcepta vigent, ut carnalium passiones affectionum, quas nequeunt penitùs extinguere, reprimant, & subjiciant rationi. Quod si cui divinitùs datum fuerit, quia ad hoc natura impotens est, non ambigitur rectè eum Philosophantis via ad vitam incedere, ut æternaliter videat dies bonos. Et quatenùs quisque in eo profecerit, eatenùs ad veram Philosophiam accedit. Unde quia vos confido rectè Philosophantis habere propositum, rogo, moneo, & modis omnibus consulo, ut errantes studeatis à schismate revocare, ut Deum præferant homini, nec metu Imperatoris aut schismatici Coloniensis circumventione patiantur à Christi corpore separari. Nam fortassè pro salute justorum vos Dominus ad hos barbaros destinavit. Nec credo istam adeundam jurgiis, sed felici moderatione complendam, præsertim à sapiente qui meminit: *Quia modestia sapientiæ à fine suaviter usque ad finem universa disponit*. Alioquin pertinacibus

cibus communicandum esse non arbitror vel in minimo, cùm meminerim illum, cujus figuram geritis, Zorobabel, qui vertitur in Principem, vel magistrum Babylonis, non acquievisse hostibus Judæ & Beniamin, ut etiam ad reædificandum Domum Domini consiliis captivitatis aliquid omninò conferrent. De his hactenùs. De cætero jam porrectas itero preces, quatenùs de reliquiis Regum & Virginum mihi vestro aliquid trasmittatis cum vestrarum testimonio litterarum.

## EPISTOLA CLXXII.

*Idem Magistro Girardo Pucelle.*

ETSI vobis nuper scripserim quæ videbantur scribenda pro tempore, tamen instar amicitiæ torpentis arbitror inter necessarios cessare verbi commercium, præsertim oblata ex quacumque occasione opportunitate colloquii. Celebre siquidem Proverbium est: *Verba amantibus, & servilibus ingeniis querelas non deesse*. Quantùm verò silentium in Professionibus Religiosis ad cultum justitiæ proficere commendatur, tantùm profectò convincitur amoris prodere & generare defectum. Impulit ergò me stimulus charitatis, portitoris opportunitate divinitùs collata per litteras scisitari, an circa statum vestrum in alterutram fortunæ partem de novo sit aliquid immutatum, & an aliquid posteà certum acceperitis de expeditione Imperatoris, & vestro Colonienſi, quos Deus convertat, si prædestinati sint, & per condignos fructus pœnitentiæ in veritate Ecclesiæ constitutis donet veniam, & purgatos introducat & perducat ad vitam. Alioquin virgam furoris sui, cædentem populos in indignatione, corripientem Ecclesiam castigatione crudeli, confringat Altissimus miserator & misericors Dominus. De statu meo nova scribere nequeo, quia circa me nihil est innovatum, sed qui vester fui recedens, ubicumque sim, & ubicumque locorum degatis, authore Domino, vester ero. Nec dubito, quin opportunitatibus meis, si res exegerit, officiosa esse disponat vestra sedulitas. Poterimus autem magis ad invicem officiosi esse, si ipsi Philosophiæ, cujus professioni diutiùs operam dedimus, curaverimus diligentiùs inservire, ut simus scilicèt potiùs mandatorum executores, quàm inanium ventilatores verborum. Res enim quærit, curat, & assequitur veritas Philosophiæ, non verba. Et mihi quidem nunquàm placuisse sententiam, quæ in solis versatur sermonibus, vobis pridem notum est. Nec auditores verbi, nec præcones apud Deum justi sunt, sed factores. Estque veræ Philosophiæ certissimum argumentum, cum quis virtutis obice retundit stimulos carnis, & tutiùs fortunæ elidit incursum. Sumus, Amice, in conflatorio Domini, eo per patientiam philosophemur authore. Nam doctrina veri per patientiam dignoscitur. De cætero communicate mihi, si placet, novorum aliquid, quæ in expilatis invenitis armariis, si non aliud occurrit, quod nostratibus desit, saltem visiones & oracula Beatæ illius & celeberrimæ Hildegardis, quæ apud vos sunt. Quæ mihi ex eo commendata est venerabilis, quod eam Dominus Eugenius speciali charitatis affectu familiariùs amplectabatur. Explorate etiam diligentiùs & rescribite, an ei sit de fine hujus schismatis aliquid revelatum. Prædixit enim in diebus Beati Eugenii, quod non esset, nisi in extremis diebus pacem & gloriam in Urbe habiturus. Precor autem attentiùs, ut res Beati Remigii apud vos protegatis: sic protegetis animam meam.

## EPISTOLA CLXXIII.

*Idem Magistro Girardo Pucelle.*

DOLEO, magister charissime, & plurimùm doleo, quòd Seneritatem vestram adversùs Dominum Cantuariensem, ut ex animi sententia loquar, plus justo turbatam video, quia ipsum meruisse non arbitror, ut vestra sinceritas adeò debeat indignari. Neque hoc dixerim, *Vivit Dominus*, ut vestram, quam Deus incolumem servet, circumveniam charitatem, sed ut veritatis assertione firmiùs ad invicem convertantur amici, ne ex levi suspicione, quod absit, contingat alterum alteri deperire. Nostis enim quis dixerit: *Qui non diligit, manet in morte*. Quod autem nescio qui suorum honestati vestræ dicuntur apud Christianissimum Regem, & Francorum Curiam detraxisse, unum vobis constet, si tamen constat ignoro, sed hoc mihi certissimum est, quòd ipsum audivi sæpiùs excusantem, tam apud Regem, quàm apud alios recessum vestrum, & pro vobis pluries intercedentem. Undenec credere possum quòd de conscientia ipsius quisquam suorum detraxerit. Nam si nescivit, si non sensit, eum non consensisse verum est, aut certè probabile. Habet quidem aliquos de Coexulibus suis in Curia Regis minùs fortasse providos, ut verbum incautius contra vos, vel alium potuerint protulisse, quo eis fortè fierent gratiores, quibus quod loquebantur placere crediderant. Deus mihi testis est, quòd illos non vidi, nec audivi committere quod arguuntur, & adhuc qui sint illi, prorsus ignoro, si qui sint tamen. Cæterùm memoratum Regem ex tribus caussis non ambigo indignatum. Quarum prima est, quòd cùm post multam gratiam & familiaritatem ejus propè locum, ubi morabatur, transitum faceretis, divertistis & recessistis à Regno, ubi tot bona vobis ab infantia collata fuerant, ubi nomen vestrum claruerat, ipso nec salutato. Secunda, quòd ad schismaticos, non dico schismaticus, transistis, & qui opinione virtutis & eruditione litterarum erexisse & confirmasse debueratis infirmiores, omnibus in commune malum dedistis exemplum. Verentur enim minùs communicare schismaticis, cùm in eorum consortio tantum virum videant detineri, qui ex necessitate multiplice, dum in ea conditione est, se nec ab oratione, nec à mensa, nec ab osculo suspendere potest, nec ab aliis quæ in Religione communionis argumenta esse noscuntur. Et quòd hanc caussam prægravat apud ipsum, illi vos dicit adhæsisse schismatico, qui totius schismatis faber erat, incentor, & signifer, & à Sede Apostolica condemnatus ex nomine. Tertia autem est, quam & ego, quidquid alii dicant, maximam puto, quod ad Theutones divertistis, qui sicut ei persuasum est, si possent & auderent, in Regnum suum libenter insurgerent. Et quod possunt, & audent, loquuntur grandia, ministument, & qui etiam in Regno ejus sunt, immò in sede quiescunt Parisius immorantes, hoc in eo depretiantur, ut nostis, quòd civiliter vivit inter suos, quod Barbarorum more Tyrannum non induit, quod non incedit semper Satellitibus armatis septus, ut qui timet capiti suo. Hos gentis mores novit, de his sæpè conquestus est, ut opinor, etiam vobis. Et tamen supplicavit Dominus Cantuariensis me præsente & tandem obtinuit, ut quantum ad ipsum pertinet, licita sit revocatio vestra. Quod autem adjungitis ipsum misisse Domino Papæ rescriptum litterarum vestrarum, non quidem inficior, quia ei bona fide, & nostro etiam favore communicatæ sunt. Sed ille, quod novit inspector cordium, hoc ad vestrum incommodum non procuravit: studebat potiùs ut caussæ suæ proficerent, & opinionem vestram apud Dominum Papam relevarent. Volebat autem ei innotescere, quod fides & devotio vestra cum Ecclesia Dei & Sede Apostolica est, licet vos ex dispensatione, quò faciliùs per vestram industriam convertantur aversi ad honorem Dei & utilitatem Catholicæ veritatis, ad tempus illis cohabitetis. Et si aliqui Nunciorum minùs seduli fuerunt in obtinenda revocatione vestra, negligentia eorum mandatori non debet imputari. Constat etenim de mandato, & de Nunciorum sperabatur industria. Nec dubito, quin super hoc Dominus Papa contentus sit, cùm certum sit neminem unquàm, nec maximum Patriarcham, si tale quid accidisset, revocaturum. Sed redeat qui voluerit, & redeat ut debet. Et si discipulus vester, magister Richardus, cognatus meus, rediisset, qui in redeundo obiit, super hoc verbo essemus certiores. De eo autem, quod de statu Imperii mira quasi à vobis accepta Domino Papæ insinuaverit; respondeo, quod accepit insinuasse, sed non à vobis: nec quod à vobis acceperit, ei scripsit. Nam per alios magis innotescit Imperii status. Nec mirum, si tanta moles occultari non potest. Verùm post illarum interceptionem litterarum, & magistri Richardi obitum, cum super hoc verbo Cardinalibus loqueretur, dissuaserunt ne vos citra consilium & voluntatem Domini Papæ revocare præsumeret. Quin potiùs attenderet quòd Dominus Remensis, & omnes suffraganei sui ad hoc convocati, non ausi sunt Episcopum Cameracensem, etiam cum lachrymis pœnitentem, in communicatione recipere, antequam super hoc Dominus Papa consuleretur. Vestra tamen, sicut eis responsum est, caussa longè dissimilis est. Ille enim in schismaticorum intraverat errorem, nec vos in medio schismate consensistis errori. Ille erat Episcopus, & Catholicos visus est subvertisse, vos in statu privati ad unitatem schismaticos conamini revocare. Misit ergo Dominus Cantuariensis iteratò ad Ecclesiam Romanam, injungens Nunciis, me præsente, ut revocationem vestram à Domino Papa satagerent impetrare. Ego ipse ex conscientia magistri Radulphi Nigri composui litteras. Ego rogavi ipsum, ut rei hujus seriem ex ordine scriberet vobis. Nuncios itaque nostros constat ad Curiam pervenisse, & ibi contra Legatos Domini Regis Angliæ diu magnum habuisse litigium, sed de omnibus septem nec unus adhuc redierat Dominica proxima post Adscensionem. Litigii eorum non scribo exitum, quia adhuc ignotus est, nisi quod à redeuntibus ab Apostolica Sede audio eos in caussa prosperatos prævaluisse Nunciis Regis. Sed quatenus, incertum est. Nescio enim si non compotes redeunt petitionibus adimpletis, an hæc prosperationis eorum summa sit, quod Nuncii Regis infecto negotio inglorii revertuntur. Nuncium vestrum vidi nuper in colloquio Regum, habito propè Medomtam, ubi de pace tractabatur. Plures apud Anglos habebatis fautores, sed quid illi pro vobis obtinuerint, explorare non potui. Alium de vestris vidi Parisiùs, & qualiter Domino Cantuariensi scripserim pro revocatione vestra, novit amicus vester Dominus G..... inclusus apud Sanctum Hilarium, qui litteras inspexit, mihique foret gratissimum, si ad vestram notitiam pervenisset. Cum verò Nuncii, Domino propitiante, redierint, quod in brevi futurum creditur, & de nostro, & de vestro negotio erimus certiores. Quare, si placet, moderationem vestram non decet irrevocabiliter indignari, nec tam properum discessui debetis præfigere diem: quia nec nostrum nec vestrum est Divinæ miserationi præstituere tempus, aut sustinentiæ terminum. Sed quod Sacerdotes à Judith Vidua legitis didicisse, justum est nos omnes, Christi pauperes & proscriptos, animas nostras in virtute patientiæ possidere, & exspectare in devotione, & silentio salutare Dei. Sic exoptantibus ex inopinato aderit gratia consolatrix, & amputato capite Holofernis, Filii Israel diu desiderata pace gaudebunt. Nec dehortor, quin si ita sederit animo, cum Domino Rege Anglorum pacem, quam ferè pro voluntate vobis offerri dicitis, faciatis. Sed utinam illa formula conservetur, quæ, proveniente rerum utilitate, nec opinioni vestræ præjudicet, nec saluti. Et quidem plerisque nostrum oblata est conditio pacis, sed exigitur ab omnibus juramentum, quod sine Religionis dispendio non valet, ut arbitror, observari. Nam quomodò fides illæsa servabitur, si pastoribus & Prælatis subjectos in his, quæ Dei sunt, non liceat obedire? Licèt autem inobedientiæ crimen non exprimatur in cautione, certum non est quid vertatur in animo exigentis. Unum scio, quòd nemo Domini Regis gratiam poterit retinere, qui Archi-Episcopo Cantuariensi sub hac tempestate servet obedientiam, aut cùm eo credatur habere charitatis commercium. Vos de ovibus ejus estis, &, ut opinor, ipsum primum aut inter primos à Domino recepistis Pastorem. Videte ergò, dilectissimè Frater, & providete, ut cautè ambuletis, ne perturbatio, quod à gravitate Philosophi semper alienum est, dominetur animo vestro, ne, ipsa impellente, tale quid committatis, cujus postmodùm sera fit pœnitentia. Potiùs ad orationis, & elemosynarum arma confugite, ut vos Deus cum aliis justis deducat per vias rectas, & ambulare faciat in semitis suis, qui diligentibus se omnia cooperatur in bonum. Ille vos expediet, cujus nomen fortissima turris est, & erit rei jucundus exitus, qui talem habebit & tantum Ducem. Tractatur de pace Regum, & adhuc creditur proventura. Totus interim flet Orbis. Unde nec nova scribo, nisi

nisi quòd Comes Leicestriæ obdormivit in Domino. Comes Patricius à rebellantibus Pictavis occisus est. Dominus Carnotensis electus est in Archi-Episcopum Senonensem. Valete.

## EPISTOLA CLXXIV.

Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus R..... Abbati, & Wilhelmo Priori de Valle.

*Venerabilibus Fratribus R..... Abbati, & Wilhelmo Priori de Valle, Thomas Cantuariensis Ecclesiæ Minister humilis, salutem.*

MEMINISSE potest vestra dilectio, quod sicut in transitu Magistri Girardi Clerici, & amici nostri, turbati fueramus, ita per vos, audita reversione ejus, admodùm exhilarati sumus. Ei ergò, per te dilecte Frater Prior, & per Clericum nostrum magistrum S....., familiarem ipsius, dedimus consilium, quod, Deo teste, honori & utilitati suæ pro tempore magis credimus expedire. Ipse verò motum animi sui sequi præferens, ad Domini Regis Anglorum est conversus obsequium, obligans se, sicut pro certo accepimus, fidelitatis & juramenti vinculo. Et utinam versetur ibi, ut nec Deum offendat, nec lædat famam. Novit ille, cui de operibus & verbis, & ipsius animæ motibus reddituri sumus in districto examine rationem, quoties per litteras & Nuncios, & quanta affectione institerimus Summo Pontifici, ut nobis eum revocandi licentiam daret, excusantes recessum ejus sub prætextu licentiæ, quam se memoratus Girardus dicebat à Sede Apostolica impetrasse. Sed Dominus Papa se hanc dedisse constanter inficiatus est. Tandem verò redierunt Nuncii nostri ab Apostolica Sede, qui nobis revocandi licentiam attulerunt, & formam juramenti præscriptam, quo præstito præcipitur absolvi, & in pristinum reponi statum. Rogat etiam Dominus Papa Christianissimum Regem Francorum, ut ei exinde gratiam suam restituat, & in terra sua, more solito, manere permittat. Mittimus vobis & juramenti formam, & Apostolicarum rescripta litterarum, rogantes attentiùs, ut hæc ad notitiam ejus venire faciatis, & consulatis ei, quatenùs saluti & honestati suæ provideat, & testimonium conscientiæ & tremendum judicium Dei, sæculi pompis & bonis mundialibus anteponat. Nos autem, si mandatum Domini Papæ voluerit adimplere, ipsum ut filium charissimum recipiemus, & fraterna tractabimus charitate. Si verò id recusaverit, rogamus ut & hoc nobis vestra diligentia innotescat.

## EPISTOLA CLXXV.

*Alexander Papa Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo.*

SIGNIFICATUM est nobis, & ex parte tua monstratum, quod Girardus Puella, suum recognoscens excessum, ad obedientiam & mandatum nostrum velit redire, & schismaticæ pravitati omnimodis renunciare. Unde quoniam ejus semper debemus imitatores existere, qui ovem centesimam relictis nonaginta novem in deserto propriis humeris reportavit, Fraternitati tuæ per Apostolica Scripta mandamus, quatenùs si jam dictus Girardus ad nostram & Ecclesiæ devotionem voluerit, sicut nobis est significatum, redire, ipsum exhibito secundùm formam, quam tibi præscribimus juramento recipias, & eundem ab ea, qua tenetur, sententia vice nostra absolvas. Ita tamen quod beneficium sibi à schismaticis collatum nullo modo debeat retinere, nisi fortè Ecclesia, in qua illud habet, postquàm ad nostram fuerit, & Ecclesiæ Romanæ devotionem conversus, hoc sibi conferre voluerit. Data Beneventi, decima tertia Calendas Junii.

## EPISTOLA CLXXVI.

*Juramentum Magistri Girardi Pucelle, & aliorum à schismate redeuntium.*

EGO Girardus refuto, & anathematizo omnem hæresim extollentem se adversùs Sanctam Ecclesiam Catholicam, & præcipuæ schisma, & hæresim Octaviani & Guidonis Cremensis. Ordinationes quoque eorum irritas esse pronuncio, & modò in anteà obediens & fidelis ero Domino Papæ Alexandro, ejusque successoribus Catholicis. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

## EPISTOLA CLXXVII.

*Alexander Papa Ludovico Regi Franciæ.*

SIGNIFICATUM est nobis, quòd Girardus Puella, suum recognoscens excessum, schismaticæ pravitatis errori velit omnimodis abrenunciare, & ad mandatum vestrum, & Venerabilis Fratris nostri Thomæ Cantuariensis Archi-Episcopi Domini sui redire. Unde quoniam ad nostrum spectat officium cum delinquentibus misericorditer agere, & judicio misericordiam anteferre, serenitatem tuam per Apostolica scripta rogamus attentiùs & monemus, quatenùs si memoratus Girardus ad nostram, & Ecclesiæ, & Archi-Episcopi sui obedientiam reverti voluerit, & excessum suum digna pœnitentia recognoscere, ipsum in terram tuam sine alicujus indignationis rancore cum gratia tua venire permittas, & in Regno tuo, sicut consueverat, permanere. Datum Beneventi, decimo tertio Calendis Junii.

## EPISTOLA CLXXVIII.

Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Ernulphus, Fidelium ejus minimus.

*Domino & Patri suo Charissimo Thomæ, Dei gratia Cantuariensi Archi-Episcopo, Ernulfus fidelium ejus minimus, in Spiritu fortitudinis, scientiæ consilio regi.*

IN otio laboriosò constitutus, nullum aptius credidi mihi remedium fore quàm vobis, Pa-



ter, aliqua scriptitando tamquàm præsenti loqui, qui tamen jugi meditatione, dilectione singulari præsens, totum mei cordis hospitiolum meritò vendicastis. Placeat igitur Serenitati vestræ, à seriis ad nostras nænias ad horam converti, & his pro me scriptis paululùm temporis indulgere, qui pro vobis innumera aliis legenda, utinam tam efficaciter, quàm diligenter conscripsi. Nec æstimet quisquam, hæc de curiositatis superfluo vanè procedere, quæ & sollicitudo filialis de statu Patris instrui dictat, & propriæ necessitatis causa suggerit: non minimum suo Patrono saltem exposita reportatura solatium. Laboriosum, inquam, mihi est otium, quod & gravioribus animum molestiis pulsat; quo minor rebus gerendis materia subest, & rarior negotiandi me excitat occasio, ut cum propheta meritò dicam: *Ecce in pace ista amaritudo mea amarissima*. In ipso etenim, ut ita dicam, actionum silentio familiari quadam inquietudine tumultus suboritur cogitationum, longè multipliciùs occupans, infestiùs detrahens, altiùs evertens, præsertim cùm mihi ipsi contrarius positus sim, & velut in partes divisus, illud in me sapientis experiar: *Quia nulla pugna gravior, quàm illa, in qua idem, qui vincit, vincitur*. Hinc me præteritæ felicitatis urit memoria. Summum enim infelicitatis genus est fuisse felicem. Hinc præsentis adversitatis non tam premit angustia, quàm rubor confundit, ob quam & Fratres mei elongaverunt se à me, & noti mei quasi alieni recesserunt à me. Quodque gravius est, sumus opprobrium vicinis nostris, judicantibus ad oculum, subsannatio & illusio his, qui in circuitu nostro sunt. Noverat hoc, qui dixit: *Non habet infelix paupertas durius in se, quàm quod ridiculos homines facit*. Ad exaggerandam demum tantæ confusionis ignominiam opponitur eorum non solùm impunitas, verùm & gloria, qui hujus turbationis vel actores exstiterunt, vel incentores, insultantium nobis, & quasi dicentium: *Hi sunt, qui suam justitiam statuere volentes, justitiæ Regis noluerunt esse subjecti. Propterea dati sunt in captivitatem, & possessiones eorum in manus inimici*. Ob quos mundanæ protervitatis motus sub æquitatis normam redigendos, cum veterum authoritas exquisitissimis assertionibus multimodò labore desudaverit, dementiæ arguendus esset, si quis eorum rationibus vel auderet refragari, immò vel approbare detractaret. Veruntamen cùm ad ipsum passionis dolorem recurritur, sensus præponderat auditui, sensualitas præjudicat rationi, & sic aut incurritur tædium vitæ, ut Signipotens ille prophetarum eximius clamet: *Obsecro Domine tolle animam meam*. Aut boni propositi via fortè deseritur, ut & David, Vir secundum cor Domini, dicat: *Mei autem penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei, quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns*. Quod si in his, & aliis viridibus lignis, utpotè secus aquarum decursum plantatis, abundanti videlicèt Spiritus Sancti gratia debriatis, hujus confusionis vices aliquantulæ turbationis causam cernimus exstitisse, JESU bone! in nobis aridis, vel, ut veriùs dicam, putridis quid fiet, quibus illa fontis æterni vena tot saxorum obstruitur oppositione, quot peccatorum ponderibus aggravamur? Nam etsi magnam ex scripturæ sacræ lectione, velut David in cythara psallens, Christi in nobis consolationem operetur, cùm tamen ab ea vel vacare necessariò cogimur, vel torpere negligenter, quasi cythara reticet, & spiritus nequam, quem carnalem sensum non incongruè dicimus, suum Saul, id est, concupiscentiam nostram, superbiæ, cæterisque vitiis deditum rursus exagitat, nec est irpari facile est ad plenum, quod tam crebris assultibus repullulat redivivum. In hac sanè justissimi Creatoris area, multa confusè miror, & conqueror accidere, in qua libertas servire videtur, fortitudo succumbere, servitus dominari, & postremò vilissima pedissequarum, nec minimæ virtutum respectu digna, fortunam dico, ipsi Reginæ Justitiæ potenter imperat, vim infert, injurias irrogat, tormenta multiplicat, proprium ejus, quod est unicuique suum reddere, quantùm in ipsa est, evacuat, & quodcumque sibi libitum, in eam confidit, & arrogat impunè licitum, dum solvendos ligat, ligandos solvit, nocentes exaltat, innocentes premit. Suum quippe innocentiæ esse quis abnuat triumphalis præmium coronæ? Quid hac, Deus bone, confusione prodigiosius? Quid hoc prodigio mirabilius? Quid hoc mirabili vel efficacius ad movendum, vel innocentius ab subvertendum? Unde non immeritò illa sapientis lachrymosa conquestio: *Heu gravem sortem, quoties iniquo additur sævo gladius veneno*. Et Salomon: *Cùm impii sumpserint Principatum, gemet populus*. Ac ne fortè in affluenti, tritaque materia prolixa nimis evagetur oratio, redeundum est ad cor. Et ne sermo sobrietatem excedat, aut mens à scrupulosa quæstionum crepidine in præcipitium devolvatur erroris, utrobique cavendum, ne fortè in Creatorem velle refundere videamur, quod ex nostra in nobis minus est infirmitate, sub cujus oculis nullus motus temerarius, nullus eventus fortuitus: quoniàm in sapientia cuncta disponit ab æterno provisa. Quæ profectò rerum dispositio non ideò minùs ordinata, quia causa ejus nobis incognita, immò & majori prosequenda fidei pietate, quò ab humanæ rationis cognitione remotior. Judicia Dei abyssus multa, quæ solus ille novit, qui abyssos intuetur, & sedet super Cherubin. Tandem à generalitate ad id, quod me specialiter contingit, descendendum est, & de ea sorte, quæ me cæterosque nostros pariter involvit, conquerendum. Sed frustrà, quia nec casus noster sublevantem invenit, nec querela consolantem ex omnibus charis nostris, fortior in me de die in diem tribulationum tempestas insurgit, & aliquid calamitati meæ superaddidit hodierna, quod non habuit hesterna, & de crastina vereor, ne & ipsa fiat hodierna deterior. Dominus Rothomagensis aggravavit manum suam super me. Quia vos in persecutores nostros justa animadversione vestram aggravastis. Illud tantillum beneficii, quod anno præterito mihi gratis promiserat, in præsenti negat. Gratis dico pro tempore, licèt mihi debitum pro ratione. Temporalis Principis, quam timet, prætendit offensam, qui potiùs æterni Judicis cuncta cernentis attendere debuisset sententiam: *Deo potiùs obediendum quàm hominibus*. Et illud: *Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus*. Et fortassis in his omnibus nulla posset ratione dolor mitigari, neque enim dedit mihi

Deus

Deus cor lapideum, ut percussus non sentiam, attritus non doleam, nisi & in primis me digna factis recipere, & peccata mea multa graviora meruisse cognoscerem, & ad vos, Pater sanctissime, respectum haberem, qui voluntariè sustinetis, quod ego coactus sum in merito, quod ego meritus. De cujus plenitudine totum mihi defluxerat, quod in præsenti videbar habere. Ad cujus pœnitentiæ gloriam nec ipsi potentes poterant, nec ipsi sapientes noverant adspirare. Sanè Pater, quia universa hæc tanquàm nihil habentes in Christo possedistis, corde eorum affluentiæ nullatenùs apposito, ea pro Christo ingruente necessitate fortiter abjecistis. Et iterùm *Joseph in mana mulieris impudicæ pallium reliquit, adolescens rejectà sindone nudus profugit à persecutoribus Christi*, dum vos prælegistis, abjectis, ut dictum est, rerum temporalium sarcinulis, quasi quibusdam ad iter vestrum impedimentis, nudus & expeditus crucem vestram tollere, Christum sequi, in domo Dei abjectus esse, quàm cum sæculo gloriari, & in tabernaculis peccatorum habitare. Ita ut propheticum & Evangelicum in auribus meis proclamare non tam ore, quàm opere videamini: *Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino spem meam. Et quid prodest homini, si mundum universum lucretur, Animæ autem suæ detrimentum patiatur?* Hic est Serpens æneus, ad quem tentationibus velut Serpentibus vulneratus, respectum habeo. Hæc est Petra, ad quam curarum aculeis obsitus velut spinosus Erinaceus spero refugium. Petra enim refugium Erinaciis. Alioquin vivus absorptus inter mortuos, desperatos scilicèt, qui Deum non laudant, habitassem. Deputatus essem cum his qui in inferno sunt. Respiciens fui adjutorium hominum, & non est. Verè maledictus homo, qui confidit in homine, & qui ponit carnem brachium suum. Superest igitur, ut in eum solum respiciamus, cui soli derelictus est pauper, qui solus laborem considerat & dolorem. De cætero unum est, Pater, ut salva pace vestra loquar, quod omni tribulatione graviùs sustineo, impatientiùs porto, vehementiùs doleo, quod, cùm sæpissimè Nuncios vestros discurrentes videam, nec litteras visitationis, nec saltem verba salutationis per ipsos ex parte vestra recipiam. Status vester adeò mihi absconditus, ac si nunquàm à vobis visus, vel, quod Deus avertat, vobis essem invisus, nec de vobis mihi scire datur aliquid, quod non publicaverit fama, ut tunc demum mihi novum adveniat, cùm apud alios fuerit antiquatum. Mementote, Pater, quia ego sum, qui vobiscum pondus diei & æstus sustinui. Novit Deus, quòd totis viribus in conscientia pura vobis affui: Utinam tam discretè, quàm devotè, tam feliciter, quàm fideliter. Alii, ferè quotquot vobiscum sunt, in labores meos introjerunt, lætantur præsentia vestra, reficiuntur verbo, eriguntur exemplo, nec invideo. Non rogo temporale subsidium, quia sufficit mihi paupertas mea. Non quæro, nisi ut invocetur tantummodò nomen vestrum super me, & gratiæ vestræ securus vivam, quæ hac tempestate mihi super aurum & lapidem pretiosum multum desiderabilior, & dulcior super mel & favum. Liceat mihi saltem per internuncium audire, quod aliis videre datur, ut vel afflicto Domino meo condoleam, vel consolationis & spei, si qua est, particeps existam: Sicut & ærumnæ, sic & laboris. Me sæpiùs ad vos ire volentem revocat, Deus scit, non tam itineris difficultas, quàm ne his, apud quos utcumque sustentamini, oneri sim, cùm magis vobis expediat paucis esse contentum, quàm tumultu circumstrepentium inquietari. Agite ergò, Pater, agite constanter, quia non inchoanti, sed perficienti corona debetur. Juxta illud: *Finis, non pugna coronat*. A sacrificio vestro, cùm Abraham aves abigens usque in vesperum, ne laborem vestrum volatilis gloria tollat, ne quando dicat inimicus vester: *Prævalui adversùs eum*. Omnia opera vestra referatis ad Deum, ut benedictionem mereamini: *Quia Beatus, qui tenebit & allidet parvulos suos ad Petram*. Id est, *ad Christum* opera sua referet, & in ipso probabit, qui est lapis offensionis & Petra scandali. Ne credatis omni spiritui, sed priùs probate utrùm ex Deo sint. Sermo jactantiæ, actus præceps, procul sint à vobis. Cum summa gravitate, & in consilio omnia faciatis, ut modestia vestra nota sit omnibus hominibus. Et sic in eo vincetis, qui ait: *Confidite, ego vici mundum*. Quod ipse vobis concedat, qui omnia potest, cujus causam agitis, Jesus-Christus Dominus noster, charissime Pater & Domine. Benè valete.

## EPISTOLA CLXXIX.

*Joanni Pictaviensi Episcopo Joannes Saresberiensis.*

POSTQUAM priores litteras exaraveram, nova hæc nobis innotuerunt. Hunc fecerunt fructum litteræ Domini Papæ transmissæ Regi Angliæ, quod magister Gerardus, reversus Colonia, Domino suo Cantuariensi, qui eum Clericum fecit, & primum beneficium Ecclesiasticum contulit, nec viso nec salutato, transiit ad Regem Angliæ, eique fidelitatem fecit, præstitit juramentum quod alii, & adhæret Curiæ, electus, ut ajunt, in pugilem contra pauperes, & proscriptos Christi. Abbas Sancti Augustini dixit Domino Gaufredo, qui fuit Abbas Claræ-vallis, quòd ipse & socii sui nihil dixerunt, aut fecerunt in Curia, nisi de instructione Cardinalium, & etiam comminationes, quas factas audisti, fecerunt fieri Joannes Neapolitanus, id est, Joannis & Pauli. Dixit etiam, quòd Dominus Portuensis juvit Nuncios Regis in litteris impetrandis. Ipse quoque Rex dixit Episcopo Vigornensi, quòd ipse, & alii Episcopi omnes exempti sunt à potestate Domini Cantuariensis. Præcepitque non timere minas aliquas, quia nunc Dominum Papam, & omnes Cardinales habet in bursa sua. Adeoque gloriatur, ut palam dicat se nunc demùm Avi sui consecutum privilegium, qui in terra sua erat Rex, Legatus Apostolicus, Patriarcha, Imperator, & omnia quæ volebat. Et ferè, quod ad Ecclesiam Romanam, probabile est quod dicit: Quid enim ei amplius contulisset Octavianus, vel Cremensis Hæresiarcha? Quid aliud fecissent Cardinales eorum, quàm præfati illi Domini, qui exacuerunt linguas Angliæ, & ignem & venenum fecerunt evomere, ut terrerent Dominum Papam, & inclinarent ad libitum suum? Hæc in Ecclesiæ Romanæ scribentur Annalibus. Et certè, Deo propitiante, qui scribant non deerunt, quod ad petitionem & comminationem Regis Angliæ, cujus intolerabiles excessus tanto tempore sustinuerat, præconem veritatis, libertatis Assertorem, Prædicatorem justitiæ pro causa Domini, cum infinita multitudine innocentum jam quadriennio exulantem, neglecto rationis & juris ordine, velut criminosum officii sui potestate privavit. Non quidem quia illi meruerunt, sed quia placuit Tyranno. Et tamen patentibus litteris, quæ apud nos sunt, concesserat, ut officii sui potestate pleno jure uteretur. In quibus hoc expressit, quòd *ipsum Regem excommunicandi, nec mandatum dabat, nec prohibebat*. Deus bone, quid novitatis accidit? Dicit Spiritus Sanctus in lege sua: *Clama, ne cesses*. Et ecce, nescio qui Spiritus ab Urbe in Orbem exiens Prædicatoribus dicit: *Tace, ne clames*. Præcipit Apostolus, Episcopum instituens: *Ministerium tuum imple*. Et ecce Apostolicus præcipit: *Ab Officii tui ministerio desiste*. Sed fortè suspicatur, quod hominem possit per patientiam emollire. Sed nunquid hoc expertus est in Episcopo Cantuariensi, qui jam ferè quadriennio Sede sua privatus, & Apostolicæ Sedis remissionem, & illius Tyrannidem sentit expositus ventis? Provideat quæso Dominus Papa conscientiæ suæ, provideat & famæ, & honori, & saluti Ecclesiæ. Et vos hæc ei diligentiùs intimate, & persuadete Dominis Cardinalibus: Ut meminerint judicii Dei, quod jugiter implorant pauperes Christi contra omnes libertatis Ecclesiæ inimicos.



Finis Libri Primi.

LIBER

# LIBER SECUNDUS
# A LEGATIONE
## VVILHELMI ET OTTONIS.

### EPISTOLA PRIMA.

*Alexander Papa Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo.*

QUOD personam tuam litteris nostris non sæpiùs visitamus, inde provenire cognoscas, quod per Nuncios tuos ea, quæ non duximus scriptis committere, cognitioni tuæ viva voce curavimus frequentiùs intimare. Nunc autem ad tuæ discretionis notitiam volumus pervenire, quòd nos pacem tuam votivis cordis affectibus exoptantes, dilectos filios nostros Wilhelmum Tituli Sancti Petri ad Vincula presbyterum, & Ottonem Sancti Nicolai in carcere Tulliano Diaconum Cardinalem, ad charissimum in Christo Filium nostrum illustrem Anglorum Regem, ut Legatione in terra sua cismarina fungantur, transmisimus, & specialiter ut inter te & eundem Regem concordiam & pacem reforment, & cooperante Domino amicabilem faciant compositionem. Unde, quoniam nos pacem tuam, & Ecclesiæ omnimodis reputamus, nec magis, nisi quia ipsam majorem universali Ecclesiæ collaturam credimus utilitatem, optamus, Fraternitatem tuam per Apostolica scripta rogamus, monemus, consulimus, & mandamus, quatenus, quàm periculosus præsentis temporis status existat, & quantùm Ecclesiæ tibi commissa præsentia & consilio tuo indigeat, consideres diligentius & attendas, & ad pacem & concordiam inter te & memoratum Regem firmandam, quantumcumque salva tua & Ecclesiæ honestate fieri possit, animum & voluntatem tuam inclines. Et si tibi non omnia secundùm beneplacitum tuum succedant, ad præsens dissimules, quæ corrigenda fuerint ad statum pristinum processu temporis authore Domino reducturus. Nec pro verbo, quod nos in Christo charissimo Filio nostro illustri Francorum Regi secundùm petitionem tuam significamus, te à pacis & concordiæ bono quoquomodo retardes, aut ab his animum & voluntatem tuam avertas, dummodò in conventione tuam & Ecclesiæ, sicut diximus, honestatem valeas conservare: quoniam multa poteris in posterum paulatim habita discretione avellere, quæ si modò exprimeres, viderentur aliquid magni continere. Verùm in jam dictos Cardinales potes omninò confidere, nec de memorato Wilhelmo oporteat te quomodolibet dubitare: quoniam nos ei, ut ad pacem tuam viribus totis intenderet, firmiter & districtè injunximus, & ipse tantùm nobis promisit, quod nos inde nullatenùs dubitamus. De cętero fraternitatem tuam rogamus, atque monemus, ut dilectum filium nostrum Nobilem Virum Comitem Flandrensem ex parte nostra diligenter convenias, & instantiùs exhorteris, ut nostra & Ecclesiæ necessitate inspecta, nobis in aliquo liberaliter studeat subvenire. Non enim credimus, quòd acceptiorem eleemosynam possit facere, quàm si nobis ad præsens, ad tuendam Ecclesiæ libertatem, dignæ subventionis solatium satagat exhibere.

### EPISTOLA II.

*Alexander Papa Henrico Regi Anglorum.*

MAGNIFICENTIÆ tuæ petitionibus gratanter admissis, & voluntati tuæ in omnibus, quantùm cum Deo, & justitia possumus, satisfacere cupientes, & tibi, & honori tuo deferre, dilectos Filios nostros Wilhelmum tituli Sancti Petri ad Vincula presbyterum, & Ottonem Sancti Nicolai in carcere Tulliano Diaconum Cardinalem, viros siquidem litteratos & discretos, pariter & honestos, & magnum in Ecclesia Dei locum habentes, & tibi ac Regno tuo devotos, quos nos inter alios fratres nostros charos admodùm, acceptosque tenemus, cum plenitudine potestatis causas, quas tibi in aliis litteris expressimus, & alias, quas expedire videtur, cognoscendi, in terram tuam cismarinam Excellentiæ tuæ Legatos duximus destinandos, quibus vices nostras in omnibus ita plenè commisimus exequendas, sicut illis, vel aliis Apostolicæ Sedis Ecclesia Romana committere consuevit. Ea propter Serenitatem tuam per Apostolica scripta rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, quatenùs ipsos, sicut tantos Viros, & Apostolicæ Sedis decet legatos, honorificè & benignè recipias, & mansuetè, prout congruit Regio honori, pertractes, ut antiquam devotionem tuam in suis sancta Romana Ecclesia recognoscat, & excellentiæ tuæ, ac toti terræ tuæ gubernationi commissæ, incrementum inde non modicum valeat cooperante Domino provenire. Ea verò, quæ sublimitati tuæ ex parte nostra proponent, ita graviter admittas, & prompto animo adquiescas, quod Deus in his, & Ecclesia sua dignis præveniatur honoribus, & tu ipse, ac universa terra tuæ gubernationi commissa, fructum inde multiplicem, & à Deo præmium, & coram hominibus laudem & gloriam suscipere valeat. Hoc verò transcriptum nulli mortalium reveles, nisi soli magistro Gunterio, quia fidem meam super hoc magistro Galterio ita strictè, ut voluit, dedi.

EPI-



### EPISTOLA III.

*Alexander Papa Episcopis Angliæ.*

AD aures nostras vestra noscat prudentia pervenisse, quomodò vos propter gravamina, quæ Venerabilis Frater noster Archi-Episcopus Cantuariensis charissimo in Christo filio nostro Henrico illustri Anglorum Regi, vobis quoque & Regno suæ gubernationi commisso intulerat, ad nostram audientiam appellastis, & proximam Adscensionis Dominicam appellationi terminum præfixistis. Nos verò jam dicti Regis, cui, sicut Christianissimo Principi, & cujus devotionem sumus in urgenti necessitate experti, in omnibus, quantùm cum Deo & justitia possumus, deferre tenemur, & quem inter alios Principes Orbis præcipua in Domino charitate diligimus, & quadam speciali prerogativa dilectionis amplectimur, precibus inclinati, & utriusque partis laboribus, & expensis parcere cupientes, personas de latere nostro ad ejusdem Regis terram duximus destinandas, cum plenitudine potestatis causam istam, & alias, quas expedire cognoverint, audiendi, & prout sibi Dominus administraverit, canonicè terminandi. Quocirca fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus cùm à prædictis personis propter hoc fueritis evocati, ad illorum præsentiam accedatis, & quod inter vos exinde judicaverint, suscipiatis firmiter, & servetis. Interim autem, si aliquam de personis illis, quas memoratus Archi-Episcopus excommunicationis sententia innodavit, metu mortis laborare contigerit, eundem ab aliquo vestrum qui propinquior fuerit, accepto juramento, quod nostro super hoc, si convaluerit, debeat parere mandato, vel ab alio Religioso, & discreto Viro secundùm præscripti tenorem absolvi concedimus, ita tamen quod coram memoratis personis, cum præsentes fuerint, se jurasse cognoscat. Datum Laterani Kalendis Decembris.

### EPISTOLA IV.

Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Otto Cardinalis.

*Amabili Patri, & Fratri Charissimo Thomæ, Dei gratia Cantuariensi Archi-Episcopo, Otto eadem gratia sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconus Cardinalis, & Apostolicæ Sedis Legatus, salutem.*

NOTIFICAMUS charissimæ dilectioni vestræ, quod ex mandato Domini Papæ procedentes, per insidiosa & plurimùm periculosa loca, usque ad Venetiam Domino ducente pervenimus, inimicis nostris undique in insidiis excubantibus: Eorum laquei Domino faciente contriti sunt, & nos liberati sumus. A Venetia autem non clam, sed manifestè cum plurimo gaudio & Amicorum nostrorum multo solatio, per Mantuam, & per Veronam, per Patriam nostram Brixiam, ubi plurimùm fuimus commorati, per Pergamum, per Mediolanum juxta Novariam, per Vercellas juxta Taurinum, transeuntes usque ad sanctum Michaelem de Clusa, & exinde per Provinciam usque ad sanctum Ægidium incolumes & illæsi pervenimus, inde ad Montem Pessulanum transituri. Veniente Domino W..... Amico vestro, ad alias partes, sicut credimus, prout vos novistis, quem Dominus Papa destinavit, profecturi, mittimus ad vos Clericum nostrum præsentium latorem, cui super his, quæ vobis ex parte nostra dixerit, tanquàm nobis ipsis firmiter credatis, & quod nobis significare volueritis, tanquàm per vosmetipsum indubitanter renuncietis.

### EPISTOLA V.

*Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo V..... Bituricensis Archi-Diaconus.*

LITTERAS sublimitatis vestræ suscepi, continentes vos admirari, quoniam de adventu Cardinalium nihil per me vobis innotuit. Qui nisi ita subitus esset, quòd præscire non potuerim, quàm libentiùs & jucundiùs vobis significarem, novit ille qui corda scrutatur & renes. Ego autem, ut Amicum decet, pro vobis sollicitus, quamvis alio itinere præpeditus fuissem, apud Castrum Radulphi obviam eis occurri, diligenti ab eis perquirens studio, tum seorsim, tum communiter, quàm pro vobis aut contra vos potestatem in Mandatis accepissent. Denique sicut unius relatu conjeci, & ex litteris utriusque oculata fide percepi, nihil prorsus contra vos, sed potiùs pro vobis eis permissum est. Præterea inde tamen occasione accepta cæpi suggerere eis, ut omnimodis præcaverent, ne in Dominum Regem Francorum, aut in Regnum ejus, vel etiam in vobis aliquid molirentur, reducendo eis ad memoriam, quàm ægrè Dominus Rex tulerit absolutionem illius Joannis de Oxeneford. Cui misso à Rege Anglorum cum Reginaldo Archi-Diacono, in introitu ipsius Curiæ cùm fortè obviarem, ipsi, inquam, prætendenti osculum priùs denegavi, quærendo in publico an excommunicatus esset. Sed quid mirum, si erubuerit versus in cachinnum? Tandem ab ipsis Legatis, dum recederent, accepi, quod etiam si contra vos, quod absit, potestatem accepissent, promptum animum, in quantum fas esset, & devotam stare pro vobis gererent voluntatem. De cætero quòd vobis placuerit, per præsentium Latorem resignate mihi, in omnibus & per omnia parato obedire.

### EPISTOLA VI.

Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo quidam familiaris.

*Domino suo suus ad omnia salutem, quam sibi.*

PROXIMA quinta feria post octavam Sancti Martini venerunt Cardinales ad Beccense Monasterium, sequenti die Lexovium, tertia die ad sanctum Petrum super Divam, quarta idibus Decembris, quæ præcedit Adventum Domini, venerunt per Argentheon. Eadem die occurrit eis Rex per duas leucas, hilarem eis vultum exhibens, & utrum-

utrumque Cardinalem comitatus est usque ad hospitium suum. Sequenti die, id est, secunda die, post Missam satis manè vocati venerunt ad Regem, & intraverunt in Cameram ad consilium cum Archi-Episcopis, Episcopis, & Abbatibus qui admissi sunt. Cùm autem quasi sub spatio duarum horarum moram fecissent intùs, egressi sunt, & Rex cum eis usque ad ostium Capellæ exteriùs, & ibi in eundo dixit Dominus Rex hoc verbum, publicè, & etiam ipsis audientibus: *Utinam nunquàm amplius videat oculus meus aliquem Cardinalem*. Cum tanta autem festinatione dimittebat eos, quod cùm hospitium eorum satis vicinum esset, non fuerunt exspectati ut venirent equi eorum proprii, sed traditi sunt eis ad exeundum equi, qui ante Capellam casu proximi inventi sunt. Et exierunt Cardinales cum quatuor comitantibus ad plus. Remanserunt autem Archi-Episcopi, Episcopi, & Abbates cum Rege, & intraverunt Cameram ad consilium, ubi cum moram fecissent usque ad horam ferè vespertinam, venerunt ad Cardinales, & omnium eorum facies videbatur esse turbata. Cùm aliquantam moram fecissent apud Cardinales, reversi sunt ad hospitia. Crastina die cùm apud Regem moram fecissent usque ad horam sextam, venerunt ad Cardinales, & posteà ad Regem reversi sunt, & posteà ad Cardinales, responsa hinc inde secreta portantes. Sequenti die, id est, in vigilia Sancti Andreæ Rex summo diluculo surrexit, & exivit ludere in canibus, & avibus cœli, sicut creditum & æstimatum est, de industria sui faciens absentiam. Episcopi verò de satis manè convenerunt ad Capellam Regis, & statim ad Cameram: Ibi absente Rege habita deliberatione exierunt ad Ecclesiam, juxta quam Cardinales hospitia habebant. Ubi cùm Cardinales sedissent, vocati ut audirent quæ ab eis proponerentur, assidentibus hinc inde Rothomagensi, Eboracensi Archi-Episcopis, Vigornensi, Saresberiensi, Bajocensi, Londoniensi, Cicestrensi & complurimis Episcopis, Abbatibus quàm pluribus, Clericorum & Laicorum ampla multitudine, surrexit Londoniensis, & eum turbatæ mentis esse, insipida & parum venusta oratio argumento fuit. Et sic exorsus est: Vos audistis, quod perlatæ sunt litteræ Domini Papæ ad nos, & eas præ manibus habemus, in quibus significavit nobis Papa, quòd quandò evocati à vobis essemus, vobis occurreremus, causamque, quæ inter Dominum Regem & Dominum Cantuariensem vertitur, & inter nos Episcopos Angliæ & eundem Cantuariensem, vobis cum plenitudine potestatis esse commissam. Inde est, quod audito vestro adventu in partes has, occurrimus vobis, paratissimi & promptissimi vestræ sententiæ stare, intendere actionem vel respondere. Idem etiam Dominus Rex offert, quòd quamcumque sententiam inter eum, & Dominum Cantuariensem dictaveritis, eam ratam habebit. Cùm itaque nec per Dominum Regem, nec per vos, nec per nos etiam stat, quo minùs præceptum Domini Papæ adimpleatur, imputetur secundùm quod imputari debet. Sed quoniam, ut præcipitanter omnia agit, Archi-Episcopus percutit antequàm minetur, suspendit, excommunicat antequàm commoneat, ideò per appellationem prævenimus subitam & præcipitem ejus sententiam. Appellationem priùs fecimus, & eam innovamus modò, & hac appellatione se includit tota Anglia. Deinde explicuit causam vestram & Domini Regis. Quod Rex sibi exigit à vobis quadraginta quatuor millia marcarum argenti, ratione redituum, qui vobis erant commissi, quandò fuistis Cancellarius, & quòd vos respondeatis non fuisse vos implicitum ratiociniis, quando promotus fuissetis ad honorem Archi-Episcopatus, & si fuissetis implicitus, hoc ipso tamen, quòd promotus fuistis, absolutus fuistis. Et ibi derisit vos Londoniensis dicens vos credere: Quod sicut in baptismo remittuntur peccata, ita in promotione relaxantur debita. Retulit etiam propter quæ pericula ipse, & alii Episcopi Angliæ appellaverunt, scilicet propter depressionem suam, & Ecclesiam suam, & propter discessionem etiam à Romana Ecclesia. Recederet enim Rex fortè à Romana Ecclesia, si parerent interdicto vestro. Retulit etiam quomodò diffametis eum propter decreta sua. Et ibi publicè protestatus est, Regem relaxare hoc interdictum de appellatione, & ratione pauperum Clericorum hoc instituisse, nunc autem cùm ingrati essent, hoc irritare. Et item si civilis esset causa, coram civili Judice contenderent; si autem Ecclesiastica, allegarent forum suum, & coram suo Judice contenderent. Tandem dixit vos indebitam servitutem ab eo exigere, quod scilicet debet deferre Breves vestros per Angliam, & huic officio non sufficere ei quadraginta Cursores. Aliud etiam gravamen, quo affligitis eum, proposuit, quòd exemistis à potestate ipsius ferè quadraginta Ecclesias. Dabant enim censum aliquando Monasterio Sanctæ Trinitatis vel Sancti Augustini, & statim emancipabatis eas à potestate ipsius. Habebatis etiam Decanum vestrum in Londoniensi Urbe qui infidiatus est ei, & coram quo oportet causas prædictarum Ecclesiarum decidi. Et his se gravaminibus plus afflictum, quàm aliquem alium Episcopum dicebat. Episcopus etiam Saresberiensis in hac appellatione se posuit, & Episcopum Vintoniensem, Saresberiensis tamen dicebat se audivisse, quòd vos excommunicaveritis eum, sed se, statim cùm audivit, appellasse, & tunc etiam appellare. Clericus etiam Archi-Diaconus Cantuariensis ibi appellavit, & Monachus Cantuariensis Ecclesiæ contra vos. Facta itaque appellatione petierunt Apostolos à Cardinalibus, & dati sunt eis Appellatorii, sicut creditur. Discesserunt autem Cardinales à Rege tertia feria post, *Ad te levavi*. Sed in discessu cum multa humilitate petiit Rex Cardinales, quòd pro eo intercederent apud Dominum Papam, ut liberaret eum à vobis omnino, & incontinenti coram Cardinalibus & aliis lachrymatus est, & Dominus Wilhelmus Cardinalis visus est lachrymari. Dominus Otto vix à cachinno se potuit abstinere. Summa autem negotii hæc est, quod Dominus Wilhelmus Papiensis mittit quemdam Clericum suum, qui cognatus creditur magistri Lombardi, cum festinatione ad Dominum Papam, & Rex mittit duos Nuncios, scilicet quendam Londoniensis Episcopi, qui vocatur magister Henricus Pitm, & cum eo Reinaldum filium Saresberiensis Episcopi. Pretereà Sabbatho ante secundam diem Dominicam Adventus à Cardinalibus, qui erant apud Ebroicas, egressi sunt magister Jocelinus Cicestrensis, & Cantor Saresberiensis, venturi ad vos, ut



ut denuncient factam esse contra vos appellationem à personis Angliæ. Ferunt etiam litteras. Cardinales in forma ista salutant vos, & vocant Apostolicæ Sedis Legatum, & in fine litterarum suarum vobis Domini Papæ authoritate præcipiunt, ut nullum interdictum in Regnum Angliæ vel personas de cætero ponatis. Dominus Otto mandat Domino Papæ secretò, quod depositionis vestræ nec author erit, nec consentiens, quamvis Rex nihil aliud petere videatur, nisi caput vestrum in disco. Valete.

## EPISTOLA VII.

Alexander Papa Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo.

*Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Thomæ, Cantuariensi Archi-Episcopo, salutem & Apostolicam Benedictionem.*

QUALITER jam pridem Venerabilem Fratrem nostrum Joannem Saresberiensem Episcopum dilexerimus, & quanta ipse devotione ac familiaritate etiam ante nostræ promotionis initia nobis adstrictus adhæserit, & nos benè recolimus, & tuam credimus prudentiam non latere. Inter cætera siquidem nostræ ad eum specialis gratiæ & amoris indicia illud satis potes memoriter tenuisse, quomodo cùm indignationem & iram Regiam incurrisset, tuam pro eo fraternitatem sollicitè & affectuosè rogavimus, ut ad ipsius reconciliationem partes tuas efficaciter interponeres, & omne studium & operam, quàm posses, diligenter impenderes. Quod quidem diligenter & laudabiliter effecisti, quòd per Dei gratiam & interventum nostrum, ac sollicitudinem & studium tuum pacem & gratiam Regis obtinuit. Memores itaque & nostræ ad eum dilectionis, & suæ ad nos devotionis & familiaritatis antiquæ, ipsum tibi duximus attentiùs commendandum, sinceritatem tuam, de qua omninò confidimus, per præsentia scripta rogantes propensiùs, monentes atque mandantes, quatenùs ejus imbecillitati ac senectuti compatiens, & non tam ipsius ætati, quàm nostræ in eo deferens voluntati, simul etiam considerans, quòd, sicut credimus, & certis deprehendimus conjecturis, non suo spiritu dicitur, sed quadam ob metum Principis contra animum suum necessitate premitur & urgetur, eum in patientiæ ac lenitatis spiritu benignè supportes, & usque ad discessum Nuntiorum nostrorum, quos ad eundem Regem pro tua reconciliatione transmisimus, ipsum in nullo penitùs graves, quemadmodum etiam de ipsius Regis, & aliorum ejusdem Regni personis te interim volumus observare. Exinde verò si tibi & Ecclesiæ tuæ, sicut desideramus pariter & speramus, pax fuerit Authore Domino restituta, eundem Episcopum pro reverentia Beati Petri ac nostra, & sua suorumque devotione ac fidelitate, ex hoc in perpetuum pleniùs obtinenda, omni, si quem contra eum concepisti, rancore deposito diligas, manu teneas, & honores, & nec per te ipsum, nec per jam dictum Regem, cujus iram frequenter expertus veretur plurimùm ac formidat, ullam sibi molestiam irroges vel gravamen. Ipse ad pacem & reconciliationem tuam, tam per se, quàm per amicos, & consanguineos suos efficaciter laborare, omnem ad hoc sollicitudinem & operam quàm poterit, ad hibere curabit, ut eo ipso gratiam nostram & benevolentiam tuam pleniùs mereatur, & ulteriùs assequatur. Cæterum si fortè, quòd Deus avertat, sæpè dictus Rex in sua duxerit obstinatione indurato animo persistendum, neque hac saltem vice in reconciliatione tua, & tuorum atque Ecclesiæ pace, voluntati Divinæ, admonitioni nostræ, & honori suo deferre voluerit, ex tunc si in Regnum & Regni personas, tuæ jurisdictioni, aut Metropolis aut Legationis jure, subditos ultionis debitæ severitatem duxeris exercendam, & tuas & Ecclesiæ tuæ injurias, Pontificali gravitate ac maturitate servata, prout expedire noveris, vindicabis: quia præfatum Episcopum speciali, ut diximus, ab antiquo amoris prerogativa diligimus, si cum eo ob reverentiam Beati Petri ac nostram, in quantum cum Deo & honestate poteris, mitiùs egeris, gratum nobis facies omnimodò & acceptum. Pro Decanatus verò Saresberiensis Ecclesiæ concessione, quem ab ipso invito & renitente Joanni de Oxeneford ad vehementem Regis instantiam concessum, immò magis extortum pro certo comperimus, tuam non debet indignationem vel malevolentiam incurrisse, cùm & vis major absque dubio intervenerit, & nos etiam eidem Joanni Decanatum ipsum, cùm eum in nostris manibus refutasset, authoritate nostra dederimus. Datum Beneventi, quinto Idibus Maii.

## EPISTOLA VIII.

*VVilhelmo Papiensi Joannes Saresberiensis.*

FAMA divulgante didicimus vos, & Dominum Ottonem sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconum Cardinalem, ad preces illustris Domini nostri Regis Anglorum, ex Mandato Domini Papæ in partes Aquitaniæ descendisse, ut, authore Domino, si fieri potest, Anglicanæ Ecclesiæ debitam reddatis libertatem, & inter Dominum Regem & Cantuariensem Archi-Episcopum pacem & concordiam reformetis. A magnis etiam & à venerabilibus auditum est, quod præfatus Dominus noster Rex adeò de amore vestro confidit, ut consilio vestro in omnibus obtemperare decreverit. Unde vehementer exhilaratus consilium vestrum & auxilium mihi censui implorandum, vobis in omnibus pariturus, sana indemnitate conscientiæ & honestate. Confido enim in Domino, quòd tanta non erit apud vos acceptio personarum & munerum, ut aliquid committatis, unde lædatur Ecclesia, scandalum generetur in mundo, offuscetur claritas nominis vestri. Hæc enim sunt opera eorum, qui aut legem nesciunt, aut legis Dominum non verentur: Vos autem non sic, cujus fidem & prudentiam adeò Dominus approbavit, ut vos in capite Mundi super candelabrum aureum septem lampadarum tanquàm lucernam eximiam collocaret, ut qui ingrediuntur lumen videant. In vos ergò omnium oculi diriguntur, timentque plurimi, ne Lucifer denuò tentatus exstinguatur & corruat,

ruat, veriti ne familiaritas, quam cum Rege, ut dicitur, ulteriùs contraxistis, vobis sit occasio delinquendi. Et profectò omne animi vitium tantò conspectius in se crimen habet, quantò major, qui peccat, habetur. Cæterum ego interim spero, quòd hæc vestra & Domini Regis familiaritas, quæ multis adeò suspecta est, fructuosa erit Ecclesiæ, necessaria nobis, salubris illi, & vobis gloriosa. Si enim vos audierit in eo, quòd juris necessitas cogit, & quòd sine salutis suæ dispendio vitare non potest, procul dubio pœnitebit, confitebitur culpam, & humiliter satisfaciens Ecclesiæ pacem & libertatem, nobis ablata cum integritate restituet, & fraternum odium de corde prorsus avellet. Alioquin quis eum eripere potest à laqueo mortis? Scio utique, quoniam indubitanter verum est, etiam & notissimum, quòd nec Petrus ipse hanc accepit à Domino potestatem, ut impœnitentes possit absolvere. Et procul dubio constat, quia si res ablata reddi promittitur, nec redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur. Ubi autem Principis Apostolorum cohibetur authoritas, nulla ratione crediderim convalescere posse cujuscumque hominis potestatem. Fateor autem, & verum est, Domino Regi, utpotè gloriosissimo Principi, quàm plurimum deferendum, sed ita ut Deus nec in minimo offendatur. Alioquin species idololatriæ est sub cujuscumque utilitatis prætextu creaturam Creatori præponere, sicut Beatus docet Apostolus: *Mala enim facienda non sunt, ut proveniant bona*. Non licet alicui dispensare contra præceptum Domini, quod in lege vel in Evangelio perpetuam habet causam. Ut autem possitis mihi commodiùs providere, ut clamor pauperis introeat in aures vestras, quartus exilii mei annus elapsus est, cùm tamen Domino Regi per me & per alios sæpè obtulerim, quia licèt conscientia teste non meruerim iram ejus, tamen pro recuperanda gratia ejus libenter facerem quidquid ei placeret, salva conscientia & famæ integritate. Actum est mecum per quosdam mediatores, ut recederem à fidelitate & obsequio Domini Cantuariensis, jurarem fidelitatem Regi, & observantiam consuetudinum Regni, quod quia facere nequeo nec volo, quoniam contra conscientiam est & honestatem, proscriptus exulo, & libenter exulabo dum Deo placuerit. Nunquid enim obediendi necessitatem rumpens, in periculo Ecclesiæ, in causa Dei Patrem & Dominum deseram, & in consuetudines jurabo, quas sacri Canones reprobant, & Dominus Papa de consilio Fratrum apud Senonas, vobis ipsis, ut opinor, audientibus condemnavit? Certè observantiam Canonum, aut ipsius etiam Evangelii non jurarem, quoniam, ut Apostolus ingemiscit, *in multis offendimus omnes*, & minus malum est prævaricari, quàm prævaricationem cumulare perjurio. Scio autem quod perjurii, aut inobedientiæ, aut cujuscumque turpitudinis nemo vos habebit authores. Sed quia timeo, ne vos tædeat verbositatis meæ, verbis hunc facio finem, supplicans ut vos Ecclesiæ diutiùs naufragantis studeatis finire miseriam, & quæ nobis jugiter inferuntur, injurias propulsare. Valeat semper Dominus, & proscriptorum Christi misereatur. Intercedo enim vice omnium coexulantium: & si mihi non fuerit exhibita consolatio, mihi tamen reputabo impensum, quidquid aliis proscriptis Christi per vos novero esse exhibitum.

## EPISTOLA IX.

*Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Wilhelmus Papiensis.*

LICET temporum qualitate variata, ne Romana Ecclesia Schismate laborans graviora detrimenta incurreret, in varia erga vos juxta quorundam opinionem videamur declinasse proposita, novit tamen, qui inspector est cordium, dilectionem vestri nostro in pectore continuè resedisse. Sicut autem Vigilantiæ vestræ sæpè nos recolimus intimasse, suspicionem Domini Regis Angliæ, quatenus licuit, vitare curavimus, ut procedente tempore inter vos & ipsum amica interventione efficaciùs mediare possemus, & tanti Principis devotionem Sedi Apostolicæ conservare. Nunc autem ad quæstiones, quæ inter vos & ipsum vertuntur, sicut Ecclesiæ Dei magis expedire viderimus, terminandas in terram suam unà cum Venerabili Fratre nostro Ottone Cardinale Diacono destinati Vigilantiam vestram exhortamur, & suademus attentiùs, quatenus his, quæ amplioris diffidii causas generare solent, quantum in vobis est evitatis, ad ea, quæ concordiæ cooperari valeant, studiosiùs curetis intendere. Nos enim & paci, & profectibus vestris, quatenùs gratia Divina indulserit, remota personarum acceptione, studebimus cooperari, nihil studii relicturi, sicut authore Domino rerum argumenta monstrabunt, quod ad honorem Dei, & Ecclesiæ suæ valeamus impendere.

## EPISTOLA X.

Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Wilhelmo Papiensi.

*Salutem & contra Principum insolentiam fortitudinem.*

LITTERAS Celsitudinis vestræ nuper accepimus, spem mellis initio propinantes, venenum in medio, oleum in fine. In quibus continetur vos ad partes istas nunc temporis descendisse ad terminandas quæstiones inter Dominum Regem Angliæ & nos, prout expedire videbitis. Non credimus vos ad hæc venisse, nec certè vos ad hoc suscipimus, multis ex causis, quas loco & tempore opportuno manifestabimus. Veruntamen si quid boni & pacis per manum vestram nobis acciderit, Deo gratias & vobis. Valeat Celsitudo vestra, ut inde nobis sit meliùs.

## EPISTOLA XI.

Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Wilhelmo Papiensi.

*Venerabili Domino, & Amico de meritis diligendo Wilhelmo, Dei gratia tituli sancti Petri ad Vincula presbytero Cardinali, & Apostolicæ Sedis Legato, Thomas eadem gratia Cantuariensis Ecclesiæ Minister humilis, salutem, & contra Principum insolentiam fortitudinem.*

GRATIAS habemus dilectioni vestræ, quod litteris Celsitudinis vestræ parvitatem nostram nunc tandem visitare dignatus estis. Quæ quidem ex præsentis temporis statu pensatur à multis, non ex præterito, quam Deus in futuro de misericordia sua, cum voluerit, & dignum judicaverit, erigere poterit in meliorem. Quod dicitis, sicut videtur multis, vos in varia proposita circa dilectionem nostram esse distractum, hoc factum fuisse utilitatis nostræ causa, ne haberemini suspectus à Rege, quò minùs fieret devotus Romanæ Ecclesiæ, minùsque benignus ad faciendam nobiscum pacem, novit Deus, qui inspector est cordium, ipseque rei manifestabit effectus. Si verò nunc temporis descendistis in terram suam, prout litterarum vestrarum habet continentia, ad decidendas quæstiones, quæ inter nos & ipsum vertuntur, sicut magis expedire videritis Ecclesiæ, hoc certè possibile est. Veruntamen credimus nos pro certo nosse, ad quid veneritis, & ad quid debeamus suscipere. Unde est, quod discretionem vestram quam plurimùm exhortatam cupimus esse in Domino, ut sic vos in hoc negotio habeatis, ut inde sit honor Deo, relevamen Ecclesiæ, gloria vobis in populo & gente. Si verò aliquid boni & pacis nobis & Anglicanæ Ecclesiæ per operam vestram & industriam acciderit, gratias Deo, & vestræ sollicitudini. Et utinam pio compassionis attendatis affectu, quanta nos & Ecclesia Anglicana sustinuerimus gravamina, & adhuc sustineamus, quantumque lædatur universalis Ecclesia in nostro gravamine. Ad hoc quidem negotium Universorum respiciunt oculi, ipsiusque finem exspectant, in quo sumet sibi cornua Principum insolentia, vel quod dignius est, sustinebit defectum. Et utinam magis patiatur defectum, quàm ex adventu vestro resumat vires. Valete, & ut nobis sit meliùs & Ecclesiæ, valete semper.

## EPISTOLA XII.

Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Wilhelmo Papiensi.

*Venerabili Domino & Fratri in Christo charissimo Wilhelmo, Dei gratia Tituli sancti Petri ad Vincula presbytero Cardinali, & Apostolicæ Sedis Legato Thomas eadem gratia Cantuariensis Ecclesiæ Minister humilis, salutem, & contra Principum insolentiam animi fortitudinem.*

EX litterarum vestrarum tenore perpendimus & vos illustrissimi Domini nostri Regis Francorum meram obtinuisse gratiam, & obtenta gaudere. Quod quidem gratum habemus & tenemus acceptum, eòque ampliùs, quod nec instantia vestra, & aliorum Amicorum nostrorum frustrati sumus, & quod petebamus, nostrum successit ad votum. Unde sicut sua residet in animo nostro gratia grata, petimus ob ipsius amorem & reverentiam, cujus sicut dicitis, circa nos & negotium nostrum sollicitudo non modica est, quod retribuat ei, qui facere potest, bonorum retributor Altissimus. Sit nobis vestra gratior impensa, quàm quidem, etsi à multis retrò temporibus affectuosè affectavimus, nunc pro certo Domini Carnotensis, & magistri P.. ... Papiensis interventu affectuosiorem imploramus, ut gaudere debeamus de impetrata, & sentiat Ecclesia, quæ nobiscum vexatur nimis injuriosè, & nos cum ipsa de benevolentia vestra provectum, & ex provectu recipiamus quod justum est. Scimus equidem & firmum tenemus, quoniam sicut paria delicta mutua compensatione abolentur, sic vicissitudines gratiarum devotione mutua connectuntur. Satis credimus dictum esse sapienti. Pretereà de pace futura, cujus spes melior vobis promittitur, gratias omnipotenti Deo, dummodò fiat Ecclesiæ commodo & nostro. Quod utinam altiùs attendatis, & animis vestris inseratis argutiùs, curantes ne vana spe deludamini, & falsis promissionibus sollicitudo vestra evacuetur. Reverà verum est, quoniam Sapiens dissimulat in tempus. Sed proverbialiter dicitur: *Dum exspectatur tempus, fugit, labitur è manibus, nec redit ad votum*. Et Medicus: *Dum dolet, accipe*. Ego verò dico vobis, quod opto non facile transeat aures nostras, nec lubricè labatur ab animo vestro, fortunam præsentem, quæ nuda vestris paret conspectibus, pressis manibus tenete: Utimini ea pro tempore, lubrica enim est, nec invita teneri potest. Hæc hactenus. Cæterum de adventu vestro Parisiùs triduò ante, si placet, nobis renunciare, ut si fortè equitaturas invenire poterimus, quæ apud nos hoc tempore propter Guerram tenuiter habentur, discretioni vestræ loco congruo occurramus, & fruamur desiderato colloquio vestro. Sin autem, quod absit, mittamus vobis aliquem familiarium nostrorum, qui renunciet nobis statum vestrum, & quò divertere disponatis. Valete nostri non immemor, ut meliùs sit indè nobis & miseris nostris.

## EPISTOLA XIII.

*Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Ottoni Cardinali.*

DE vestræ sinceritatis dilectione & fidei integritate multiplices vobis gratiarum actiones referimus, sicut ei de quo indubitanter confidimus, & quem inter Amicos nostros nobis charissimum & præcipuum reputamus. Memores quidem existimus, quòd litteris benignitatis vestræ nobis multas grates retulistis: quia Regem Francorum pro vobis ita interpellavimus, & quàm potuimus ad negotium vestrum effectui mancipandum operam adhibuimus. Indubitanter verò sciatis, quia Regem penes & alios Amicos nostros in hoc, sed & in omnibus quæ poterimus, quantum Divina gratia nobis indulserit, consilium & auxilium ad honorem vestrum efficaciter impendemus. Memoriter enim tenemus & semper tenebimus, quoniam ex quo nostri notitiam habuistis, propter Regum amorem, aut Principum favorem nullatenus nos voluistis deserere, aut pro alicujus emolumenti cupidine nos à dilectione vestra alienare. Sicut autem vobis per magistrum Papiensem significavimus, talis hora fuit, qua, ut litteras vestras reciperet, pro magnitudine pecuniæ Regem nollemus interpellasse, tum pro pudore quem habuimus, tum pro tergiversatione quam ex ipso Rege perpendimus. De eo quod causa legationis, vel sicut Legatus terram suam ne ingrederemini vobis interdixit, fecit quod voluit, nec deberetis idcircò irasci: quia sicut discretio vestra meliùs novit, non mirum debet videri, si is qui facilis est in dicendo, facilis sit in mutando.

De

De pace nostra facienda non possumus non admirari, quæ protractu temporis videtur protelari, & juxta quorundam opinionem quasi quodammodo enervari. Cujus rei causa dilectionem vestram propensiùs exoramus, quatenus ad eam reformandam inter nos & Regem adeò diligentem & efficacem operam studeatis adhibere, ut ab omnipotenti Domino condignam possitis retributionem recipere, & nos de cętero efficaciæ vestræ teneamur omni tempore obnoxiores permanere.

## EPISTOLA XIV.

*Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Hyacintho Cardinali.*

QUANTO magis de vestræ sinceritatis dilectione confidimus, tantò confidentiùs in negotiis nobis & Ecclesiæ nobis commissæ emergentibus ad vos, sicut ad unicum & extremum suffragium recurrimus. Indè est, quod de vobis, sicut de Amico specialiter dilecto, indubitatam obtinentes fiduciam sinceritati dilectionis vestræ ad memoriam reducimus, vos dignanter nos & Ecclesiam nostram, immò vestram potiùs, sub vestra protectione admisisse, dignitates cujus & jura illibata servare nunc temporis necessarium est, & plurimùm nobis & vobis expedit operum exhibitione demonstrare. Exhibitio enim operis, probatio est dilectionis. Nos igitur dilectionem vestram modis quibus possumus attentiùs exoramus, quatenùs dignitates, libertates, & jura Ecclesiæ nostræ intacta & illibata conservari, studio & prudentia vestra sollicitè procuretis. Sed de his hactenus. Ecce, Domine mi, litteras Domini Papiensis, quas in initio adventus sui, non penitus pompositatis gloria carentes, nobis destinavit, has equidem poteritis inspicere, nec eas, ut credimus, nota cujusdam jactantiæ invenietis omninò carere. Ejus verò adventum sperabamus nobis consolationem conferre & pacem, qui potiùs nobis contulit desolationis augmentum, quàm consolationis auxilium. Jactitat enim Dominum Papam ipsum in terram Regis Angliæ misisse principaliter ad terminandas quæstiones, quæ inter nos & Regem vertuntur, sicut Ecclesiæ Dei viderit magis expedire. Non credebamus, nec penes Curiam Romanam hoc promeruimus, ut ipsius subjiceremur arbitrii judicio, quem Curiæ Universitas nobiscum pariter benè novit nostrum esse inimicum & Ecclesiæ nostræ, necnon & hostem plusquam manifestum. Declinabimus judicium. De cętero omnem in vobis spem & fiduciam nostram secundariò post Deum penitus projicimus, attentiùs rogantes, ut cum per ipsum pacem & reconciliationem aliquam nullatenus speremus, sollicitudinem prudentiæ vestræ ita efficaciter adversùs eum apud Dominum Papam exhibeatis, quatenus personis, tam Cismarinis, quàm Transmarinis, litteris suis firmiter præcipiat, & in virtute obedientiæ injungat, ut sententiam, quam in Regem & Terram ipsius rationabiliter promulgabimus, firmiter teneant & observent. Præterea partes vestras diligentiùs interponatis, ut confirmationem Primatiæ nostræ, quam in primo adventu nostro Senonis Dominus Papa nobis concessit, per vos obtineamus, & memores estote nostri, sicut sumus & vestri, & latorem præsentium, quantò maturius poteritis, & expedire, & ad nos transmittere, Ecclesiæ statum, Domini Papæ, & vestrum nobis significantes, procuretis. Valete.

## EPISTOLA XV.

*Joannes Saresberiensis Magistro Richardo.*

QUID me tamdiu silere coegerit, in quo statu versatus sum, vobis ex litteris Domino Pictavienſi missis facilè innotescet. Unde ad reliqua necessitatis meæ progrediens attentiùs precor, quatenus conditione mea diligenter inspecta, ex omnibus circumstantiis personarum, & causæ, & temporis rescribere placeat, quid potissimum videatur. Hoc in prælectione consilii observato, ut semper honestas utilitati præjudicet. Et si Domino Episcopo, & vobis, & magistro Laurentio visum fuerit, ut mihi & aliis exulibus Christi procuretur facultas secura Legatos adeundi, eam nobis desidero procurari. Ita tamen, ut antequam illos adeam, Domini Episcopi, & vestro, & magistri Laurentii, si tamen ab Anglia rediit, super negotiis gerendis sim informatus consilio. Varius autem rumor est, aliis asserentibus Cardinales fideliter pro Ecclesia Dei laboraturos, aliis dicentibus, quod proposuerunt distrahere Ecclesiæ libertatem, & evacuare causæ nostræ justitiam pro pecunia, quam tamen non licet mittere in corbonam, quia pretium sanguinis est. Erit itaque diligentiæ vestræ rescribere, quod de consilio eorum, & statu Domini Regis, & Curiæ habueritis exploratum, & quæ circa Dominum Episcopum & vos agantur, fideliùs intimare. Precor etiam, ut mihi remittatis, si quid magister Joannes rescripsit. Detis operam ut scribat.

## EPISTOLA XVI.

*Joannes Saresberiensis magistro Laurentio.*

EX inspectione litterarum vestrarum lætus accepi, quod Domino Wilhelmo Papiensi legatione fungenti adhærebitis. Nec dubito, quin nobis & vobis possit officiosa & utilis esse familiaritas ejus. Et quia vobis notius est, quàm alicui nostrum, in quo calculo, quantum ad nostrates, causa nostra versetur, precor attentiùs, ut inspectis his, quæ Domino Episcopo scripsi, & magistro scholarum, quod causæ nostræ credideritis expedire, per latorem præsentium rescribatis. Dicitur autem quod hujusmodi Legati neminem recipere consueverint in interiorem Domus suæ familiaritatem, qui non eis de exhibenda fidelitate & fide servanda, & occultandis secretis præstent juratoriam cautionem. In quo quidem articulo dilectionem vestram, si tale quid exactum fuerit, desidero præmuniri, ut se sic, si res exegerit, obliget ad humanum obsequium, ne innocentia conscientiæ dispendium patiatur. Et licet Arcana sua sic studeant occultare, non facilè crediderim, quod, nisi quatenus Romanis more antiquo licet, exercere velint opera tenebrarum, præsertim cum sciant omnium oculos in se esse defixos. Nam si rumoribus credi oportet, alter eorum proposuit Regi Anglorum Ecclesiæ vendere libertatem, & sanguinem innocentum, & proscriptorum pro Domino.

EPI-





## EPISTOLA XVII.

*Joanni Pictavienſi Episcopo Joannes Saresberiensis.*

LIBERALITAS vestræ sedulitatis in non tam crebris, quàm continuis, & perennibus beneficiis promeretur, ut non ad frequentes, sed perennes vobis gratiarum tenear actiones. Teneor quidem, teneborque perpetuò, & quò plus sinceræ affectionis, quòd solum possum ad præsens, rependero, eò ampliùs & arctiùs me non dubito obligari. Nam in charitatis contractum indubitanter venit, & specialiter obtinet, ut habita reddatur semper, & ut, nisi reddita, nullatenus habeatur. Sed quantum est hoc, quod me totum, id est, hominem parvum nomine, facultate minorem, minimum merito vobis deberi profiteor? Nam totum istud pro merito parum est. Sed dum mecum in ratione dati beneficii, humanitatis exhibitæ, profusæ liberalitatis contraxistis affectione Religiosa, obligastis vobis & illum totum, qui mensuram bonam & coagitatam, & superefluentem mercede centupla refundet in sinum vestrum. Totum, inquam, & fiducialiter dixerim totum, qui nulli cedit in partem, licèt & singulis electis gratiarum usus conferat speciales, sui tamen munere integro, non deciso nec distracto particulatim, quia cuivis totus adest, aut totus elabitur. Hic certè se pro me totum debet, & procul dubio totum reddet, quoniam fidelis est in promisso, & munificentissimus in retribuendo. Secuti estis & sequimini fidem ejus, ut se de mandato & promisso teneri meminerit. Præsertim cum operatoribus misericordiæ publicum Evangelii dederit munimentum, quod confirmare dignatus est charactere Crucis suæ, & insignire sanguine proprio. Hæc ergo erit miserationis vestræ retributio copiosa, hæc humanitatis exhibitæ Divina merces, & impendii temporalis æternum compendium. Et quidem, ut justum est, magni facio terrenæ facultatis subsidia, sed pluris sunt solatia recti consilii, quæ à vobis indefinenter recipio: & adminicula veræ vitæ, monimenta dixerim & instrumenta sapientiæ. Causa ergo frequenter scribendi vobis duplex mihi est. Primò, ut statum vestrum, quem periclitari timeo, explorans satisfaciam sollicitudini. Deinde, ut vestra prudentia instruar, qualiter ad varios fortunæ motus oporteat me premuniri. Proinde placeat vestræ dignationi rescribere, quatenùs processeritis cum Domino Rege in verbo pacis, quid actum sit in Curia Pictavienſi, ubi credibile est vulpes foveas invenisse, & volucres cœli nidos, & parvulo cujus natalis celebratur, penè reclinatorium defuisse. Conjicitur enim Radulphi de Faja spiritum ibi præpotuisse, ut & prophetæ, & prečones Palatii inebriati sint dolis & temeritate illius. Utique vetus proverbium est, & quod Vespasianus Augustus in se dictum patienter audivit: *Vulpem posse pellem mutare, non animum*. Tradunt etiam, qui de animalium scripsere naturis: quia hoc genus animalis nullo unquàm tempore mansuescit. Et Offellus: *Qui coarat vulpi, sulcos variare necesse est*. Sed confido, quod vos, etsi non inconcussos, illæsos tamen gratia conservante, quia frustrà jacitur rete ante oculos pennatorum. Precor etiam, ut perpensis his, quæ Nuncii Domini Regis Anglorum dicuntur à Sede Apostolica impetrasse, sciatis qualiter Dominum Cantuariensem & me, tam erga Cantuariensem quàm Regem, sive Legatos versari oporteat, nam si rumoribus credi oportet, quoniam Roma pati. Spero tamen quod Dominus Papa aliquid solatii reservaverit parti nostræ, immò suæ & Ecclesiæ Dei. Alioquin, ut quid terram occupat? Sed absit, ut de eo tam sinistra credamus: quoniam perversa jactitant adversarii nostri. Sed si Legati in tanta veniunt potestate, ut ab eis appellari non possit, quid consulitis? Nam Papiensis hactenus in causa ista Regis opes, non timorem Dei, vel Ecclesiæ honestatem habuit ante conspectum suum. Siquidem ubi amor ejus, & oculus. Alter verò vir bonæ opinionis est, Romanus tamen, & Cardinalis. Quòd si eorum examen declinaverimus, verendum est, ne apud Regem & Ecclesiam Gallicanam causæ nostræ lædatur opinio. Si susceperimus, licèt suspectos, timendum ne subvertant justitiam nostram. Dispensabunt de nobis, ut detrimentum Ecclesiæ compensent loculis suis. Nam quamcumque videantur fecisse pacem, titulis & triumphis suis adscribent. Deberetur nobis in primis restitutio ablatorum, & Sedium, & reformatio securitatis, sed fortassis præcipient nos usque ad decisionem totius litis solis cautionibus esse contentos. Quam conditionem nemo ad litigandum, nisi insanus, admittet. Hoc autem ut memoriæ fideliùs hæreat, in fine censui repetendum.

## EPISTOLA XVIII.

*Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Ottoni Cardinali.*

AUDITO adventu magnitudinis vestræ, proscriptorum Christi coexolantium nobis exhilaratus est cœtus, & quasi ad consolationem Ecclesiæ & Cleri liberationem de cœlo missus sit Angelus, exultavit, & gratias egit omnis Ecclesia Sanctorum. Et licèt multis suspectus sit Collega vester, dicentibus quod acceptor est personarum & munerum, Domini Regis intimus fautor, ut ei velit in omnibus patrocinari, & nos, immò Ecclesiam Dei confodere, & jugulare spoliis nostris: Nominis tamen vestri, virtutum rectiùs dixerim, clarescit opinio, ut Angelum Domini cum Moyse, id est, Spiritum Sanctum in Lege previum habeatis, qui custodiat vos semper, & Deum recentem habere non patiatur, ut verbo Dei aut munus, aut personam preferatis, aut causam. *Non est*, inquit propheta, *Deus in conspectu ejus, inquinatæ sunt viæ ejus in omni tempore*. Unde & vos per vias mundas, & vias planas iturum esse Ecclesia Anglicana non ambigit: Quia per vias rectas iter habiturum indubitanter confidit. Nec veretur, ne in prostitutionem justitiæ accipiatis supellectilem nostram, qui scitis, quod pecuniam sic adquisitam non licèt mittere in Corbonam, quia pretium sanguinis est. Utique *non habet eventus sordida præda bonos*. Insultant nobis quamplurimi, & præcipuè nostri, immò adversarii, dicentes rectè contra nos missum esse Cardinalem Sancti Petri ad vincula, ut ministerio ejus Petrus denuò vinculetur, cum tamen ego interim credam, quod familiaritas, quam cum Domino Rege in nostra depressione contraxit, ad Ecclesiæ proficiet liberationem, & salutem Regis, & gloriam Dei.

Dei. Unum tamen est, quod plurimùm vereor, ne quis fratrum, de quibus Apostolus queritur, egrediens à facie Domini collectas pridem agrestes coloquintidas immisceat pulmentatio prophetarum, ut sensum Domini agrestibus porcorum, id est, voluptuosè viventium, subruat cibis, & mentem legis imaginario jure subvertere moliatur. Sed cum ab uno de filiis prophetarum mortem esse in olla vir Dei audierit, farinam grani, quod pro nobis in terra mortuum est, ut multum fructum afferat, in ollam projiciet, ut innatæ malitiæ gramen bonis de cetero nocere non possit. Ego vos arbitror virum Dei nobis à Domino destinatum, qui desolatam in Anglia lætificet Sunamitidem, & potentem Syrum curet à lepra, & Giezitas adhærentes ei debita crimini condemnatione percellat. Si his amotis gloriosum nostrum Regem revocaveritis, illicò, ut spes est, pœnitebit, fatebitur culpam, & humiliter satisfaciens Ecclesiæ restituet libertatem, & pacem, & nobis omnibus ablata cum integritate, securitate, & gratia. Nec ultra contendet de conservandis consuetudinibus, quas, ut taceam damnationem, quam eis perpetuæ leges infligunt, Dominus Papa Senonis de unanimi fratrum consilio, vobis, ut opinor, audientibus, condemnavit, nec exiget juramenta, quæ salva Fide & Religione observari non possunt. Sed hæc vobis pleniùs innotescent, cum Episcopos videritis Baalamitas, non omnes dico, sed plurimos, qui vana vident & stulta, nec aperiunt unde ad pœnitentiam debeat provocari. Hi contra nos, immò contra Ecclesiam loquuntur sedentes in porta, & psallit in nos etiam, qui non bibit vinum. Quia ergo in vos omnium oculi directi sunt, honori Dei & paci Ecclesiæ, si placet, insistite, & præscribite quid nos facere oporteat, ut Ecclesia Dei debita gaudeat libertate. Nihil enim est, quod salva patientia & honestate fieri possit, quod non libentissimè faciamus pro recuperando amore Domini Regis. Chaos inter nos firmatum est, ut nullus nostrum ad vos valeat pertransire, etiamsi velit, & sumptus habeat. Valeat semper Dominus meus, & proscriptorum misereatur.

## EPISTOLA XIX.

Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Wilhelmo Papiensi.

*Venerabili Domino & Fratri Wilhelmo, Dei gratia sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali presbytero, Thomas eadem gratia Cantuariensis Ecclesiæ Minister humilis, ac miserabilis exul, salutem, & sic agere ut vivat in Domino.*

NON credebam me tibi venalem proponendum emptoribus, ut de sanguine meo compares tibi nomen & gloriam. Aliàs tibi curandus esset proventus, si non status tui nimis periculosè oblitus, fortunæ ludibria pensares dissimiliter. Sed fortè ut id ageres efficaciùs, fortunam meam præsentem in consilio habuisti, cujus dum tristia spectas, lætiora quæque sperare debueras. Alternæ enim sunt rerum vicissitudines, & sicut de successibus prosperis lapsus est facilis, sic & in contrarium. Nec prudentiam tuam latere credo, licèt hoc experimento non senseris, nihil esse tam firmum, cui non sit periculum è vicino, sic & versa vice. Hæc idcircò tibi scribo, ut subitos fortunæ casus diligentiùs de cetero examines, examinatos observes, observatis indulgeas. His certè exponenda non fuerat Petri navicula, quæ etsi sæpiùs concuti, convelli non novit; quæ etsi pluries jactata fluctibus, non submersa consurgit. Hujus itaque si veri Piscatoris, si optimi Gubernatoris verus vis esse discipulus, nauta bonus, sicut serenitatis gratiam multoties tibi fecit aura serena, sic impetuoso turbini, invalescenti tempestati omnes ingenii tui vires, teipsum etiam animo forti sub omni discrimine opposuisse debueras. Si enim de manu ejus gratanter suscepisti pacifica, cur non patienter tolerabis adversa, fortè ad momentum exspiratura? Sic & Magister ille Petrus Princeps Apostolorum resistendo Principibus, non cedendo, sed dissipando pacem iniquitatis sanguine suo nomen meruit in terris, & in cœlis gloriam. Sic crevit vigor Ecclesiæ, cùm crederetur exstingui. Hæc etiam in summa tibi opto, sic agas feliciter, ut vivas in Domino. Vale, ut & inde meliùs valeam.

## EPISTOLA XX.

*Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Joannes Saresberiensis.*

INSPECTIS litteris, quas Domino Wilhelmo Papiensi mittere decrevistis, etsi mentem scribentis judicare non audeam, styli tamen formam probare non possum. Non enim sonare videntur humilitatem, aut processisse de mente hominis, qui Apostolum audierit exhortantem discipulos Christi: *Modestia nostra nota sit omnibus, Dominus prope est.* Si enim litterarum vestrarum & ipsius articuli singuli conferantur, ex amaritudine potiùs & rancore animi, quàm ex charitatis sinceritate videbitur processisse responsio. Quid enim scripsit, ut lædorias & scommata, id est, patentes morsus & figuratos taceam, ut eum rectè dicatis in medio litterarum vestrarum vobis propinare venenum? Nunquid vobis visus est Cardinalis presbyter, immò & Apostolicæ Sedis Legatus, in prima salutatione suspicionibus inurendus, & gratis exacerbandus contra consilium Domini Papæ, & contra Romanæ Ecclesiæ reverentiam dehonestandus convitiis? Profectò ego nec Domini Papæ Cursorem sic alloquendum fuisse arbitror. Si suas & vestras Domino Papæ remiserit litteras, Regis causam justificasse videbitur attestatio scripti vestri, & propriam contumaciam convicisse. Esto quòd fuerit, & sit adhuc Wilhelmus inimicus, dissimulandum puto, donec mala opera ejus in lucem prodeant: quoniam & Dominum Papam ita consuluisse ex relatione Nunciorum vestrorum certum est. Nec tamen dico, quòd antequàm fidem hominis bonis operibus exploretis & experiamini, adquiescatis eum recipere judicem, sed nec recusare præproperè consulo, etsi judicium declinandum esse non ambigam restitutione; quæ ad præsens fieri nequit, non habita. Hic interim hærendum credidi, & ipsos Cardinales alliciendos, quatenùs salva conscientia & fama fieri poterit, & exspectandum à Domino, ut in parte adversa deprehendatur iniquitas, & impugnatio veritatis, & defectus promissionum. Si se dixit missum ad terminandas quæstiones, prout Ecclesiæ Dei viderit expedire, in quo vos læsit? Nonne possunt sicut



sicut per sententiam, ita & per compositionis benignitatem terminari? Si exhortatus est, ut evitetis, quantùm in vobis est, ea quæ solent amplioris dissidii caussas generare, non video quid peccaverit, cùm hoc ipsum sapientissimi & amicissimi consulant, monentes, ut quatenùs salva honestate Ecclesiæ & personæ vestræ licuerit, paci diligentiùs intendatis. Rogandus ergo fuerat, ut opinor, quatenùs ea, quæ vitanda dicit, præscribat, ut de restitutione vestra, & vestrorum, & Ecclesiæ libertate agat cum Domino Rege, vobisque rescribat, quatenùs profecerit. Quia vobis & vestris sumptus desunt, ne ad colloquium ejus possitis accedere. Nec tutum est alicui vestrorum ingredi terminos Regis Anglorum. Doceat vos magni consilii Angelus, & sit in ore & corde eorum, quos mittetis, Spiritus Sanctus. Si Legatus, quod in fine litterarum pollicitus est, adimplevérit, ei multiplices gratias arbitror referendas. Si Londoniensis Episcopus, & vester Archi-Diaconus recipiunt à Domino quòd merentur, sibi imputent. Vos tamen videte, an sententia vestra, si citatio non præcesserit, robur sit habitura. Nam utinam sicut de merito, ita de jure & facto sortiri possit effectum.

## EPISTOLA XXI.

Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Conrado Archi-Episcopo Moguntino,

*Animæ suæ dimidio, salutem, quam sibi & ampliorem, cùm sibi sit minima.*

INTER optimam conscientiam & durissimam fortunam constitutus ignoro, quomodò & animo meo & tempori parcam. Angit me animi amaritudo periculo meo dicere quod sentio, urget me temporis necessitas periculo Ecclesiæ silere quod non debeo. Deus bone, quò me vertam? Utrobique periculum est. Ad dicendum etiam sine periculo non sufficio, dicendo cum Ecclesia deficio, tacendo cum ipsa pereo. Verùm ne Ecclesiæ periculo peream, & ego dolendo dico rem dolendam nimis. Capta est Urbs inclita, quæ jam ferè totum subegerat Orbem, subversa humana gratiæ aviditate. Et quæ gladio perire non poterat, occidentali veneno succumbit. Proh dolor! Ipsius occasu fit undique dispendium libertatis Ecclesiæ compendio temporalium. Itur in ipsius ruinam per anfractus divitiarum: prostituta est ut fornicaria, quæ multorum libidini patet in platea, fornicantur cum ea quilibet potentum, ut subacta cedat ambitioni concipiens iniquitatem, & pariens pressuram immeritis. Væ nobis! Quid faciemus? Urbis ruit authoritas, & cervix nostra quomodò non flectetur? Exclusis filiis admittuntur privigni, ut bonis maternis utantur extranei, quibus alendi erant legitimi hæredes. Et quæ benignè in sinum suum susceptura erat oppressos, in visceribus charitatis curatura languentes, opprimentes elevat, mole graviter conterit depressos. Quò erit nobis refugium de cætero, si non præstita satisfactione meruerint inde absolvi, unde ampliùs erant condemnandi; si extorserint tanquàm re benè gesta remissionem, qui meruerant ultionem; si reportaverint de indulgentia gloriam, qui conscii de merito exspectabant pœnam? O utinam non me reperisset sors ista superstitem, ne viderem mala gentis nostræ, & Sanctorum, nisi quia, ut scriptura dicit, necesse est amore justitiæ temporaliter multa pati justos mala. Haberet tamen aliquid solatii, si radicis amaritudinem compensaret dulcedo fructuum. Solent enim dura principia meliori fine concludi. Verùm ne quid desit ad coronam, hac tempestate cedit nobis in contrarium, ut qui dura sentimus initia, evacuata spe boni, more contrario exspectemus duriora. Exclusi enim sumus à sinu Matris, clausa sunt nobis Patris viscera, detraxit immeritus benemeriti spolia, tulit malè conscius rem benè conscii, comprehendit piger benè currentis bravium, rapuit puniendus legitimè certantis coronam. Ego verò miser in quo deliqui, quid mali promeruì? Si supra opinionem hominum devotionem exhibui, si contra voluntatem amicorum fidem servavi, si relictis omnibus devotionis affectu, contemplatione fidei nudus, & abjectus cum meis miseriis secutus Patrem meum & Dominum, exposui me omni periculo, erit ne ista confusionis nostræ retributio, restauratio perditorum, radicis amaræ dulcedine fructuum compensatio? An non erunt ista de cætero in ore vulgi remunerationis iniquæ proclamatio? Videat Deus, examinet ipse, judicet hanc juris æquitatem. Res miranda nimis, res admiratione stupenda, cuditur jus nomini, immò, ut veriùs dicam, juri contrarium, justitiæ & æquitatis perimens authoritatem. Transit in jus persecuti persecutoris temeritas, ut recipiat pœnam de victoria donandus, reportet gloriam meritò inglorius, vincat vinciendus. Nunquàm fuisset ista Legatio tantorum ministra malorum, in tot exulum fabricata perniciem miserorum, totius Ecclesiæ peremptura compendium. Certè nec si se ruperint, poterunt me avellere à Christo juvante justitiam, à liberatione servitutis Ecclesiæ, pro ea parte sollicitudinis, in qua vocatus sum, à charitate Dei, quæ nos subjecit tribulationi, donec veniat justus Judex, qui æqua lance dispensabit utrique, juveni pariter & seni, Regi ac privato, omnibus æquè prout quisque meruerit. Hunc expeto Judicem, hunc injuriarum nostrarum ultorem expeto, fultus optima conscientia, securus devotione sincera, solidatus in fide vera, certus amore justitiæ sustinentes injuriam nulla debere ratione confundi. Zelo vindictæ confrigentes cornua persequentium Ecclesiam spe remunerationis æternæ nullatenus posse privari. Hæc animæ meæ scribo dimidio, ut sentiat amici dolentis angustias, paventis pellat dolores, pereuntis pressuras tollat. Non est enim dolor, sicut dolor meus. Traditus namque prædicor in manus inimicorum, proditus ad voluntatem invidorum, lacerandus dentibus malignorum, perimendus unius meorum judicio persecutorum. Res nefanda nimis, sui crudelitate horribilis, sui malignitate odibilis, sui facilitate contemptibilis, sui iniquitate damnabilis in æternum. Sufficisse debuerat Papiensibus Italiam subvertisse, nisi & Orbem cum Ecclesiæ libertate sua cura perimerent. Haberem vobis scribere plura, si non confectus injuriis, contumeliis affectus timerem dolorum meorum relatione mentis vestræ turbare quietem, exaggerare sollicitudines, infestare jucunditatem, quam expe-

expedit mihi valere, ne peream. Valeat ergo Pars sana mei, ut convalescat ægrota. Festinet mihi subvenire, ne tota depereat, ut inde recipiat in terris gloriam, & in cœlis coronam. Valeat iterùm & semper, habeatque fidem, si placet, huic Nuncio, cæterisque per Dei misericordiam in brevi venturis.

## EPISTOLA XXII.

Alexandro Papæ Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus.

*Amantissimo Domino, & Patri Sanctimo Alexandro, Dei gratia summo Pontifici, Thomas Cantuariensis Ecclesiæ Minister humilis, miser & miserabilis exul, salutem, & contra sævitiam Principum semper animi constantiam.*

SOLLICITI de statu & prosperitate vestra optaveramus jam pridem certum salutis Nuncium audisse de vobis, & de Confratribus nostris, quid egerit etiam vobiscum, & cum Ecclesia sua Dei magnificentia. Insonuit enim auribus nostris, & toti Galliæ verbum, quod noviter factum esse dicitur à Domino. Videlicet illum Fredericum schismaticum, ignominiosè humiliatum, factum sine honore coram Populo & gente. Verùm quoniam rumoribus credi oportere, & non oportere fas est, Paternitatem vestram affectuosè sollicitamus, ut recurrentibus litteris & Nuncio per vos citissimè audiamus & congaudeamus, si fecerit vobiscum Deus, quod facere consuevit sperantibus in se, non ponentibus carnem brachium suum, non habentibus fiduciam in principibus, in quibus non est salus. Si egerit vobiscum, sicut egit cum Ezechia de Sennacherib, retorquens pœnam in ipsum, qui moliebatur demoliri ipsum Ezechiam cum universa gente sua. Si sic se rei habet eventus, sicut fama divulgavit, benedictus Deus, qui novit facere misericordiam cum servis suis. Ecce quanta Dei potentia, quàm magna ipsius miseratio: *Nisi enim custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam.* Non est à sæculo audita virtus Dei manifestior, si rectè pensetur quid evenerit. Justitia ipsius justior, qua contrivit ipsos fabricatores hujus malitiæ, tantæ persecutionis authores, consumpsit etiam eos morte famosissima. Ipsum utinam jam & Principem viventem dederit in opprobrium omni populo, in derisum omni transeunti, ut ab omnibus digito monstretur, & fiat de ipso quasi celebre proverbium in ore vulgi dicentis: *Ecce homo, qui non posuit Deum adjutorem suum.* Si confisus in potentia sua defecit in ipsa vanitate sua, cui satius fuisset, & gloriosius ad homines moriendo succubisse impugnando suos Adversarios, quàm vivendo fieri despectui cunctis, & in derisum. Hæc Dei virtus & fortitudo brachii ipsius. Quis ergo audeat de cætero habens Christi vices in terra obsequi voluntati Principum in confusionem Ecclesiæ non puniendo delinquentes? Audeat, qui voluerit, non ego, ne transferatur in me pœna delinquentis, ne judicer culpabilis ex dissimulatione vindictæ, ne transeam in culpam, qui culpam non admisi. Satis credo dictum esse Domino meo in parte ista. Qui sapienter investigabit opera Dei, qui diligenter attendet ipsius Magnalia, prudenter intelliget, quid de cætero opus sit. Præterea noscat Sanctitas vestra accidisse nobis quod verebamur, quod prædicabamus lucidum esse de præsumptione & insolentia Domini Wilhelmi Papiensis, sicut ex litteris nobis statim in adventu suo transmissis potestis perpendere, à quo magis sperabamus juxta tenorem mandati vestri ad Dominum Regem Francorum, & ad nos emissi, solatium de consolatione pacis, quàm confusionem de quæstionum decisione inter Regem Anglorum & nos. Non enim ipse est, cujus in hac caussa subjici debeamus ditioni. Præsertim cum instantia Regis magis coegerit vos ad ipsum mittendum, quàm ipse coactus, & missus venerit à vobis. Credimus quidem non esse juri consentaneum, nos ejus subire judicium vel examen, qui quærit sibi facere commercium de sanguine nostro: de pretio, utinam non iniquitatis, quærit sibi nomen & gloriam. Proinde supplicamus Paternitati vestræ affectuosè, si ei cura est de nobis, ut evacuetur potestas ejus, si quam habet, circa nos & negotia nostra: transferatur malleus iste à nobis, qui potiùs elegit esse malleator Clericorum obsequendo Principibus, quàm Regum offensio consequendo gratiam Divinam. In his verò & aliis, si placet Sanctitati vestræ, quæ lator præsentium vobis manifestabit, intuitu pietatis & auxilii nostri petimus suppliciter à vobis exaudiri. Compatiatur miseriæ nostræ diuturnæ vestra serenitas, cujus finem omnes exspectant. Resumat vires præceptoris authoritas, exerat gladium Beati Petri, ulciscatur Christi & suorum injuriam. Sentiant manus Petri graves, qui eas contempserunt pro tempore dissimulantes, ut vel sic respiret libertas Ecclesiæ, quæ tanto tempore languit depressa, & gaudeat Mundus glorificans Deum, qui fecit vobiscum misericordiam suam, quatenus resurgat per vos navicula Petri, quæ ab omnibus ferè credebatur submersa, exspiret Tyrannorum præsumptio, quæ videbatur obtinuisse. Multa Sanctitati vestræ circa materiam istam haberem scribere, sed, ne fiam vobis sermone longo molestus, finem facio optans audire & videre de vobis, quod desiderat anima mea. Veruntamen unum solum adjicio, quod nequaquàm silentio præteundum est. Credebat fortè Dominus Wilhelmus tractu temporis delusisse authoritatem vestram ex fortuitis casibus. Sed Domino vertente casus adversos in melius deludetur ipse, qui vos sperabat delusum; per Dei misericordiam incidet in laqueum, in quem optando sperabat vos & nos incidisse. Valeat Sanctitas vestra, &, ut benè sit nobis, vigeat in tempora longa.

## EPISTOLA XXIII.

*Alexander Papa Wilhelmo & Ottoni Cardinalibus.*

POST discessum vestrum graves ad nos fuerunt rumores perlati, dilectum scilicet filium nostrum Joannem Saresberiensem Decanum publicè proposuisse, quod cùm Episcopos, & alias personas Ecclesiasticas, & sæculares de Regno Anglorum à jurisdictione, & potestate venerabilis Fratris nostri Thomæ Cantuariensis Archi-Episcopi exemerimus, juxta beneplacitum & voluntatem Regis Anglorum, ad ejus depositionem pariter & condemnationem intenderemus, & vos pro hac re specialiter mittere deberemus. Aliud quoque nobis insinuatum est, quod Joannes Cumin omnia Rescripta litterarum nostrarum, quas à nobis obtinuit, Guidoni Cremensi monstravit, & sibi secreta nostra detexit. Unde idem Archi-Episcopus erubescentia & dolore confunditur, & charissimus in Christo Filius noster Ludovicus illustris Rex Franciæ, & Principes ejus non parùm sunt de hujusmodi rumoribus conturbati, & vehementer commoti. Licèt autem à pluribus nobis proponatur, & quadammodò credibile videatur, quod prædictus Joannes pro honore & exaltatione prædicti Archi-Episcopi & Ecclesiæ suæ, & pro libertate Ecclesiæ tantùm, & ita fideliter laboraverit, quod studio & sollicitudine sua, postquàm ad propria rediit, viros Ecclesiasticos, qui Regia captione detinebantur, ab ergastulo carceris fecerit liberari. Et etiam idem Joannes per litteras suas nobis significavit Regem publicè coram multis dixisse se velle Clericis suæ terræ illam libertatem, quam a tempore Henrici Avi sui habuerat, servare. Quia tamen hujusmodi fama usque adeò crevit, quod in partibus illis opinionem nostram sinistra facit æstimatione corrodi, discretionem vestram monemus atque mandamus, quatenus continuò per litteras nostras prædictum Archi-Episcopum consolari curetis, & omnem ab animo ejus amaritudinem & suspicionem tollentes, eum prædicto Regi in primis reconciliari, & plenam inter eos pacem componere omnimodis intendatis, & quanta poteritis ad hoc sollicitudine & diligentia elaboretis: ita quod sibi & Ecclesiæ suæ antiqua jura & libertates integrè & illibatè servetis. Nec in terra ipsius aliquid, quod magnum sit faciatis, & in Regnum ejus, si vos intrare vellet, nulla ratione intretis, nisi Archi-Episcopus sibi primitus integrè reconcilietur: quia super nobis & vobis detraheretur plurimùm, & communis vox omnium honestatem vestram sinistris detractionibus laceraret. De Joanne verò Cumin, si ita esse inveneritis, districtam justitiam faciatis, ita quòd alii debeant à similibus deterreri. Volumus autem ut in omnibus actibus & operationibus vestris circumscriptè, & maturè, ac providè vos habeatis, ita quòd adversùs nos nulla possit detractionis materia subrogari, & devotio utriusque Regni per studium & conversationem vestram circa nos & Ecclesiam debeat incessanter augeri, & vobis exindè perpetua valeat laus & gloria comparari. Datum Laterani, nonas Maii.

## EPISTOLA XXIV.

*Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Wilhelmus & Otto Cardinales.*

NUNCIUM vestrum recepimus benignè, & litteras inspeximus sollicitè. Nuncio itaque, & litteris fidem adhibentes, & transcripta Domini Papæ diligenter considerantes, quantùm in deliberatione consilii nostri invenire potuimus, non videntur ista modo posse utiliter attentari, cùm exinde correctionis vel emendationis spes minimè videatur posse haberi. Bona enim & res Clericorum fratrum vestrorum, qui vobiscum sunt, sicut & vos, ut credimus, benè novistis, mandato Regio detinentur: cujus animus, & cor, & voluntas, ita à vobis, & ab ipsis aversa sunt, ut nec à quolibet verbum reconciliationis valeat sustinere. Et ideò, sicut per Nuncios nostros vobis significamus, opportunum videtur ad præsens ista differre, donec vel viam pacis quolibet modo Deus ipse aperiat, vel ampliori deliberatione, si inveniri non potenit, quid vel qualiter in prædicto negotio statuendum sit, Dominus Papa præcipiat. Quantùm enim nobis videtur, brevi sarculo, & modica fossione magnam possemus scissuram, & profundam præparare foveam, à quo saltem usque ad conscientiam Domini Papæ tutiùs est abstinere.

## EPISTOLA XXV.

*Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Joannes Saresberiensis.*

NEC priorum nec posteriorum mihi placet conceptio litterarum, quas ad Dominum Wilhelmum mittere decrevistis: quia nimis plenæ videntur suspicionibus, & supra modum dentosis salibus abundare. Timeo enim, ne temeritas nostra & illum & alios nobis inimicantes justificet. Unde cùm in Pictaviam missurus essem Latorem præsentium, per vos transitum facere jussi, ut & sententia mea vobis innotescat, & Domino Pictaviensi, si quid placuerit, per eum mittere valeatis. Esto mihi, aliam Cardinales in primis conveniendi formam prælegi, quæ quidem vestræ personæ eminentiam non deceret; sed tamen similiorem arbitror condecenti, ita tamen prælecta intelligatur, si discretioni vestræ federit, ut procedat. Vestræ, inquam, quia nolo ut sensus insulsus, & ariditas linguæ meæ in vestræ clientelæ risum, & opinionis meæ dispendium publicetur. Non displicebit tamen, si errori meo compatientibus Lombardo secretiùs innotuerit, & Alexandro. Alter enim Princeps meus est, alter aut Frater Ordinis nostri, aut amicus. Ea siquidem conditione emisi litteras, ut si vobis placuerint, progrediantur ad Episcopum Pictaviensem. Et si ei visum fuerit expedire, pertranseant ad Cardinales, immutato tamen ante, si quid decreverit immutandum. Alioquin in domo vestra vel illius dentur incendio.

## EPISTOLA XXVI.

*Joanni Pictaviensi Episcopo Joannes Saresberiensis.*

INSCRIPTIONIS mutatæ caussas reddere superfluum puto, cùm perspicuum sit præsertim sapienti, quoniam malitia temporis & insidiantium vigilantia præter morem scribere cogant & contra rationem. Indulgendum est ergo necessitati, si non defertur honori. Nec habere debet suspicionem injuriæ, cui conspicua suffragatur ratio caussæ approbatæ. Unde verò præsumptio videtur officii intulisse dispendium, inde charitas necessitatis arctata stimulo suscipit incrementum. Nam & fornacis augentur incendia, si in flammas erumpere prohibentur. Et ut experto credatur Authori: *Quantò plus tegitur tectus magis æstuat ignis.* Et sicut hic in motu semper versatur, & impatiens est quietis, ita charitas otii nescia, jugiter officiosa,

ta, se ipsam semper aliquo prodit indicio. Si non colit obsequiis, si opportunitates non expedit, si prohibetur utilitatibus deservire, certè quin votis adjuvet, quin desideriis obsequatur, quin precibus necessaria & expedientia procuret, omninò præpediri non potest. Hujus itaque purgetur officio, si quid temeritas inscriptionis videtur in limine præsumpsisse. Et quia memini me promisisse novorum, quæ emergerent apud nos, communicationem, pauca quæ postquàm vobis scripsi novissimè per Servientem Magistri Reginaldi, innovata sunt, adhibita celeritate significare curavi. Innotuit vobis præfati servientis ministerio, quid actum sit in colloquio Cardinalium, & Domini Cantuariensis, inter Gisortium & Iriam. Illis autem ab invicem discedentibus, Cardinales adeò turbatum Regem invenerunt, ut palam quereretur se proditum esse à Domino Papa, & minaretur se ab eo recessurum, nisi de Cantuariensi Archi-Episcopo justitiam faceret exhiberi. Deinde multis consiliis ultro citroque habitis, & Rege nunc Proceres, nunc Episcopos & Abbates, nunc familiares suos, nunc Cardinales, nunc Cardinales simul, nunc alterum sine altero, consulente, tandem se ad justitiam obtulit, dicens se paratum esse per omnia stare judicio & mandato eorum super omnibus querelis, quæ vertuntur inter ipsum & Dominum Cantuariensem, adjiciens se paraturum in initio omnem cautionem, tam juratoriam, quàm fidejussoriam, & ampliorem, si Cardinales vellent, quòd de verbis eorum, nec jota, nec apicem præteriret inobservatum, dummodo illi, quòd minimo homini, id est, justitiam exhiberent. Cui cum Cardinales respondissent, quod non acceperant potestatem super Cantuariensem judicandi, sed componendi, Rex ab eis petiit, & obtinuit, ut hanc humilitatem ejus scriberent Domino Papæ, & sinceritatem caussæ ejus, sicut eam didicerant à sapientibus, & Religiosis viris, Eboracensi Archi-Episcopo, & Episcopis Londoniensi, Cicestrensi, & Vigornensi, Transmarinis, & item Cismarinis, Rothomagensi, Lexoviensi, & Bajocensi. Post processit Episcopus Londoniensis, & cùm in Archi-Episcopum suum veneni multum evomuisset, obtulit caussam suam & aliorum Episcoporum, qui contra memoratum Cantuariensem appellaverant, instans nomine Regni & Sacerdotii, ut audiretur & finiretur. Legatis verò dicentibus itidem se non posse compellere Cantuariensem, & illum nolle contendere, prorupit Episcopus & alii, qui aderant, nomine Regni & Sacerdotii, in appellationem, inhibentes ne Cantuariensis contra alterutrum aliquid innovaret, ponentes utrumque sub protectione Domini Papæ usque ad diem appellationis, quam prorogaverant in annum alterum, scilicet ad festum Sancti Martini. Londoniensis tamen speciales caussas pro se posuit, impugnans libertatem Ecclesiarum, quas Cantuariensis habet in Episcopatu illius. Quo facto, direxerunt Cardinales duos Nuncios ad Cantuariensem, qui ei proxima die post Festum Sanctæ Luciæ porrexerunt litteras, quibus continebatur ex parte series horum. Et idem Archi-Episcopus prohibebatur ex parte Domini Papæ & Legatorum aliquid facere contra appellationem, antequàm adeatur Dominus Papa. Episcopi quoque duos Nuncios miserunt, Waltherum Cantorem Saresberiensem, & Magistrum Jocelinum, Cancellarium Cicestrensem, ut factam denunciarent appellationem, & eam coram Archi-Episcopo innovarent. Sed Archi-Episcopus Episcoporum Nuncios ad colloquium non admisit, eò quòd inter alios Episcopi Londoniensis, quem Archi-Episcopus excommunicatum habet, & Cardinalibus denunciaverat, Legatione fungebantur, & quia communicaverant excommunicatis ejus: etsi in fraudem Apostolici mandati viderentur minus prudentibus absoluti. Hoc enim tandem & tantùm incluserat Dominus Papa, ut si essent in periculo mortis, absolverentur præstito ante juramento, quòd starent mandato Domini Papæ, si convalescerent. Illi autem simulantes se in mortis periculo constitutos, quia oportebat eos ex mandato Domini Regis nunc transfretare, nunc in Walliam proficisci, à quodam Episcopo Gallensi, utriusque juris prorsus aut ferè ignaro, Lanelvensi scilicet, qui Monasterium Abendoniæ, utpotè quæstuosius, pro Episcopatu receperat de manu Regis, absolutionem impetraverunt. Et ne de mandato Domini Papæ possit ambigi, litteras Apostolicas misit Archi-Episcopus Legatis, quibus districtè præcipiuntur illos sic absolutos reponere in anteriorem excommunicationis sententiam, nisi possessiones Archi-Episcopi & suorum, & omnia ablata cum integritate restituant: nullius appellationis obstaculo Apostolicum hoc impediente mandatum. Receperant & alias litteras ante, quibus jussi sunt operam dare, ut pax sic reformetur inter Reges, ne de eis alteruter queri possit, & prohibentur Angliam ingredi, vel se intromittere de negotiis Regni, nisi priùs pax plenissima Cantuariensi Archi-Episcopo fuerit reformata. Cùm verò Episcopi suo & Regni nomine appellassent, quidam Clericus Gaufredi Cantuariensis Archi-Diaconi vice Domini sui appellavit, & unus Monachorum Cantuariensium, non ad hoc tamen missus à fratribus suis, sed ut Regis clementiam imploraret, ne scelerosus ille Radulphus de Brock in res Monachorum, motuo Priore, manum posset extendere. Archi-Episcopus autem rescripsit Cardinalibus se scire, & illos non ignorare, quatenus eis obedire teneretur, & facturum, authore Deo, quod Ecclesiæ Dei noverit expedire. Nunciis quoque eorum, & suo plura verbis exponenda commisit, increpans eos in pluribus ex justis & evidentissimis caussis. Rogavit etiam attentiùs, ut juxta mandatum Domini Papæ excommunicatos suos urgerent ad satisfactionem, vel in sententiam anathematis revocarent. Nec antea credi posset, quod Papiensis facundia Collegæ sui fidem subvertere valeret nisi nunc arundineæ levitate & concavitate flecteretur ad auram venti, non incumbentis, sed comminantis, sonum excitantis, non plagam inferentis aut ictum. Fortassè, sicut hactenus credebatur, spiritus hominis promptus est, sed deprehensum est carnem esse infirmam. Nam de Wilhelmo, quod ab initio creditum est, nunc clariùs elucescit: quia quàm magnanimus, quàm fidelis in caussa Ecclesiæ Romanæ coram Frederico Papiæ inventus est, talis & tantus in caussa Ecclesiæ Anglicanæ, si licitum fuerit, invenietur, præsidente vel assidente Henrico. Ex quo Domino Cantuariensi persuasum, ut istorum Cardinalium vel aliorum, qui fructum



fructum Legationis expectent in Terra Regis Anglorum, judicio se nulla ratione subjiciat. De cætero tractatur de pace Regum. Rex Anglorum & Comes Henricus contendunt, ut alter alterum in hoc negotio possit astutia superare. Sed quia nihil adhuc peperit conceptus eorum relatu dignum, verbi hujus executionem in aliud tempus credidi protelandam. Lugdunensis Archi-Episcopus Ecclesiam & civitatem suam cum honore & lætitia omnium recepit in festo Beati Martini. Eadem die congressus Federicus Ex-Augustus cum Mediolanensibus, amissis viginti quinque militibus, in fugam versus est. Dominus Papa receptis Nunciis, qui Constantinopolim profecti fuerant, cum muneribus & honore, & similiter Legatis Regis Siculi, prosperatur in viis Domini, moram faciens Beneventi. Cùm plura innotuerint scitu digna, ea vobis Deo propitiante scribere non pigritabor. Valete interim, & semper.

## EPISTOLA XXVII.

*Verba Domini Cantuariensis cum Legatis inter Gisortium & Triam.*

QUIA te super statu Ecclesiæ, & impetratæ Legationis eventu sollicitum esse non ambigo, ad tuam & aliorum Deum timentium consolationem hæc tibi succincta brevitate censui præscribenda. Noveris itaque Dominum Cantuariensem, & nonnullos de Co-Exulibus suis, in octava Beati Martini inter Gisortium & Triam accessisse ad colloquium Legatorum. Cùm verò illi multa proposuissent de charitate Domini Papæ & sollicitudine nostri, quam attentiùs gerit de laboribus ipsorum & itineris periculis, de magnitudine Principis & necessitate Ecclesiæ, de malitia temporis, de amore & beneficiis, quibus Dominus Rex prævenerat Cantuariensem, & de honore quem ei semper exhibuit, adjecerunt etiam querelas & injurias, quibus Rex se læsum à Cantuariensi conqueritur, imponens ei & inter cætera, quod ei excitaverat guerram Regis Francorum. Quærentes consilium quomodò tantam indignationem placere possent: quia sine multa humilitate, & moderatione, & exhibitione honoris noverant tantis periculis remedium adhiberi non posse. Cantuariensis verò in omni humanitate, & mansuetudine spiritus, post gratiarum actionem Domino Papæ & illis debitam, respondit ad singula, rationibus veris & probabilibus querelas Regis evacuans, & injurias Ecclesiæ & damna intolerabilia patenter exponens. Et quia humilitatem, & delationem honoris ab eo exigebant, respondit se omnem humilitatem exhibiturum, & honoris & reverentiæ quantumcumque posset: *Salvo honore Dei, & libertate Ecclesiæ, & honestate personæ suæ, & possessionibus Ecclesiæ.* Et si eis aliquid videretur adjiciendum, aut demendum aut immutandum, rogavit ut ei consilium darent, habens adquiescendi propositum, salva conditione professionis & ordinis. Illis autem dicentibus se non venisse ut ei, sed ut eum consulerent, & reconciliationis tentarent viam; item quæsitum est ab Archi-Episcopo, an in præsentia Legatorum vellet promittere observantiam consuetudinum, quibus Decessorum suorum tempore Reges usi sunt, & sic sopitis omnibus querelis redire in gratiam Regis, & recipere Sedem suam, & administrationem, & pacem sibi & suis. Ad hoc Archi-Episcopus respondit: *Nullum Decessorum suorum ab aliquo Regum ad hanc professionem fuisse arctatum, neque se, Deo Authore, promissurum unquam ut observet consuetudines, quæ Legi Dei patenter adversantur, Sedis Apostolicæ convellunt privilegium, Ecclesiæ perimunt libertatem*, quas Dominus Papa Senonis in illorum & multorum præsentia condemnavit, & ipse posteà Domini Papæ secutus authoritatem, quasdam earum cum observatoribus suis subjecit anathemati, sicut in multis Conciliis Ecclesia Catholica fecisse dignoscitur. Item interrogatus est, an, si non confirmationem, saltem dissimulationem & tolerantiam vellet repromittere, aut non facta altrinsecus aliqua mentione consuetudinum, Sedem suam recipere & pacem. Respondit Archi-Episcopus, quod nostræ gentis proverbium est: *Quòd taciturnus spiritum prætendit confitentis.* Et cùm Rex sibi videatur in possessione consuetudinum esse, & ad eas injustè & violenter cogat Ecclesiam, si sic taciturnitate impetrata cessaret concursio, authoritate maximè Legatorum interveniente, statum sibi & aliis videretur obtinuisse in causa ista. Adjecit etiam, se malle perpetuò exulare, & proscribi, &, si Deus ita disposuit, pro justitiæ defensione mori, quàm in salutis suæ dispendium, & præjudicium Ecclesiasticæ libertatis hanc ineat pacem. Deus enim est qui in tali causa tacere prohibet Sacerdotes, qui dissimulantibus gehennam præparavit, ubi nulla erit dissimulatio. Lectus est & libellus abominationum illarum. Et quæsitum à Cardinalibus, an à Christianis talia liceat observari, ne dum à Pastoribus dissimulari. Progressi sunt ad aliam quæstionem, scisciantes an vellet eorum judicio stare super his, quæ inter ipsum & Regem vertuntur. Ille autem de caussa se sinceritate confidere respondit, & cùm ipse & sui, qui à tempore multo destituti sunt, plenè fuerint ad omnia restituti, habita ratione caussarum, rerum, & temporis, juri libenter pariturum, & se nec posse, nec velle declinare, quin, ubi, & quando, & quomodò debebit, subeat judicium ejus, vel illorum, cujus, vel quorum judicio Dominus Papa eum stare debere decreverit. Interim se & suos ad litigandum urgeri non posse, nec paupertatem suam ad hoc sufficere, cui etiam victualia desunt, nisi Christianissimi Regis Francorum vivat expensis. Noluit enim prima facie declinare judicium, etsi aliquem eorum jure optimo posset habere suspectum, ne caussam Regis justificare videretur, nec se liti immergere, antequàm ad omnia sit restitutus, ut possit caussam sufficienter instruere, ut quemlibet divitem Adversarium non formidet, innitens gratiæ Dei. Procedentes hinc quæsitum est, an sub eis judicibus vellet respondere Episcopis, qui contra eum appellaverant, quia præsentes erant. Archi-Episcopus verò memor litterarum, quibus ei præsentata est illa qualiscumque, vel nulla potiùs appellatio, concepta, ut ibi perhibetur, sub nomine omnium Comprovincialium Episcoporum, & Abbatum, & personarum Regni in Provincia Cantiæ degentium, & certus quod isti non convenerant Rothomagum, & quàm plurimi eorum hujus fuerant appellationis ignari, & multis, qui non erant, displicebat, utpote justitiæ, quantùm in ejus Authoribus erat, elusio

clusio potiùs, quàm appellatio, respondit similiter super hoc nullum Domini Papæ se recepisse mandatum, & cùm illud receperit, consultò responsurum & facturum quòd ratio dictaverit. Cæterùm paupertatem suam & suorum ad itineris sumptus & lites non esse idoneam, & clementiam Christianissimi Regis hoc sine molestia pati non posse, ut liberalitas ejus, quæ exulantes Episcopos decrevit humanissimè consolari, eum & Coexules suos sæpè & diu exhibere cogatur in domibus alienis. Nam ubi est copia victualium, facilius est procurare expensas. Die autem sequenti Christianissimus Rex Legatos admittens ad colloquium, sub religione juramenti purgavit innocentiam Domini Cantuariensis, perhibens ei testimonium, quod ei consilium semper dederat, ut pax servaretur salvo honore utriusque Regis, & Populi utrimque debita quiete gauderent. Rogavit Archi-Episcopus Legatos, ut aliquod Ecclesiæ consilium darent, & si alicubi excederet, rectiorem ostenderent viam. Illi autem zelum quem habet in Domino approbantes, ei compassi sunt, sed de proposito ejus non dixerunt aliquid immutandum. Sic data benedictione ab invicem discesserunt, & statum est, & authore Deo stabitur in finibus istis, donec Ecclesia convalescat, & persecutores ejus aut convertantur, aut pereant. Illa rogavit pro te, & rogare non cessat, ut non deficiat fides tua, & tu, quandocumque opportunitas fuerit, conversus ad illos, confirma fratres tuos. Hæc illis ostendes, ad quos missus es. Lapsos erige, stantes robora, ut firmi sint. Plures enim sunt patroni & defensores Ecclesiæ, quàm impugnatores. Eam non deseret in tribulatione, qui pro liberatione ejus posuit animam suam. Caussam Sancti non deserent, pro qua veriti non sunt sanguinem suum dare. Hanc omnium cælestium virtutum tuetur exercitus: & majestas, quæ Satanam conterit sub pedibus suis, de membris ejus, ministris nequitiæ, ut spes fidelium est, & promissio patrum, citò, facilè, & feliciter triumphabit.

## EPISTOLA XXVIII.

Alexandro Papæ Wilhelmus & Otto Cardinales.

*Beatissimo Patri ac Domino, Dei gratia Summo Pontifici, Wilhelmus & Otto, eadem gratia Cardinales, salutem & subjectionis obsequia, tam devota, quàm debita.*

VENIENTES ad terram illustrissimi Regis Anglorum controversiam, quæ inter ipsum & Cantuariensem vertitur, vehementiùs quàm mallemus, invenimus aggravatam. Asserebat enim Rex, & suorum pars melior, quod idem Archi-Episcopus serenissimum Regem Francorum in eum graviter incitaverat, & Comitem Flandrensem, consanguineum suum, qui nullum priùs gerebat rancorem, ad ipsum subitò diffidandum, & guerram pro posse faciendam induxerat, sicut sibi pro certo constabat, & evidentibus parebat indiciis. Siquidem cùm idem Comes ab ipso Rege amicabiliter discessisset, Archi-Episcopus in propria persona ad loca guerrarum accedens, tam Regem Franciæ, quàm memoratum comitem ad guerram pro viribus incitavit. Cùm igitur apud Cadomum primo jam dicti Regis Angliæ colloquio frueremur, Paternitatis vestræ litteras, sicut decuit, manibus Regi reddidimus, quibus diligenter consideratis & perlectis in medio cùm ab aliis, quas pro eodem negotio priùs à vobis receperat, minus continentes, & aliquatenùs dissentientes viderentur, Rex incepit indignatione peruri, & eò graviùs, quod se procul dubio scire dicebat præfatum Archi-Episcopum, postquàm à vobis divertimus, litteras recepisse, quibus à nostro penitus fuerat exscriptus judicio, ut in nullo cogeretur ante nos respondere. Affirmabat insuper, quod ea, quæ vobis de antiquis consuetudinibus Angliæ fuerant intimata, falsitati potiùs subjacebant, quàm veritati possent inniti: quod utique viva voce attestabantur Episcopi. Offerebat etiam, quod si quæ tempore suo consuetudines in Regno Angliæ viderentur adjectæ, quæ Statutis Ecclesiasticis obviarent, vestro libenter arbitrio in irritum revocaret. Nos verò Archi-Episcopis, Episcopis, & Abbatibus terræ suæ nobis adjunctis, cum omni diligentia studuimus facere, ne Rex nobis spem pacis omninò subtraheret, sed ad id potiùs se permitteret inclinari, ut cum Archi-Episcopo tam de pace, quàm de judicio loqueremur. Sic proprios Clericos nostros ad eum cum litteris dirigentes, certum sibi locum & tutum indiximus, ubi in Festo Sancti Martini secum possemus commiscere sermonem. Ipse tamen quasdam excusationes prætendens, diem Festi transtulit in Octavas, quod utique in cor Regis altiùs quàm crederemus adscendit. Cùm autem sæpè dictus Archi-Episcopus, licèt nos ei offerremus ducatum, in exitu Terræ Regis Angliæ versùs Franciam nullatenùs nobis vellet occurrere, nos sibi deferre cupientes in terram Regis Franciæ ad locum, quem ipse mandavit, accessimus, ne per nos staret, quòd in suum debeat redundare profectum. Cùmque jam nunciatum esset colloquium, in primis ei cum multa sedulitate cæpimus persuadere, & attentiùs exhortari, quatenus erga Dominum Regem, quippe qui multa in eum congesserat beneficia, eam humilitatis ostenderet speciem, quæ nobis opportunam quærendæ pacis materiam ministraret; ad hæc autem ipse cum suis in parte secedens, habito tandem consilio nobis proposuit, quòd se satis apud Regem humiliaret, salvo honore Dei, & Ecclesiæ libertate salva, & etiam honestate personæ suæ, & possessionibus Ecclesiarum, & amplius sua, & suorum salva justitia. Quibus taliter enumeratis, nos ei diligentiùs suadentes, quod necessarium erat ad specialia descendere, cùm ipse nec certum aliquid nec speciale proferret, subsequenter ab eo quæsivimus, utrùm super rationibus, quæ vestris erant litteris annotatæ, nostrum vellet subire judicium, sicut Rex & Episcopi priùs promiserant se facturos. Ad quod ipse nobis quærentibus in promptu respondit se non à vobis inde recepisse mandatum: sed si priùs ipse cum omnibus suis integrè restitueretur, tunc secundùm quod ab Apostolica Sede reciperet in mandatis, in hac parte procederet. Sic ergò à colloquio redeuntes, cùm verba ipsius nec ad judicium provenirent, nec ad concordiam, nec aliqua ratione vellet caussam intrare, ea quæ nobis innotuerant, Regi manifestare curavimus, plura siquidem prout docuit reticentes, & temperantes audita. Nobis itaque locutioni finem facientibus, Rex & magni viri, qui secum aderant, cæperunt asserere, quòd esset deinceps absolutus, ex quo Archi-Episcopus recusabat judicium. Cùm ergò post multam Regis turbationem Archi-Episcopi, Episcopi, & Abbates Regni Angliæ cum non paucis pariter Clericis à nobis instanter perquirerent, utrum prænotatum Archi-Episcopum seu ex aliquo speciali mandato, seu ratione Legationis ad judicium possemus distringere, & in hac parte nobis facultatem deesse cognoscerent, timentes ne prætactus Archi-Episcopus abjecto judiciario ordine, sicut alia vice fecerat, aliquibus Regni personis gravamen inferret, quoniam nostra sibi taliter inutilis erat præsentia, & ad tutelam contra Episcopum minùs sufficiens, unanimi sumpto consilio ad vestram pariter audientiam appellarunt, appellationi terminum præfigentes in hyemali Festo Sancti Martini, interim se, & sua sub Apostolica protectione ponentes, & quaslibet Regni personas, nec non & universum Regnum sub ejusdem appellationis includentes Edicto. Denique nos negotium istud in maximum Ecclesiæ detrimentum vergere cognoscentes, supradicto Archi-Episcopo authoritate vestra & nostra prohibendo mandavimus, ne de cætero, tum quia vestris erat inhibitum litteris, tum quia solemniter fuerat appellatum, in præscriptum Regnum, vel personas, vel Ecclesias Regni aliquid gravaminis attentaret. Apostolicæ itaque circumspectionis erit attentiùs providere, ne idem negotium in grave damnum Ecclesiæ vertatur, sicut hi, qui attendunt profectus Ecclesiæ, verentur & timent.



## EPISTOLA XXIX.

Thomæ Cantuariensi Archiepiscopo Wilhelmus & Otto Cardinales.

*Venerabili & dilectissimo Fratri Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo..... Cardinales Salutem.*

INNOTUIT Regi, quid super concordia, quid etiam super causa, si contra vos agere vellet, respondistis, & cùm priùs satis, sicut ajebat, ex præcedentibus actibus vestris, & supra quam satis fuisset commotus, ampliori & vehementiori fuit nunc indignatione permotus, vestri cordis altitudinem & Domini Papæ injuriam erga ipsum indubitanter accusans. Episcopi verò, & Abbates Regni Anglorum audientes, quia vos nihil cum eis agere, neque nostro judicio vos supponere velletis, in nostra præsentia litteras Domini Papæ, quibus vobis mandasse se dicit, ne vos Regnum Anglorum interdicto supponatis, coram perlegerunt. Requisierunt etiam à nobis, si ab utroque nostrum, vel altero accepta Legatione in Anglia possent à vestis gravaminibus defendi. Cùm autem respondissemus, nos de negotiis Regni Anglorum nullatenus habere potestatem, ibidem in continenti, tam pro se ipsis, quam pro toto Regno ad Dominum Papam appellaverunt, & in protectione Domini Papæ, & nostra se ipsos, & Regnum ponentes, diem quoque ad festum Sancti Martini constituentes. Unde mandamus dilectioni vestræ, & ex parte Domini Papæ & nostra præcipimus, quatenus deferentes Appellationi prædictæ, inhibitionem etiam, quam Dominus Papa se vobis fecisse testatur, attendentes, nullum interdictum, nullam excommunicationem in Regno Anglorum intendatis, quousque Apostolica præsentia adeatur, & quid Domino Papæ, & Romanæ Ecclesiæ super his placeat, agnoscatur. Ipsi quoque Episcopi & Abbates Nuncios proprios ad vos transmittunt, qui appellationem in nostra præsentia factam, & diem vobis denuncient.

## EPISTOLA XXX.

*Alexandro Papæ Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus.*

MISERIARUM cumulus, & dolorum acerbitas nostrum, & Coexulantium nobis corda perculerat, & Christianissimum Regem & Optimates Regni Francorum compassione Ecclesiæ, datæ, ut videbatur in adventu Joannis de Oxeneford, in manus eorum, qui quærunt animam ejus, ut auferant eam, gravissimo læserat scandalo, ut exulceratus animus quereretur fidem, & veritatem sublatas esse de terra. Sed quòd pietati vestræ retribuat Pater misericordiarum, Sanctissime Judex, amantissime Pater, & Ecclesiæ Dei fidelissime Custos, secundùm multitudinem dolorum in cordibus nostris consolationes vestræ lætificaverunt animas nostras. Jam enim spe salvi facti sumus, & Christianissimus Rex, & Regnum ejus, Apostolatui vestro, quem Deus optimum faciat, & in tempora longa protendat, innumeras agentes gratias, totam indignationem suam retorquent in illos, qui se de Majestate vestra juramentis suis triumphasse gloriabantur. Rex enim ipse, postquàm dignationis vestræ excusatorias recepit litteras, prudentiæ, justitiæ, Sanctitatis, & Beatitudinis vestræ gloriam prædicat & extollit, & malitiam & fraudes eorum, qui falsis rumoribus scandalizaverant Ecclesiam Gallicanam, obloquentibus gaudenter exponit, & interdum invitis adversæ partis, si fortè adsunt, ingerit auribus. Ampliùs tamen lætatus est post vestrorum colloquium Legatorum, quos reverenter admittens, ab eis, sicut ipse fatetur, didicit illos non venisse, ut libertati Ecclesiæ præjudicent aut nobis, sed componant inter Regem Angliæ, & nos, & si fieri potest, inter ipsum & Ecclesiam faciant pacem. Et utinam Deo authore prosperentur in via ista, in qua nos promptissimos ad honorem Dei, & libertatem Ecclesiæ habebunt adjutores. Et vocati ab eis ad colloquium ad diem decimam in terrarum confiniis, cùm tunc, ut ex conscientia loquamur, non nisi tres equos in domo nostra haberemus, obtinuimus nobis adjici septem dies, quibus Coexules nostros, qui miserabiliter dispersi sunt, possemus convocare, utpotè necessarios ad solatium itineris peragendi, & consilium verbi tractandi. Quibus vix tam brevi termino, & tanta rerum penuria convenire valentibus, in octava Beati Martini Dominis vestris Legatis occurrimus inter Gisortium & Triam, Christianissimo Rege, destinatis de hoc Ministris, quod ei in misericordia verbi retribuat Deus, nos & proscriptos Christi Coexules nostros undique confluentes, liberaliter & benignissimè exhibente. Et sicut vobis ab aliquibus intimatum est, persecutores nostri

nostri sedulò procurant, ut itineribus & sumptibus vexemur, & expensarum onere, & tædio, Regi Francorum, qui nobis inter alios pauperes Christi eleemosynam erogat, onerosi reddamur & odiosi. Viderentur enim magnum malitiæ suæ recepisse compendium, si nos exturbare possent de habitaculo cælitùs præparato, & præriperent solatium eleemosynæ Principis, sicut excusserunt subsidium ordinis Cisterciensis. Venit cum Dominis nostris solus Archi-Episcopus Rothomagensis, Episcopis & Abbatibus Provinciæ nostræ, quos Rex evocasse voluerat, retentis Rothomagi. Proposuerunt ergo nobis ab initio duritiam Regis, malitiam temporis, necessitates & calamitates Ecclesiæ, quæ ferè ubique terrarum, excepta Francia, impugnatur, & vix tolerabilibus colliditur procellis, adjicientes multa de magnitudine Principis & potentia, de amore & honore, quem Ecclesiæ Romanæ exhibuit, de familiaritate, & gratia, & beneficiis, quæ in nos exercuit, exaggerantes etiam querelas & injurias, quibus se à nobis & nostris læsum esse conqueritur, dicens quòd ei procuravimus guerram Regis Franciæ, & Comitis Flandrensis. Suaserunt, ut multa humilitate, & plenæ devotionis & moderationis exhibitione studeremus placare indignationem ejus, si fortè aliqua ratione posset tanta feritas mansuescere, & immoderata asperitas mitigari. Quæsierunt & consilium à nobis, qui eum consuevimus nosse pleniùs, qualiter possent illius duritiam emollire. Nam & ad illos se exhibuit duriorem, ex quo didicit, quod non licebat eis, juxta promissiones Joannis de Oxeneford, in nos pro voluntate ejus contra Deum & jura omnia condemnationis ferre sententiam. Quid autem Episcopis suis audientibus dixerit, verbo Nuntii, Deo propitiante, quàm scripto commodiùs intimabitur auribus vestris. Nos verò gratias agentes dignationi vestræ, quæ à Deo de pace Ecclesiæ & nostra, quæ est gloria Dei & vestra, sollicitatur, suspiciones, quibus nos Rex notare molitur, rationibus veris, & probabilibus evacuavimus, & ipse Rex Franciæ die sequenti, quatenùs ad ipsum spectat, in præsentia Cardinalium sub religione juramenti purgavit innocentiam nostram, quæ sicut Imperator cordium & judex novit, ab hac culpa immunis est. Neque enim adeò hebetes sumus, & tardiores ad credendum Legi, Prophetis, & Evangelio, ut in articulo tantæ necessitatis relictis spiritualibus telis, & munimentis Apostolicæ disciplinæ, carnalia credamus arma, præsertim Sacerdotibus, corripienda. Novimus enim non esse in principibus confidendum, & quod maledictus est, qui ponit carnem brachium suum. Et ne tale quid de nobis probabiliter fingi posset, à colloquio Regis nos ipsos diu suspendimus, donec tandem ab ipso evocati accederemus, ut ei præsentaremus excusationis nostræ litteras, & Domino Ottoni Legato, qui ob hanc caussam nobis Papia Clericum suum miserat, impetraremus transitum & conductum. Habebat enim Rex Angliæ quod impetraverat; tum quia meminerat, ut dicit, se alia vice læsum ab eis, quando vos nuper in Patrem & Dominum receperat, tum quia glorificationem Joannis de Oxeneford, & similium molestissimè audiebat. Excusatione autem nostra gratanter admissa, & transitu impetrato reversi sumus ad habitatiunculam paupertatis nostræ, in patientia præstolantes salutare Domini. Et quia humilitatum & moderationis exhibitionem, quibus tantus Princeps placaretur, à nobis Domini vestri Legati exigebant, respondimus nos libentissimè, & devotissimè ei tanquàm Domino & Regi nostro omnem humilitatem, & obsequium, & devotionem ad illorum consilium exhibituros, salvo honore Dei, & Apostolicæ Sedis, & libertate Ecclesiæ, & honestate personæ nostræ, & possessionibus Ecclesiarum. Et si eis videretur aliquid adjiciendum his, aut demendum, aut immutandum, rogavimus ut dicerent nobis: quia in nostra voluntate erat illis obtemperare, quatenus conditionis & professionis nostræ necessitas pateretur. Dicentes autem se super hoc certum non habere consilium, nec venisse tunc ut nobis, sed ut nos consulerent, tentando, quæsierunt, ut verbis Domini Wilhelmi utamur, quia non sumus meliores, quam Patres nostri, an vellemus in præsentia eorum Regi promittere nos observaturos omnes consuetudines, quibus usi fuerant antecessores ejus temporibus decessorum nostrorum, & ita sopitis hinc inde querelis omnibus, si tamen hoc impetrare possent, quod facilè non credebant, recipere sedem nostram, & redire in gratiam ejus. Nos verò respondimus neminem decessorum ad hanc professionem ab aliquo Regum fuisse arctatum, neque nos Deo authore unquàm profitebimur observantiam illarum consuetudinum, quæ Ecclesiæ Dei perimunt libertatem, Sedis Apostolicæ convellunt Privilegium, & Legi Dei patenter adversantur, à quibus nos Senonis in eorum, & multorum præsentia per vestram misericordiam absolvistis. Adjecto, quod à memoria nostra Deo miserante non excidet verbum Apostolico ore dignum, quia ante deberemus cervices spiculatori feriendas exponere, quàm talibus pravitatibus consentire, & turpi commercio rerum temporalium, aut aviditate vivendi curam sic relinquere Pastoralem. Lectæ sunt in præsentia eorum reprobæ illæ consuetudines, quarum aliquas condemnaveramus, immò & antè nos ab initio cum observatoribus suis Catholica Ecclesia in multis Conciliis anathemate condemnavit. Quæsivimus ergo, an non modò eas observare, sed etiam dissimulare liceat Sacerdoti sine periculo Ordinis & salutis. Ad hæc adjecimus nos Regi fecisse fidelitatem salvo ordine nostro, & eam ei servabimus, ita quòd fidem Deo debitam irritam non faciamus. Intulit ergo unus, quem ab initio, ut scitis, habuimus, & debuimus habere suspectum, quòd meliùs esset nobis omninò cedere, quàm Ecclesiam sic vexari. Et circa hoc suasorii sermones multiplicati sunt, quos viva vox commodiùs referet. Retulimus itaque inferenti, quod ob hanc caussam non cedemus, quia & exemplo perniciosum esset, & proficeret in ruinam Ecclesiæ libertatis, & fortasse in Fidei Christianæ dispendium. Quis enim auderet mutire de cætero? Quis pastoribus simili modo cedentibus adscendet ex adverso, ut se murum opponat pro Domo Israel? Addidimus nec vos, nec Apostolicos viros Ecclesiam Dei talibus exemplis informasse. Nonne pastoribus fugientibus, sicut Historiarum fide celebre est, tota Ægyptus ad idolatriam redit, ubi ab initio maximè Religio vigebat? Hinc aliò progressi quæsierunt, an illorum vellemus



mus stare judicio super his, quæ vertuntur inter nos & Regem. Et quidem si refugeremus judicium, caussam Regis justificare videremur, & nostra fortasse apud plerosque læderetur opinio, cùm tamen illum, qui adversarius exstitit, non debeamus, si placet, habere judicem, nec alicubi ad hoc tuti esse possimus, nisi in præsentia vestra. Nostra siquidem & nostrorum proscriptione, & aliorum vexatione, & damnis sic Rex ille terruit & territat universos, ut nullus, eo sciente, audeat nostri meminisse in bonum. Habita omnium contemplatione sic temperavimus responsionem, ut nec diceremus nos detrectare judicium, nec tam discriminoso nos immergeremus litigio. Diximus enim nos & nostros sede, administratione, & bonis omnibus spoliatos, cùm ad omnia fuerimus restituti, libenter, ubi, & quandò debebimus, vestrum, aut cujus, aut quorum de mandato vestro oportuerit judicium subituros. Justitiam enim nec volumus nec possumus declinare. Interim nulla nos ad litigandum ratione compelli, nec paupertatem nostram ad hoc sufficere, nec liberalitatem serenissimi Regis sine molestia ad hoc posse protendi, ut nos & coexulantes pauperes Christi nummis suis, quibus ad præsens indiget, exibeat diu in domibus alienis. Nam ubi victualibus abundat, expensæ nostræ faciliùs tolerantur. Processerunt ad tertiam quæstionem scisciantes, an Episcoporum, qui appellaverant contra nos, litem sub eis judicibus vellemus excipere, sed respondimus nos vestrum super hoc non recepisse mandatum, nec inopiam nostram ad tantos sumptus, & lites esse idoneam. Hoc autem agebatur ab adversariis nostris, sicut didicimus ab his, quos res latere non poterat, ut sub quacumque occasione nostram possent in præsentia Legatorum notare personam, & sic quamcumque læsionem ingerere. Conjiciunt enim, quòd nullus provincialium nobis auderet assistere contra Regem, & sic viderentur nostram procurasse ruinam. Rex autem solos illos evocavit, qui nobis ab initio hujus turbinis adversantes, incentores tantæ malitiæ esse noscuntur, videlicet Eboracensem Archi-Episcopum, & Episcopos Londoniensem, & Cicestrensem, accito cum eis & Vigornensi, ut velamento ejus aliorum malitia pallietur. Cæterùm, sicut vestra potest meminisse discretio, isti, qui nunc Regis voluntati acclamant præ cæteris, & sicut publicè notum est, sitiunt sanguinem nostrum, litteris suis in petitione pallii nostri & electionis formam, & personam nostram multis laudum præconiis extulerunt. Nunc autem veritati contradicentes & sibi, se ipsos mentiendi & adulandi audacia contemptibiles reddiderunt, dum ad nutum Principis, velut servi comici, modò ajunt, modò negant. Hi sunt, Pater, qui dant cornua peccatori, & si non satis insanit, instigant illum, subjicientes pulvinar cubito, & caput vitiis languidum in cervicalis mollitie faciunt obdormire. Cùm itaque etiam illi, qui debebant esse columnæ Ecclesiæ, consilio, auxilio, auctoritate, obsequiis, & sumptibus contra eam & nos animent, & arment Divinæ Legis & parvitatis nostræ persecutores, non est nobis tutum aut possibile subire judicium, nisi in præsentia Sanctitatis vestræ, & sub vestro ipsius examine. Licèt enim de sinceritate alterius Legatorum sperare debeat Ecclesia, & nos de eo confidamus, præsertim in his quæ Dei sunt, tamen non est homo præter vos, cui hanc caussam Domini committere audeamus. Alterum verò Legatum talem faciat Deus, qualem saluti suæ esse expedit, & qualem esse decet Romanæ Ecclesiæ Presbyterum Cardinalem. Veremur autem, ne contingat, quod, si reminisci placet, prænovimus eventurum, si fortè prudentiam, eloquentiam, & authoritatem Domini Wilhelmi cum potestate & voluntate dura Regis Angliæ accideret convenire. Veremur, ne tales nobis formato consilio porrigantur petitiones, quarum nobis molestus sit auditus, effectus impossibilis, aut displicens Deo, & mundo odiosus. Et quia vobis omnium Ecclesiarum sollicitudo incumbit, circumferre, si placet, oculos, in Occidentem attendite, & videte qualiter ibi tractetur Ecclesia; indicet vobis Dominus Otto, quem spiritu Dei agi credimus, quid viderit & cognoverit de Ecclesia & Provincia Turonensium, quid de Anglicana audierit, quid expertus sit in Nortmannia, & credimus vos dicturos cum lachrymis: *Quia non est dolor, sicut dolor iste*. Ut enim de Cantuariensi & Turonensi Ecclesiis taceamus, quas tractat, ut audistis, & utinam pleniùs sciretis, septem Episcopatus vacantes, in Provincia nostra & Rothomagensi, jam à multo tempore tenet in manu sua, nec aliquos ibi patitur ordinari pastores. Clerus Regni datus est satellitibus suis in conculcationem & prædam. Si ista, Pater optime, dissimulamus, quid in die judicii respondebimus Christo? Quis Anti-Christo resistet venienti, si tantam patientiam vitiorum & criminum jam accommodamus præambulis ejus? Talibus enim dissimulationibus insolescunt potestates, Reges Gentium transeunt in tyrannos, ut Ecclesiæ nullum jus, nullum privilegium, nisi de eorum arbitrio censeant relinquendum. Sed beatus, qui tenet, & allidit parvulos ad petram. Nam si Judas ex mandato Legis non exterminat Chananæum, ei in hostem & stimulum perpetuò coalescit. Confortare, Pater, & esto robustus, plures nobiscum sunt, quàm cum illis. Contrivit Dominus malleum impiorum Fredericum, percussurus & alios in brevi, nisi resipiscant, & cum Ecclesia Dei pacem habeant. Et ut tandem faciamus finem, vestri oris dumtaxat expectamus judicium, aut illius qui spiritum principum auferre consuevit, & liberare pauperem à potente. Nunciorum vox plura supplebit, quæ scripto non credidimus committenda. Hoc certum habeat vestra serenitas, quia, si voluissemus à principio pravis consuetudinibus adquiescere, non esset alicujus Cardinalis, immò nec hominis alicujus necessarius interventus. Frustrà quoque nobis, authore Domino, Siculorum aut Hungarorum proponuntur exempla, quæ nos in die judicii minimè excusarent, si tyrannorum barbariem præferremus Apostolicis institutis, & sæcularium insolentiam potestatum crederemus potiùs formam esse vivendi, quàm testamentum æternum, confirmatum sanguine & morte Filii Dei. Ut igitur prædicta omnia fine lachrymabili concludam, attendat Sanctitas vestra, si iste debet esse fructus laboris, & operis, ac exilii nostri, ut judicemur nudi, miseri, privati omnibus bonis, ac subeamus caussarum angustias, eò quòd ausi sumus nos opponere ferocissimo oppressori Ecclesiæ in defensionem libertatis ipsius, qui exspectabamus

bamus in dies de desolatione nostra solatium, de exacta miseria gaudium, de injuria Christi dignam à Deo, & à vobis in oppressores Ecclesiæ ultionem. Nonne sufficere poterat his, qui quærunt animas nostras, quod quosdam morte affecerunt ex nostris; paupertas quoque & calamitas nostra, in qua vix agimus vitam, alienis eleemosynis viventes, nisi authoritate Legationis istius, quæ nunquàm fuisset, trahantur & protrahantur per annos & annos, à dolore in dolorem, à miseria in confusionem; jus etiam nostrum & justitia convertatur in ruinam nostram & miserorum nostrorum? Deus bone, quis erit hujus doloris finis? Exurge Deus, judica caussam tuam, vindica sanguinem servorum tuorum, qui nequiter extincti sunt, & aliorum, qui intolerabiliter afflicti deficiunt, cùm sit nemo, qui de manu inimicorum nostrorum præter Dominum Papam, & perpaucos secum, velit nos eripere. Vivat, & valeat Sanctitas vestra in tempora longa, ut vivamus & convalescamus nos, & miseri nostri.

## EPISTOLA XXXI.

*Joanni Pictavienſi Epiſcopo Joannes Sarisberienſis.*

REGNORUM collisiones, & terræ motus magni, imminentium periculorum exitus me calamum suspendere diutiùs coegerunt, & commodiora scribendi tempora expectare. Bellici namque tumultus æstate ferè tota ferventes, intermeandi facultatem litterarum portitoribus præcluserunt, & in Urbe Remensi orta seditio sic turbavit Provinciam, ut vix tutum fuerit ingredi aut egredi civitatem. Conspiraverant enim Cives de Clericorum consilio, & auxilio militum nitentes, contra Archi-Episcopum, qui novas quasdam, indebitas, & intolerabiles servitutes volebat imponere civitati, & Ecclesiarum turres & domos munitiores occupantes, officialibus & amicis Archi-Episcopi ejectis ab urbe, multas ei injurias intulerunt. Et primò quidem ei omnem humilitatem exhibuerant, parati duo millia librarum, sicut multi testantur, conferre in ærarium ejus, dummodò eos jure tractaret, & legibus vivere pateretur, quibus civitas continuè usa est à tempore Remigii Francorum Apostoli. Adierant etiam Christianissimum Regem, sed nec per eum rigorem Archi-Episcopi flectere potuerunt. Confugerunt itaque ad Comitem Henricum, & ex ejus consilio cesserunt Regi, quem Archi-Episcopus adduxerat, ut in brachio ejus contereret civitatem. Rex autem dolens, sed tamen Fratris satisfaciens voluntati, circiter quinquaginta domos dirui fecit, & recessit. Cives verò die tertia redierunt, & in ultionem dirutarum domuum, funditùs everterunt domos militum faventium Archi-Episcopo, vice Domini scilicet sui, & alterius, qui in urbe gesserat præfecturam. Unde motus Archi-Episcopus Comitis Flandrensis imploravit auxilium, eumque cum mille militibus adduxit Remos, ut Cives perirent in ore gladii, aut redimendi & torquendi conjicerentur in vincula. Sed illi præsentientes adventum Comitis, iteratò cesserunt, sic evacuantes urbem, ut Flandrenses inedia confecti vix unius diei & noctis moram potuerint sustinere. Et quia Archi-Episcopus in recessu eorum Cives ad propria redituros non dubitabat, per Comitem Robertum Fratrem suum, ignaris Flandrensibus, cum eis pacem fecit, acceptis quinquaginta libris in recompensatione damnorum, quæ ut multiplices injurias & contumelias taceam, in quadruplum excreverant, concedens ut de cætero legibus utantur antiquis. Sic itaque damnosam & ignominiosam cum Civibus faciens pacem, adhuc cum Clero exercet inimicitias, & se juri offerentes vexat Ecclesias. Hæc apud nos. Cæterùm ad partes vestras accepimus venisse Legatos, de quibus adhuc incertum est, quid nobis sperari oportet, quid timeri. Hoc autem certissimè constat, quòd Dominus Cantuariensis judicium Cardinalis ad vincula non subire disposuit, multis, ut puto, & justis suspicionibus motus, quia manifestus adversarius ejus hactenus exstitit. Sed an expediat adeò manifestè suspicionis ei causas exponere, non satis liquet. Nam Archi-Episcopus, ut audio, ei jam rescripsit contra meum & quorundam aliorum consilia, quòd se illius judicio non supponet, nec tenetur supponere, & plura congessit, quibus animum hominis exasperasse potest, cùm ego potiùs eum crederem verbis blandioribus demulcendum, & retinendum in amicitia, donec ipsum adversarium esse convincant opera ejus. Pacem verò, ad honorem Ecclesiæ Dei & suum, libenter recipiet per manus Legatorum, sed an ad colloquia eorum accessurus sit, nisi restituantur ablata, unde se & suos valeat exhibere, nondum habeo exploratum. Certò autem certius est, quòd nisi componatur per eos, nullam citra restitutionem ingredietur caussam, cùm illata sibi injuria & violentia lippis & tonsoribus nota sit. Sed nec aliquem suorum mittet, donec intermeantibus eundi & redeundi securitas procuretur. Et quoniam conditionis nostræ calculus in adventu eorum videtur aliquantulùm immutatus, precor attentiùs, ut mihi per Latorem præsentium rescribatis, qualiter ad indemnitatem conscientiæ & famæ me versari oporteat. Nam si de juramentis agitur, quæ Dominus Rex à nobis exigere consuevit, rogo Deum meum, ut ante mihi mortem misericorditer largiatur, quàm conscientiam & famam juramentis talibus maculare.

## EPISTOLA XXXII.

*Idem Magiſtro Lombardo.*

OBLIGATIONIS inter nos contractæ non immemor, quæ in Regum colloquio gesta sunt, quanta possum brevitate perstringo, & quem fructum ibi consecutus sit Dominus Cantuariensis, quem, ut nostis, demandato Regis Angliæ illuc Flandriæ traxerat Comes. Cùm ad loca destinata ad colloquia Reges accederent, Eudo Britonum Comes, & Rolandus Dinaniensis, multas & graves de Rege Angliæ apud Regem Christianissimum querelas deposuerunt. Sed Eudo specialiter deploravit, quòd filiam ejus virginem, quam illi pacis obsidem dederat, impregnavit ut proditor, ut adulter, ut incæstus. Rex enim & uxor Eudonis de duabus sororibus nati sunt. Pictavienses videlicet, Engolismenses, & Marchiæ Comes, & Vice-Comes Tuacensis, & Robertus Desilli, & Gaufredus de Liziniaco, & Hemericus de Rancone, & Abbas



& Abbas Carrosu exegerunt, ut eis resarcirentur damna, quæ Rex Angliæ & sui post treguam illis intulerant. Abbas enim Monasterium suum ad jus Regis Franciæ à tempore Caroli Magni, qui illud fundavit, pertinere dicebat. Post multas autem discrepationes hinc inde habitas, promisit Rex Angliæ se Pictaviensibus ablata redditurum, sed Monasterio nequaquàm, quia suum erat & Domini Papæ. Tandem tamen dixit se non pro jure Regis Francorum, sed pro amore Dei, & Comitis Flandriæ, & Domini Wilhelmi Cardinalis, Abbati restituturum, si quid de suo habuerat. Rex verò Francorum, cùm audisset ibi Cardinalem esse in consilio Regis Angliæ motus est dicens, se non meruisse ab Ecclesia Romana, ut Cardinalis, sicut semper hactenus fecerat, foveret hostes suos, & se non recepturum hac vice quidquam pro amore Comitis vel Cardinalis, sed pro jure suo, si Rex Angliæ vellet. Quod cùm ille refutasset, omninò submonuit eum Rex Franciæ per fidem qua se obligaverat, ut accederet ad fluvium, ubi ex dicto colloquium esse debuit, à quo per duos dies remotus manserat duarum spatio leucarum, sed ille non adquievit. Rex verò Francorum, cùm ferè usque ad vesperam exspectasset, transivit flumen, & ex altera parte residens lavit manus suas, & bibit coram omnibus protestatus se fidem pactionis implevisse, & sic dimisit Comitem Flandrensem, & alios proceres, exspectans ibi cum paucis usque ad crepusculum. Miserat autem ad alium Regem Nuncios, qui illum summonerent, ut satisfaceret de fide læsa. Quo audito ille detentis Nunciis secum, cum multitudine militum loricatorum & galeatorum armatus venit ad flumen, nec Nuncios permisit ut præcederent, & Regem præmonerent. Franci videntes hoc arma corripuerunt, sed nox non permisit ut convenirent, & sic Rex Angliæ reversus est. Prosecuti sunt eum Comites Robertus Frater Regis, & Stephanus Frater Comitis Henrici, quibus admodùm supplicavit, ut persuaderent Regi, ne ipsum compelleret confugere ad hostes Regni Franciæ, & multam in verbis prætendebat humilitatem. Die verò sequenti misit Carnotum Nuncios suos, ut Regem inclinarent ad pacem, aut Comitem Flandriæ summonerent per fidem, qua se obligaverat, ut veniret in deditionem Regis Angliæ, sed Rex Francorum se cum eo pacem habiturum negavit, antequàm eis satisfiat & Regno, de hoc quod armatus, & ferè de noctu sic in eum irruerat, nec tamen unum de Francia movere potetat de loco suo. Adjecit autem se paratum ostendere, vel in marchia, vel in Curia Comitis Flandriæ, quod & ipsum Comitem, & alios, qui intercesserant ex parte sua liberaverat ab obligatione. Nuncii verò Regis Angliæ ex adverso responderunt Regem suum ostensurum in Curia Imperatoris, vel Regum, Navariensis, aut Aragonensis scilicet, quibus Filias suas dare disponit, quod ipse fidem servaverat, & Comes Flandriæ, & alii intercessores Franciæ fidem læserant, & interim petebantur induciæ, sed non sunt exauditi. Sic autem ad propria singuli redierunt. Huic colloquio interfuerunt Britones, & Pictavi, & Nuncii Regis Scotiæ, & Regum Gualliæ, Regi Francorum auxilium promittentes, & Obsides offerentes, & recesserunt obligati, similiter & proceres Guasconiæ. Soluto Regum colloquio, ne latere posset, quomodò Rex Angliæ de Domino Papa, & Ecclesia Romana triumphaverat, & ut Dominus Cantuariensis fieret opprobrium hominum, abjectio plebis, & sui omnes, litteras Domini Papæ, quibus dedit ei impunitatem peccandi, transcribi fecit, & ad utriusque Regni Ecclesias, & personas destinari. Gloriatus est etiam se tales amicos habere in Curia, qui omnes conatus Archi-Episcopi Cantuariensis evacuabant, & ita seduli sunt in promovendis negotiis ejus, ut nec unam petitionem porrigere possit, vel aliquid impetrare, quod per amicos non mittatur ad ipsum. Scimus & nomina eorum, quorum consilio utitur, & qui nuper egerunt in Curia, ut caussa Dei, & pauperes Christi vili pretio venderentur. Neque enim fuit multitudo in commutationibus eorum. Nunquam fuissent illæ unciæ auri, quibus impulsi sunt ut caderent, quos Ecclesiæ Columnas oportuerat esse. Adeòque de triumpho suo elatus est Rex, ut in Domo sua taceri non possit, qui Cardinales de illo pestiferò & infami auro nihil acceperint, quive procuraverint quomodò dispensaretur, aliis plus, aliis minus, secundùm quod magis aut minus promeruerant ad justitiæ subversionem. Nuncius Domini Joannis Neapolitani, quod Regem Francorum non latuit, à Castris ejus, cùm essemus apud montem mirabilem, transivit ad Regem Angliæ, & quosdam alios Ecclesiæ persecutores. Viri Religiosi, qui stant cum Rege Angliæ, quandò audierunt præfatas litteras, doluerunt supra modum, & imprecati sunt Joanni Neapolitano, & Joanni Joannis & Pauli, qui dicebantur seduxisse Dominum Papam. Magister Gaufredus Pictaviensis, Clericus Domini Wilhelmi Cardinalis, non consensit consilio, & actibus Nunciorum Regis, quoniam exspectat & ipse Regnum Dei. Sed palam protestatus est, illos esse perjuros, & anathemate condemnatos, quia juraverant illud mandatum Domini Papæ secretum fore, eisque in virtute obedientiæ, & sub anathemate injuxerat Dominus Papa, ut celaretur. Illi verò, ut nos contemptibiles omnibus redderent, & subtraherent solatia amicorum, quasi de pace nostra desperantium, cum Rege suo triumphos suæ malitiæ præconantur, de confusione Ecclesiæ gloriantes. Utinam sint aures Cardinalium ad ora Francorum, quibus occasione verbi hujus in proverbium vertitur: *Quod Ecclesiæ Principes infideles sunt socii furum*. Permittunt enim & præstant authoritatem persecutoribus Ecclesiæ concutere, spoliare, & deprædari patrimonium Crucifixi ad nefarii lucri participationem. Utinam Christianissimum Regem audieritis & vos, quem timeo de cætero revocari non posse, quin ad preces Imperatoris inter liberos eorum Matrimonium contrahatur. Hoc enim procurat Comes Henricus, & sperat se voti compotem fore. De cætero nunc quæso appareat industria, & diligentia vestra, & Dominus Papa quod justi judicis est exequatur. Absolvat innocentem, qui sine exemplo ligatus est, & condemnet impium, qui se persequendi Ecclesiam toti mundo præbet exemplum. Agite etiam, ut Eboracensi Archi-Episcopo præcipiatur, quatenus Ecclesiæ Cantuariesi, quæ tot & tantis oppressionibus diu fracta est, obedientiam & subjectionem exhibeat.

## EPISTOLA XXXIII.

Alexandro Papæ Episcopi, & Clerus Angliæ.

*Patri suo & Domino, Summo Pontifici Alexandro Anglicana Ecclesia devotum & debitum charitatis & obedientiæ famulatum.*

SUBLIMITATI vestræ, Pater Reverende, venerande, gratias affectuosè referimus, quod ad petitionem Filii vestri devotissimi, Dominique nostri dilectissimi, illustris Anglorum Regis, Filios vestros charissimos, summeque vobis in ea, quæ ad præsens est, tempestate necessarios, ad ipsum curastis in longinqua transmittere: affectuque paterno eorundem laboribus, nostris parcere, & gravaminibus nostra piè gravamina sublevare. Habentes itaque mittenti gratias, missos honore debito, totaque cordium alacritate suscepimus, sperantes eorum adventu finem malis diu jam protractis imponi: & quæ turbata sunt apud nos in pacis pristinæ serenitatem cooperante sibi gratia reformari. Inde est quod eis, tanquàm judicibus ad hoc à Sanctitate vestra directis, nostram unà cum Domino nostro Rege præsentiam reverenter exhibuimus, optantes pariter & exspectantes omnia, quæ inter Dominum nostrum Regem & Dominum Cantuariensem, quæque inter ipsum vertuntur & nos, in eorum præsentia palam fieri, & juxta vestri formam mandati, diffinitiva eorum sententia plenissimè terminari. Ipsis in modum hunc reverentiam judiciariæ potestati debitam exhibentes adstitimus, & ecce sinistrò confusi Nuncio, à priùs concepta spe gaudii in desperationis foveam lapsi, audita satis nequimus admirari. Audito enim, & ipsa Legatorum vestrorum confessione recognito, eos ad judicandum causam hanc, ob quam venerant, potestatem omninò non habere, & quod à Sanctitate vestra Domino nostro Regi concessum, scriptoque firmatum fuerat, id non tenere, Dominus noster Rex ultra quàm dici possit, ira totus incanduit, in tantum quidem, ut ad solitam erga vos animi mansuetudinem vix eum nostra etiam in commune supplicatio revocare potuerit. Totum itaque, quod in adventu Legatorum vestrorum conceperamus, gaudii cœpit illicò tristitiæ nubilo superduci. Ad iram hanc fortiùs inflammandam incentiva præbebant ipsa Nobilium colloquia, id Domino Regi sæpiùs inculcantia, sibi Regnoque suo nulla jam adversùs Dominum Cantuariensem superesse subsidia, cùm appellatio Regni dudum ad vos facta jam expiraverit, & ei Legatorum vestrorum in nullo cura subvenerit. Hinc apud Regni Principes tanta exorta turbatio, ut nisi juxta datam vobis sapientiam pericula jam erumpentia providendo præcluseritis, Christi vestem scindi miserrimè de proximo doleatis. Totis enim studiis Dominus Cantuariensis desudat, ut Dominum nostrum Regem anathemate, Regnumque ejus interdicti pœna constringat. Potestatem, quam in ædificationem, & non destructionem Ecclesiæ suscepisse oportuerat, sic exercet in subditos, ut omnes in Regis odium, & totius Regni Nobilium tentet inducere, & eorum substantiis direptionem, cervicibus gladium, aut corporibus exilium intentè studeat procurare. Crebris litteris graves eis mandatorum imponit sarcinas, quas præsens ipse non digito movere voluit, nedum humeris sustinere. Ad mortem nos invitat, & sanguinis effusionem, cùm ipse mortem, quam nemo sibi dignabatur aut minabatur inferre, summo studio declinaverit, & suum sanguinem illibatum conservando ejus adhùc nec guttam effundi voluerit. Pro Christo quippè mori gloriosum est. In mortem verò imprudenter irrumpere, Christo scimus non placere. Libertatem prædicat Ecclesiæ, quam se Cantuariensi Ecclesiæ viribus intrudendo sibi constat ademisse. Regni consuetudines frequenter improperat, quas longè aliter, quàm se res habeat, suis scriptis vestræ Celsitudini manifestat. De cætero sanctorum Canonum authoritatem erga nos non observat, cùm appellantes ad vos post appellationem excommunicet, alios sine citatione aut commonitione suspendat. Notoria, quæ nec nota, nec veritate subnixa sunt, asserat. Et in hunc modum plurima, qua potest potestate, confundat. Ad hæc quadraginta marcarum millia, vel ampliùs, ut sui asserunt, bonæ suæ fidei commissa, Domino nostro Regi solvere, vel quod justum est exhibere detrectat. Et Regi suo negat & Domino, quod nec Ethnico denegare debuerat aut Publicano. Unde, ne ligent nos jam dicta gravamina, ne taciturnitate nostra, & indiscreta quadam conniventia permittamus id fieri, unde Dominum nostrum Regem, & Regnum ejus ipsum etiam, & sequentes populos à vestra contingat obedientia prorsus averti, adversùs suspectas nobis Domini Cantuariensis sententias, adversùs mandata ejus omnia, Domino nostro Regi & Regno ejus, personis nostris, & commissis nobis Ecclesiis, & Parochiis gravamen aliquod importantia, vestro nos per omnia committentes consilio, & protectioni subdentes, ad audientiam vestram appellavimus, & appellationi terminum, diem transitus Beati Martini constituimus.

## EPISTOLA XXXIV.

Alexander Papa Wilhelmo & Ottoni Cardinalibus.

*Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, Wilhelmo Sancti Petri ad vincula Presbytero, & Oddoni Sancti Nicolai in carcere Tulliano Diacono Cardinali, & Apostolicæ Sedis Legatis, salutem & Apostolicam Benedictionem.*

QUANTA universæ Dei Ecclesiæ, & præsertim Romanæ, & Orientali detrimenta, & incommoda ex discordia & dissensione, quæ inter charissimos in Christo filios nostros, illustres Francorum & Anglorum Reges per humani generis contingit inimicum, potuerint evenire, nostram decet discretionem advertere, & tantò diligentiùs ad ea existinguenda intendere, quanto exinde majora, quod Deus avertat, pericula formidamus. Quocirca discretionem vestram per Apostolica scripta monemus, mandamus, atque præcipimus, quatenus ad pacem inter eos, & concordiam reformandam modis omnibus per vos, & per alios Religiosos & discretos viros utriusque Regni intendere studeatis, & ad hoc tota diligentia, & totis viribus laboretis, vobis omnimodis præcaventes, ne ad petitionem, vel favorem unius aliquid statuatis, unde alter scandalizari debeat, aut quoquo modo turbari. Ad hæc vobis districtius prohibemus, ne uterque vestrum, vel alter Regnum Anglorum intrare, vel de negotiis ejusdem Regni tractare, & præsertim de consecrationibus Episcoporum aliquid unquàm efficere, vel ordinare præsumat, nisi priùs Venerabilis Frater noster Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus jam dicto Anglorum Regi ex integro reconcilietur. Quod per studium, & per operam vestram cooperante Domino ad effectum posse produci confidimus, & omninò speramus. Sicut enim ex litteris multorum discretorum Virorum accepimus, nihil est, unde præfatus Francorum Rex, & tota terra ipsius ampliùs commota fuerit, vel turbata, quàm ex his, quæ Joannes Saresberiensis Decanus à nobis rediens in partibus illis dicitur disseminasse. Datum Beneventi, undecima Kalendis Septembris.



## EPISTOLA XXXV.

Alexandro Papæ Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus.

*Amatissimo Domino, & Patri Sanctissimo Alexandro, Dei gratia Summo Pontifici, Thomas miseræ Cantuariensis Ecclesiæ humilis, ac miser, & miserabilis Exul, debitæ subjectionis famulatum, & per omnia de præcipuis Ecclesiæ inimicis triumphare.*

CELEBRE proverbium est: *Quòd redimi potest, sive temporis productione, sive aliàs, non timetur.* Est & aliud quippe celebrius: *Facilius est vitare discordem, quàm declinare fallacem.* Inde est, quòd Celsitudini vestræ notificamus, qualiter Dominus noster Rex Angliæ fallaciis, & falsis promissionibus suis, cùm videremur esse in januis pacis, sicut etiam ab omnibus suis sperabatur & credebatur, noviter nos decepit occasione quorundam Nunciorum suorum à majestate vestra redeuntium, qui jactabant & simulabant se obtinuisse à vobis, ad Regis petitionem & instantiam, Mandatum & authoritatem in depressionem Cantuariensis Ecclesiæ irreparabilem, & nostram, quod Deus avertat, & Coexulum nostrorum ruinam. Decepit utique nos hac vice, sicut & sæpiùs, nec solùm nos, sed & Viros Religiosos portantes nobis ex parte sua verba pacis, quæ sanctitati vestræ per Latorem præsentium intimanda commisimus, nec non Archi-Episcopum Rothomagensem, & Sagiensem Episcopum, mittentes nobis de conscientia, & voluntate ac mandato suo litteras, quarum transcriptum vobis transmittimus. Veruntamen quidquid de nobis fecerit, utinam Serenitatem vestram blandis & inanibus promissis vel hac vice non deluserit, sicut gloriatur pluries se fecisse, ut protractione temporis contingat inopinatè, quòd nunquàm videant ejus oculi aut audiant aures. Et quoniàm multoties opportunè, importunè prudentiam vestram sollicitavimus, multoties pulsavimus ad aures Serenitatis vestræ, ut authoritate Beati Petri huic tanto malo, tantæ persecutioni severitatis censura finem debitum imponeretis, nec adhuc, peccatis nostris exigentibus, exauditi sumus, ad salutem Anglicanæ Ecclesiæ, ad revelationem depressionis nostræ & nostrorum, quæ in dies adversùm nos ex patientia & exspectatione vestra, quæ utinam deluforiis promissionibus ulteriùs non fallatur, exercetur durior & acerbior, in tantum ut vix amodò spirare valeamus. Nec est nobis inter nostros quisquam, qui de cætero velit se huic periculo supponere, subjicere tanto discrimini, præsertim cùm multos de illis in hujus negotii prosecutione mors amara comprehenderit. Mittimus sanctitati vestræ latorem præsentium, qui intuitu libertatis & sola liberalitate sua suscepit negotium nostrum ad vos perferendum benignè, utinam efficaciter. Hunc petimus, si placet, sicut desideratis ab eo exaudiri in ultima necessitate vestra, qui dat salutem Regibus, qui aufert spiritum Principum, si cura est vobis de vita nostra, & salute, à benignitate vestra benignè recipi, & benigniùs exaudiri super his, quæ postulamus à Serenitate vestra per ipsum, qui effecti sumus proscripti & miseri, non ut securiùs vivamus & quietiùs, declinando tanti persecutoris importunitatem, sed ut vigeat Ecclesia Dei, & valeat temporibus nostris, posteris efficaciùs respirare in libertatem. Feliciter namque dura & gravia sustinentur ad tempus, ut feliciora succedant. Et quidem si de Rege nostro jam diu nobis fuisset creditum, jam pridem, sicut pro certo credimus, per Dei misericordiam obtinuisset Ecclesia, & vos de ipso victoriam, atque exemplo illius in cæteris principibus gloriam & honorem. Sors namque Tyrannorum hæc est, ut *qui terret, plus ipse timeat.*

## EPISTOLA XXXVI.

Joannes Saresberiensis Conventui Cantuariensis Ecclesiæ.

*Universitati Sanctorum, qui in prima Britanniarum Sede Sancta Cantuariensi Domino famulantur, eorum & Fratrum minimus & conservus salutem, & gratam Deo obedientiam victimis omnibus anteferre.*

UNDE, amantissimi Domini mei, & dulcissimi Fratres, exordiar? Unde spiritus tristis, & alieno consternatus errore verbi sumet initium? Quo miseræ, & præ dolore languentis animæ progredietur oratio? Poterat hactenus vestra, ut verbo temperatissimo & digno Dominis utar, excusari negligentia. Sed ecce, si quis vulgi sequatur opinionem, tepor in odium commutatus est, negligentia transiit in contemptum, charitatem mentita simulatio erupit in fraudem, & se manifestis rerum argumentis convicit esse perfidiam. Ita, inquam, si vulgi convalescit opinio: Sed quibus de cætero poterit allegationibus infirmari? Profectò quod in fraudem Dei præsumit sapientia carnis, semper in contrarium proposito pergit eventum. Et unde sperabantur compendia voluptatis, inde totius utilitatis oriuntur dispendia. Sic Judæi, ne locum perderent, nec Sacerdotum Principes gentis amitterent potestatem, Christo tetenderunt insidias, & corruentes in foveam, quam fecerunt, venientibus Romanis locum perdiderunt & gentem. Sic & vos, si tamen vera sunt quæ vulgus clamat, neque enim facilè crediderim, quod in tantam vigilantiam & sollicitudinem cœcitas tanta ceciderit,

derit, sic, inquam, misistis ad Regem, ut quod ad eum non pertinet, Priore mortuo vobis alium subrogaret. Quid aliud, quæso, fecit Israel absente Moyse, ab Aaron expetens ut Deos fabricaret, qui se præcederent in deserto secundùm morem gentium, & extorquens caput bovis pro numine, & pro majestate adorans Idolum. Sed sicut illud contritum est Moyse redeunte, ita & illud, quodcumque vobis datum fuerit, Idolum convalescente lege Domini, & ad Ecclesiam redeunte justitia, conteretur. Illud in pulverem comminutum sparsum est in liquorem, quem populus bibiturus erat, ut sic quod adoraverant egerere compellerentur. Et quisquis ille sit, carnis opus, non Dei, si tamen benè cum illo agitur, de capite vertetur in caudam, & erit abominatio timentium Deum. Nam si malè, non invenietur locus ejus in terra sanctorum, quam dignoscitur prophanasse. Sed quo pacto accidit, quòd primi inter omnes Ecclesias totius Regni Priorem à Principe credidistis esse petendum? Hac fortasè cautela, ne de cætero vendicare sibi quidpiam possit Archi-Episcopus in creatione Prioris. Non sic Fratres, non sic, quin potiùs verendum fuerat, ne jus amittatis antiquum, dum in prophanam pergitis abusionem, & privilegium demereamini proprium, cùm præripitis alienum. Utinam perniciei hujus non dedissetis exemplum, Beati Benedicti regulam deserentes, terga vertentes ad Legem, neglectis Constitutionibus, quibus Sancti Patres docuerunt Christianis esse vivendum. Quibus autem rationibus aboleri poterit celebris & vulgata opinio? Priore mortuo misistis ad Regem, de Archi-Episcopo nec mentio facta est inter vos. Prudenter utique, ut absolveret defuncti fratris animam Rex, ad quem jura Sacerdotii credunt, qui desipiunt, pertinere. Alioquin ratio non occurrit, quare curam animarum suscipiat aliquis de manu ejus, nedum vestrarum, qui meritò scientiæ, Religionis, & dignitatis, estis in capite Regni, prima Sede Britanniarum, à Domino constituti, quo tota possit Insula per vos illustrari, tam doctrinæ verbo, quàm sanctæ conversationis exemplo. Ille quoque sapiens & religiosus Frater, nominis etenim non recordor, inito consilio cum Principibus Sacerdotum, & aliis, quos de industria taceo, studiosissimè procuravit, ne vestra, si qua tamen est, possit innocentia per alicujus Amici diligentiam excusari, contra Archi-Episcopum nomine totius Conventus appellationem formans, & statuens eum adversarium Ecclesiæ, quasi vobis in aliquo nocuisset, aut constaret eum nocendi propositum concepisse. Usus est homo prudenti consilio, qui maluit vos habere Patrem & Dominum Adversarium, quàm Amicum. Multi, qui aderant, hominem deluserunt, & imprecationibus prosecuti sunt, ubi sentiebant tutam esse libertatem colloquendi, dicentes nil accidisse mirum, quia Monachi Cantuarienses hoc quasi hæreditarium habent, ut Archi-Episcopos suos odirent. Et, ut verbo faciam fidem, Anselmo, inquiunt, bis pro justitia exulanti, nihil unquam solatii dontulerunt, contempserunt Radulphum, oderunt Guilhelmum, Theobaldo tetenderunt insidias, & ecce nunc Thomam gratis insatiabiliter persequuntur. Quis Amicorum Ecclesiæ, nedum alumnus, hæc in compitis Ascalonis, & in triviis Geth sine dolore ab incircumcisis audiet deæantari? Quis fidelium Christi poterit lachrymas continere? Deus mihi testis est, quod fratrem illum, quisquis sit, in præsumptionis hujus insania consilio Conventus usum fuisse, non credo. Hoc tamen aliis facilè persuaderi non poterit, si ratum habueritis quod factum est, si in præsumptorem illum non animadvertistis castigatione crudeli, si consilio vel auxilio adstiteritis illis, qui quærunt animam Patris vestri, ut auferant eam. Alioquin videbimini mandasse, & consentire dicentibus: *Non habemus Regem nisi Cæsarem, crucifige, crucifige Pontificem*, qui stare ausus est pro Ecclesiæ libertate, qui legem Dei traditionibus humanis asserit præferendam. Nescitis, quid pariat ventura dies. Et ex litteris Domini Papæ conjicietis, in quanto periculo positi sint, quos Archi-Episcopus excommunicaverat, & universi participes eorum. Nec tuti sunt appellandi subterfugio, cùm Summus Pontifex appellationes excludat, & Legatis jam præceperit, ut eos, qui videbantur absoluti, reponant in anteriorem sententiam, nisi satisfecerint in continenti. Archi-Episcopus verò & Episcopum Londoniensem, & alios plures denunciavit Cardinalibus excommunicatos esse, causasque subjecit, quas enumerare longum est. Plura vobis interdum, & à pluribus scriberentur, nisi quia, quæ vobis Amici significant ad cautelam, vos velut inimici defertis ad Regem. Valete dilectissimi Fratres, & Domini, & operosiùs agite, ut Amici vestri, qui pauci sunt, proficere possint in excusatione innocentiæ vestræ.

## EPISTOLA XXXVII.

*Idem Magistro Nicolao.*

QUOD tibi rariùs scribam, ex variis causis est, quas referre non oportet: tum quia plures earum tibi notæ sunt, tum quia alias non expedit publicare. Nunc autem à scribendo nec manum nec animum potui cohibere, cùm in adventu Fratris mei didicerim, quod ex liberalitatis tuæ judicio ei innotuit, quem ad me & meos affectum habeas. Quantas itaque *possum* de humanitate illi per manum R.... de Lineseia exhibita, dilectioni tuæ gratias ago, quandoque, authore Domino, condignas acturus. Magni utique facio quod fecisti, sed eò majoris, quò fidem in omnibus juxta prophetiam Evangelii jam rariorem esse, perspicuum est. Præsertim cùm in ea ætate & gente editi simus, ubi sine dispendio fidei vix aliquis fidem facit fidei suæ. Certissimum namque argumentum fidei est contempta fides. Et qui Deo promissam fidem ad arbitrium mundanæ Potestatis non facit irritam, convincitur infidelis. Si mihi non credis, vel operibus habe fidem, quæ, ut ait Magister, quem denuò crucifigunt, perhibent moribus testimonium certius, & majus Joanne. Benè tamen agitur cum nostratibus, & mitiùs tractatur ibi Magister, si tamen vera est attestatio, quam in Appellatoriis suis dicunt, quas nuper ediderunt, Principes Sacerdotum, prædicantes, scribentes, & ad majorem authoritatem assertionis suæ sigillis pluribus patentem scripturam consignantes: Quia Dominus Rex *dulce putat obsequium cùm monetur, ut corrigat si quid deliquit in Deum*, ad formam justitiæ libentissimè satisfacturus. *Si*



*Si quid deliquit*, inquiunt, malorum inexperti, & quibus nondum certum est, eum contra Dominum in aliquo deliquisse, aut condigna satisfactione non purgasse delictum. Benè, inquam, cum eis agitur, si prædicationi & attestationi eorum veritas subest. Sed quid si pariter, quod Dominus Papa dicit, & Ecclesia Romana cognovit, in scripto, quod illùc transmissum est, mentiuntur? Non est de cætero, dilecte mi, quod querantur, quia hoc dulci, quod prædicant, correptionis obsequio à Rege, quod æquum & bonum fuerit, poterunt impetrare. Non est de cætero, quod eis quisquam compati debeat, qui tanta facilitate possunt procellam quamlibet in auram commutare. Sed nobis longè alia mens est, qui aliud experimur. Et utinam prædicatio eorum in nobis impleretur, & illis. Interim prælegimus rapinam bonorum sustinere in patientia, & exspectare qui auferat iniquitatem à Jacob, & impietatem ab Israel, quam cum his, qui convenerunt adversùs Dominum, & adversùs Ecclesiam ejus conspiraverunt, iniquitatis ponere portionem, & Divinæ Legi bonorum temporalium flosculos anteferre. Sed finis chartulæ sit, & verbi, ut ubicumque locorum sim, me noveris tuum esse.

## EPISTOLA XXXVIII.

*Engelberto Priori de Valle Sancti Petri Joannes Saresberiensis.*

CAUSAM exilii mei ex relatione Prioris de Monte Dei, & ex mea vobis notam esse arbitror. Ut tamen vobis liquidiùs constet, eam paucis expono. Domino Cantuariensi & Ecclesiæ, ut potui, adstiti, nec tamen, quod conscientia teste securè audeo profiteri, Dominum Regem Angliæ ex proposito injustè offendi. Ipse autem & me, & fratrem meum proscripsit bonis nostris, & ego exilium patior. Mihi verò nec opes, nec Amici, nec arma sunt, quibus tantum Principem valeam expugnare, aut quas de beneplacito suo mihi & meis infert, propulsare injurias. Unde ad vestrum & aliorum sanctorum patrocinium confugere necesse habeo, ut vestris intercessionibus flagellum istud ab Ecclesia sua, & nobis amoveat Dominus, aut convertat in usus salutis nostræ, neque nos patiatur in procella hujus turbinis aliquid committere contra ipsum, sed dirigat gressus nostros in beneplacito suo. Exspectabamus pacem, & ecce Ecclesiam jam gravior infestat turbatio. Tanta quidem, ut ad subveniendum inane videatur auxilium hominis. Ad pedes itaque sanctitatis vestræ, & Fratrum vestrorum, tota mentis devotione provolutus, affectuosiùs supplico, ut misereamini nostri, saltem vos Amici Dei, & Cantuariensis Ecclesiæ, & meum, & Fratris mei, & coexulantium nobis, vestris precibus sublevetis exilium. Jam enim desperamus ex humano auxilio. Hoc quoque attentiùs deprecor, ut pro Rege Angliæ intercedatis ad Dominum, quatenus eum Deus revocet ab hac pressura Ecclesiæ, & ut miserator Dominus, qui solus huic morbo mederi potest, persecutores Ecclesiæ suæ aut convertat, aut conterat.

## EPISTOLA XXXIX.

*Joannes de Saresberia Radulpho de Arundel.*

QUOD hactenus tibi non scripsi, ratio ex causa duplici, si tamen intueri placeat, in absoluto est. Primò, quod ignorabam, an Reverentiæ tuæ placeret parvitatis meæ scripta suscipere, qui proscriptus eram violentia publicæ Potestatis, & talis habebar à plerisque pro causa Domini, qualis ab hæreticis, schismaticis, & excommunicatis denominabar. Sunt enim homines temporalium amatores, quos non ætas discernit aut sexus, non titulus professionis, non gradus ordinis, non eminentia dignitatis, non fortunæ conditio, non naturæ ferè in omnia creata dominantis impulsus, non insigne habitus, aut qualitas vestis excipit, sed sola evidentia meritorum, qui adeò verentur potestates, ut nisi ab eis venia impetrata, nec cum ipsa salute audeant vel solius verbi habere commercium. Et quidem verbum Dei salutis commercium est, quod utique protestari non audent coram hominibus, sed impugnare præsumunt publicè confidenter. Deinde nec sciebam, etsi personam meam in eo, quod Ecclesiam Cantuariensem semper amavi, & ut multis constat, ei in multis patienter profui, à te, sicut ab aliis, quos promerueram, amari confiderem, quid de causa suscepta sentires, & an votis & favore velles assistere cum turbis & Principibus Sacerdotum, qui Christum Domini persequuntur, an exspectare nobiscum, Ecclesiæ Catholicæ Filiis dico, Regnum Dei. Ex quo autem mihi de sinceritate tua constitit, te per illos, quorum mihi fides in Domino fuerat explorata, non distuli salutare: Habere tecum, prout decreveris, verbi obsequiique commercium. Nam ab Apostolo didici: *Quia verbum Dei non est alligatum*. Certè nec charitas, quoniam fortis est ut mors: & sicubi non simulatoria, sed vera est, ab exhibitione officii coerceri non potest. Otii torporem nescit, & sui convincit veram esse substantiam, non verbo & lingua, sed opere & veritate. Et tua quidem, quam habes, ex eo perspicua est, quod ipsam operosè & efficaciter excusasti, ex contingentibus, quatenus causæ genus admittebat, nihil omittens. Sed vester ille Manerius, cui fortè congruum inde nomen, quod manè ruens in præcipitium tendit, datum est, nec apud nos, nec apud posteros habebitur excusatus, qui sylvis, & saltibus peragratis, summo surgens diluculo Curialium venaticam exercuit in Patrem & Dominum innocentem, cùm tamen pelle cervina nondum esset indutus, nec expositus ad prædam Divino nutu. In se Poeticum scommaticè poterat retorquere: *Actæon ego sum, Dominum cognoscite vestrum*. Et in venatores hujusmodi Evangelicam Lædoriam, quam in Judæos Christus intorsit: *Multa bona opera operatus sum vobis à Patre meo, propter quod eorum me vultis occidere?* Ille tamen Ecclesiam habet, & habebit amodò excusatam, si tamen rei exitus scripti sui fidem corroboraverit. Nam arbor cognoscitur ex fructu suo, & opera singulorum eis testimonium reddunt majus Joanne. Sunt tamen inter vos tenentes doctrinam Balaam, excommunicatorum complices, & adjutores erroris, quorum merito, quod Deus avertat, timen-

timendum est, ne tota Ecclesia labem contrahat & maculam famæ. Non enim, ut nosti, dicunt insidiatores: *Hoc fecit ille, vel ille*. Sed: *Hoc faciunt Cantuarienses, vel Monachus*. Qualis fabula est nunc in partibus cismarinis de prædicto Manerio, cujus nomen celebre est ex causa criminis, quod virtute non poterat promereri? Quod si ei falsò imponitur, non me, sed Cardinales accuset, qui de ipsius appellatione scripserunt.

## EPISTOLA XL.

Wilhelmo Suppriori Cantuariensi Joannes de Saresberia.

*Suo Britoni Amicorum suorum minimus salutem, & Dei gerere salubriter in futura præscriptum.*

AUDIENS tibi molestam mearum esse frequentiam litterarum, calamum diu suspendi, decreveramque me non ultra novorum relationibus tuam perturbare quietem. Sed cùm tam ex relatione Osberti mei, quàm ex attestatione latoris præsentium me falsa suggestione circumventum fuisse cognoverim, ecce muto propositum, scripturus de cætero cùm fuerit opportunum, ea tamen moderatione, ut ex frequentia scriptitandi nimia molestus esse non debeam. Neque enim me scribendi cachetes sic impatienter exagitat, ut calamum nequeam continere, sed ingeram invitis auribus, quod fastidiosus auditor de rimoso pectore justè suspicetur effusum. Tu verò, prout ex charitate prodeuntia scripta receperis, aut stylum refrenabis, intra quos moderationis limites voles, aut fidei & amicitiæ stimulis affectum diligentis etiam non amantis in verba coges erumpere. Nam ut tam vero quàm vulgato proverbio tritum est: *Probatio dilectionis, exhibitio est operis*. Sed vereor ne præsenti scripto mihi proveniat quod cavebam, scilicet ne vera dicens, Amicis aurium teneritudine laborantibus, eorundem jactura pericliter: *Nam quid opus teneras mordaci vodere ferro auriculas?* Dicam tamen quod debetur officio, etsi virtuti successum non tam fortuna præreptura sit, quàm rationem subvertens opinionis fallacia. Sæpè quidem monui, nec à memoria tua debuerat excidisse, ut operam dares & diligentiam, quatenus Ecclesia Cantuariensis, tum contemplatione Dei, tum propriæ honestatis intuitu, aliquam consolationem impenderet Patri, pro justitia & libertate Ecclesiæ exulanti. Me ventis verba dedisse, res indicat, & in contrarium eventum, si multorum assertioni credendum est, vota cesserunt. Quoties enim mandatum Domini Papæ ad Ecclesiam vestram dirigitur, quoties de utilitate Archi-Episcopi sermo est inter vos, statim ad excommunicatum illum, qui Ecclesiæ incubat, currit delatio, relatio destinatur ad Regem, Apostolicus accusatur, & sub prætextu publicæ Potestatis contrahitur impietatis occasio, & quasi necessitas delinquendi. Nonne, ob hanc causam relegatus est Radulphus de Arundel, quia in Capitulo, solis assistentibus Ecclesiæ Filiis uterinis, & quodammodo intimis visceribus cordis, Ecclesiæ Anglorum litteras Apostolicas ausus est præsentare? Liberi, inquit etiam gentium lex, parentes alant, aut vinciantur. Et hæc utique, sicut meliùs nosti, sanctione utriusque Testamenti firmatur. Unde colligitur, cùm Patrem habeatis egentem, quod ei debetis alimenta, aut vobis à Deo debentur vincula. Quis enim sani capitis homines credat, qui Patris pro tam sincera causa sine compassionis officio videant, immò, quod à multis dicitur, & rideant exilium, proscriptionem, & egestatem? Animus tamen ejus, quod multi mirantur, à vobis alienatus non est, sed per tela, & per ignes, & ultimæ vitæ discrimina vobis salutis, honoris, & gloriæ thesauros congerit, quibus, authore Deo, Britannorum Mater in Christo triumphabit in brevi gloriosa, plus quàm fuerit unquam in diebus antiquis. Numquid solus Radulphus fidelis erat Domino Papæ, & devotus Archi-Episcopo? Nunquid Provinciarum Princeps in Christi sui passione clamavit: *Non habemus Patrem animarum & Pastorem, nisi Cæsarem?* Ergo quæso, dilecte mi, dum tempus est, moram redime, & persuade Fratribus, qui futuri sunt socii consolationum, ut communicent Paternis angustiis, ne tandem pœniteat eos, & pudeat solos se per inhumanitatem excepisse à tribulatione communi, quæ est in Christo. Authore Deo navigamus in portu, & post tristia sabbatha felix irradiat dies. Lege rescripta quæ tibi mittuntur, attende verbis quæ nondum licitum est publicari, quorum aliqua non nisi tibi, & Oddoni soli, etiam sub assertione Religionis arctatis, communicare fas est. His auditis, consilio utere, nec suspiceris, quod mihi quidquam petam, qui gratias ago Deo, qui me sibi ferè soli in ratione dati & accepti voluit obligari. Valete.

## EPISTOLA XLI.

*Rex Angliæ cuidam Cardinali, vel cœtui Cardinalium.*

SUPER his, quæ Dominus Papa vobis significavit, scilicet quod ab amore & devotione Romanæ Ecclesiæ mentem & animum averteramus, in primis respondemus, quod prudentia vestra plenissimè cognovit, quàm sincero affectu Ecclesiam Romanam, & personam Domini Papæ semper dilexerimus, & quanta pro eo fecerimus, & sustinuerimus. Siquidem, ut cætera silentio præteremus, cùm de ipsius susceptione controversia haberetur, ipsum non tracti recepimus, sed ad eum recipiendum alios, licet invitos, traximus & compulimus. Nec nos animum nostrum à dilectionis elongavimus plenitudine, sed ipse, qui, ut vobis liquet, à retroactis temporibus nobis præter modum molestus exstitit, sicut operum in quamplurimis declaravit executio, & nunc maximè verbo & opere, scripto etiam nostram, quod summoperè Principum lædit animos, non desistit infamare personam, cùm scripto suo & verbo nos Ecclesiæ persecutorem nominet, & Gravatorem appellet. Attendat autem Dominus Papa, quàm paternè erga nos egerit, qui nobis significavit, quod summa Principum debet esse cautela & sollicitudo, famam suam conservare illæsam, nec Paternum circa nos gerere videtur affectum, qui famæ nostræ adeò opere & sermone derogat. Universitati utique vestræ constare volumus, quod quidquid honoris, celsitudinis, & potestatis habemus, Re-



Regnum etiam, & cætera, quæ nostro commissa regimini, singula à Domino & Creatore nostro nobis collata scimus & profitemur, & ipsi soli non quantas debemus, quoniam ad id non sufficimus, sed quas possumus, gratiarum referimus actiones. Et utinam Dominus Papa pro nobis Dominum deprecetur, ut Domino & Creatori nostro debitam exhibere possimus, & sciamus devotionem & reverentiam, & ut ipsi servire, & ipsum diligere, in tertia saltem qua debemus portione, valeamus. Sanè licèt, quantùm ex debito tenemur, ipsum diligere & venerari non possimus, affectum tamen & devotionem habemus ipsi in singulis deservire, in omnibus obsequi, in universis obedire. In integritate autem gratiæ, & dilectionis Domini Papæ libenter perseverare volumus, & affectamus, si nobis & Regno nostro eundem honorem, & honoris & dignitatis conservationem observaverit, quam sancti & honesti Romani Pontifices viris nobilibus & potentibus prædecessoribus nostris exhibuerunt. Veruntamen appellationes, quas proponit nos prohibuisse, & ne quis de Regno nostro Curiam Romanam visitaret, nos asserit inhibuisse, vestram nolumus latere prudentiam, quod appellationes nec visitationes aliquatenus impedivimus, quin eo modo, ea ratione, eo ordine fiant, quo temporibus prædecessorum nostrorum, Virorum illustrium, juxta Regni nostri consuetudines & dignitates solebant fieri. Et sicut antiquiores & prudentiores Regni nostri, tam Clerici, quàm Laici, recolunt & retractant. Quod verò confæderationis factæ cum excommunicatis nos arguit, in hoc non æstimamus nos Deum offendisse, nec obviasse rationi: quia sicut ex ore Domini Papæ accepimus, ipsum Dominum Fredericum Romanorum Imperatorem nunquàm pro excommunicato habuit, nec posteà ipsum excommunicatum fuisse alicujus relatione cognovimus. Verùm etsi filiam nostram filio Imperatoris in Matrimonio concesserimus, nec in minimo nos deliquisse credimus, sed id nobis licitum esse non dubitamus: quoniam, ut à simili sumamus exempla, id excellentissimo & potentissimo Regi Henrico Avo nostro licuisse recolimus, qui filiam suam Henrico bonæ memoriæ Romano Imperatori matrimonio copulavit. Nos etiam à prædecessoribus nostris sumpta ratione, communicato consilio prudentum, inter filium Imperatoris, & filiam nostram contrahi concessimus. Prætereà, quod nobis scripsit, ut Cantuariensem Archi-Episcopum, quem à Regno nostro nos asserit expulisse, in statum, à quo recessit, revocemus, & ad Sedem suam reducamus, evidentissimè novimus universitati vestræ liquidò constare, quod ipsum nunquàm expulimus, nec à Regno nostro exire coegimus. Sed ipse, suæ magis levitatis & pravitatis impulsu, quàm aliqua ratione ad hoc ipsum inducente, fugam arripuit, intentione & proposito adversùm nos malignandi, & nobis & famæ nostræ, quod nequaquàm, ut omnibus liquet, promeruerammus, malignè derogandi. Si autem idem Archi-Episcopus, sicut ex propria voluntate aufugit, eodem modo voluntariè reverti voluerit, & nobis fecerit, quod Domino & Principi facere debuit, nos eidem juxta Clericorum & Laicorum consilium, tam Regni nostri quàm Transmarinorum, quod debebimus exequemur. Verùm ipsum per nos revocandum non censemus, quem à Regno nostro exire non coegimus. Itaque si vobis constiterit nos in aliquo deliquisse, & excessisse, consilio Cleri & Baronum nostrorum juxta consuetudines, & dignitates, & celsitudines Regni nostri, quidquid debuerimus, animo libenti faciemus. Si verò aliquis jura, & consuetudines, & dignitates Regni nostri impedire attentaverit, seu diminuere, ipsum publicum hostem, & manifestum nominis nostri, & honoris, & Regni æstimabimus inimicum, & nos vita comite dignitatum & consuetudinum Regni nostri diminutionem nullatenus sustinebimus, quas illustres Viri Prædecessores nostri habuerunt, & tenuerunt temporibus sanctorum Romanorum Pontificum. De cætero, quod mandavit per vos nobis insinuandum, ne scilicet Ecclesias, vel personas Ecclesiasticas Regni & Terræ nostræ gravaremus, vel gravari permitteremus, Deus nobis testis est, & mera conscientia, quod id usque in hodiernum diem nec à nobis actum est, nec permissum.

## EPISTOLA XLII.

*Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Mathildis Imperatrix.*

MANDAVIT mihi Dominus Papa, & in remissionem peccatorum meorum injunxit, quatenus de pace & concordia, inter filium meum Regem & vos reformanda intromitterem, & vos ipsum eidem reconciliari satagerem. Inde etiam, sicut scitis, me requisistis. Unde majore affectione tam pro honore Dei, quàm pro honore Ecclesiæ rem istam incipere, & tractare curavi. Sed multùm grave videtur Regi, & Baronibus suis, atque consilio, sicut vos dilexit, & honoravit, atque Dominum totius Regni sui, & omnium terrarum suarum constituit, & in majorem tandem honorem, quem habebat in tota terra sua, vos sublimavit, ut de cætero vobis securiùs debeat credere, præcipuè cùm asserant, quod totum suum Regnum, quantum potuistis, adversùs eum turbastis, nec remansit in vobis, quin ad eum exhæredandum pro viribus intenderitis. Ea propter mitto vobis fidelem & familiarem nostrum Laurentium Archi-Diaconum, ut per eum sciam voluntatem vestram super his omnibus, & cujusmodi animum vos habetis erga filium meum, & qualiter vos continere volueritis, si contigerit, quòd petitionem meam, & precem de vobis ad plenum exaudire voluerit. Unum quoque vobis veraciter dico, quia nisi per humilitatem magnam, & moderationem evidentissimam, gratiam Regis recuperare non poteritis. Veruntamen quid super hoc facere volueritis, Nuncio proprio, & litteris vestris mihi significate.

## EPISTOLA XLIII.

*Alexander Papa Ludovico Regi Francorum.*

INTER cætera Magnificentiæ tuæ, & devotionis insignia, illud specialiter animum nostrum vehementer accendit, quod Venerabilem Fratrem nostrum Thomam Archi-Episcopum Cantuariensem, Virum siquidem Religiosum, discretum pariter & honestum, & nobis & Ecclesiæ Dei charum omnimodis

modis & acceptum, & tot tantis honoribus prævenisti, & ei tam ampla & tam magnifica humanitatis beneficia Regia munificentia dignata est largiùs erogare. Super quo utique Serenitati tuæ, quantas & quas possumus, gratias exhibemus, & Clementiam tuam exinde immensis in Domino laudibus commendamus, id Deo, cui hæc potiùs in persona illius fecisti, gratissimum, & ita nobis acceptum putantes, tanquàm si hoc personæ nostræ specialiter impendisses. Et quoniam ejusdem Archi-Episcopi pacem totis cordis affectibus exoptamus, dilectos Filios nostros, Wilhelmum sancti Petri ad Vincula presbyterum Cardinalem, & Oddonem sancti Nicolai in carcere Tulliano Diaconum Cardinalem, ad charissimum in Christo Filium nostrum Henricum illustrem Anglorum Regem duximus destinandos, ut inter eundem Regem & præfatum Archi-Episcopum ad utriusque honorem pariter & profectum, concordiam & pacem, Domino cooperante, reforment, & in ipsius Regis terra cismarina causas emergentes audiant & cognoscant, & ibidem Apostolicæ Sedis Legatione fungantur. Ea propter magnificentiam tuam per Apostolica scripta rogando monemus & exhortamur in Domino, quatenus pro Ecclesiæ Dei reverentia, & honore Beati Petri, & nostro, apud jam dictum Regem & Archi-Episcopum partes tuas efficaciter interponas, & studiosiùs elabores, quod ad honorem Dei, & Ecclesiæ, & sui etiam commodum & augmentum, amicabiliter inter se pacificèque conveniant, & ad hoc animos & voluntates suas, salva ipsius Archi-Episcopi & Ecclesiæ honestate, omnibus modis inclinent. Quod si per studium jam dictorum Cardinalium, laborem & operam tuam pax inter eos & concordia poterit reformari, Ecclesia, quæ tuo post Deum est specialiter adjutorio fulta, non modicum inde suscipit incrementum, & tu ab omnipotente Deo in illa felici retributione justorum speciale propter hoc præmium obtinebis. Si autem, quòd Deus avertat, convenire non possint, dummodo Regiæ voluntati sederet, & beneplacito tuo, nobis omnimodis complaceret, & gratum valdè existeret & acceptum, quod si absque gravi scandalo personarum Regni tui fieri posset, ut nos prænominatum Archi-Episcopum specialis honoris prærogativa inter cæteros donaremus, & sibi vices nostras committere in illis partibus exequendas. Unde Serenitatem tuam quanta possumus prece rogamus, ut si pacem, salva honestate sua & Ecclesiæ, quod omnimodis optaremus, habere non possit, nobis super his voluntatem tuam sub omni celeritate studeas intimare, & hoc interim habeas omninò secretum.

## EPISTOLA XLIV.

*Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Rotrodus Rothomagensis Archi-Episcopus.*

CUM in mente haberemus devotè pro parte vestra laborare, accessit desiderio nostro Mandàtum, & exhortatio Domini Papæ, qui Dominæ nostræ Imperatrici, & nobis mandavit, ut ad pacificandum vos Domino Regi operam diligentem adhiberemus. Unde ipsa & nos, prout meliùs novimus, & potuimus, scripsimus ei, prædicando, consulendo, admonendo ex parte Domini Papæ, & nostra. Ipse autem litteris, quibus rescripsit asserens vos non expulisse, nec exire coegisse, de vobis conquestus est hoc modo: *Liquidò cognoscitur, quod iniquè contra me, & Regnum meum egerit; quàm pomposus, quàm rebellis, & seditiosus adversùm me semper exstitit; & quàm nequissimè nomen meum & bonam opinionem infamare, & dignitates Regni, in quantum potuit, diminuere attentaverit.* Videte si super his idoneam excusationem habetis, & recogitate in qua humilitate & dilectione ei præsentare possitis.

## EPISTOLA XLV.

Alexandro Papæ Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus.

*Amantissimo Domino, & Patri sanctissimo Alexandro, Dei gratia sanctæ Romanæ Ecclesiæ Summo Pontifici, Thomas Cantuariensis Ecclesiæ Minister humilis, miser ac miserabilis exul, salutem, & inter omnia pericula firmam & veram obedientiam.*

MITTIMUS sanctitati vestræ latorem præsentium pro conditione, capacitate, ut credimus, fidelem. Eum, si placet, pro nobis, & de nobis benignè exaudiat clementia vestra, prout decet, & expedit miseriæ nostræ, quæ jam Amicis nostris desperatione facta est tædiosa, utinam non odibilis; vobis, unde magis dolemus, sicut plures judicant, dissimulatione manifesta non utinam contemptibilis; inimicis nostris etiam compassione miserabilis. Exurge, Domine, & noli tardare ampliùs. Illumina faciem tuam super nos, & fac nobiscum secundùm misericordiam tuam, & cum miseris nostris præ nimia pressura deficientibus, salva nos, quia perimus. Non confundamur inter homines, non insultent nobis adversarii nostri, immò Christi & Ecclesiæ, non fiat fortuna nostra in derisum Genti & populo, quia nomen tuum invocavimus super nos. Non nobis Domine, non nobis, sed in nomine Domini Jesu Christi, fac tibi grande nomen, repara gloriam tuam, revela famæ tuæ nomen, quæ in reversione illius excommunicati & perjuri schismatici, Joannem de Oxeneford loquor, falsa illius prædicatione in partibus Galliæ vehementer est depressa. Novit Deus, quia non mentior, & si mihi non creditur, quæratur ab his de Gallia, qui honorem vobis magis affectant, qui ampliùs optant Ecclesiæ proventum. Famæ, dico, quæ hactenus apud homines viguit inculpata, quæ inter omnia pericula servata est illæsa, quæ cæteris perditis sola intemerata remansit, quæ ubique locorum sana habebatur & celebris. Resumat itaque vires præceptoris authoritas, reformet nobile factum, priùs commendabile, sed malè posteà denigratum, ut sentiat garrulus ipse, se falsa sparsisse, prædicasse mendacia. Experiatur severitatem, qui remissionem demeruerat, perferat ultionem, qui abusus est benignitate, ut agnoscat mundus eum reperisse Christi Vicarium fundatum in firma Petra, non facilè mobilem, non baculum arundineum, sicut magni submurmurant, sed æquitatis & justitiæ observatorem, non acceptorem personarum, nemini parcentem in judicio, de juris æquitate fideliter, & æquè dispensantem Regi pariter ac privato, valeat sanctitas vestra, ut valeamus & nos, & miseri nostri.

EPI-



## EPISTOLA XLVI.

Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus omnibus Cardinalibus.

*Venerabilibus Dominis suis, & Patribus universis, Episcopis, presbyteris, Diaconibus sanctæ Romanæ Ecclesiæ Dei gratia Cardinalibus, Thomas eadem gratia Cantuariensis Ecclesiæ Minister humilis, miser ac miserabilis exul salutem, ac debitum per omnia famulatum.*

MISERO verba facere grata haud est facile, miserabili servare modum in dicendo, sanè difficile. Detur ergo, petimus, indulgentia misero, miserabili venia. Credimus vos, Patres sanctissimi, Divina inspirantia ad hoc in summo fastigio constitutos, ut removeatis injustitias, præsumptiones abscindatis, laborantibus in Sacerdotio benignè subveniatis, opprobriisque & calamitatibus eorum nullatenus locum exhibeatis, sed oppressis gravatisque feratis auxilium, calumniantes reprimatis duriùs, opprimentes gravissimè puniatis. Non enim perturbare perversos, non resistere persequentibus Ecclesiam, nihil aliud est quàm fovere. Consentire namque videtur occultè, qui manifesto facinori non obviat. Intelligimus indè non aliter vobis licere, quàm ut omnes conatus vestros huic causæ nostræ, quæ inter Regem nostrum & nos, immò inter vos & ipsum præcipuè versatur, in qua universalis salus infestatur Ecclesiæ, officiosissimè de cætero impendatis. Inieratis cum ipso certamen, erat vobis jam in limine victoria, si non Religionis vestræ circumvenisset authoritatem, sicut creditur à peritis, prædicatur à transeuntibus, affirmatur ab his, qui Regis intima noverunt arctiùs. Captiosa calliditas, falsa spes pacis, quæ potius extorquetur à Tyrannis præparatione certaminis, quàm Legationis licitatione. Præparatione enim pax obtinetur. Digna certè pœna huic miserationis vestræ viscera claudi, qui libertatem Ecclesiæ quærit exstinguere. Decet ergo vos esse vacuos ab omni offensa, ab aliena gratia penitus liberos, si rectè tractatis aliena negotia, si loquimini veritatem in populo; si diligitis, qui facitis judicium in gente. Dominus enim dicit: *Diligite Justitiam, qui judicatis terram.* Ipsa utique ubique diligenda, ubique observanda. Sola enim ipsa operatur pacem, & conservat. Unde Isaias: *Erit opus justitiæ pax.* Et David in psalmo: *Justitia & pax osculatæ sunt.* Amant enim se hæc duo eatenus, ut qui facit justitiam, pacem inveniat, nec aliter. Sic ergo agite, sic observate justitiam, quibus judicandi potestas credita est, ut cùm venerit justus Judex, reddens unicuique juxta merita sua, pro benè observata justitia digna vos mercede remuneret. Quid plura? Hæc in summa reduco vobis ad memoriam: quoniam serius parva scintilla fuit in Alexandria, sed quia dissimulante justitia non est oppressa, ejus totum Orbem ferè flamma populata est. Et ut veniamus ad rem, dicite, Patres sanctissimi, qua conscientia dissimulatis injuriam Christo illatam in me, immò certè in vobis, qui Christi vicem gerere debetis in terra? Nonne causa mea simul vestra est, immò penitùs vestra? An simulatis vos ignorare, quod Rex Anglorum occupavit, & singulis diebus occupat possessiones Ecclesiasticas, libertatem Ecclesiæ subvertit, extendit manus suas in Christos Domini, passim & sine delectu in Clericos, alios incarcerando, alios truncando, aliis eruendo oculos, cogendo alios ad duellum, alios ad examinationem ignis vel aquæ, Episcopos etiam non servare Metropolitano suo obedientiam, minores Clericos Prælatis suis non obedire, non habere se excommunicatos, cùm ritè fuerint excommunicati: immò, quod deteriùs est, omnimodam tollit Ecclesiæ libertatem, adinstar grandis illius schismatici oppressoris vestri, qui quærit funditus eviscerare Ecclesiam. Si hæc fiunt impunè à Rege nostro, quid fiet ab ejus Hæredibus? Quid sustinebitur à successoribus vestris? Attendite, quoniam crescunt mala, crescunt occasiones & ingenia malorum. Deus bone, facietne ista impunè? Non hac via Christus incessit, non Apostoli, quorum imitatores esse debetis, & nos vobiscum. Quare receditis à viis Domini, in quo est vobis fiducia? Verendum est, ne, quòd absit, contritio & infelicitas sit in viis vestris, ne viam salutis non agnoveritis, quòd non sit timor Domini in vestris oculis. Quis eripiet vos de manu tribulantis? Quis liberabit vos de belluæ faucibus, quæ jam in januis est, ut vos absorbeat omnes, si non Deus ipse? Certè non argentum, non aurum, non humana gratia, non favor Principum. Nolite ergo, nolite confidere in Principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus: maledictus enim qui confidit in homine, qui ponit carnem brachium suum. Facite, Domini mei, facite aliis, quod vobis desideratis à Christo fieri, ut evadatis periculum, quod est è vicino. Eadem enim mensura remetietur vobis, qua ipsi mensi fueritis. An nescitis, quoniam argentum vestrum projicietur foras, aurum vestrum erit in sterquilinium, argentum & aurum non poterit vos liberare in die furoris Domini. Nolite ergo, nolite thesaurizare vobis iram in die iræ, sed thesaurizate vobis in cœlo, resistendo oppressoribus, subveniendo oppressis. Alioquin judicet inter vos & me, & coexules meos, orphanos, viduas, infantes in cunabulis, cæterosque omnes clericos & laicos Deus ipse, apud quem non personarum acceptio: requirat ipse sanguinem mortuorum meorum de manibus vestris, vindicet simulationem istam, qui sedet in excelso justus judex, considerans dissimulationes vestras & injustitias, redditurus unicuique vestrum, prout gesserit mecum, sivè bonum, sivè malum. Exposuistis quippe nos, equidem immeritos, signum ad sagittam, ut nec jacula jaculantis, undique in nos pressi, valeamus elidere, nec evadere possimus, nisi in potenti manu Dei, jacientium sagittas. Fecistis opprobrium omni transeunti, subsannationem vicinis nostris, derisum his, qui in circuitu nostro sunt: utinam non vos ipsos. Deus bone, quis erit de cætero vigor in membris, si capitis ipsius robur emarcuerit? Jam certè clamitatur in plateis, prædicatur per civitates & vicos, quia non fit justitia Romæ de Potentibus. Ut quid sepitis vias nostras spinis? Cur objicitis nobis offensionis lapidem? Quid tollitis nobis omnem nostram authoritatem, ne vindicemus injuriam Christi, ne redimamus damna dierum nostrorum, quibus ne-

mo succurrit, ne compensemus Ecclesiæ jacturam, prout nunc possumus, Ecclesiastica saltem censura, ne silentio convalescat impunitas, sed prodeat in lucem tantæ concussionis authoritas, tam affectatæ præsumptionis ultio in vita, ut appareat tempore postero, tam enormia, tam detestabilia, nullatenus impunè, sed merito attentata fuisse. Certum tenete, exspectatio ista plurimum habet periculi, salutis nihil. Alias curandus est is morbus, si non per dissimulationem nostram vultis infici Reges universæ Terræ. Dulcis enim est omni Tyranno amara servitus Ecclesiæ, nec tolli facilis, si non sit ei citissimè ipsa sua dulcedo amara severitate justitiæ. Eò jam perventum est, ut sequatur Rex noster etiam Siculos, immò certè precedat. Curritur undique à Clericis Angliæ ad suam Curiam, fiunt Curiales Capellani, sub obtentu isto adstringuntur jurisjurandi necessitate, ut vel sic in terra sua liberiùs obtineat de cetero, quod hoc tempore de voluntate sua pro jure constituit. Itur cursim in dispendium Ecclesiæ non reparabile, cùm sit nemo, qui currenti non cedat, qui redarguat delinquentem efficaciter, qui puniat ejus viriliter accessum. Quid erit nobis & vobis ulterius in terra illa, si celeriùs non occurratur huic tanto periculo, si non retundatur arctiùs hujus tam enormis novitatis periculosa præsumptio, vos ipsi judicetis. Disposueram certè animam meam in hac parte liberare, viriliter subvenire periculo, si non hujus facti me, sicut credimus, immeritò æstimassetis indignum. Indulgeat Deus hoc facientibus. Erat mihi quippe cum ipso facilior accessus, si quòd absit, sine vobis Ecclesiæ discrimina dissimulare curassem. Verùm quidquid mecum egeritis, quidquid agatis, per misericordiam Dei nihil fit à me sine vobis, nihil in præjudicium Ecclesiæ, si vita comes mihi succurrit. Hanc viam elegi, hanc Christo Duce non mutabo sententiam, hæc est enim mihi via salubris. Hæc vobis scribo, non ad indignationem aliquam, novit Deus, qui scrutator est cordium, sed ad cautelam, ne veniat super vos dies Domini, sicut fur, dies ultionis, qui nemini parcit. Credite ergo mihi fideli vestro per omnia, dilectissimi Domini resumite vires, accingimini gladio verbi Dei potentissimi, exerite gladium Beati Petri, injuriam Christi vindicate & suorum, nulli parcat oculus vester, facite judicium & justitiam sine dilatione omni patienti injuriam. Hæc est via Regia, hæc est via, quæ ducit ad vitam. Hac vobis incedendum est, ut sequamini vestigia Christi, vestigia Apostolorum, quorum estis vicarii. Non simulatione, non ingenio regenda est Ecclesia, sed justitia & veritate, quæ se observantem liberat ab omni periculo. Hoc facite, & habebitis pro certo Deum adjutorem, nec timeatis de cætero quid faciat mihi homo. Benè valete, ut bene sit nobis, & toti Ecclesiæ.

## EPISTOLA XLVII.

Alexandro Papæ Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus.

*Amantissimo Domino, & Patri Sanctissimo Alexandro Dei gratia summo Pontifici, Thomas Cantuariensis Ecclesiæ humilis Minister, miser ac miserabilis exul, cum suis exulibus salutem & omne bonum.*

MITTIMUS sanctitati vestræ latores præsentium fideles nostros, duos videlicet de miseris & coexulibus nostris, quos tamen ad præsens possumus, & sicut possumus, ut per eos audiatis & intelligatis certiori & miserabili relatione, quæ circa nos noviter acta sunt his diebus. Miseriarum etiam nostrarum & nostrorum angustias, quæ quidem immanes sunt. Et suscipiamus à sanctitate vestra, si placet, celeriter debitam & diu dilatam oppressionis Ecclesiæ & nostræ liberationem. Dolorum etiam nostrorum per manum misericordiæ vestræ levamen, ne immaniter & multipliciter depressi deficiamus in tribulatione, quæ non fuit à diebus dolorum districtior. Protracti enim sumus. Jam diu est, sicut novit excellentia vestra, trahimur, etiam & protrahimur, non minus crudeliter quàm unquàm, per tempus & tempora in miseria & dolore, ut vel sic infra longi temporis metas afflictione deficiat anima nostra, exstinguamur attriti, deficiamus penitùs exacti miseriarum angustiis, exspiret interim authoritas vestra, quòd absit, quæ per Dei misericordiam contra iniquorum desiderium, contra malignantium fraudem relevatura est miseriam nostram & aliorum, antequàm finiatur. Inclina igitur, Domine, aurem tuam, & audi; aperi oculos tuos, & vide, si fuit iniquitas sicut ista; attende diligentiùs, si est dolor, sicut dolor noster & nostrorum, qui dati sumus in direptionem, nisi subitò subveniat nobis per manum vestram Dei misericordia. Facti sumus in subsannationem & derisum his, qui in circuitu nostro sunt, authoritate Legatorum vestrorum, qui utinam non magis enormiter quàm præsumptuosè egissent circa nos & Ecclesiæ negotia. Si enim hæc facta sunt nobis ab ipsis in viridi, quid fiet in arido, si duratura est ista legatio, quæ nunquàm fuisset? Suspenderunt ipsi nos, quantùm in eis est, ab omni authoritate, quàm habebamus in Ecclesiis Angliæ & personis, quòd nunquàm gratia Dei & vestra ad alicujus Principis vel alterius instantiam factum est à vobis, nec fiet per Dei misericordiam, sicut ex certa promissione indulsit nobis vestra sublimitas. Ut quid, Domine, tribuisti Legationem homini, de cujus introitu attendisse debuerat Dominus meus, ut salva pace ejus loquar, quis deberet esse futurus legationis hujus fructus, pensasse etiam ejusdem exitum, cujus anima tota effusa fuit ab initio, & est in ruinam Ecclesiasticæ dignitatis, & vestram, ut vel sic fiat Principi gratus? Domine, Domine ad te sunt oculi nostri ne pereamus. Adjuva nos Domine, & fac nobiscum secundùm promissiones tuas, quæ utinam non in vanum lætificaverint animas nostras. Sustinuimus enim ad vestræ Celsitudinis Mandatum. Sustinuimus, inquam, pacem, & non venit. Exspectavimus per manum opera legatorum vestrorum bonum, & ecce major



major afflictio, turbatio ferventior. Miserere ergo nostri, Domine, miserere nostri, cùm sit nemo post Deum, qui pugnet pro nobis, nisi tu solus cum fidelibus tuis. Miserere, inquam, nostri ut misereatur vestri Deus in districto examine, cùm redditurus fueris rationem villicationis vestræ. Non est enim ad quem habemus refugium post Deum, nisi ad te, cùm etiam ipsi opponant se nobis favore hominum, qui intuitu pietatis & justitiæ, ob reverentiam etiam sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ, nobiscum stare debuerant, & pugnare pro nobis. Exhaustis siquidem sumptibus & vexationibus innumeris, non est nobis certè de cetero quo prosequamur vexationum istarum vel minimam. Succurrat itaque nobis & Ecclesiæ nostræ, si placet, celeriter tua sublimitas, & imponat finem huic malitiæ, ne protrahatur ulteriùs, quoniam tempus est. Vix enim est, ut etiam præ nimiis angustiis spirare valeamus: accelera ergo ut sentiamus gratiæ tuæ beneficium, antequàm moriamur. Valeat & vivat in tempora longa dilecta nobis & super omnia post Dei amorem necessaria tua sancta Benignitas, ut tua munificentia incipiamus & nos reviviscere, qui jam incepimus mori. Præterea noscat discretio vestra, quod tribus diebus, antequàm supervenirent nobis mala ista, exierant Nuncii à nobis cum litteris nostris, quibus nunciabamus sanctitati vestræ, qualiter à Legatis vestris discesseramus. Scribebat enim vobis Rex Francorum Christianissimus & Regina, & quidam de Principibus & Episcopis Regni sui, quidamque minores Amici vestri, lætantes & glorificantes Deum, gratiasque Deo & vobis agentes, eòquod manifestum erat ex adventu Legatorum vestrorum, sicut id ipsi Domino Regi ore ad os insinuaverant, falsa esse ac mendacissima, quæ Joannes ille Orator de Oxeneford, & alii Nuncii Regis prædicaverant de gravamine & dejectione nostra futura per Legatos. Unde scandalum ineffabile ortum erat in toto Regno Francorum, & apud omnes, ad quos rumor ille pervenerat, præterquàm apud adversarios Ecclesiæ & nostros. Sed versa est cithara ista in luctum, & lætitia ista in mærorem, factusque est error iste pejor priore. Petimus itaque, ut placeat sanctitati vestræ supervenienti morbo celerem adhibere medicinam, quatenus fiat omnibus in manifesto, sicut rei veritas se habet, citra conscientiam vestram & Mandatum ista fuisse præsumpta. Valeat iterùm sanctitas vestra & in æternum.

## EPISTOLA XLVIII.

*Joannes Saresberiensis Petro Scriptori.*

RARITAS intermeantium nobis subtrahit mutua solatia litterarum, & chaos, quod inter nos, meritis nostris exigentibus, à Domino firmatum est, securum intermeantibus denegat commeatum. Sed licet subtrahatur opportunitas colloquendi, non præpeditur mutuæ dilectionis affectio, sed amantium more, quo magis succensos animos vexat metus & manus corripientium, eò cumulatius & ardentius charitas suscipit incrementum. Si te ergo & alios Amicos videre non licet, si mutuis deservire obsequiis non permittimur, amare certè licet votis, & orationibus adjuvare. Charitas ergo, ut dictum est, cohiberi non potest: quia *ubi Spiritus Domini, ibi est libertas*, non licet Ecclesiasticam tenere & defendere libertatem, certè proclamare licet, & protestari Mandata Legis Divinæ; licèt pro verbo Dei, quod in carne suscepta se pro nobis morti exposuit; exponere non modò facultates & perituram supellectilem hujus Mundi, sed & animas nostras. Ille autem bonarum mentium Spiritus institutor in hac nobis affectione perseverantiam largiatur, qui ipsius affectionis contulit voluntatem. Et quidem spes est reformandæ pacis interveniente opera & diligentia Cardinalium, qui ad hoc missi sunt, nisi fortè hoc pacem differat, quod Dominus Cantuariensis nullis conditionibus adquiescet, nisi Ecclesia Anglorum debita gaudeat libertate. Quod autem dico, *Debita*, non ad alicujus Henrici tempora referatur, sed ad verbi Dei legitimas sanctiones, quia ex professione Henricianus esse non debet, sed Christianus. Sed fortè objicies, si ita statuit, quarè fugit? Quarè tot & tantis periculis exposuit Ecclesiam, pro qua animam Sacerdotibus ponendam esse prænoverat? Si leges Principum, & avitas Regni consuetudines Divinis sanctionibus non præferre decrevit, quarè apud Clarendunam in reprobarum consuetudinum verba juravit, quæ Divinis Legis & sanctorum Patrum constitutionibus penitùs adversantur? Quare se non ingerit, ut in conspectu Regum & Principum Legem Dei loquatur intrepidus? Hæc enim omnia gentes inquirunt. Fugæ quidem habet authorem Christum, ac Apostolum ejus, qui dimissus in sporta persequentium manus evasit, sciens à facie personam, non causam persequentis ab una civitate fugiendum esse in aliam. Videbat enim Reges & Principes convenisse adversùs Dominum & adversus Christum ejus. Confugit enim ad Romanum Pontificem, quem appellaverat, ut ejus præsidio validiùs opitularetur Ecclesiæ naufraganti, quam in Anglia, ut dicitur, Principes Sacerdotum maximè summergebant. Hoc autem non fuit Ecclesiam exponere, sed liberationi ejus operam dare, nisi fortè & ille tibi navem relinquere videatur, qui ut eam ad portum pertrahat, scapham ingreditur. Pollicitationem Clarendunæ, ad quam de consilio Episcoporum impulsus est, purgare non possum: quia non fuerat utique facienda, sed offensam confessio diluit accepta solemniter pœnitentia à summo Pontifice, qui perversas illas consuetudines multis audientibus authoritate Apostolica condemnavit. Si se non ingerit quærentibus animam ejus, cum via pateat commodior & salubrior, rectè facit, Prophetarum & Apostolorum fretus exemplo, cum David, Helias, Petrus, & Paulus hoc idem fecisse legantur. Est enim tentare Deum, se ipsum certis & manifestis objectare periculis, cum in Domino pateat opportunitas evadendi. Deus autem, qui jam incepit Ecclesiam suam in capite consolari, per misericordiam suam consolidabit & membra: & qui Theutonicum Tyrannum schismaticorum Principum coegit ab Urbe recedere confusum, ipse Dominum Regem Anglorum gratia sua reducet & deducet in viam rectam, ut de cætero Consiliariis malis non adquiescat. Et si Astrologis creditur, quos tamen ego non multùm audire dignor, annus iste ex forma constellationis dicitur esse mirabilis, & in eo Regum consilia mutabuntur, & in Orbe crebrescent bel-

la, fervebit terra seditionibus, deprimentur Mercuriales, sed tamen in fine anni relevabuntur. Ego tamen hæc summè vana puto, licet pro parte verum dixisse videantur. Obierunt enim Consiliarii Imperatoris, Reginaldus Coloniensis Archi-Episcopus & Moguntinus, intrusus Leodiensis, & capti Spirensis Episcopus & plures schismatici Principes. Bella & seditiones ubique fervent: Mercuriales adeò depressi sunt, ut Francia, omnium mitissima & civilissima, alienigenas scholares abegerit. Est & relevationis argumentum, quod seditio Remensis pacificata est, & Urbis soluta obsidio. Hanc enim sibi germanitatem, ut ajunt, hæ duæ exhibent civitates, ut eisdem subjaceant fatis, & simul patientes gaudeant simul.

## EPISTOLA XLIX.

*R..... Abbati Persorensi Joannes Saresberiensis.*

QUI Amicis nec in salutis voto communicat, procul est à charitate, & non amare convincitur, qui oblata opportunitate colloquii amatorem sui nec in salutationis recreat verbo. Nam nec illis verba deesse solent, qui lingua diligunt & simulatione dumtaxat; qui fidei munus & charitatis officium, nec affectione retinent, nec exercent opere & veritate. Memor ergo contractæ inter nos amicitiæ, latori præsentium natale solum invisere satagenti dedi in Mandatis, quatenus vos salutaret nomine meo, & de statu vestro, quem Deus optimum faciat, diligenter inquireret, ut audita per eum forma conditionis vestræ possim, ut justum est, Amici pressuris, quas Pater misericordiarum à domo vestra arceat, compati, vel successibus, quos multiplicari & perpetuari desidero, congaudere. Vos etiam de statu meo & coexulantium, si tamen cura hæc quempiam sollicitat veterum Amicorum, per eundem certiorari poteritis, &, Deo authore, veraciter audire prospera de præsenti, & sperare nobiscum in brevi de futuro prosperrima. Nisi enim pactiones, quæ de libertate Ecclesiæ, & restitutione, & pace, & securitate Cantuariensis Archi-Episcopi & suorum, cum Domino Papa initæ sunt, & firmatæ cautionibus, quas ad præsens exprimi non oportet, fideliter impleantur, per gratiam Dei citissimè confundentur & erubescent, qui oderunt Sion, & suam cum Scribis & Pharisęis fraudulenta verborum astutia nituntur justificare malitiam. Nam ex verbis Nunciorum Domini Regis, qui non coaraverunt in Curia, liquidò deprehensum est, qua sinceritate agatur in Ecclesia Dei, & quod, qui videbantur columnæ esse, corrupti sunt peponibus & alliis Ægyptiorum. Malunt servire, & Ecclesiam fatigari in luto & latere, quàm itinere trium dierum in veram prodire libertatem, & abominationes Ægypti Domino immolare. Precor autem attentiùs, quatenus mei memoriam habeatis in orationibus vestris, & peregrinationem nostram sanctorum, qui vobiscum sunt, orationibus commenderis.

## EPISTOLA L.

*Alberto Cardinali Joannes Saresberiensis.*

VERITATEM libenter audit Amicus veritatis, & salus illius desperanda est, cui gratior est fraudulentæ adulationis illecebra, quàm duri salubris asperitas. Unde & vobis, quem Amatorem veritatis esse non dubito, audentiùs scribo, ratus non displiciturum, quod Ecclesiæ noveritis profuturum. Scio enim in vestro desiderio esse, si cœlitùs datum fuerit illius imitari vestigia, qui pro liberatione ejus posuit animam suam. Hæc in potestate Regis Anglorum colliditur, & tanta premitur servitute, ut etiam mentionem fecisse libertatis, læsæ majestatis videantur esse reatus. Collegerunt item Pontifices, & nostri temporis Pharisęi in adventu Joannis illius insignis juratoris Concilium, & in eo consilium inierunt, quomodò perderent Christum Domini, excommunicatos impœnitentes absolverent, evacuarent Divinæ Legis & Canonum sanctiones, & sine crimine committerent & tuerentur inobedientiæ crimen. Sentit hoc Cantuariensis Archi-Episcopus & Coexules sui, qui bonis omnibus proscripti sunt, quia mutire audent pro libertate Ecclesiæ. Sperabatur in adventu Cardinalium aliqua consolatio, sed ecce eò magis crudescunt cornua Tyrannorum, quod vident palpari illum, & non remorderi, qui fecit & facit omnia hæc. De altero tamen Legatorum meritò confidit Ecclesia, qui creditur agi Spiritu Dei. Et utinam alter Potentatui & gratiæ Regis, quam appetiit hactenus, præferat veritatem. Quod si fecerit, nec confirmationem, nec tolerantiam aut dissimulationem consuetudinum Regis ab aliquo Episcoporum exiget, quæ Lege Dei patenter adversantur, Sedis Apostolicæ privilegium dissipant, & omne jus & authoritatem eorum, quæ gerenda sunt in Ecclesia Dei, in Principis conferunt voluntatem. Si Pastorale Officium non nisi ad nutum Principis liceat exercere, procul dubio nec crimina punientur, nec Tyrannorum arguetur immanitas, nec re ipsa diù stabit Ecclesia. Ego, quisquis ille sit, qui in tantarum pravitatum usurpatione silere & dissimulare consulit Sacerdotes, Hæreticum esse non dubito, & præambulum Anti-Christi, si non personaliter Anti-Christus. *Clama*, inquit Spiritus Sanctus per prophetam, *ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia Populo meo scelera eorum*. Et Apostolus, in quo loquitur Christus, *Argue*, inquit, *obsecra, increpa*. Et omnem punire inobedientiam promptus, ipsi Angelo, qui in cœlis est, anathema denunciat, si se erigat contra Christum, & doceat contra Evangelii veritatem. Et audet homuncio menere & consulere Sacerdoti, ut taceat & dissimulet injuriam Christi, mala faciens, ut proveniant bona. Nonne pereuntis impii sanguis de manu Sacerdotis obmutescentis sic exquiritur, ut & ipse pro silentio moriatur? Moyses manus non demisisse, sed erexisse describitur, ut Amalech sterneretur. Arca Dei non legitur captivata, nisi quando perversa mansuetudine Patris Sacerdos arguens filios uti maluit, quàm severitate & authoritate Pontificis. Achab etsi reprobus fuerit, præ quibusdam Sacerdotibus nostræ ætatis Divinæ Legis habuit zelum. Nam qui aurum, argentum, variam supellectilem, liberos & uxores Regi Syriæ in commercium pacis exposuerat, domorum scrutinia non concessit, ut Divinę Legis servaret libros, quos Rex inimicus præ cæteris omnibus cupiebat auferre. Unde & legis zelus à Deo authore ipsi Achab consolationem retulit & triumphum. Petrus solidas invenit aquas ambulans in fidei fundamento, mergi tamen cœpit, ex quo imminentis auræ timuit flatum. Sed quid ad Patrum exempla decurritur? Nonne Dominus Papa, cujus vitam, ad pauperum consolationem, optimam & diuturnam faciat Deus, zelo justitiæ, quem semper habuit, meruisse credendus est, ut hostis fidei Fredericus contritus sit à facie ejus, & ira Dei castra ejus exterminarit, qui jam videbatur de Urbe & Orbe, universali Ecclesia triumphasse? In quo tamen magis, ut indubitanter credo, adjuti estis precibus pauperum Christi, quàm vestrorum consiliis aut viribus Romanorum. Audenter quoque dixerim, quod vos suo miraculo citra humanum consilium de faucibus Leonis eripuit, ut de cætero semper tantam habeatis in Deo Fundatore Ecclesiæ, & Custode, & eodem vestro liberatore fiduciam, quòd nec adversantium minis, nec blandientium fraudibus recedatis à via recta, aut contra legem credatis de lege dispensandum. Nam qui Fredericum dejecit coram vobis, profectò & alios Tyrannos, si institeritis Mandatis ejus, subjiciet vobis, aut omninò dejiciet. Dignetur ergo sanctitas vestra, apud quam non est personarum acceptio, Dominum illum, qui Anglicanam conculcat Ecclesiam, Domino Papæ & Fratribus vestris veritatis verba & virtutis ingerendo reprimere: quia si Ecclesia Romana voluerit, & de Domino non diffidat, eum facilè perdomabit. Sed quidem non istorum ministerio Legatorum, nisi alia via incesserint, cùm Rex ille de altero eorum præsumat plurimùm, quem petivit ex nomine. Nec tutum esse ducunt multi sapientes & Religiosi, in tali loco & tanto discrimine sub eodem Judice causam Ecclesiæ ventilari, qui Papiæ inter Cognatos, Amicos, & notos præsens, & silens ad minus, nam alii aliud suspicantur, audivit & vidit Ecclesiæ Romanæ, cujus membrum est, tantum fieri præjudicium, & causam Dei publicè condemnari. Non enim creditur aut fide sincerior, aut charitate ferventior, aut virtute constantior novam ex alto fortitudinem induisse, ut non possit muneribus aut metu flecti, aut gratia hominis, qui eo patrono semper usus est in causa ista. Jam verò vicisset Ecclesia, nisi auxilio & consilio ejus jurator ille Decanus prævaluisset. Et utinam nunquàm fuisset annulus ille, quem in signum confusionis Ecclesiæ & sui triumphi videntibus cunctis ostentat. Utinam Papa peccatum alienum, suum nequaquàm fecisset, & intrusum, quem ad gloriam Dei justè dejecerat, ipse qua cunctis præeminet authoritate non intrusisset; nec illum fecisset custodem animarum, qui & Ecclesiæ persecutor exstitit, & adhuc non nisi carnem sapit.



## EPISTOLA LI.

*Idem Joanni Pictaviensi Episcopo.*

PARITUM est consilio vestro pro viribus. Missum est ad Dominum Papam cum litteris Christianissimi Regis, & Optimatum Francorum. Cardinalium nomen viluit apud Francos, eò quod Balaamitæ, quatenus licuit, inventi sunt, & digni qui cum suis Madianitis corruant gladio Moysi. Vivificant enim animas, quæ non vivunt, & Moabitarum captantes munera, populum Dei maledicto & infamia conantur involvere. Nec veriti sunt mentiri in litteris, quas contra Archi-Episcopum miserunt Domino Papæ, sicut multis innotuit, qui interfuerunt colloquio eorum & memorati Cantuariensis, audientes & planè intelligentes factam eis ab Archi-Episcopo responsionem, quam tamen isti Balaamitæ perversa interpretatione toxicare conati sunt, & insinuationum fallacia meram subvertere veritatem. Juraverat enim Christianissimus Rex, quòd præfatus Cantuariensis non modò non fuit incentor discordiæ Regum, sed conciliator concordiæ, & quantùm licuit, pacis adjutor, & cooperator eorum, qui eam plurimùm exquirebant. Debuerant credidisse juranti, nisi quia de suis moribus alios metientes, nec Deo nec hominibus habent fidem, ubi dolosi spes refulserit nummi. Et quidem de altero nemo miratur, cujus fides ad Deum & Ecclesiam ab ea die innotuisse debuit, qua in Hæreticorum Concilio Papiensi, ubi Octavianus Hæresiarcha receptus est, Frederico mutus assedit, etsi plures opinentur expressum dedisse consensum. Nonne proverbialiter tritum est, *Quòd taciturnitas imitatur concessionem?* Sed tuebitur se Regula juris, etsi Divini juris contemptor sit: *Quia qui tacet, non utique consentit, sed tamen verum est non negare*. Et ita gloriosæ vocis munimine & festivo eloquio suam apud homines plerosque perfidiam palliabit. Cæterùm Francorum proverbio in ipsum luditur: *Quia malè corpori operimenta coaptat, cui verecunda & nates patent*. Ottonis autem fama videbatur hilarior, ideòque multi mirantur, & compatiuntur ei, quòd tam facilè recessit à via Domini. Nec satis sufficerent admirari, nisi quia celebre: quia à convictu mores formantur. *Et qui tangit picem, inquinatur ab ea. Uvaque conspecta livorem ducit ab uva*. Cætera posita sunt in ore latoris præsentium, eritque diligentiæ vestræ rescribere, quoties fuerit opportunum, quòd crediderit expedire. Expedit autem nosse studia & consilia Balaamitarum, & quid Moabitæ contra Ecclesiam moliantur, & si quis est, qui manum porrigat Israeli. Hoc autem certissimum sit, quod Cantuariensis Archi-Episcopus nullam dedit dissidio causam inter Regem Anglorum & Comitem Flandrensem, quòd per gratiam Dei in brevi plurimis innotescet.

## EPISTOLA LII.

*Joannes de Saresberia VVilhelmo Suppriori Cantiæ.*

ASSERIS, ut ex litteris, quas magistro Radulpho misisti, conjicio, quòd reprehensio mea vel declamatio facilè poterit confutari: quia fa-

factum, quod arguebam, non eo, quo expositum fuerat, processit modo. Et utinam ego potiùs erraverim in facto exponendo, quàm Ecclesia in committendo. Sitis igitur probabiliter excusati, dum tamen innocentia de meritis operum, quam de persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis potiùs elucescat. Interim vos Archi-Episcopus habebit excusatos, nisi vos accusent opera vestra. Scio enim, quantùm licet homini de homine judicare, quod universitatis vestræ profectum diligit & honorem: & affectione majori singulos amplecteretur, nisi essent & aliqui inter vos, qui Serenitatem ejus pravis suggestionibus adversùs alios incitarent. Utuntur enim adhuc ministerio quorundam nugatorum, quibus interdùm patet accessus, ut auribus ejus possint venena suæ vel alienæ malitiæ instillare. Ipse tamen frequentissimè contemnit talia, etsi interdùm, sed ad horam, non possit non moveri. Parcat illis Deus, & ad studia dirigat meliora. Quia ergo te, quod ex invidia provenire non dubito, præ cæteris infectantur, custodi innocentiam tuam, & in his quæ vice Prioris egeris, palàm operare, ut Fratrum tuorum testimonio contra æmulos tua sinceritas convalescat. Nunc autem tibi de novo imputatur, quòd Ecclesiam quandam donari feceris, & charta Ecclesiæ confirmari cuidam excommunicato, Nepoti scilicet Ranulphi de Brock, quem nullus ambigit anathemate condemnatum. Et scias, quod Dominus Wilhelmus Cardinalis mihi confessus est, se non præcepisse, ut aliquis excommunicatorum nostrorum absolveretur, nisi ante dimissis possessionibus Ecclesiarum, & juramento secundùm morem Ecclesiæ præstito de restituendis ablatis, & condigna satisfactione exhibenda. Dicunt etiam, qui detrahunt tibi, quod defuncti Prioris thesauros occupasti, & ordinem plus justo & solito resolvi permittis. In his tamen omnibus nondùm est aversus animus Archi-Episcopi à te, exspectans operum testimonium. Partes tuas & Ecclesiæ, quantùm Deus donaverit, tuebor, ut proprias; immò, sicut inspector cordium novit, majorem his operam dedi, & dare paratus sum. Hoc ab eo impetrare non potui, ut Episcopo Roffensi, vel alii de officio suo quidquàm committat: sed & si quis se immiscuerit, non feret patienter. Vale post Oddonem, & saluta Amicos nostros, memor mihi utiliter epistolarum Hieronymi.

## EPISTOLA LIII.

*Guilielmo & Oddoni Prioribus Cantuariensis Ecclesiæ Joannes de Saresberia.*

MEMINISSE potest & debet vestra discretio, quanta reverentia sit Patribus exhibenda, & quantam humanitatem sancta Cantuariensis Ecclesia Archi-Episcopis suis impenderit. Licèt autem illum, qui modò præsidet vobis, non audeam suis decessoribus coæquare, qui in Ecclesia vestra coruscant miraculis, tamen causa, quam iste tuetur, inferiorem esse non arbitror. Eadem enim est, cùm utrobique pro libertate & salute Ecclesiæ certatum sit. Spero autem in Domino, quoniam & Ecclesia Romana multis indiciis dat ausum confidendi, hanc Patri vestri peregrinationem & laborem convalescere ad restaurationem Cantuariensis Ecclesiæ, & integram reformationem dignitatum & privilegiorum, quibus Beato Lanfranco præsidente gaudebat. Sed hoc in auribus vestris dictum sit. Unde & vos decet pro viribus, immò & ferè supra vires, opem ferre patris naufragio, & eum beneficii promereri, ut cùm, Deo authore, obtinuerit, vestri possit & debeat meminisse in bono. Nonne enim indecens est & probrosum, si Episcopo pro justitia exulanti alieni subveniunt, & necessitatibus ejus filii, quibus honorem & gloriam thesaurizat, communicare noluerint? Nonne ei in Capitulo omnia, & etiam sanctorum Capsas obtulistis, ut hæc vobis adquireret? Ergo, quia ob hanc causam Romanæ Ecclesiæ tenetur in aliquantula pecunia, supplicat ipse, & ego fidelis vester consulo, quatenus ei in hac necessitate subveniatis, ne Dominum Papam beneficii pœniteat, & vos pudeat & pigeat inhumanitatis vestræ in perpetuum. Animent vos extraneorum exempla, qui propriis usibus & necessitatibus subtrahunt, etiam labore manuum exquisita, quæ exulibus vestris impertiunt.

## EPISTOLA LIV.

Alexandro Papæ Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus.

*Amantissimo Patri, & Domino Alexandro, Dei gratia Summo Pontifici, Thomas Cantuariensis Ecclesiæ Minister humilis, miser ac solito miserabilior exul, salutem & debitam in omnibus, etiam in adversis, obedientiam.*

REMITTIMUS sanctitati vestræ latorem præsentium, qui fideliùs & diligentiùs negotii sui miseriam & qualiter cum ipso & cum fratribus suis occasione litterarum vestrarum in Regno Angliæ actum sit, vobis exponet: ad quorum relevamen, nisi citiùs per manum vestram Divina subvenerit clementia, subversa est penitùs illius ordinis conditio. Sentiant ergo ipse & fratres sui, si placet, sibi preces nostras profuisse, quorum injusta vexatio apud sanctitatem vestram dignè facit eos exaudibiliores. Et utinam Dominus meus altiùs attendat, ac firmiùs opponat animo, in quantam & in quam irrevocabilem confusionem Anglicana nuper venerit Ecclesia in omni ordinis genere, qui in eodem Regno habitat, ex inaudita & illa miserabili indulgentia, quam gloriatur, quorundam Amicorum suorum de Curia interventu, qui utinam magis essent Amici Dei & Ecclesiæ, quàm sui, magis affectarent Divina gaudere gratia, quàm favore Principum, Regis nostri, utinam non persecutoris Ecclesiæ, extorsisse industria. Quæ etsi creditur à vobis de facili posse revocari in irritum, ut statu impetrati gaudere non valeat, residet tamen apud ipsum & successores suos obtenti beneficii origo, cujus impetrandi sibi perpetuò ac successoribus suis nacta opportunitate concepit audaciam, qui nec ausus sperare esset aliqua sui vel Amicorum suorum arte debitam pro excessibus suis contra se & complices suos evadere posse sententiam. Verùm unum est, quod nos miserabiliter consolatur, ut salva pace vestra dixerim: quia sic novit Ecclesia Romana beare Amicos suos & fideles. Melius tamen consoletur eam Deus, quàm sibi providerit, & Ecclesiæ Anglicanæ ac nobis, ac miseris nostris in parte ista. Scio quidem, unde magis doleo: quia numquam ævi senio crimen obruitur, nunquàm scelus oblivione repellitur, verùm exempla fiunt, quæ facinora esse destiterunt. Valeat & vigeat sanctitas vestra, & citiùs, si placet, dignetur miseriam nostram sublevare, ut saltem vivere valeamus, qui utcumque vivendo perimus. Novit Deus, quod immeritò.



## EPISTOLA LV.

*Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Memfredo Cardinali.*

GRATIAS agimus Deo, qui vos ad consolationem Ecclesiæ suæ eripuit de ore Leonis, & de manu bestiæ liberavit, & de omni exspectatione Cremensis Hæresiarchæ, & Frederici, & totius Plebeculæ schismaticorum. Sensimus, ut ex animi nostri sententia loquamur, absentiæ vestræ damna, qui ad petitionem Regis Angliæ, nostro non præcedente merito, suspensi sumus, die restitutionis nostræ, ut jactitat, collata in arbitrium ejus. Domine mi, si fuissetis hic, vigor Ecclesiasticus, ut spes est, non ita mortuus esset aut languidus, nec illi Regi, nec complicibus suis, Satellitibus Sathanæ, collata authoritas in Ecclesiam interim debacchandi. Sed nunc certum est, quod his pervertitatibus toto conatu, quoniam timetis Dominum, & diligitis decorem Domus ejus, studebitis obviare. Placeat itaque dilectioni vestræ impetrare à Domino Papa, ut suspensionem solvat, aut terminum coarctet, scribens Regi Francorum & Ecclesiæ Gallicanæ patentibus litteris, quod nisi Rex Anglorum juxta commonitionem suam & comminationem nobis pacem, & ablata cum Ecclesiæ libertate restituat, exinde nos in eum & terram suam officii nostri potestate uti concedat, & sententiam, quam in malefactores Ecclesiæ & nostros tulerimus, ratam habendam esse decernat, & præcipiat ab omnibus terræ suæ Episcopis inviolabiliter observari, donec satisfacere compellantur. Præterea precamur attentiùs, ut Ecclesiæ Cantuariensi in miseriæ suæ solatium impetretis plenam reformationem Primatus sui, ut præcipiatur Archi-Episcopo & Ecclesiæ Eboracensi, ut nobis obedientiam tanquam Primati suo exhibeant. Cùm enim ejusdem Primatus per vos confirmationem obtinuerimus, honor erit vobis & gloria, si plenum robur obtineat confirmatio à vobis impetrata. Ut autem charitas vestra aliquod habeat tribulationis nostræ solatium, noveritis, quod Christianissimus Rex fortunam nostram reputat suam.

## EPISTOLA LVI.

*Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Richardo Electo Syracusano.*

MULTAM nobis consolationem dilectionis vestræ litteræ attulerunt, quæ vestræ, quam plurimùm exoptamus, salutis indices, eloquii venustatem, fidei sinceritatem, prudentiæ gratiam referebant, & quod his omnibus majus est, singuli apices fervore suo ad amorem Dei & honestatis cultum, non modò tepentem, sed & frigescentem poterant inflammare. Ex illis autem patenter innotuit, quod nec fortunæ temeritas, nec distantia locorum, nec temporis tractus exinanire potuit, immò nec infirmare, quam nec aquæ multæ prævalent exstinguere, charitatem. Preces enim, & illas affectuosas, porrexistis pro nobis Amico vestro Domino Wilhelmo Papiensi: & utinam non in cassum. Sed ille, si posset licitum libito coæquare, nobis esset clavus in oculo, & sagitta in latere, mortificans animas, quæ non moriuntur, & vivificans illas, quæ rejecerunt & projecerunt vitam. Parcat illi Deus & Consortibus suis, ne in extremo examine noster & coexulum nostrorum, immò & Ecclesiæ sanguis de manibus eorum requiratur, eò quod dederint cornua peccatoribus, & quantum in eis est, profanandam gentibus, & conculcandam exposuerunt legem. Sed quid ista revolvimus, nisi ut Ecclesiæ compatiamini, & nobis apud Deum & Ecclesiam Romanam, si fortè fuerit opportunum, præbeatis orationum suffragia? Facit contra eos testimonium majus Joanne, quia opera quæ faciunt, testimonium perhibent de eis. Ecclesia quidem liberabitur, & nos, quamdiu placuerit Deo, libenter exilii naufragium patiemur, dispersi in omnem ventum cum miseris nostris, quorum unus est lator præsentium G..... sororis nostræ Filius, quem ubi auxilio vestro eguerit, tantò vobis securiùs commendamus, quantò de vestra dilectione magis confidimus, agentes Deo gratias, quod nos tanti fecit, ut pro eo totus sanguis noster & nostrorum exquiratur ad pœnam.

## EPISTOLA LVII.

*Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Bernardo Pertuensi Episcopo.*

CONSOLATIONIS vestræ verba animo gaudente recepimus, sed ab adverso receptis in continenti litteris, quas Rex Angliæ in læsionem nostram, & Apostolicæ Sedis confusionem facit in utriusque Regni comitis & conventibus publicari, versa est in luctum cithara nostra, & gaudium transiit in mærorem. Nam benefactoribus nostris onerosi reddimur & tædiosi, ex quo in desperationem pacis nostræ missi sunt, audito quod persecutor Ecclesiæ & noster, qui nos spoliis nostris impugnat contra justitiam Dei, prævaluit in comminationibus suis, & vanitate, & malitia multa. Viderit Deus, & judicet inter me & ipsum, & alios quorum patrocinio usus est, ut possit licitum libito coæquare, & in Ecclesiam Dei impunè debacchari, nemine reclamante. Si Dei voluntas est, ut in exilio pro libertate Ecclesiæ moriamur, odoretur sacrificium, quia decrevimus mori potiùs, quàm ad qualecumque mundi pretium distrahere Ecclesiæ libertatem. Absit enim à nobis, ut Regi impio vendamus hæreditatem Patrum nostrorum, quam legem Dei esse scriptura sacra docet in Spiritu. Verùm quia sanctæ Cantuariensis Ecclesiæ, quæ nunc ferè destructa est, à multis diebus patrocinium impendistis, supplicamus sanctitati vestræ, quatenus ei nunc, velut in extremis agenti,

agenti, celerem feratis opem. Ut Dominus Papa suspensionem, quam nobis inflixit, solvat, aut terminum coarctet, scribens etiam Regi Francorum & Ecclesiæ Gallicanæ patentibus litteris, quod nisi Rex Anglorum juxta commonitionem & comminationem suam nobis pacem & ablata cum Ecclesiæ libertate restituat, exinde nos in eum & terram suam officii nostri potestate uti concedat, & sententiam, quam in malefactores Ecclesiæ & nostros tulerimus, ratam habendam esse decernat, & præcipiat ab omnibus terræ suæ, & Episcopis inviolabiliter observari, donec satisfacere compellantur. Præterea precamur attentiùs, ut Ecclesiæ Cantuariensi in miseriæ suæ solatium impetretis plenam reformationem primatus sui, & ut præcipiatur Archi-Episcopo & Ecclesiæ Eboracensi, ut nobis obedientiam tanquàm primati suo exhibeant. Cùm enim ejusdem primatus per vos confirmationem obtinuerimus, honor erit vobis & gloria, si plenum robur obtineat confirmatio à vobis impetrata. Ut autem charitas vestra aliquod habeat tribulationis nostræ solatium, noveritis quod Christianissimus Rex fortunam nostram reputat suam. Valete.

## EPISTOLA LVIII.

*Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Humbaldo & Hyacintho Cardinalibus.*

NOS alii verbis, sed vestra rebus & operibus benignitas consolatur. Doluistis vicem nostram, & calamitatem Ecclesiæ, & pauperum Christi coexulantium nobis angustias sic habuistis, ut vestras. Præmia fraternæ charitatis & veræ compassionis fructum vobis in illa die retribuet justus judex, qui misericordibus in gratia verbi misericordiam pollicetur. Non abjistis post aurum, quo nuper ad læsionem nostram, & Apostolicæ Sedis confusionem capti sunt quidam, quorum patrocinio receptis litteris Apostolicis, quas lectitari facit in utriusque Regni compitis, Rex Anglorum se de Romana Ecclesia gloriatus est triumphasse. Nec immeritò. Voti siquidem compos effectus est, & nunc in Ecclesia Dei, nemine contradicente, pro libito debacchatur, sperans, quod Deus avertat, Dominum Papam vel me pro voto suo interim moriturum. Nihil enim est quod magis desideret, quàm alterutrius mortem. Invitatis ad patientiam, sed hanc jam quadriennio habuimus in passionibus maximis cum Coexulibus nostris, in fame & in siti, in frigore & nuditate, ad omnem impetum fortunæ sævientis. Quis enim Coexulantium infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror? Sed quia gravius cruciat, Ecclesiam in miserabilem redigi servitutem, sine mœrore nec videre nec eloqui possum. Patior itaque, sed invitus, quia compatior, & utinam compatiantur Domini nostri Cardinales, qui omnem patientiam prædicant, sed alii de virtutis conscientia, alii ad culpæ suæ dissimulationem. Novit utique Dominus qui sint ejus, & Ecclesia jam sentit ex parte, qui non sint ejus. Nam Rex Anglorum prædicat, qui sui sint: nec tacitum est quot & quibus erogatum sit aurum. Sed munera ejus spolia nostra, spolia pauperum Crucifixi, immò ipsius Christi spolia sunt, immò minima portiuncula spoliorum. Quid ergo eis qui tyrannorum manibus Christum spoliant respondebit in illa die, quando vivos & mortuos judicabit, singulis & universis testimonium conscientia perhibente? Nec hæc dicta credantur, quòd alius patientiæ terminus esse debeat, quàm corona, vel quia nos Exules & proscripti Christi in caussa ejus non disponamus antè mori, quàm vinci: sed quia necessè habemus nostro & aliorum dominorum, & amicorum consilio in tantis angustiis sublevari. Nam qui nostræ potestatis suspensionem in arbitrium Regis Anglorum contulit, scilicet donec redeamus in gratiam ejus, nobis omnem pacis præcludit viam. Invitaverat nos per Comitem Flandrensem ad colloquium suum, sed cùm ei Nuncii sui rescriptum hoc Apostolicum porrexissent, adeò elatus est, ut Deum & homines pari furore contempserit, sed præ cæteris Romanos. Placeat itaque dilectioni vestræ, quam Deus necessitati Cantuariensis Ecclesiæ patrocinari disposuit, impetrari à Domino Papa per vos & alios amicos Dei, ut aut suspensionem hanc solvat, aut terminum coarctet scribens Regi Francorum, &c.

## EPISTOLA LIX.

*Alexandro Papæ Ludovicus Rex Franciæ.*

PRO Archi-Episcopo Cantuariensi sæpiùs nos rogare dignata est Paternitas vestra. Nos verò si preces authoritatis vestræ, Divinæ pietatis intuitu præeunte, abundantiùs mandamus effectui, conscientia nostra exinde gloriatur. Sed novissimè sermo divulgatus ac celebriter diffusus in Regno nostro scandalum generavit. Non est nostrum vos qui Dominus estis, reprehendere: verùm quæ ad opinionis vestræ detrimentum spectare credimus, silere omninò non possumus. Rex Angliæ, utpote inanis gloriæ cupidus, in colloquio, quod simul habuimus, litteras vestras patentes, ut dicitur, parti suæ gloriabundè ac satis jactanter ostendit, in quibus os & manus Domini Cantuariensis, tam in prædictum Regem, quàm in totum Regnum suum, ac personas de Regno, suspendit vestra authoritas, donec gratiam Regis ipse fuerit plenariè consecutus. Quid ad hæc objecta respondere possumus adversæ parti, videlicet Imperatori & schismaticis insultantibus nobis, quia partem vestram fovere nec destitimus nec desistimus, in promptu non habemus, nec est facultatis nostræ adinvenire, nisi nos vestra subtilis instruxerit in respondendo discretio. Hoc autem meminisse firmiùs postulamus, quia precibus nostris, quas sæpè vobis humiliter porreximus, nec intermiscuimus minas, nec vos diffidare præsumpsimus. Quid hæc sibi velint, facilè potestis concipere, & hæc ad plenum interpretari vestræ discretionis experientia pleniùs agnovit. Lateri vestro duo assistunt, in quos rei hujus culpa refunditur. Sed quidquid nos agamus, non est sublimitatis & discretionis vestræ contra scientiam suasu pravo aliquatenus deviare.





## EPISTOLA LX.

*Alexandro Papæ Joannes de Sarèsberia.*

SI de exilio clamamus ad Patrem, pro quo jugiter clamamus ad Dominum, pro cujus fide & honore contra persecutores Ecclesiæ clamavimus, semper & clamabimus, Deo authore, quoad vita fuerit comes, vestra Paternitas admirari non debet, cùm de inopinata rerum novitate clamorem extorqueat vis doloris, & importunæ & amarissimæ necessitatis acerbitas. Clamamus ergo ad sucessorem Petri, Vicarium Crucifixi, & utinam clamor noster introeat in aures vestras, ut super calamitate Ecclesiæ, filiorum afflictionibus & gemitibus Patris viscera concutiantur ad miserationem. Et licèt miseriæ nostræ de recenti injuria multiplicatæ sint super numerum, & excreverint suprà modum, tamen, Deo teste, acerbiùs dolemus & ingemiscimus magis de imminutione gloriæ vestræ, & fama Romanæ Ecclesiæ denigrata, quàm de damnis, injuriis, & oppressionibus nostris. Jus est, Pater, jus est veras expromere voces, præsertim apud eum, qui amator & patronus est veritatis, & cujus ministerio Spiritus Sanctus totius falsitatis figmenta condemnat. Viduam impatientiùs conquerentem Propheta habuit excusatam, eòquod in amaritudine erat anima ejus ob recentem filii mortem: & nos quid patienter queri possumus, inter tot mortes, carceres, vincula, flagra, contumelias, terrores, esuriei, sitis, nuditatis, & multimodæ calamitatis angustias? Si ergo justæ amaritudini debetur venia, quorum querela patientiùs audienda est, quorum gemitibus magis compatiendum, quorum preces benigniùs audiendæ à Romano Pontifice, quam Exulum Cantuariensium, qui pro tuenda libertate Ecclesiæ, pro adstruendis Privilegiis Apostolicæ Sedis proscripti esse noscuntur? Utinam, Pater, essent aures vestræ ad ora Regis & Optimatum Franciæ. Utinam audiretis, quomodò insultant vobis hostes Ecclesiæ, & ferè universi detrahunt vobis. Et si vera sunt, quæ prædicantur in compitis, non video quomodò majestas vestra probabiliter valeat excusari. Præterea quod insignis ille jurator re benè gesta de manu vestra Decanatum accepit, & curam multarum animarum, vir probatæ Religionis & famæ hilaris, qui nec uno mense Ecclesiasticum addidicit ritum. Sed nunquid eximendus erat à jurisdictione omnium Episcoporum, ut ei, sicut fautores sui gloriantur, authoritate Apostolica sævire liceat in subjectos non reservato eis appellationis remedio? Nunquid tantis erat privilegiis extollendus, ut in introitu suo vestra authoritate convocatis Episcopis & Clero Angliæ mandaret, ne Cantuariensi Archi-Episcopo obedirent, vel ad ipsum vocati accederent, & ut jure excommunicati sine satis factione, & cautione omni absolverentur in sacrilegiis perseverantes? Os meum in cœlum ponere non præsumo, fateor, & verum est omnia licere Romano Pontifici, sed eo dumtaxat, quæ jure Divino Ecclesiasticæ concessa sunt potestati. Liceat ei nova jura condere, vetera abrogare, dum tamen illa quæ à Dei verbo in Evangelio, vel lege perpetua caussam habent, mutare non possit. Ausim dicere, quod nec Petrus quemquam perseverantem in scelere & voluntate peccandi posset absolvere. Nec claves accepit, quibus januam possit impœnitentibus aperire. Unde ergo illi hæc data potestas? Ad hæc dicitur, quod Rex Anglorum omnium Episcoporum jurisdictioni subtractus est privilegio novo: quod profectò si obtinuit, ecce ei collata est authoritas licitum libito coæquandi. Non tamen facilè crediderim, quòd hæc omnia tam facilè contra Ecclesiam Dei impetrata sint. Sed hoc fiducialiter dixerim, quòd antequàm hæc essent apud nos divulgata, de diuturno naufragio veneramus in portum, à quo nos rejecerunt in pelagus, qui cum triumpho à Sede Apostolica redierunt. Nec aliquo modo persuaderi potest, quòd Legati, qui venire dicuntur procuraturi voluntates Domini Regis, conditionem nostram reformare possint in eum calculum, in quo erat, quando verbum hoc omnium corda concussit. Dubium tamen est an velint, si tamen dubium, cùm alterum eorum audierimus à multis in perniciem nostram, aut potiùs in dispendium aut ignominiam Ecclesiæ concessisse Domino Regi, & operatum esse, quantum in eo fuit, exterminium nostrum. Eum ergo misisse, sicut adversarii jactitant, nihil aliud est, quàm nobis ministrasse calicem passionis & mortis. Quod si proponit, sepiat Deus viam adscisentis & venientis spinis, ut præcipitentur in foveam, quam innocentibus paraverunt. Adjiciunt malis nostris, qui contra nos & magis contra vos gloriantur, quod exilium nostrum prolongastis in annum, ut vobis Anglorum Rex consœderetur interim. Sed memineritis fœderis Benadab, quod Regi Israel fuit in scandalum, & populo in ruinam, quia ultionem Divinitus procuratam in publicæ Religionis hostem noluit exercere. Procul dubio & iste, stetissetis ad modicum, jam ad deditionem compulsus erat, ut se traderet manibus vestris, & Ecclesia sub eo debita libertate gauderet. Sed quis de unius anni vita potest esse securus? An nescitis, quoniam quicumque oderunt Ecclesiæ libertatem, sive schismatico Imperatori consœderati sunt, vitæ vestræ, quam Deus in multa protendat tempora, terminum optant? Patet ergo, quam periculosa sit ista dilatio, per quam temeritas ampliùs insolescit, & Ecclesiæ conditio tristior & durior malitiosiùs exspectatur. Mala facienda non sunt, ut proveniant bona, nec salubris esse poterit dispensatio, per quam sacrilegorum perpetuatur audacia. Excessit modum, & quis cui loqueretur, minus attendi, sed exulceratæ mentis impetum nequaquàm potui cohibere, videns quod occasione verbi hujus crudescunt ampliùs adversarii nostri, immò vestri, & beneficiorum nostrorum liberalitas tepescit, aut omninò extincta est, præterquàm in Rege Francorum, & paucis aliis, qui nobis quidem compatiuntur ampliùs, & unde dolemus plurimùm, queruntur de vobis. Placeat itaque miserationi vestræ Cantuariensibus vestris aliquod parare solatium, & vestri nominis gloriam reformare, reprimendo hostes Ecclesiæ, & retribuendo circumventoribus vestris pro merito. Unum pro certo noveritis, quòd si Rex semel in quacumque opinione repulsam sustinuerit, omnium meritorum vestrorum quoadipsum evacuabitur fructus. Necesse est autem, ut patiatur repulsam, qui in petitionibus modestiam nescit.

## EPISTOLA LXI.

*Bartholomæo Exoniensi Archi-Diacono Joannes Saresberiensis.*

ECCLESIA in arcto est, & ex dissensione Regni & Sacerdotii eam undique premunt angustiæ. Nam quam Rex perimit, illa vendicat libertatem. Etsi vellet à status sui defensione cessare, & adquiescere jussionibus tyrannorum, illico indignationem Apostolicæ Sedis exciperet. Sed quia longè tolerabilius est incidere in manibus hominum, quàm derelinquere Legem Dei, officiosissimum & consiliosissimum reputo, non modò facultates & fallacis dona fortunæ pro tuenda libertate, pro Legibus Paternis, exemplo Sanctorum exponere, sed & ipsum corpus, quod quibuscumque flagellis atteratur, quibuscumque Tyrannorum carnificinis torqueatur ad præsens, velint nolint persecutores, pulchrius & fortius, prout merita præcesserint, glorificatum in illa die restituet Christus, pro cujus fide & obedientia nunc salubriter exponitur, aut deponitur. Sed etsi eòusque Tyrannorum rabies invaluerit, facilis est jactura sepulchri, ubi cœlo tegitur, qui non habet urnam. Consilium in ambiguis dumtaxat habet locum, nec debet esse ambiguum, quod gerendum præscribit lex Divina. Nam nec minimum de mandatis Dei, si quod tamen, quod vix credimus, parvum est, pro temporali vita, nedum pro mundana supellectili vel vana quiete consiliosè deseritur. Nam & minima servata vitam acquirunt, & plerumque Martyrii gloriam promerentur. Neglecta verò ex crimine inobedientiæ & contemptus ingerunt mortem. Captam aviculam cum pullis occidi prohibet Dominus, subjiciens præmium esse hujus, si mandatum observetur, ut longo vivas tempore. Quod quidem adjici mandatis aliis facilè non reperies, nisi ubi Patrem & Matrem præcepit honorari. Idem ergo magno & ei, quod minimum videtur, subintulit præmium, ut doceret, quoniam & minimi diligens observantia vitæ promeritoria est. Nunquid non scriptum est: *Quoniam qui minima spernit, paulatim decidet; & qui in modico fidelis est, super multa constituitur?* Nec hoc dixerim, quòd omnes capiant istud verbum, aut quòd ego minima diligenter observem, qui sæpè multum in magnis delinquo & maximis: siquidem obedientia maximum est mandatum, sine cujus diligentiori custodia salutem provectorum nullus assequitur. Melior est enim obedientia quàm victimæ, sicut ex latere crimen ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle adquiescere. Et ut ad obediendi virtutem fortiùs animeris, Domini Papæ te munivit authoritas, sicut habes ex litteris, quas Episcopo Vigornensi scripsit, consulenti an ad Episcopatum suum potiùs redire deberet, & Regis obsequi voluntati, an assistere Domino Cantuariensi, pro libertate Ecclesiæ & defensione Divinæ Legis, omnia supra quàm dici possit, pericula in se & suis fortiter sustinenti. Exemplum litterarum inferiùs subjectum est. Executorem voluntatis suæ te faciat Dominus, & eam fidei fortitudinem & perseverantiam conferat, ut fratres coævos & posteros in timore Domini, & cultu justitiæ feliciter valeas roborare.

## EPISTOLA LXII.

*Alexandro Papæ Carnotensis Electus.*

ECCLESIÆ Romanæ filius, sicut in Matris successibus totus exulto, sic in adversis ejus mihi caro maceratur, & affligitur spiritus, & animæ meæ requies omninò denegatur. Cùm enim necessitas ad obediendum Apostolicæ Sedi fideles urgeat universos, me qui in Christi ministerio vestra sum creatura specialis, arctat devotio charitatis, ut per gratiam Dei neque mors neque vita possit à Romanæ Ecclesiæ, & vestra fidelitate & obsequio separare. Unde ad Dominum meum fiducialiter loquar, quæ ad gloriam ejus, & totius Ecclesiæ honorem pertinere certo certius est. Inter omnia Regna mundi non est ex animi mei sententia Regnum, quòd fidem sinceriorem, charitatem ferventiorem, devotionem uberiorem Apostolicæ Sedi semper exhibuerit, quam Francorum. Non est inter Reges & Principes, qui benigniùs exaudiat preces vestras, qui mandatis obediat humiliùs, qui Ecclesiam & viros Ecclesiasticos devotiùs honoret, & studiosiùs tueatur, Christianissimo Rege nostro. Non est Ecclesia, quæ Romanæ Ecclesiæ fuerit utilior in omnibus angustiis suis, quàm Gallicana. Supplicaverunt vobis Ecclesia & Rex pro Domino Cantuariensi, qui pro libertate Ecclesiæ & majestatis vestræ dignitate tuenda Exul & proscriptus jam quartum explet annum. Agit apud vos contra eum tyrannus, Ecclesiæ persecutor manifestus, hostis Regni Francorum, cujus iniquitas omnibus nota est, & tamen quod dicere verecundor, & doleo accidisse, prævaluit hactenus in malitia & vanitate sua. Siquidem nuper cùm ad colloquium Christianissimi Regis accederet, & per Comitem Flandrensem, qui illuc Dominum Cantuariensem traxerat, de pace Ecclesiæ reformanda sollicitaretur, litteras Apostolicas in audientia Episcoporum suorum, & procerum legi fecit, quibus statuebatur, ne præfatus Cantuariensis in ipsum aut terram suam sententiam ferre possit, aut aliquod gravamen alicui personæ de terra sua inferre, donec redeat in gratiam ejus. Quo audito Christianissimus Rex confusus est, & totum Regnum, omnesque Filii Ecclesiæ doluerunt virum justum, Pontificem Reverendum sine caussa suspendi, & ab Apostolica Sede manasse scriptum tam perniciosum exemplo. Anno præterito Joannes de Oxeneford gravissimum quidem scandalum excitavit, sed illud nihil ad istud. Sententia Domini Regis est, quòd si preces ejus nolletis audire, caussa Dei non sic fuerat opprimenda, nec erant danda duriora, quibus Ecclesiam ventilaret, cornua peccatori: non erat innocens in mensa, immò inter manus Regis Christianissimi jugulandus. Et quod tam Regis quàm nostratum omnium mentes magis exulcerat, efficaciores dicuntur fuisse injuriæ & comminationes Anglorum, quam Francorum sincera fides, devotio fervens, & juge obsequium. Promiseratis, Pater, si reminisci placet, Domino Regi, toties pro Archi-Episcopo Cantuariensi supplicanti, quòd ei justitiam exhiberetis, & quod memoratum nostrum Regem lætificaverat, præceperatis, ut Archi-Episcopo Comprovinciales Episcopi obedientiam exhiberent.

Nunc



Nunc autem, quod Regem contristavit supra modum, eundem Archi-Episcopum, quem verbis consolamini, rebus opprimitis, & qui nomine tenus honoratur, debita privatur potestate. Placeat itaque Clementiæ vestræ cancellare manus, & permutare vices solvendo innocentem, & Ecclesiæ Tortorem condemnatione debita vinciendo. Alioquin certum est scandalum, quod nuper emersit, & Apostolicæ Sedis denigrat honestatem, sedari non posse.

## EPISTOLA LXIII.

*Bartholomæo Exoniensi Archi-Diacono Joannes Saresberiensis.*

EXPECTATIONE longa suspensi, & impatientia desiderii æstuantes, Nuncii nostri præstolabamur adventum, sperantes in reditu ejus nos amicorum diligentia fore vel litterarum solatio recreandos. Et quidem secus accidit, cùm ille non retulerit jota vel apicem. Nec hoc dicimus, ut aut charitatis defectum aut negligentiam velimus in amicis arguere, quos tantò acerbiùs affligi conjicimus, quantò minùs audent suas angustias deplorare. Comprimuntur enim castigatione crudeli, puerorum more, quos præceptorum severitas cogit, ut eductas doloris impetu & extortas verberibus lachrymas redire faciant in sinum oculorum, & latentes sui fontis origines. Metiebamur autem pericula conditionis nostræ, malitiam temporis, debilitatem Ecclesiæ, rabiem persecutoris. Sed è latere sperabamus, quia iniquitas cohærens talento plumbi diu in summo stare non potest. Et Amorrhæus citiùs & validiùs eliditur & detruditur ad ima terræ, cùm adimpleta malitia in excelsa prorumpit. Amicis ergo compatimur, & Ecclesiæ desolationem in Regno Anglorum ingemiscimus, & miramur quomodò abierit zelus tot Religiosorum & Litteratorum, cùm vix unus & alter appareat speculator, qui juxta commotionem Propheticam audeat impio impietatem suam ex ore Domini nunciare. Impii ergo in facie speculatorum descendunt in infernum viventes, ut à speculatoribus sanguis eorum jure & meritò exquiratur. Sed quid dicimus eos esse ex caussa silentii puniendos? Sanè quidam eorum sunt, qui furem videntes currunt cum eo, immò prævii ductores & Doctores ipsum in furta præcipitant & rapinas, & suam ponunt in quovis iniquitatis symbolo cum impiis portionem. Quorum primus est Archi-Synagogus vester, & qui primo auro videbantur induti, & columnæ videbantur Ecclesiæ, amplexati sunt stercora. Dederat eis argumentum & aurum Dominus, & sicut ipse per Prophetam conqueritur, ipsi ex eo operati sunt Baal, dum magis verentur hominem quàm Deum, & colunt & serviunt creaturæ potiùs, quàm Creatori, quod sicut Beatus docet Apostolus, idololatriæ rectissima & certissima diffinitio est. Nam quod quisque colit præ cæteris, constituit sibi Deum, ut alius venerem libidini serviens præferat, alius dum munera quærit & retributiones, & interdum in fraudes & rapinas impingit, Lavernam veneretur. Alius inflatus terram Merob inhabitet in supercilio Babylonis, alius gulam sequens porcum induat Epicuri. Quod enim de talibus scribitur, quoniam eorum Deus venter est, & gloria in confusione, ad cætera quoque vitia probabiliter dilatata interpretatione protenditur. Unde etiam in Evangelio veritas docet Deo & Mammonæ simul serviri non posse. Et qui amicus sæculi esse desiderat, Dei se constituit inimicum. Doctor Gentium præconatur, & clamat: *Quia si hominibus placere vellem, Christi servus non essem.* Et *qui hominibus placent, confusi sunt. Quoniam Deus spernit illos.* Sed alia profectò Archi-Synagogi & Complicum ejus sententia est, qui fraudulenta verborum interpretatione ad arbitrium authoris detorquent Legem, eique suum volunt accommodare intellectum. Sed id agunt modis omnibus, ut quòd eis libitum fuerit, Divino quoque juri consentaneum videatur. Dicit enim quod non est pro libertate Ecclesiæ decertandum. Sed fallax & falsa hypocrisis, quò progrederis? Quid hæreses moliris & schismata? Nonne ab initio nascentis Legis ad libertatem Dei vocatus est populus, & Ægyptus intolerabilibus afflicta plagis, quæ Ecclesiam de antiqua & avita consuetudine, & ferè per trecentos annos vendicabat in servitutem? Nonne Machabæi Martyres pro libertate Fratrum suorum laudabiliter & religiosè sanctissimas animas posuerunt? David nunquid non stravit Allophylum lapidibus de torrente congestis, ut Domini exercituum agmina ab indebitæ servitutis jugo, & Religionis opprobrio liberaret? Sed quid pauca & parva proponuntur exempla? Scriptura ferè tota, quæ in historiis digesta est, talibus virorum illustrium referta est monimentis. Duæ quidem caussæ sunt, quas homines affectuosissimè tuentur, & quas proponunt animabus suis: altera libertatis, altera fidei & Religionis. Illa tamen quæ fidei est, creditur esse præstantior, & procul dubio justior est. Adeò quidem ut & prophanæ Religionis homines hoc constantissimum habeant. Nam & Achab, quem reprobum fuisse constat, Regi Syriæ, eum subjicere volenti, argentum & aurum, servos & ancillas, & omnimodam supellectilem, uxorem, filios, & filias, & tandem se ipsum constanter exposuit, & pro Lege Divina dumtaxat non est veritus inire certamen. Cùm enim ille vellet scrutari domum ut Legem diriperet, contradixit ei Achab, victoriamque promeruit. Quia etsi aliàs reprobus, vel in hac parte Dominum honoravit. Pro qua ergo caussa religiosè contenditur, si non pro Dei Lege servanda? Nempe hæc iniquitatem prohibet, & pastoribus Ecclesiæ præscribit, ut omnem ulciscantur inobedientiam. Sed fortasse Archi-Synagogus iniquitatem novit, quam Deus non prohibet, aut quam nolit ab Ecclesiæ pastoribus increpari, & si fieri potest, mandari vindictæ. Hanc sanè Moyses & Doctor Gentium non noverunt. Sed prætendit, quia Joannes arguebat Herodem in spiritu lenitatis, illicitum esse denuncians, ut fratris viventis abuteretur uxore. Quod utique dicens non tam imperitiæ, quàm ignaviæ solatium quærit, cùm certum sit Joannem ibi non gessisse personam Pontificis, cui incumberet correctio delictorum, sed præconis verbis, penes quem erat dumtaxat gerendorum denunciatio & increpatio vitiorum. Heliquidem corripuit filios, sed affectu potiùs & mansuetudine Patris, quàm severitate & authoritate

Pon-

Pontificis. Pro omni ergo Divinæ Legis articulo contendendum est, & potestatibus adscendendum ex adverso, & quidquid charitatem impugnat, quæ Legis est plenitudo, totis viribus subvertendum. Sed profectò in figuram Sacerdotii Deus tribum Leviticam à publicis functionibus, sicut in numeris legitur, immunem esse decrevit, & summi tantùm Pontificis dispositionibus subjacere. Abiathar quoque, qui Spiritui Sancto restiterat in dispositione David, amotus à Sacerdotio, ea ratione sententiam mortis evasit, quia Arcam portaverat, & præcedentis officii privilegio tutus diem exspectavit fatalem. Quod si Clerus in Privilegia Tribus Leviticæ non succedit, & Apostolus vanus est, & fallaces omnes interpretes Scripturarum. Ex quo liquidum debet omnibus esse, justissimam esse caussam eorum, qui pro libertate Ecclesiæ dimicant, & pretiosiorem habent Legem Dei, quàm fortunas, immò quàm animas suas. Sed fortasse dicet aliquis; quid hoc ad caussam vestri Cantuariensis, qui in caussa Ecclesiæ cessit apud Clarendonam, & in pecuniaria conventus in jure sibi conscius iniquitatis, & de præstigiis suis diffisus, subterfugio imprudenti & impudenti suam quodammodò, immò planè professus est injustitiam, & partem justificavit adversam? Esto sanè quòd cesserit, propitietur Deus Episcopis, qui eum ad hoc induxerunt, & circumventoribus, qui eum seduxerunt, cùm tamen justus esset metus ad præsens, & qui in constantissimum hominem caderet. Mittitur vobis epistola ejus, ubi pro se satisfacit ex parte. Sed quia deliquit, pœnituit, confessus est, à Domino Papa absolvi meruit caussa recognita, & ut Ecclesiam Anglorum ab illicitis & extortis obligationibus absolveret, impetravit. Qui ergo imitati sunt, ut ajunt, delinquentem, quare pœnitentem & confitentem non imitantur? Nunquid malunt in sordibus immorari, quàm surgere, mundari, & reparari in pristinum gradum? Sed caussam veritus est, ut objicitur, pecuniariam. Hoc quidem falsum est. Sed judicum iniquitatem, qui eum iniqua sententia condemnaverant, parati judicare quidquid tyranno libuisset. In eoque verecundiæ sæculi nostri pepercit Deus, quod tyrannus plura jubere erubuit, quàm illi adimplere. Omnes erant Baalamitæ, excogitantes qua arte maledicerent & condemnarent causam, cui benedixit Dominus. Suadebant mala fieri, ut provenirent bona, & ad mitigandam persecutoris insaniam, perniciosas possessionum & Divini juris dispensationes admitti. Quod certum erat, revocabatur in dubium, ut Comicum illud ferè in omnium animas volveretur: *Quod scio, nescio*. Quis enim nesciat, quod Rex Cancellarium suum ab omni administratione & obligatione liberum reddidit ad Regimen Cantuariensis Ecclesiæ? Cui ignotum est, quanta instantia illi à Sede Apostolica Pallium impetravit? Quid posteà promiserit, ut consuetudines, quas dicit avitas, admitterentur. Et reverà, quod pravitates sunt, pluribus notum est. Archi-Episcopus tamen ad malitiam calumniatoris ex judicii iniquitate, aut simplicitate, aut dispensatione, cum tamen ad hoc vocatus non venisset, urgebatur ad litigandum, ad satisdandum, cum tamen possessor esset amplissimæ rei immobilis, ut vix ex caussa gravissimæ infirmitatis ad deliberandum unius diculæ posset indicias impetrare. Anteà tamen eum iniquo judicio condemnaverant, & quod Sedes Apostolica causa cognita retractavit. Cujus retractationis apud nos privilegium exstat. Nonne ergo judices potuit & debuit habere suspectos? Sed fortasse dicetur, quod ipsos oportebat non de conscientia sua, sed de partium allegationibus ferre sententiam: quod & Dominus Judam, quem proditorem noverat, non condemnavit, & mulieri in adulterio deprehensæ pepercit, cùm nullus præcederet accusator. Inde etiam ad informationem nostram dictum est: *Ego, sicut audio, judico*. Sed profectò ibi audire pro intelligere ponitur, ut pro rationabili motu animi sui decernat judex, interdum assertionibus, interdum præsumptionibus utens, ut numquàm ex conscientia justus & innocens condemnetur. Et si multitudo stare videatur in parte adversa. Nam scriptum est: *Innocentem & justum non occides, quia aversor impium*. Et alibi: *Non sequeris turbam ad faciendum malum, nec in judicio plurimorum adquiesces sententiæ, ut à via declines*. Si verò contra conscientiam, præsertim in præjudicium innocentis, sententiam tulerit, gravissimè peccat: quia sicut dicit Apostolus, *Omne quod non est ex fide, peccatum est*. Salomon in caussa meretricum conjecturali argumento utens condemnavit calumniatricem, & Daniel in liberatione Susannæ præsumptionibus revelavit malitiam Sacerdotum. Quod si judices in caussa Domini Cantuariensis vigorem debitum habuissent, si lege præscriptam exercuissent diligentiam, si scripturas consuluissent in judicio, si potestati supra modum & fas non detulissent, posset fortasse probabiliter argui, qui illorum judicium declinavit. Sed ubi furor omnia vendicavit, quis locus potuit esse rationi vel juri? Ante Præsidem ductus est Christus Domini, convenerunt Principes, Scribæ, & Pharisæi adversùs eum, & profectò præses iste illo, sub quo condemnatus est Christus, truculentior erat. Nam Pilatus id agebat exquisitis occasionibus, ut Christus evaderet accusatus. Hic autem operam dabat & diligentiam, ut innocens accusaretur, & damnaretur Christus. Ille, nec sub eo judice puniretur, Christum transmisit ad Herodem, ubi vel contemptus evasit Christus, remissusque veste alba indutus est; hic modis omnibus, ne quoquo modo Christus evaderet. Dicat vir amator veritatis, quicumque audet coram Deo, cui de hoc testimonio in districto examine redditurus rationem: dicat certè, si audet, quod Archi-Episcopus ibi malitiosè, quod ad calumniatorem & complices suos, & fraudulenter aut debiliter, quod ad judices, tractatus non est, & comtemptibiliter, quod ad Ecclesiæ dignitatem, & ignominiosè, & ipse competenti securitate recepta ad judicium revertetur. Dicat ergo probus vir & discretus hoc, & ut consilio ejus adquiescatur, facilè obtinebit. Nec credibile est, quod etiam Archi-Synagogus vester aliter sentiat, licet contrarium prædicare non erubescat. Sed ipse & omnes sui soli sic dentium soliditate gaudeant, sicut eis respondet conscientia, quod justè & ad honorem Ecclesiæ Dei ibi tractatus est Archi-Episcopus. Et omnes qui Archi-Synagogo consentiunt, simili versentur in calculo. Quia ergo Archi-Episcopus semel iniquam sententiam reportaverat, & videbat ex malitia persecutoris & debilitate judicum imminere nequiorem, declinavit judicium, caussam transferens ad audientiam ejus, qui fidelium omnium judex est à Domino constitutus, & locum adiit, cui specialiter mandata est omnium Sacerdotalium decisio caussarum. Nec hoc de jure Imperatorum aut Canonum, sed ipsius Dei authoritate dicentis per Moysen: *Si difficile & ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, inter causam & causam, lepram & non lepram, adscende ad locum quem elegit Dominus, ad Sacerdotes Levitici generis, & judicem, qui præfuerit. Qui noluerit obedire Sacerdotis Imperio, qui eo tempore ministrat Domino, morietur homo ille & auferes malum de Israel*. Ecce quod à judicio Sacerdotum nec caussam excipit nec personam, licet alias per se ipsos, alias per ministros Vicarios Ecclesiæ decidant Sacerdotes. Nonne in persona Sacerdotii Ecclesiæ Doctores fideliter tradunt Hieremię dictum: *Ecce constitui te hodie super gentes & super Regna, ut evellas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes*? Quid ergo peccavit Dominus Cantuariensis, si appellavit, si prospexit sibi, si pepercit Episcopis, quos iteratò oportebat ad damnationem & ignominiam perperam judicare, aut Regiæ indignationis intolerabile subire dispendium? Qualiter autem pars adversa, quæ & ipsa appellationem instituit, caussam prosecuta sit, qua modestia, qua sinceritate versata sit, & cum Ecclesia & cum adversario, novit Deus, & judicet, & vobis ignotum esse non potest. Se ipsum poterit quis irridere, & texere dolos in animam suam, sed profectò Deus non irridetur. Biennium jam elapsum est, tempus videlicet quod appellantibus suffragatur, eoque evoluto pro parte Domini Cantuariesis est lata sententia. Et si adhuc ex dispensatione quorundam rerum executio differatur, omnibus autem jam persuasum est Deum timentibus, quod Archi-Episcopus & sui injustè proscripti sunt. Quo enim jure confiscati sunt redditus Clericorum, & qua Episcoporum patientia Ecclesiæ & bona Altaris Christi persecutoribus Ecclesiæ ad libitum exponuntur? Quæ justitia proscripsit innocentes sine delectu professionis & ordinis, ætatis & sexus? Quis unquam tanta immanitate distraxit copulam nuptiarum? Et tamen ei qui facit hæc, ab Episcopis innocentiæ & justitiæ testimonium redditur, ut in suam confusionem & perniciem dicere & scribere non erubescant: *Quia Rex dulce putat obsequium, cùm monetur, ut corrigat, si quid deliquit in Deum*. Ergo aut ex eorum sententia non delinquit, aut ei infideliter gratum & debitum obsequium subtrahunt, aut palam mentiuntur in capita sua: *Quia os, quod mentitur, occidit animam*. Non est qui audeat ei denunciare, quod expedit audienti pariter & dicenti. Non est, qui dicat cum Moyse: *Dimitte populum Domini cum omnibus quæ ipsius sunt, ut ei sacrificet in Deserto*. Non est qui trium dierum vacationem impetret Clero degenti sub Moyse & Aaron, id est, in cultu Legis, & ritu Divini Sacrificii occupata. Et quidem credibile est, quod si hic præsentes essent Moyses & Aaron ad ostium ejus, cujus innocentia prædicatur, aut eis omninò non pateret accessus, aut negaretur auditus, aut quod ibi non invenerunt, suppliciis aut certè contumeliis afficerentur. Neque enim desunt Jamnes, & Mambre, qui Spiritui Sancto resistant. Architofel multos in deliberatione reliquit hæredes, qui infatuant animas Principum, & contra Deum proferunt, & præferunt consilium toxicatum. Quid enim aliud nunc in Cantuariensi Archi-Episcopo persequuntur, nisi quia in conspectu Regum ausus est Dei justitiam protestari, tueri Legem Ecclesiæ, tueri libertatem? Certè dum magnificus erat nugator in Curia, dum Legis contemptor videbatur & Cleri, dum scurriles cum potentioribus sectabatur ineptias, magnus habebatur, clarus erat & acceptus omnibus, & solus dignissimus summo Pontificio ab universis conclamabatur & singulis. Sed ex quo in Pontificem sublimatus suæ memor conditionis & professionis exprimere voluit Sacerdotem, & verbo Dei maluit uti magistro quàm populo, factus est eis inimicus vera dicens, & vitam corrigens, ut & hi impleant mensuram patrum suorum. Quia ex caussa simili Prophetas & Apostolos persecuti sunt, & quidam eorum adhuc Martyres Christi, id est, testes veritatis & justitiæ persequuntur. Quid in Helia persecuti sunt Achab & Jezabel? Nempe Religionis oraculum, testimonium fidei, justitiæ professionem, exterminium idololatriæ, medelam vitiorum, criminum abolitionem. Paulus & Petrus gladium Neronis evasissent, immò nec incurrissent inimicitias, nisi voluptatibus hominum & erroribus contraria prædicassent. Nemo enim in aliquo persecutus est, quod erat, aut quod dicebatur Helias. Nemo punivit aliquem, quia Petrus esset aut Paulus. Et Joannes tutus esset in conspectu Herodis, nisi diceret: *Non licet tibi habere uxorem Fratris tui*. Nullus enim evasit in tantam tyrannidem, ut naturam persequeretur. Sed frequens est, & multis vulgatur exemplis, quia veritas odium parit. Qui ergo persequuntur in hac caussa Cantuariensem Archi-Episcopum, non hoc persequuntur, quod Thomas est, quod natione Londoniensis, Clericus professione, gradu Sacerdos, Episcopus dignitate, sed quod annunciat populo Dei scelera eorum, & ut Legem Dei audiant, & obediant principes Sodomorum, & populus Gommorrhæ. Quid est quod persequuntur? Profectò Apostolorum Spiritus & Prophetarum, Spiritus justitiæ & veritatis, Spiritus Patris & filii, & indubitanter Spiritus Sanctus. Et si ipse Paulus aut Joannes quod scripsit præsentialiter doceret in carne, aut torqueretur suppliciis, aut ad minus ei diceretur: *Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus, quia nobis contrarius es*. Semel locutus Deus, & id ipsum secundò non repetit, nec ad eruditionem vivorum suscitat mortuos, cùm in Ecclesia præsentes sint Moyses & Prophetæ, ut audiantur & doceant populum; & ut pars, quæ verbo Domini condemnatur, ex sententia Moysi & Prophetarum alteri victoriam cedat, applicetur Ephod, ubi manifestatio est veritatis & judicii; & respondeatur unicuique secundùm opera sua. Formam hanc non declinat Archi-Episcopus neque sui, immò optant & orant, ut de vultu verbi Dei, id est, Legis Divinæ, judicium illorum prodeat, & oculi Domini declarent æquitatem. Si quid enim exigit, quod Legi Dei repugnet, si de verbo Dei nituntur consuetudines, quæ petuntur adversùs Ecclesiam, libenter cedet, & de contradictione & vexatione partis adversæ satisfaciet libens. Quod si caussa ejus innititur verbo Dei, si ei adsistunt Apostoli & Prophetæ, nemo eum aut suos, per

per gratiam Dei, avellet à fide ista. Hæc est enim in Christiano justissima caussa exilii, pro qua non modò substantiam ponere debet, sed animam suam. Jam enim sola iniquitas consuetudinum & æquitas Divinæ Legis ab adverso confligunt, & de causa pecuniaria, quæ tunc quidem simulabatur, & ih veritate nulla erat, nec mentio est. Adversùs hæc justa fingit, machinatur, & in pelle vulpeculæ laborat improbitas, sed mentitur iniquitas sibi, non attendens, aut dissimulans, quoniam suavis est homini panis mendacii, sed per ea implebitur os calculi. Sed profectò unum est, quod omnes mirari, immò dolere debent, illos videlicet Cantuariensibus exulibus insultare, pro quorum libertate Cantuariensis ad omnia discrimina devoverunt. Illi pro communi libertate versantur in torculari, & quis adstitit illis? Illi satagunt ut hæreditas Domini liberetur à servitute, & ad ollas carnium & allia Ægyptiorum voto recurrunt, qui in libertatem fuerant educendi. Utique miserabiliores sunt omnibus gentibus, si hic proscribuntur, affliguntur, & deputantur cum impiis, si consolationem à Domino non expectant, si exulantibus conscientia non respondet ad meritum, si in persecutionibus caussam non habent Christum. Deridet eos prudentia carnis, quæ ab eventu merita pensat, sed Deus consolatur eos in tribulatione sua, tandem responsurus & illis, qui mundo lenocinantur, & cervicalia ponunt sub capitibus, universæ ætatis, & pulvinaria sub omni cubito, manus communicantes excommunicatis, claves Ecclesiæ ludibrio habentes, & putantes Legem Dei nihil aliud esse quàm verba. Nos interim Deo in omnibus suis donis gratias agimus, & maximè quòd nos dignatus est illorum numero aggregare, qui persecutionem pro justitia patiuntur. Suscepimus de manu Domini dulcia, de quibus sæpè ad perniciem nostram abusi sumus: quare & ab ipso æquanimiter suscipiemus amara ad medicinam, in profectum salutis nostræ. Sive vivimus, sive morimur, Domini sumus, ut id solum peti oporteat ab amicis, quatenus exilii nostri angustias sublevent orationibus suis, ut non deficiat fides nostra, sed de afflictione salutem nobis, & Ecclesiæ pacem & libertatem misericorditer operetur.

## EPISTOLA LXIV.

*Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Joannes Saresberiensis.*

ROMANOS amicis verba dare jam nemo miratur. Quia percelebre est & innotuit universis, quod apud eos *Quantùm quisque sua nummorum fundit ab arca, tantùm habet & fidei*. Et plerumque, obliquata mente Legum & Canonum, qui munere potior est, potentior est & jure. Si ergo ibi duplicitas reperitur, nihil accidit inopinatum, cùm frequens sit, ut Divina Lex dispendium patiatur, ubi dispensandi necessitatem fingit avaritia, cùm tamen æquitatis eversionem & honestatis ludibrium nunquàm ratio introducat. Verumtamen, unde gratias Deo & Domino Papæ, adhuc benè nobiscum agi censeo, quod ad tot & tanta tonitrua comminationum, ad tot & tantarum promissionum blanditias, ad machinas Baalamitarum, quas subornatis & exquisitis mendaciis ab Oriente usque in Siciliam dolo multiplici erexerunt, non omninò fractus est, sed, ut arbitror, artem eorum arte conatur eludere, & furoris impetum frangere ratione, & sapientia declinare. Laudes tamen ejus, prout meruit, in fine canam, nec inchoatæ virtutis auspiciis exultabo, nisi perseverantia meritorum finem deduxerit ad triumphum. Interim verò in partem meliorem interpretanda sunt omnia, præsertim opera Patris & Domini, quæ non constat in pervertitate criminis contineri. Hic autem puto Regi, & illi pro quo intercedit, verba potiùs esse data, quàm vobis, cum in litteris ad vos destinatis, post consilium, post preces rei summa in vestræ dilectionis arbitrium conferatur. Et cum relaxando Domino Saresberiensi adhuc preces vobis porrigat, perspicuum est, quòd sententiam Cardinalium aut ignoravit, aut ratam habendam esse non credit. Et quamvis credam, quod Episcopus ante reditum Nunciorum suorum his litteris non utetur, vel quia hæc forma negotii Regi displicebit, vel quia Archi-Diaconi consilio pleniùs desiderat informari, si tamen eis usus fuerit, credo indubitanter, quod vos exspectabitis reditum Nunciorum vestrorum, & ab ipsis, annuente Domino, audietis quid possitis, aut quid expediat. Cæterùm nostis me Domini Saresberiensis à multo tempore debitorem, & Deus novit, quantùm infortunio ejus compatiar, ideoque quod semper feci, & authore Domino, facturus sum, omni devotione supplico, ut ipsius, quantùm salva honestate Ecclesiæ & vestra poteritis, misereamini, nec à me unquam aliud consilium audietis. Cùm illi redierint, qui hinc inde Romam profecti sunt, confido quòd causa nostra pleniùs elucescet, & Deo propitiante reformabitur in statum meliorem. Precor autem, ut quàm cito redierint, mihi per vos, quæ referenda attulerint, innotescant.

## EPISTOLA LXV.

*Joanni Pictaviensi Episcopo Joannes Saresberiensis.*

BENEFICIA sæpè conferuntur invitis, & eum, qui in suam perniciem properat, revocare charitas consuevit. Quod utinam Rex Anglorum experiatur. Debitores enim ei sumus, & uterque nostrum, si fieri posset, ei debet, ex multis caussis, quas enunciare longum est, ea quæ ad salutem pertinent & honorem, diligentissimè providere, & quantumlibet detrectantem revocare ab his, quæ dispendium salutis afferunt. Quis enim non doleat tantum Principem, & Ecclesiæ Dei tam necessarium, in eo fortunæ calculo positum, ut impellente consilio reproborum, in suam & liberorum suorum, quàm Deus avertat, subversionem totus præceps currere videatur? Ex quo Ecclesiam Dei, quod sine dolore & gemitu nec dicere nec meminisse possum, vexare cœpit, & proscribere innocentes, statim excitavit ei Deus hostes undique, & tantam vexationem, ut vix sedari possit ætate nostra. Locus hic nimis conspicuus est, undique patens à Britanniarum extremis finibus usque ad novissimos terminos Galliarum. Ergo in eo diutiùs immorari nec oportet nec expedit. Fredericus ille schismaticus insignis, dum in Ecclesiam malitiosius & crudeliùs sævit, factus est Ex-Augustus, & eò perductus est, ut jam optaverit Italiam perdidisse, quam retinere non potest. Timeo ne præfatus Rex, ambulans in viis ejus, exitum, quod Deus impediat, similem consequatur. Profectò mirum est, quòd nullus Religiosorum ei denunciat tanta pericula imminere. Quid faciunt nunc illi Grandi-Montani, quos ille adeò diligere consuevit & venerari? Ubi nunc Fontis ebraudi fides & fervor in Domino? Certè confido, quod si ille Ecclesiæ pacem reddiderit, & recesserit à via mala, propitiabitur illi Deus, & impendentia pericula transferet à Domo ejus. Nam & Achab, qui reveritus est faciem Domini, Divinæ comminationis flagella declinavit. Scriptum quoque memini, quod in proverbiis legitur: *Cum placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoque ejus convertet ad pacem*. Si ergo expedire credideritis, precor attentiùs, quatenus procuretis, ut sancti illi Grandi-Montani, vel alii quos benigniùs audire consuevit, eum statuant contra faciem suam, commonentes redire ad cor, & declinare à vestigiis Frederici, ne Domino irascente tyrannum, quem habuit in culpa præambulum, prævium habeat in ruinam. Nec desistant, si obdurescit ad preces, si irascitur ad comminationes; meminerint potiùs illud Catonianum: *Cumque mones aliquem, nec se velit ipse moneri, si tibi sit charus, noli desistere cœptis*. Si verò sapiat, audiet illos, & per se ipsum cum Domino Cantuariensi faciet pacem: nec mediante Romano Pontifice, nec Rege Francorum, nec opera Cardinalium, nec aliquo præter illum, qui medius est, ubicumque duo vel tres congregantur in nomine ejus. Sed istud adimpleri non potest, nisi ipsi personaliter colloquantur, & sibi mutuo de se ad invicem fecerint fidem. Scio enim, quod si alter posset de altero confidere, ipsi sibi optimam dictarent & inirent concordiæ formam. Et quidem Rex benè plenam de Archi-Episcopo, sicut certissimè arbitror, posset habere fiduciam, quia vir religiosus est, & id dumtaxat agere studet, quod ad gloriam Dei proficiat, & ei conferat ad salutem. Rediens nuper à Sancto Ægidio sanus & incolumis, per ipsum transitum feci, & tam eum quam Coexules suos sanos esse gavisus sum, & in Divinis exercitiis occupatos. Exspectabat Nuncios suos à Sede Apostolica redeuntes, sed quia incertum est quatenus profecerint, quid super eo scribendum sit, nescio. Parvum munusculum vobis mittit frater meus, sibi nuper transmissum, in quo, si placet, potiùs metiemini devotionem mittentis, quàm gratiam vel usum muneris. De his quæ vertuntur inter Reges, quid scribam nescio, quia adhuc incertum, quid Nuncii Regis Angliæ, qui ad Comitem Henricum tam crebrò discurrunt, valeant obtinere. Comes enim procurat apud Regem Francorum caussam alterius Regis. Dominus Wilhelmus Papiensis interfuit ordinationi Carnotensis Electi, viri quidem magnæ spei, & famæ clarissimæ, & magnæ authoritatis, & virium multarum in Regno Francorum, qui Domino Cantuariensi & suis patrocinium, consilium, & auxilium singulariter præstat. Vobis autem desiderat esse familiaris, & utinam quandoque, Deo propitiante, amicitiam ulteriùs ineatis. Non est enim in Clero Francorum, ut ex animi sententia loquar, qui eum prudentia & eloquentia antecedat.



## EPISTOLA LXVI.

*Bartholomæo Exoniensi Archi-Diacono Joannes de Saresberia.*

EX quo prosperè per Dei gratiam circa mediam Quadragesimam à Sancto Ægidio reversus sum, tuam, dilectissime, super his, quæ in Francia & Italia gerebantur, præmunire decrevi Charitatem. Scio enim quia interdùm expedit, & sæpè jucundum est prænosse temporum motus, & quasi fatorum seriem ex his, quæ nutu Divino mortalium præveniunt mentes, contemplari. Sed quia de pace Regum tractabatur, & Fredericus fractus crimine & pertinacia schismatis simulabat se velle ad Catholicam redire unitatem, propositum distuli, donec pleniùs innotesceret, quem negotia tanta sortirentur eventum. Cùm enim Theutonicus tyrannus sentiret se militum præsidio destitutum, & Italiæ civitates in ipsum irruere properarent, & ipse temeritate suorum, qui Nobilem quemdam Papiensem excœcaverant, Papiæ minimè tutus esset, eique Maurianensis sic obsisteret, ut Lombardorum manus nulla ratione posse evadere videretur, ipse Comitis Blandratensis & Marchionis Montis Ferrati fretus auxilio, divertit in terram Marchionis, relictis triginta obsidibus Lombardorum apud Blandratum. Alios autem obsides, quos acceperat, per castra Marchionis divisit custodiendos, & ipse cum præfato Comite & Marchione, quia eum Lombardi congregato exercitu usque ad viginti millia militum prosequebantur, & obsidere decreverant, per castella quasi in umbra mortis latitans fugitabat, ut vix, sicut ajunt probi viri, pleni fide & authoritate, qui interfuerunt, duobus diebus aut tribus auderet in eodem hospitio pernoctare. Hanc miseriam tyranni, aut potiùs gloriam Dei, & Ecclesiæ consolationem, de vestratibus quidam viderunt Canonici Noviomenses, & Nuncii Comitis Henrici, de Nostratibus autem Legati illustris Regis Anglorum, illuc profecti variis ex caussis. Noviomenses enim Archi-Diaconum suum Bonifacium, Italiæ Marchionem, quem elegerant in Episcopum, virum honestum, & tota schismatis tempestate Catholicum, reducere quærebant. Comes Henricus statum explorabat Imperii. Nuncii verò Regis Angliæ juramenta præstiterunt de Matrimonio contrahendo inter Filium præfati Marchionis & Sororem Regis Scotiæ, & ad sæpè dictum tyrannum Legatione functi sunt, ut de opinione multorum loquar, quò sic vires & familiaritatem prætendentes Imperii terreant Francos. Sed calliditas hæc in contrarium prorsùs exitum pergit. Franci siquidem magis animantur, dum vident hostes quasi desolatos, immò desperatos emendicata suffragia quæritare, & illos implorare patronos, quibus opus est defensore. Dum itaque in tantis versaretur Imperator angustiis, & omninò desperaret de exitu, contractum habuit cum viris Religiosis, quos constabat esse fideles Domini Papæ, simulans se cum Ecclesia Dei pacem esse facturum. Est autem in Domo Carthusiensi vir admodùm Religiosus, quondam familiarissimus Imperatori, qui ab eo pridem recesserat ob conscientiam schismatis, & ei plurimo compatiebatur affectu. Hic

Hic ergo accessit ad eum cum lachrymis, sibi pro certo innotuisse asserens, quod pacem non erat habiturus, nisi Ecclesiæ Dei redderet pacem. Institit autem, & obtinuit, ut evocaret per litteras suas priorem Carthusiensem, Abbatem Cistertiensem, & Episcopum Papiensem quem expulerat, & promitteret se consilio eorum in omnibus adquieturum, dummodò illi in se reciperent periculum juramenti, quod contra Papam Alexandrum fieri fecerat. Omnes qui hæc verba audierunt, exhilarati sunt, & Lombardi jam cœperunt mitiùs agere, sperantes hominem esse conversum. Interim sæpè dictus Marchio egit cum Cognato suo Comite Mauriananensi, ut Imperatorem permitteret egredi, promittens ei non modò restitutionem ablatorum, sed montes aureos, & cum honore & gloria Imperii gratiam sempiternam. Viri autem Religiosi, quos evocaverat, arripuerunt iter, excepto Abbate Cistertiensi, qui gravi detentus infirmitate, vice sua misit Dominum Gaufredum Antisiodorensem, qui Claræ vallis fuerat Abbas, præmittentes fratrem quendam, qui à tyranno exploraret, ubi & quando eorum vellet uti colloquio. At ille audito adventu eorum, & litteris jam de exitu suo certus, induciis impetratis respondit eos ob hanc causam frustra venturos esse, nisi Angelum de cœlis secum patenter adducant, aut veniant in potestate faciendi miracula, ut possint mundare leprosos, & suscitare mortuos: & sic illi ad propria reversi sunt. Hæc mihi idem conversus Carthusiæ, qui legationem gesserat, retulit. Imperator autem collectis obsidibus, quos disperserat, ad reditum properans venit ad Sanctum Ambrosium, habens circiter triginta milites in comitatu suo. Et inde manè festinanter egrediens propè Secutiam in eminentia cujusdam montis suspendit obsidem quemdam, Nobilem Brixiensem, imponens ei, quod conjurationis Italorum conscius fuerat, & quod plus est, artifex congregati Exercitus, qui eum ab Italia expellebat. Alios verò obsides secum duxit intra Secutiam. Cives autem & incolæ loci portas claudi fecerunt appositis custodibus armatis, & tyranno obsides abstulerunt, dicentes sibi ab aliis civitatibus excidium & exterminium imminere, si vicinos & amicos viros Nobilissimos sic paterentur abduci in Alemanniam occidendos, præsertim cùm adhuc in Italia suspenderit virum potentem & generosum: & suis exitum patere pro libitu. Tantam quidem adhibuerunt diligentiam obsidibus retinendis, ut neminem permitterent egredi, qui Italicè loqueretur. Imperator autem assumpto habitu servientis, quasi ut alicujus magni viri procuraret hospitium, cum aliis quinque servientibus noctu egressus est, lætus quod ei concesserant Italiam perdere, quam demeruerat diutiùs retinere. Inde transiens Chrysopolim, suam turbavit Burgundiam, precibus intentans minas. Et progrediens Alemanniam & Saxoniam supra modum turbatas reperit, & fratrem suum præ cæteris inimicum, cùm tamen ei plurimi adversentur. Porrò Lombardi post egressum ejus Blandratum diruerunt, extractis inde obsidibus, qui ibi relicti erant, & interfectis Theutonicis ferè omnibus, quos ad custodiam Castri deseruerat Imperator. Decem autem Nobilissimos & ditissimos Alemannos dederunt in solatium mariti uxori illius Brixiensis, quem supra propè Secutiam suspensum retuli, ut illa, prout libuerit, eos aut suspendat aut perpetuæ subjiciat servituti, vel redemptionem accipiat. Et inde damna multa Marchioni dicuntur intulisse, & nunc rumor est eos obsidere Papiam. Et certum est, quod Papienses jam in Alemanniam miserunt Nuncios Imperatori denunciantes, quod nisi redierit, & opem tulerit, nulla ratione poterunt diutiùs resistere civitatibus. Hæresiarcha Cremensis Romæ est apud Sanctum Petrum, ubi eum Romani morari patiuntur inito commercio de reddendis Captivis suis, quem tamen, ut ajunt, recedere non paterentur. Episcopus Albanensis Domini Papæ vices agit in Urbe. Et si Lombardi Papiam ceperint, spes est Guidonem Cremensem raptum iri, & quòd non modò Romani omnes, sed & Thuscia tota schismaticos impugnabit. Adhuc autem incertum est, an Dominus Papa Lombardorum velit audire preces, se transferendo ad illos, creditur tamen. Prosperatur autem adhuc Beneventi, ubi Nuncii Regis Angliæ & Domini Cantuariensis in ipsius præsentia convenerunt. Et quidem utrique benignè & honorificè recepti sunt. Sed Regalium, sicut justitia minor, sic pompa & divitiarum ostentatio major. Cùm autem Dominum Papam blanditiis & promissis dejicere non prævalerent, ad minas conversi sunt, mentientes quod Rex eorum Noradini citiùs sequeretur errores, & prophanæ Religionis iniret consortium, quàm in Ecclesia Cantuariensi Thomam pateretur ditiùs Episcopari. At vir Dei nec terrore concuti, nec seduci potuit blandimentis. Eisque duas proponens vias, alteram vitæ, alteram mortis, respondit eos, ut cæperant, facilè posse, contempta gratia & patientia Dei, pereuntium præeligere viam, sed se, Domino propitiante, non recessurum à via recta. Detumuit ergo in brevi spiritus eorum, & videntes se hac via contra justitiam non posse proficere, miserunt in Siciliam Nuncios & litteras Regis sui, quibus muniti venerant, ut ope Siculi Regis & Reginæ possent aliquid à Domino Papa adversùs Ecclesiam impetrare. Sed Christianissimus Rex Francorum, præsagiens hanc versutiam malignantium, Panormitano Electo causam Ecclesiæ & Domini Cantuariensis commendavit ut propriam. Quis alterutrius Legationis profectus sit, hactenus ignoratur. Supervenerunt interim Nuncii Legatorum, quos Rex Angliæ impetraverat, minimè coarantes. Nam quidquid cecinerat alius, alius in Curia decantabat. Sed nec de istis certum est, quid sint ad Dominos suos relaturi. Supplicatum ergo ex parte Regis & Legatorum, adhibitis multis intercessoribus, Domino Papæ pro Episcopo Saresberiensi, & tandem obtentum, ut ei summus Pontifex suam remitteret injuriam & offensam, & Domino Cantuariensi scriberet rogans & consulens, ut ei dimitteret injuriam suam, & ipsum à suspensionis sententia relaxans, in gratiam reciperet & amorem, si tamen ei in propria persona de satisfactione sufficientem præstiterit cautionem, aut duos de majoribus Clericis Ecclesiæ suæ, excepto Decano, transmiserit, qui jurent: quoniam Episcopus eis mandavit, & posteà non demandavit hoc præstare juramentum, quo ipsius Episcopi nomine & vice jurabunt, quod Archi-Episcopo de contumacia & injuria satisfaciet. Ex quo probabiliter colligi potest, quod Dominus Papa sententiam Legatorum, qua jam dictum



ctum Episcopum absolverunt, aut ignoravit, aut ratam habendam esse non credidit. Obtinuerat autem idem Episcopus antè litteras ferè consimiles, quæ tamen ipsum & suos non onerabant aliquo juramento, sed eis nondum usus est, vel quia Regi displicuerunt, vel quia minoris efficaciæ reputatæ sunt. Quem verò calculum reportaturi sint alterutri, nesciebatur adhuc, quando reversus est prædictarum portitor litterarum, sed Dominus Papa rescripsit Christianissimo Regi, se Ecclesiæ Dei & suo Cantuariensi non defuturum, quamdiu partem ejus justitia comite poterit sublevare. Nunc ad Regum nostrorum colloquia transeamus. Illustres viri, harum Campaniarum, & Philippus Flandrensium Comes, procuraverunt in Conventu Suessionensi causam Regis Anglorum apud Cristianissimum Regem, & tandem juxta preces memorati Regis Angliæ in hanc formam pacis decursum est: Rex Angliæ debebat redire in Hominium Regis Francorum, & fide corporaliter & publicè data coram omnibus profiteri, quòd ei tanquam Domino suo de Ducatu Normanniæ serviret, sicut prædecessores sui Duces consueverunt servire Francorum Regibus. Comitatum verò Andegavensem & Cenomanensem, & fidelitatem procerum ad memoratos honores pertinentium, cedere tenebatur Domino Henrico filio suo, qui inde Hominium & fidelitatem Regi Francorum contra omnes homines facturus erat, nec aliquid debiturus Patri vel fratribus, nisi quod exigit ratio meriti vel naturæ. Ducatum verò Aquitaniæ lege simili Rex Francorum Richardo filio Regis Angliæ concedebat, dans ei in matrimonium filiam suam, sed sine dote, quæ tamen erat pro libitu parentis donationem propter nuptias acceptura. De Tholosa nec mentio habita est. Milites qui altrinsecus capti erant, debebant liberari, & sic consolidari pax & concordia Regum. Cùm verò Rex Angliæ voti compos audiret Comitem Henricum ad se venire, ut hæc ineundæ concordiæ forma confirmaretur, demandavit ei, ne progrederetur proficiscens in Pictaviam, ut Liziniacum castrum auferret proceribus, qui illud reædificare convenerant & munire. Causam verò, quàm cum Francis tractabat, commisit Archi-Episcopo Rothomagensi, & Richardo de Humaz, & Richardo de Luci finiendam vice sua, quorum juramenta contra voluntatem Domini sui Franci nostri non appretiantur vel obulum. Unde Rex Francus ratus se delusum esse dolo Partis alterius, Bituricas indignans profectus est, ibique à proceribus Pictavorum juramenta recepit, & obsides, quod nullam sine consilio & voluntate ejus cum Rege Anglorum facient pacem, eis auxilium mutuum repromittens, & juramento Petri fratris sui, & Comitis Stephani, & Wilhelmi militis Carnotensis firmans, quod nec ipse pacem faciet, nisi facta pace eorum, & nisi ei restituantur ablata. Iteratò itaque, sed diligentiùs per antedictos Comites Campanum & Flandrensem egit Rex Angliæ, ut alterius Regis haberet colloquium, & pacem pro forma, in quam convenerant, reformaret. Et quidem in Octavis Paschæ colloquium obtinuit optimatum Francorum, sed faciem Regis videre non meruit, nisi ante securitatem præstiterit, quòd Pictavienfibus & omnibus, qui Regi adhæserunt, pacem & universa ablata cum integritate restituet, excepto quod non teneatur Pictaviensibus, sicut nec ei Pictavienses, mortuos suscitare, vel casas reædificare combustas. Hac ergo fide corporaliter data præstitit cautionem, & quod alios articulos pacis apud Suessionem dispositæ fideliter observabit. Hoc ipsum simili modo cautum est à proceribus ejus. Proceres autem ei se fide obligaverunt, quod Rex Franciæ, si sibi pacta superiùs posita & suis servata fuerint, præmonstratam pacis observabit conditionem, excepto quod filiam suam non consentit Richardo destinato Duci Aquitaniæ in matrimonium collocare. Hoc tamen de Tholosa expressum est: quod si Richardus de Comite Sancti Ægidii sibi petierit justitiam exhiberi, Rex causam tractabit judicio Curiæ suæ. Quæ cùm Regi Francorum relata fuissent ex ordine, consensit ut cum Rege Anglorum loquatur Dominica proxima post Adscensionem, & secundùm prædictas conditiones faciat pacem. Sed Pictavienses ei posteà conquesti sunt, quòd Rex Anglorum eos transmisso exercitu expugnabat, dum verba concordiæ tractarentur. Exercitum tamen confecerant, & Ducem ejus Comitem Patritium interfecerant, sed inviti. Unde Rex Francus plurimùm motus. Sed an hoc impedire pacem possit, ignoro, licèt eum pœniteat sic consensisse. Cæterùm aliquatenus inductus fuit contemplatione devotionis, quam Regem Anglorum opinatus est concepisse. Cùm enim idem Rex pro reformanda sibi pace Francos, de quorum amicitia confidebat, operosiùs sollicitaret, & Electum Carnotensem didicisset Christianissimo Regi familiarem esse præ cæteris, eò quòd alios Optimates præcedere creditur in timore Domini & operibus sapientiæ, accessit ad eum affectuosiùs supplicans, ut eum reconciliaret Domino suo, cum quo & pro quo, si placeret, paratus erat in Ægyptum proficisci. Electus verò, ut potè vir prudentissimus, volens verbi latebras sibi profundiùs aperiri, est ne, inquit, verum, quod dicitis, ut cum eo velitis ire Hierosolymam? At ille: nihil unquam feci libentiùs, si placuerit Domino meo, & me permiserit domui meæ disponere, & liberis providere. Carnotensis autem, etsi dolum suspicaretur, hæc retulit Regi Francorum. Ille autem respondit, quod turpe erat toties decipi, nec se aliqua ratione crediturum ante, quod ex animo locutus sit, quàm humerum ejus cruce videat insignitum. Nam etsi hoc ei antea promiserit, firmaverit cautione, qua commissa nemo fidelis est, & Religionis præstitæ prævaricator appareat, ait stultum esse nudo verbo ejus habere fidem. Pronior tamen fuit exinde ad concordiam ineundam. Nunc autem cum audisset, quod dum hæc promitteret, Pictavos aggrederetur, adeò turbatus est, ut ei per Nuncios suos denunciaverit se ad colloquium non venturum, nisi ipse Pictavienfibus securum præbeat commeatum, & det obsides, quod nec in itu, nec mora, nec reditu, ipse vel sui aliquam eis inferret læsionem. Et jam certum est, quod si salva honestate potuerit à conditionibus resilire, opportunitate temporis gratanter utetur. Sunt etiam qui putent, quod Rex Angliæ nullo modo tantam possit ignominiam sustinere, ut his pacem & castra cum cæteris ablatis restituere compellatur, qui interfecerunt proceres suos, & honori & voluntati ejus tanta contumacia restiterunt. Solet enim improbus

bus esse, præsertim ubi impetum impatientis animi succedit injuria. Alii autem, quia versutus est, & se videt in arcto positum, opinantur quod solita simulandi & dissimulandi arte utetur ad præsens, & accepto tempore de inimicis optatam expetet ultionem. Sed quidquid faciant Reges, non creditur quòd Pictavienses cum eo ineant pacem, eò quod desperant se fidem posse reperire in homine, à quò se etiam innocentes contra fidem læsos esse queruntur. Verùm supervacaneum varias retexere opiniones, cùm rerum eventus in brevi ipsam deteget veritatem, quam cùm innotuerit, tibi Deo Authore, quantociùs potero, significare non pigritabor, tam de Pactis Regum, quàm de statu Domini Papæ, & caussa Ecclesiæ Anglicanæ diligentissimè referens, quidquid relatu dignum esse credidero. Tu mihi de statu tuo & amicorum rescribens vicem redde, habens & à Sanctis haberi faciens in bono mei & meorum memoriam ante Deum.

## EPISTOLA LXVII.

*B..... Norwicensi Archi-Diacono Joannes de Saresberia.*

HONOR cinguli militaris, quo me ad Apostolorum limina properantem tu indè rediens decorasti in Urbe Senonum, quam Brennus Dux Senonum ad locandos ibi valetudinarios suos legitur construxisse, me sæpiùs, quoniam collato utor gladio, tui in charitate & gaudio memorem esse compellit. Et utinam hoc pereat rubigine cœlum. Sed & qui nos commovet meliùs non tangere clamo: *Flebit & insignis toto cantabitur orbe.* Illo agente qui jam extendit manum suam in retribuendo, & Christianorum hostem Fredericum ad gloriam suam fecit misericorditer Ex-Augustum. Contra eum & contra conlatrones suos jam quinto anno milito peregrinus, ignarus an in Patria nostra relicta sit mihi aliquis Amicorum, an omnes sint in fata collapsi. Timeo enim, ne nusquam sint, qui nusquam inveniuntur, quibus, cùm pulsantur, non est vox neque sensus. Si superesset vel unus, probabile est quòd saltem ab intermeantibus quæreret, vivitne Godricus & aura utitur ætherea, an crudelibus occubat umbris? Unde dilectionem tuam, cujus fides in conflatorio probata super aurum rutilat, & omni topazio pretiosior est, credidi attentiùs exorandam, ut de statu eorum, si qui tamen sunt, diligentiùs inquiras, & si qui eorum adhuc vivunt, ægri tamen, eis medicinam procura, quam morbis eorum noveris expedire, ut saltem audita vita eorum, etsi non sospitate, quam nemo mihi persuadere potest, aliquod tantæ peregrinationis, & laboriosæ militiæ, qua pro libertate pugnamus ad bestias, recipiamus, te interveniente, solatium. Illos enim nosse consueveras. Age ergo strenuè quod cœpisti, & lætare & spera in his, quæ dicta sunt nobis, quia authore Deo in proximo recipiemus stipendia, & hostem publicum conjiciemus in vincula, aut à Patriæ persecutione cessabit, se dedens Principi, qui vivit, & meritò dominatur in universa terra. Fredericum intra Papiam clausimus & tenemus obsessum, ejectos à schismaticis Episcopos reduximus in sedes suas, & contrito capite impiorum, membra sibi cohærentia facilè dissolventur. A tuo ergo sensu, id est, à recto non movearis, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam tanquàm ab Apostolico missam; quasi instet ira Dei justos deferens in tribulatione, & impiis in malitia perseverantibus gloriam largiens & triumphum. Videbitis in brevi gloriam Dei, & impleri promissiones Patrum, quas infidelis non meretur. Nam & qui, Hierusalem imminente Sennacherib, Oraculum Prophetiæ audiens diffisus est, & eam tam cita liberatione, & victualium copia, & gloria triumphi sublevandam & sublimandam esse non credidit, in porta civitatis extinctus est, concurrentibus fidelium turbis ad magnalia Divinæ promissionis. Si me mutato nomine in Italia militare audieris, non obstupescas, sed imputa tibi, qui me in Italia donasti cingulo militari. Vale, cura lethargicos. Et si tricipitem canem tibi insidiari, aut ut patenter lædat, occurrere contigerit, eum invocato musarum auxilio studeas, aut Herculea domare clava. Salutat te Castrorum fidei jucunda, & meritis suis amplectenda militia. Non mihi displicebit, dum tibi videatur esse tutum, si eis ad quos mitteris, ostendas litteras militis tui.

## EPISTOLA LXVIII.

*Alexander Papa Episcopis Angliæ.*

SUPER discretione vestra satis compellimur admirari, quod cum viri prudentes & providi sitis, in officii vestri executione ita negligentes existitis, quod vix ejus reminisci videmini, sicut in operibus vestris comprobatur. Illud etiam specialiter in vehementem nos admirationem adducit, quod de obedientia, quam Ecclesiæ Cantuariensi debetis, aut parùm aut nihil curatis, sed ita ejus immemores apparetis, quasi quid Deo, quid hominibus exhiberi debeat, penitùs ignoretis. Quæ utique ita nuda & pastore desolata existit, ut illud Propheticum sibi meritò valeat adaptari: *Quomodò sedet sola civitas plena populo, facta quasi vidua Domina gentium?* Veruntamen quidquid hactenus hujusmodi negligentia, ne dicam inobedientia, deliqueritis, nos Paternæ dilectionis circa vos nequaquam obliti, benignitate potiùs, quàm severitate duximus utendum, & vobis, sicut venerabilibus Fratribus nostris, longè ultra quàm meruistis deferendum. Inde siquidem est, quod charissimi filii nostri Henrici illustris Anglorum Regis obtentu, & Nunciorum suorum instantia & prece inducti, & expensis & laboribus vestris parcere cupientes, appellationem, quam adversùs venerabilem fratrem nostrum Thomam Cantuariensem Archi-Episcopum, ne jam deinde Regem, aut vos, vel Regnum Angliæ in aliquo gravaret, jam pridem fecistis, vobis authoritate Apostolica relaxamus, ita quod eam per vos, vel per Responsales exequi nullatenùs teneamini.





## EPISTOLA LXIX.

Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Gileberto de Semplingeham.

*Salutem & in Spiritu mansuetudinis congregare dispersos Israel.*

NOS vobis alia vice scripsisse meminimus, ut fratres nostros, qui occasione juramenti servandæ professionis, quod nulla, sicut audivimus, Religionis institutio exigere consuevit, dispersi sunt, revocaretis, remisso tanti scandali juramento, & eos ea moderatione de cætero tractaretis, quæ culpas cohibere & purgare sufficiat, & Patrem & Pastorem deceat animarum. Hoc ipsum & præcipit Dominus Papa, cujus non obedire Mandatis maximi sceleris instar est, & Idololatriæ crimini comparatur. Sed sicut fratrum nostrorum indicat querimonia sæpiùs iterata, nostrum contempsistis aut dissimulastis Mandatum, nec de Ecclesia curastis adhuc tantum scandalum amovere. Scitis tamen, quod Dominus, cujus essentia veritas est, & verba vita, ei *Væ* denuntiat imminere, per quem scandalum venit. Inde est, quod fraternitati vestræ, quam, sicut Deus novit, sincera in Christo diligimus charitate, iterata præceptione mandamus, in virtute obedientiæ jubentes, quatenus fratres nostros revocare & congregare studeatis, & unitatem pacis reformare in Domo Domini, ne nos ex Mandato Apostolico aliquid in vos duriùs statuere compellamur. Rogamus etiam, monemus, consulimus, & Christi vice, & qua præeminemus authoritate præcipimus, ut sic zeli, quem habetis in Domino, rigorem temperetis, quo laboris nostri fructus valeat permanere, & ne post dies vestros tanti laboris opera pereat & impensa. Nam, ut nostis, qui nimis emungit, elicit sanguinem, & immoderatio noverca salutis est. Precamur etiam, ut præsentium latoribus, si deliquerunt in aliquo, misericordiam impendatis, & peregrinationem nostram sanctorum, qui vobiscum sunt, orationibus commendetis.

## EPISTOLA LXX.

Henrico Regi Angliæ Fratres Carthusiæ.

*Excellentissimo & in Christi visceribus amplectendo Regi Anglorum strenuissimo Fratres Carthusiæ, utinam pauperes spiritu, sic in præsenti sæculo regnare, ut in futuro valeat coronari.*

CUM sanctus Job federet quasi Rex circumstante exercitu, erat tamen mœrentium Consolator. Rex Regum & Dominus Dominantium aperuit manum suam, & habenas Regni vestri multipliciter dilatavit. Oportet ergo, ut semper ante oculos vestros habeatis illam terribilem sacrosanctæ Scripturæ comminationem, qua dicitur: *Potentes potenter tormenta patientur, & fortioribus fortior instat cruciatus.* Et illud psalmistæ: *Terribili & ei qui aufert spiritum Principum, terribili apud Reges terræ.* Divulgatum est ab oriente usque in occidentem, quod Ecclesias Regni vestri intolerabiliter affligitis, & exigitis ab eis inaudita quædam & inconsueta, quæ si quæsierint, quærere tamen non debuissent antiqui Reges. Potest autem fieri, ut in tempore vestro, quoniam multam contulit vobis Deus sapientiam, tanta afflictio utcumque tolerari possit, sed forsitan post decessum vestrum tales regnaturi sunt, qui devorabunt Ecclesiam toto ore, & indurati cum Pharaone dicent: *Nescio Dominum, & Israel non dimittam.* Parcite, quæsumus, parcite dignitati vestræ, parcite nobilitati, parcite generi, parcite & famoso nomini vestro. Et qui plenus ac potentissimus estis, formam compressionis futuris non dimittatis. Mœrorem & ærumnam sanctæ Ecclesiæ, quæ ferè ubique conculcatur, clementi oculo respicite, & Regia consolatione eam fovere, ac tueri indesinenter & infatigabiliter studete.

## EPISTOLA LXXI.

*Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Joanni Cardinali, Joannis & Pauli.*

DISCRETIONI vestræ non exstat incognitum, quanta sinceritate fidei, & obedientiæ devotione, & exhibitione obsequiorum Cantuariensis Ecclesia præ cæteris omnibus totius Insulæ nostræ Sedi Apostolicæ semper adhæserit, nec ab ejus unquàm, sivè prosperorum blanditiis, sivè turbinibus adversorum, potuerit fidelitate divelli. Hæc vestro solebat gaudere patrocinio, & à vobis decessoris nostri tempore in tribulatione exspectare solatium, & in opportunitatibus suis vestro consilio instrui, & auxilio roborari. Vobis devota erat, suisque connumerabat successibus, si dabatur facultas obsequendi, si ex merito suo vobis officiosa videbatur in aliquo. Nos quoque ipsi, qui ejus, dignatione Divina, licet indigni, gerimus administrationem, sæpè, quod memori mente recolimus, operam dedimus & diligentiam, ut vestræ voluntati & vestrorum usibus serviretur: & utinam non excidisset à memoria vestra. Sed quia in hac parte videtur obliviosior, quàm expediret nobis, rogamus ut saltem fratri nostro, quem officii vestri non credimus esse immemorem, credatis de nostra ad vos devotione. Si autem vobis in persona nostra post adeptum Episcopatus gradum non serviverimus, utique nobis voluntas non defuit, sed facultas. Sperabamus de vobis, præ multis, nostrum non auferentes, sed differentes obsequium. Decreveramus nos, quod differebatur, cum accessione devotionis & obsequii Amico & Domino benigne præstolanti multiplicius refusuros. Unde miramur supra modùm, quis vos ab amore Cantuariensis Ecclesiæ & protectione nostra averterit, præsertim in causa Dei, quæ si periclitaretur, quod absit, totius Anglicanæ Ecclesiæ libertas deperiret, Romanæ sedis authoritas arceretur ab Anglia, & ad nutum Regis procederent universa. Si voluissemus ei ab initio in consuetudinibus, quas petit, consentire, nec vestro nec alterius ad ipsum interventu indigeremus. Vos videritis, an ad verba juratoris, insignes cujus fraudes, Deo propitiante, detectæ sunt, tam citò fuerit recedendum ab Amico, tam facilè Cantuariensis Ecclesiæ contemnendum obsequium. Illa tamen nec sic repulsa & læsa recedet à vobis, nequè nos, si placuerit

rit vobis, à nostro desistemus obsequio, quin accepto tempore honori vestro & vestrorum studeamus devotiùs inservire. Hac itaque voluntate & conscientiæ securitate confisi rogamus attentiùs, quatenus Cantuariensem Ecclesiam se vobis offerentem non abjiciatis, non deseratis causam Dei, quæ indubitanter est in manibus vestris, ne & vos deserat Deus, qui & de vobis, in quo judicio judicaveritis, judicabit. Experiatur nunc Cantuariensis Ecclesia veteris Amici fidem, quia qui Amicum in necessitate deserit, non illius Amicus est, sed fortunæ. Unde vobis tamquam Amico & Domino fideli intimamus, quia non tantum vobis proderit illius juratoris & similium amicitias colere, quantum oberit, si Cantuariensis Ecclesiæ projiciatis obsequium. Nam servile ingenium est, quod dumtaxat suppliciis emendatur.

## EPISTOLA LXXII.

Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Canonicis Pantaneiæ.

*Salutem, & in fortitudine patientiæ consolationem Domini fiducialiter exspectare.*

NON turbetur cor vestrum, dilectissimi, neque formidet, quia Deo propitio salus Ecclesiæ & pax vestra in januis est, Prioremque vestrum, qui per nos incolumis & lætus transitum fecit, voti compotem recipietis in brevi. Interim non deficiat vestra fides, quia quod prudentiam vestram tenere memoriter constat, *Væ* perpetuum his, qui sustinentiam perdiderunt, & in fide perseverantibus corona gloriæ reposita est in sinu Patris misericordiarum, qui superbos humiliat, & exaltat humiles. Nec est de ejus auxilio diffidendum, si patientibus plerumque pro voto non exhibetur: quia sicut Apostolus docet, patientia per tribulationis angustias probatur, & clariùs enitescit, virtusque proficiens nobilitatur & generosa sobole meritorum, quibus augustiore gloria coronatur in præmio. Est autem procul dubio Christianus infideli deterior, qui sic Deum justitiæ suæ, & misericordiæ, & veritatis putat immemorem, ut Ecclesiæ & pauperum Christi tortores suspicetur evadere posse judicium Dei, & lachrymas contra promissum veritatis perpetuandas in oculis sanctorum. Accipiunt quidem impii interdùm à Domino potestatem momentaneam in filios gratiæ, ut eorum ministerio purgentur, aut probentur, aut custodiantur. Sed Beatus Job, exemplar patientiæ & virtutis, exemplum fidelibus & argumentum datus est, quod diu non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum. Si ergo Sathanitarum spiritus accepta potestate intumuit contra vos, si à loco, in quo morum conversionem & stabilitatem Deo promisistis, perturbare conatur, constantia vestra in Domino nequaquam sibi creditam deserat stationem, sed exspectet salutem Domini, & clypeum patientiæ, sicut decet sanctos, terroribus & minis confidenter opponat. Prohibemus autem authoritate Domini Papæ & nostra in virtute obedientiæ, ut nulla ratione recedatis ab Ecclesia & domibus vestris, nisi vis atrocior, & inexorata necessitas invitos & coactos extraxerit. Nos autem ex speciali Mandato Domini Papæ Comitem Hugonem solemniter excommunicavimus, & præcipimus in virtute obedientiæ, & periculo salutis & ordinis vestri, quatenus denunciatorias nostras venerabilibus fratribus nostris Wilhelmo Norwicensi & Nigello Heliensi Episcopis tradatis, ut sententia, quæ ex Sedis Apostolicæ procedit arbitrio, robur debitum consequatur. Cavete autem modis omnibus, ne in absentia Prioris vestri compopositionem vel aliud faciatis, quòd in damnum Ecclesiæ valeat redundare.

## EPISTOLA LXXIII.

*Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Henrico presbytero Cardinali.*

SI vobis aliter locutus fuero, quàm animæ meæ, in me ac vos æquè videbor injurius, & neutri satis fidus. Nam quod sæpè expertus sum, salus mea & Anglicanæ Ecclesiæ incolumitas de vestro post Deum pendet consilio. Licèt autem affectus sit plurimus ad vos, & in vobis confidentia multa, verba tamen multiplicari non expedit, quorum paucitas sufficit sapienti, præsertim cùm & opem ferre necessitatibus Amicorum soleat charitas non rogata. Ex litteris, quas Domino Papæ mittimus, & Nuncii relatione, qui frater est Religiosi Sacerdotis incarcerati, in quo calculo causa nostra, immò certè vestra, & totius Ecclesiæ Dei versetur, facilè advertetis. Vestræ erit de cætero providentiæ tantis obviare morbis, tam sceleratos & pestiferos consilio & auxilio prævenire, & evacuare conatus. Distulimus in Regem anathematis, quam meruerat, & continuis jugiter provocat injuriis, ferre sententiam; sed ipse, dum manus violentas injicit in Sacerdotes Christi, Ecclesias possessionibus spoliat & libertate, in caput suum intorsit anathema. Canon enim nec potestatem excipit nec primatum, sed pariliter peccantes pari condemnationis pœna percellit. Nisi fortè Leges Ecclesiasticas civilibus comparandas censeatis & vos, quæ sicut Anacharsis conqueritur, aranearum assimulantur telis, quæ muscas impediunt & retinent, sed diruptæ volatilia grandiora transmittunt. Hoc est enim quod Judicibus Ecclesiasticis improperat Dominus, ut ferè cum gentilibus dicant, *Et tantùm miseris irasci numina possunt*. Sed non ita Lex Domini, quæ ultionem inchoat à sanctuario suo, & in eos, qui præsunt, durissimum exercet judicium, & potentes dictat potenter puniendos. Cum Madianitibus fornicatus legitur Israel, & Principes pœna criminis percelluntur. Ait enim Dominus: *Tolle cunctos Principes populi, & suspende eos contra Solem in patibulis*. Et cùm animam, quæ peccaverit, justitia mori decernat, ut nec Pater filii, nec filius iniquitatem Patris portet, qua transpositione Divinæ Legis efficitur, ut potestates comedant uvam acerbam, & obstupescant dentes privatorum, ut potens solvatur in crimine, & innocentia pauperis supplicio addicatur? Fidem, quæso, Nunciis habeatis, & operam detis & diligentiam, ne presbyter Clericus Wilhelmi Papiensis promissionem veram nuper fecerit Regi Angliæ, pollicens ei quod Dominus suus, Legatione accepta, causam Ecclesiæ, quam fovemus, ad Regis diffiniet voluntatem.



Certum verò sic, quod nos peram nostram vel causam Ecclesiæ non credemus nisi judicio Domini Papæ, cui Ecclesia Anglicana stabit, aut cadet. Stabit autem per misericordiam ejus, in quo fundata est, & cujus est redempta sanguine. Meminit vestra discretio, qua sinceritate quidam nobiscùm ambulaverint, ut illorum judicium ex justa causa possimus declinare.

## EPISTOLA LXXIV.

*Alexandro Papæ Wilhelmus Carnotensis Electus.*

VIGOR sensuum membris omnibus manat à capite, & à sancta Romana Ecclesia, quæ omnium fidelium est Caput, incolumitas universis & singulis Ecclesiis procuratur. Nobile membrum ejus est prima Sedes Anglorum Cantuariensis Ecclesia, quæ prima prædicationis officio & Sacramentorum dispensatione totam insulam convertit ad fidem, ut eam tanquàm matrem suam omnes aliæ debeant venerari, quæ eas per Evangelium in Christo genuit. Hanc non tam debilitare & scindere, quàm subvertere nititur Rex Anglorum, ut cum ea totius Ecclesiæ, quòd absit, perimat libertatem, & authoritatem Sedis Apostolicæ excludat à finibus suis, & solus omnia possit in orbe suo, qui sibi soli omnia concupiscit. Et nisi ipsius improba retundatur audacia, valde timendum est, ne Reges & potestates ad similem contra Dei Ecclesiam improbitatem tali provocentur exemplo. Nam plerumque, quod puniri non audiunt, licitum opinantur. Exulat apud nos Vir bonorum omnium clarus testimonio, Domino Regi, Ecclesiis, & optimatibus Francorum gratus & acceptus pro sua reverentia, Dominus Cantuariensis, quia tantæ iniquitati se opponere ausus est, & pro libertate Ecclesiæ facere verbum, & Apostolicæ Sedi in privilegiis servandis servare fidem. Causa hæc, Pater sanctissime, vestra est, in vos tam præsumptuosa, tam damnosa redundat injuria. Apostolatui vestro de cohibitione Tyrannidis hujus debetur victoria, per misericordiam Dei & gloria reservatur. Nam si ille, quòd Deus avertat, prævaluerit, Ecclesia Anglorum periit, & Gallicana in periculo est. Exspectat devotus filius vester Christianissimus Rex Francorum, exspectant Ecclesiæ & optimates Regni, quam opem adversùs Tyrannum sævientem feretis Archi-Episcopo pro justitia exulanti, & coexulibus ejus, quod Ecclesiæ laboranti, immò jam ferè labenti solatium. Exspectant, inquam, sibi reputaturi factum, quidquid miserationis Domino Cantuariensi & suis fuerit exhibitum: si Ioannem, qui Imperatori contra Ecclesiam Dei execrandum præstitit sacramentum, & complices suos confuderitis. Si Regis Anglorum circumventiones examinaveritis diligentiùs, *Ne vos decipiant animi sub vulpe latentes*, Deo authore, liberastis Ecclesiam. Nam quæcumque idem Rex agit, nostratibus & vicinis adeò suspecta sunt, ut passim dicant: *Quoniam Beatus qui allidit parvulos suos ad petram*. Sicut vicinis notus est, utinam sine damno vestro, ne pernitiosiùs noceat, totus innotescat & vobis. Supplicemus itaque, quanta devotione possumus, majestati vestræ, quatenùs aures Clementiæ vestræ aperiatis ad orationes & vota populorum, & Cantuariensis Ecclesiæ respiciatis necessitatem, & Archi-Episcopi, & eorum qui sibi pro Deo & Ecclesiæ libertate coexulant, miserabiles exaudiatis preces. Certum verò habeat sanctitas vestra, quod Dominus Rex & optimates Regni Francorum eas ex variis & justis causis desiderant promoveri.

## EPISTOLA LXXV.

*Alexander Papa Henrico Regi Anglorum.*

SIGNIFICATUM est nobis, quod quidam ministrales tui in Anglia commorantes dilectum filium nostrum Wilhelmum Capellanum sine causa rationabili capere, & carceri detrudere præsumpserunt. Ubi, sicut audivimus, adhuc captivus tenetur, & tanquàm Sacerdos non esset, turpiter & inhonestè tractatur: quod excellentiæ tuæ non credimus aliqua ratione placere. Unde, quoniam magnificentiam tuam non decet, ut Sacerdotes & Altaris ministri, vel etiam quilibet Clerici ab officialibus tuis taliter capi, aut carceri debeant mancipari, aliquatenus sustinere, sed excessum hujusmodi, cum ad aures tuas pervenerit, celeriùs emendare, Serenitatem tuam per Apostolica scripta rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, quatenùs illius amore, qui verus Rex & Sacerdos etiam nuncupatur, & pro reverentia Beati Petri & nostra, memoratum Wilhelmum liberum & absolutum dimittas, & ei pacem tuam concedens, ipsum beneficia, quæ habebat, injustè sibi subtracta permittas sine molestia possidere, & cetera, quæ illi ablata fuerunt, eidem facias cum integritate restitui, ut ab omnipotente Domino dignam propter hoc retributionem merearis accipere, & à nobis ipsis debeas exinde gratias multiplices exspectare.

## EPISTOLA LXXVI.

*Joannes Saresberiensis R..... Priori Wigornensi.*

AQUARUM copia nequit extinguere charitatem, & sinceræ dilectionis affectus se perspicuis indiciis prodere consuevit. Poterat ergo videri jure silentii mei diuturnitas arguenda, nisi & necessitas peregrinationis, & locorum distantia, & intermeantium raritas, & difficultas commeantium, & perniciosa sibi, & odibilis Deo, officiosa tamen Ecclesiæ insidiatorum diligentia, charitatis silentium excusarent. Officiosam sanè dixerim prœordinatis ad vitam, quibus omnia cooperantur in bonum, rabiem persecutorum: quia & dum impius superbit, incenditur pauper; & dum malitia debacchatur insaniùs, qui in conflatorio Domini sunt, purgantur ampliùs aut probantur. Nunc autem quia mihi Divinitus collata est impertiendæ, & optatæ salutationis occasio, opportunitatem grataner arripui, & vestro interveniente officio prœcor attentiùs totam Vigornensem Ecclesiam nomine meo diligentiùs salutari, orans ut memoriam mei habeatis, & haberi faciatis in orationibus ejus, & agonem Ecclesiæ Domino sedulis precibus commendetis. Nam quod ad temporalia corporis, non tam ad necessitatem, quàm ad delicias promissionem Christi esse verissimam

mam ego & coexules experimur, ut nihil vobis defuerit probabiliter expetendorum pro tempore, ex quo in eum solum contulimus patrocinium causæ nostræ: & unde magis grati debemus esse Altissimo, à domesticis & antiquis familiaribus nihil hac tempestate recepimus, sed amici nostri & proximi steterunt contra nos, ponentes carnem brachium suum, & tenebras lucem. Ut enim de aliis taceam, jam quadriennium mihi exulanti elabitur, nec in ratione dati & accepti alicui eatenus obligatus sum, quin omnibus in commune satisfacere possem, delegato eis ad solvendum pauperrimo debitore. Nec hoc tamen dixerim ad arguendam ingratitudinem veterum Amicorum, sed ad magnificandam gratiam Dei, qui contra & supra merita mea, tam me quàm parvulos ejus, qui mecum sunt, consolatus est in omni tribulatione nostra. Ut autem hæc nobis consolatrix gratia propitia perseveret, vestris & sanctorum desidero precibus adjuvari. Cantuariensis verò Archi-Episcopus, qui velut alter Jonas, ut Ecclesia liberetur, spontaneum ex charitate naufragium fecit, gratiam, quam apud suos meruerat, Domino ducente apud extraneos reperit, & filiorum expertus devotionem stipendiis suis Ecclesiæ militat Anglicanæ. Noveritisque pro certo, quia per misericordiam Dei in brevi patenter videbitis, quod, ut credo, desiderat anima vestra, persecutores scilicet Ecclesiæ aut converti, aut concuti. Sed cętera, quæ ad hunc articulum pertinent, necesse habeo pręterire, ne prevaricator obedientiæ publicem, quibus pactionibus & cautionibus obtenta sint, quæ in pręjudicium Domini Cantuariensis & suorum à Domino Papa indulta esse jactitant, qui Ecclesiam persequuntur. Hoc autem licenter eloquor, & verum est, quia si pactiones fuerint adimpletæ, negotium Cantuariensis Archi-Episcopi, & totius Ecclesiæ commodiùs geri non potuit.

## EPISTOLA LXXVII.

*Joannes Saresberiensis R..... Priori Moreton.*

UBI humanum consilium deficit, ex necessitate confugitur ad Divinum, quod, ut opinor, nulla via faciliùs aut feliciùs obtinetur, quàm si Amici Dei illud precibus studeant obtinere, quod culpa indigentium patrocinio demeretur. Ego quidem exulo & proscriptus sum, & quod ad hominem, alterutrius pœnæ justam causam non video, licèt apud Deum acerbiora me meruisse conscius sim. Et fortasse peccatis mei exigentibus evenit, ut his & flagellis acerbioribus feriar, & tamen causam percussionis ignorem. Eò autem magis timenda sunt judicia Dei, quò de occultiori justitia & secretiori ratione proveniunt. Est autem pœna duplex, cùm & ipsa sentitur, & causa ignoratur. Si tamen Divinæ miserationis est, ut me pro justitia pati velit, gratissimum habeo certè, quoniam ita Amicos beare consuevit, quia per multas tribulationes itur ad Regnum. Fateor me Ecclesiæ Dei servasse fidem, & Archi-Episcopo meo, ut oportuit, fideliter obedisse, nec me, Deo authore, unquàm servatæ fidei aut obedientiæ pœnitebit. Spero autem, quod & Archi-Episcopus noster, recto calle patrum sequens vestigia, per viam Mandatorum Dei pergit ad vitam. Unde Paternitati vestræ & Dominis & Fratribus nostris quanta possum devotione supplico, quatenus agonem nostrum Domino precibus commendetis, ut si in invio sumus, reducamur ad viam; si in via, quod utique credimus, perficiamus, & perducamur ad vitam. Nihil enim alius nobis necessarium est, nisi ut Deo placeat causa nostra.

## EPISTOLA LXXVIII.

*Joannes Saresberiensis Baldevvino Archi-Diacono Exoniensi.*

LICET à multis retrò temporibus dilectioni vestræ obnoxius tenear, tamen sinceritatis vestræ non tam frequens, quàm jugis sollicitudo devotionem meam sibi reddit in dies arctiùs obligatam. Quem enim non promereatur in adversis infatigata & indeficiens fides? Cujus pectus non succendat & inflammet in periculis & conflatorio tentationum charitas incorrupta, officiosa, & supereminens? Quod in vobis commendo, in me expertus sum, sed in fratre meo magis experior. Nam sortem ejus mea reputo duriorem, nisi quod mea & illius ex animo omnia sunt communia, & sic eadem conditio est. Graviùs tamen exulat qui domi exulat. Sicut enim in civitate sua florere gloriosum est, & jucundum nobilitari in Patria, ita apud suos egere aut vilescere calamitosum est. Minoris namque erubescentiæ est apud extraneos mendicare. Nonnullus autem, immò & multus est usus adversitatis hujus utrique nostrum, per quam & nos nobis, & mundus etiam fideliùs & familiariùs innotescit. Tandem enim discimus, quod à multis temporibus audieramus, & scriptum est à sæculis multis: quia in prosperis Amicus non apparet, & in adversis non latet inimicus. Ergo, dilectissime, in procella turbinis hujus larvam quisque deposuit quam induerat, & fallaces absterset fucos, & suum ostendit vultum facie revelata. Unde quia fidei & charitatis vestræ faciem, in nostra quæ videtur tribulatione, eandem quidem cernuimus, sed utique clariorem & illustriorem, eam jure & merito ampliùs approbamus, & ut ei condignè respondeatur à nobis, crebris suspiriis optamus & maximo desiderio. Et quidem interim respondemus affectu. Deus autem charitas vestræ charitati procul dubio respondebit effectu, ut, juxta quod promisit, mensuram bonam, & coagitatam, & superefluentem effundat in sinum vestrum. In qua autem conditione versetur causa nostra, Episcopo scripsi: & exinde quæ circa nos sint, vobis pleniùs innotescent. Precor itaque, ut peregrinationem nostram vestris & sanctorum, qui apud vos sunt, orationibus adjuvetis, ne deficiat fides nostra, aut aliquid faciamus ad turbinem hujus procellæ, unde Dominus offendatur; sed quod suum est, faciat cum tentatione etiam proventum. Et quidem jam cœpit, quia et devotionem contulit pro justitia patiendi, et acerbitatem mitigavit exilii: Levius enim est modò, quàm fuerit die prima. Nunquid enim aliquid defuit nobis? Nonne plures habemus modò notos et familiares, et qui amorem, quem profitentur, officiorum et beneficiorum exhibitione declarant? Adferunt ergò ad amoris comprobationem testimonium majus Joanne. Opera enim, quæ ipsi faciunt, perhibent de eis.

EPI-



## EPISTOLA LXXIX.

*Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Denus Rex Gualliæ.*

VESTRÆ, Pater mi venerande, discretionis auribus insonuit, quanta sui juris detrimenta post mortem Episcopi nostri Mauritii nostra passa fuerit Ecclesia. Unde & magno timore perculsi trepidamus, nec, quia nobis incumbit necessitas curam & sollicitudinem hujus Ecclesiæ gerendi, Deus nostræ negligentiæ ista imputet. Nostis quoque, quantùm nos immeritos oderit Rex Angliæ, ita ut nostro honori in Ecclesiasticis & sæcularibus negotiis pro posse deroget, in quo vestri exilii damnosam sentimus absentiam. Sed quoniam in tali statu nostis, quo modo super hac re nostræ indigentiæ consulere valeatis, vestram deprecamur obnixè clementiam, quatenùs cùm sic amodò esse nequeamus, nostrum alibi Episcopum ordinandi licentiam tribuatis, tali tamen interveniente conditione, quòd sanctæ Cantuariensi Ecclesiæ & vobis exhibeat obedientiam, ac si vestræ manus impositione consecratus fuisset. Et benè nostræ petitioni debetis satisfacere, quia non jus aliquod nos cogit vobis subjici, sed voluntas, quæ semper durabit immobilis, nisi in vobis remanserit, quò minùs perseveret. Quod si nos de obedientia, si hoc contigerit, suspectos habueritis, securitatem faciemus quam velitis. Et sicut Archi-Diaconus noster David vestra in omnibus præcepta sequitur, sic & nos omnes faciemus. At unum tandem sciatis, quod ampliùs sic esse non valemus. Voluntatem itaque vestram super his mihi litteris vestris renuncietis.

## EPISTOLA LXXX.

*Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Deno Regi Gvvalliæ.*

GRATIAS vobis plurimas referimus, quod inter bellorum discrimina, & hostilem inimicorum inquietationem Ecclesiæ Dei, sicut ex litteris vestris didicimus, curam & diligentiam impendere non omittitis. Verùm non mediocriter insedit animo illud, quod in litteris vestris legimus, videlicet ubi dictum est, quod ex jure non debeat nobis subjici Ecclesia de Bengor, licèt hoc ob dilectionem, qua vobis tenemur, dissimulemus. Quod autem postulatis, ut nostro assensu & licentia in Ecclesia eadem ab alio quàm à nobis Episcopus consecretur, omnino non adquiescemus. Mittemus vobis Nuncium nostrum, aut certè aliud, quod litteris modò nolumus commendare, sicut pręsentium latorem vobis mandamus. Interim autem vobis mandamus, ut per vestram diligentiam prædicta Ecclesia, honoresque Ecclesiæ in pace permaneant, nec aliqua fiat electio, vel honorum Ecclesiæ transmutatio. Quòd si fieret, nos in irritum ducemus.

## EPISTOLA LXXXI.

*Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Bangornensi Archi-Diacono.*

GRATE suscepimus litteras dilectionis tuæ, & gratias indè tibi referimus. Sed hæc esse poterit summa occasio, qua tibi majores & uberiores gratiarum actiones referre habebimus, si te circa pacem Ecclesiæ Dei, & Clericorum disciplinam sollicitum audiremus. De eligendo verò Episcopo hæc tibi & fratribus tuis mandamus, ne de aliquo fiat electio vel denominatio, donec visis litteris nostris & Nuncio consilium nostrum super hoc negotio audieritis. Nos enim, pro ut Dominus concesserit, ad pacem Ecclesiæ Dei & vestram modis omnibus studium adhibere curabimus. Audivimus Clericos vestros ad alienas Provincias ordinationis causa migrare, quod utrum sit scire cupientes, per fidelitatem, qua nobis teneris, præcipimus, ut nos indè certos reddas. De præsentium autem latore, qui ad vos per multa pericula venit, hæc tibi mandamus & præcipimus, ut Ecclesiam suam & Decimas plenarias cum pace habere facias, & ab injuriis & violentiis, quas ei Decimarum causa infert Arthurus de Chargis, immunem facias, eumque de cætero ab ejus inquietatione cessare compellas. Quod si facere contempserit, infra Purificationem Beatæ Mariæ suam nobis præsentiam satisfacturus exhibeat.

## EPISTOLA LXXXII.

*Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Arthuro de Bargis & Complicibus suis.*

RELATUM est nobis, Arthure, te in nos pariter & Ecclesiam Cantuariensem, Matrem tuam, gravissimè & sine meritis deliquisse. Tu enim, ut nobis suggestum est, cum tuis complicibus in Hiberniam ire præsumpsisti, & ibidem falsa prædicatione tuorum & tua machinatus es, ut Clerici & Episcopi Gwalliæ ordines & Sacramenta reciperent, quasi à novo Metropolitano sibi in Hibernia constituto. Veraciter scias, quoniam immoderatè deliquisti machinando talia, & veniendo in damnum Cantuariensis Ecclesiæ, Matris tuæ. Et idcircò mandando tibi præcipimus, & in periculo ordinis tui & beneficiorum tuorum tibi firmiter injungimus, ut tu cum Laurentio, & Jacobo, & Hucteredio in Purificatione Beatæ Mariæ nostro te conspectui repræsentes, satisfacturus Deo, & nobis, & Ecclesiæ Cantuariensi, Matri tuæ, super his & aliis, quæ tibi objicientur.

## EPISTOLA LXXXIII.

*Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Archi-Diacono, & Canonicis Bangornensibus.*

PERLATUM est ad aures nostras, vos in Deum, & nos, & Ecclesiam Cantuariensem, Matrem vestram, gravissimè & sine meritis deliquisse. Quia sicut nobis assertum est, machinamentis Arthuri, & sociorum suorum consilium pariter & assensum vestrum in damnum Cantuariensis Ecclesiæ, quæ Mater vestra est, unanimiter præbuistis. Nec, ut credimus, tam detestabile factum, tam nefandum facinus aliquatenùs factum fuisset, nisi vos consilium & assensum in eo dedissetis. Sed tibi David loquimur: à memoria tua non debuit ullatenùs excidisse, quod noster juratus es, similiter & Cantuariensis Ecclesiæ, nec tu aut Canonici Bangornensis Ecclesiæ debuissent consensisse, ut Episcopus Ecclesiæ

suæ,

suæ, si quis tamen ibi esset, in Hiberniam ivisset, & ibidem Sacramentum recepisset, quasi à novo Metropolitano sibi constituto. Et idcircò mandando tibi præcipimus, & in periculo beneficiorum & ordinis injungimus, ut tu cum filio tuo, & tribus aut quatuor de majoribus & potioribus personis Ecclesiæ, mediante Quadragesima, nostro te conspectui repræsentes, responsurus & satis-facturus de his & aliis, quæ tibi objicientur. Nihilominùs Universitati vestræ præsentium significatione præcipiendo mandamus, & in periculo beneficiorum & ordinis vestri vobis injungimus, quatenùs infra præscriptum terminum vos nobis repræsentetis. Nos enim de Episcopi vestri electione vobiscum tractabimus. Prohibemus etiam vobis Apostolica authoritate & nostra, ne de electione Episcopi interim aliquid faciatis, aut quemquam eligatis.

## EPISTOLA LXXXIV.

*Rex Angliæ Abbati Cisterciensi.*

QUANDO Dominus Wilhelmus Papiensis & vos nostram apud Rothomagum adiistis præsentiam, conquesti sumus vobis, quod quidam Monachi ordinis vestri, quos in terra nostra præter voluntatem & assensum omnium ferè Baronum & hominum nostrorum cum omni honore & reverentia manu-tenueramus attentiùs, & promoveramus, quædam verba & Mandata Adversariorum nostrorum amaritudinis plena nobis deferebant, & quædam discordiæ seminaria, & iræ, & odii incentiva, quæ à nullo probo viro aliquo modo essent proferenda. Promisit itaque nobis dilectio vestra, quòd illud corrigeretis, & Monachos vestros à talium Mandatorum delatione coerceretis. Post promissionem verò illam Abbas vester de Circumpano scriptum quoddam Thomæ, qui fuit Cancellarius noster, ex parte ejusdem nobis attulit, & ore suo legit, in quo nos arguebat & de fidei læsione, & de schismate nos videbatur accusare, & alia continebat scripti illius series indignationis & superbiæ verba, quæ nostro derogabant honori & personæ. Indè est, quod vobis mandando attentiùs rogamus, quatenùs injuriam nostram digna emendatione ita corrigere non omittatis, ut honorem nostrum, & etiam ordinis vestri conservetis. Noveritis autem, quod si excessus Monachorum vestrorum non correxeritis, ulteriùs sustinere non poterimus, quin injuriarum nostrarum quæramus remedium T..... Jocellino de Baille apud Canon.

## EPISTOLA LXXXV.

*Joannes de Saresberia Magistro Simoni de Bello.*

SPECIES est conscientiæ diffidentis Amicum in articulo necessitatis insinuatione verborum preces involvere, & officium deprecantis expedire potiùs arte, quàm fide. De tua ergo dilectione, dilectissime, à multis diebus concepta fiducia ulteriori fiducialiter agens, amotis omnium circumlocutionum involucris precor attentiùs, quatenùs latorem præsentium apud Dominum Vigornensem, & ubi expedire cognoveritis, sic promoveas ut me ipsum. Nam quod ei mei contemplatione exhibitum novero, proindè acceptabo, ac si mihi esset personaliter exhibitum. Quis autem sit status meus & aliorum qui in agone Ecclesiæ constituti sunt, si tamen id audire placuerit, aliquatenùs eo referente cognosces. Spero autem, quòd & tu videre desideres diem Domini, ut Ecclesia convalescat, Lex Dei in conspectu gentium & invidentium roboretur, & sic splendeat in capitibus Regum insigne fidei & publicæ potestatis, ut de cętero non dentur cornua peccatori. Et hoc quidem facilè obtineret, nisi quia, si vera sunt, quæ vulgò dicuntur, *tenentes Legem, Justitiam nescierunt*, & à Sacerdotibus & Prophetis Israel egressa est pollutio super omnem terram. Aderit tamen, authore Domino, in brevi fidelium consolator, & propter electos ventis imperabit & mari, ut momentanea tristitia lugentis Ecclesiæ in gaudium perpetuum convertatur. Si liceret obligationes & cautiones, quibus impetratum est, quod in prejudicium Cantuariensis Archi-Episcopi à Sede Apostolica Nunciis Regis jactitatur esse concessum, libenter exponerem, sed sine singulorum expressione certum sit hoc pactionibus esse insertum, quòd prefati Archi-Episcopi & suorum plenam indemnitatem & omnimodam securitatem contineat, & ad totius Ecclesiæ libertatem proficiat. Hoc autem mirum est in oculis omnium, & omni stupore dignum, quod nec semel inter comprovinciales convenit Episcopos, ut de pace Ecclesiæ tractantes vel una vice convenirent Regem, cujus innocentiam publico universitatis suæ testimonio adstruunt, & patientiam tantam predicant, *ut dulce putet obsequium, quoties monetur ut corrigat, si quid fortè delinquit in Deum*. Et profectò aut eum, Deo propitiante, reducent ad viam, aut de necessitate citiùs quàm credatur, Domino Papæ vapulabunt, aut Regis, cujus ad presens dum plus justo verentur iram, negligere, immò & occidere videntur animam. Quare autem hæc scripserim, tibi notum arbitror.

## EPISTOLA LXXXVI.

*Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Roberto Præposito Arcensi.*

SI verum est quod audisti, Dominum Papam latere non potest, & per Nuncios nostros, quos in dies singulos exspectamus, super hoc confidimus certiorari in brevi. Et profectò honorem Domini & Amici nostri ita desideramus, sicut salutem propriam. Honore siquidem maximo dignissimus est: generi prudentia suffragatur, delinquentes coercet rigore justitiæ, subditos obtemperantes juri mansuetudinis moderatione gubernat, Ecclesiam veneratur & protegit, in ministris suis suscipit Christum, & universorum gratiam benignitate provocat, & obsequiis & beneficiis obligat affectiones. Non sævit in subditos, nec occasiones justitiæ pretextu quærit, quibus cruciet pauperes, exhauriat & spoliet copiosos. Hæc fuit quondam Nobilium generositas Augustorum, quam iste preter conterminalium & Coetaneorum morem exercet, qui saluberrimè & honestissimè novit, & consuevit parcere subjectis, & debellare superbos. Prompto igitur & prono animo, si Deus opportunitatem dederit, operam dabimus & diligentiam, ut fiat ei in beneplacito Domini secundum desiderium tuum. Sed vellemus ut res ordine suo ritè procederet, ut gradus honoris debitus non deesset adscendenti, qui medius est inter habitum & optatum. Satis dictum credimus sapienti. Tu interim ut diligenter audias & exaudias, quæ tibi per magistrum Robertum Clericum nostrum significata sunt, petimus affectuosè, rogantes affectuosiùs, ut colloquio Regis & Comitis, quod speratur, à nobis revertens valeas interesse.



## EPISTOLA LXXXVII.

*Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Fulconi Decano Remensi.*

AUDITA promotione vestra plurimùm exhilarati sumus, non dubitantes factum esse à Domino, cujus opus est unire fidelium voluntates, ut eorum sit cor unum & anima una, quod de vobis tantò laudabiliùs, quantò unanimiùs fecit Remensis Ecclesia. Qui ergo tot animorum vota direxit in eligendo, ille vobis in ministrando gratiam largiatur, ut sicut eam bonorum omnium fontem & fomitem prædicastis, sic ad gloriam Dei eandem præventricem & adjutricem in omnibus operibus sentiatis. Optamus hoc vobis, & pro vobis oramus, licet indigni simus pro alio exaudiri, qui propria non sufficimus delere commissa. Verumtamen de misericordia ejus qui pro impiis mortuus est, quod ad preces confitentium peccatorum: qui ut diffitentes revocaret ad veniam, & fugientes traheret ad salutem, persecutores & hostes quadam violentia charitatis, manente tamen arbitrii libertate, urgeret ad gratiam, dorsum posuit ad flagella, Crucis ignominiam suscepit & pœnam, & ex his quæ passus est, scholam rectæ fidei & veræ virtutis instituens, persuasit mundi pericula pro veritate gratanter amplectenda, & electis nullum esse cum mundi voluptate commercium. Hinc & nobis amplior est fiducia, quia parvitatis nostræ misericorditer preces admittet, pro quo persecutionem patimur, dati in opprobrium & derisum his, qui ignorant Deum, versi in tædium etiam his, quibus nondum fuimus onerosi. Dispersi sumus cum exulibus nostris in omnem ventum, solique sunt miseriæ nostræ participes, qui ab Apostolo didicerunt communicare necessitatibus pauperum Christi, quibus & si pro merito suo & voto nostro non sufficiamus rependere quod merentur, certissimum est, quod mercedem optimam consequentur cum accessione gratiæ & gaudii in misericordia uberi. Contrahunt enim cum eo debitore, qui & centuplum cum æterna gloria reddere consuevit, & calicem aquæ frigidæ irremuneratum relinquere dedignatur. Cæterùm quia nos adhuc flagellantis Patris verbera comprimunt, & persecutoris nostri nondum mansuescit immanitas, rogamus attentiùs, ut vestris & sanctorum, qui vobis noti sunt, orationibus nostri memoriam exilii haberi faciatis, ut nos pro cujus lege contendimus in agone, sine peccato conservet, ne deficiat fides nostra, & persecutores nostros, si prædestinati sunt, convertat, & expediat Ecclesiam suam. Hoc ipsum per vos deposcimus ab Ecclesia Remensi, quam sincera diligimus charitate, agentes ei gratias de honore & amore, quem nobis exhibuit in coexulibus nostris, magistro Philippo, Radulpho, & aliis, quorum necessitatibus communicasse dignoscitur. A vobis autem hoc specialiter cogitur nostra necessitas postulare, quatenus adolescentem latorem præsentium, sororis nostræ filium, exhibeatis in domo vestra, & litteris insistere compellatis in scholis grammaticorum, ut vestris necessitatibus & vestrorum provideat pauperum Pater, & Judex orphanorum.

## EPISTOLA LXXXVIII.

*Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Rogerio Vigornensi Episcopo.*

A Memoria tua non credimus excidisse, nos anno præterito litteris & Nuncio, quatenus ad nos venires, tibi in Mandatis dedisse, & in virtute obedientiæ firmiter præcepisse, tu verò Mandatis nostris non obtemperasti, quia nondum ad nos venisti. Noverit itaque tua dilectio nos multis de causis intervenientibus tibi detulisse, & ut dilecto filio pepercisse, tum quia novimus te Matri tuæ Cantuariensi Ecclesiæ devotum esse admodùm & fidelem, tum propter generis tui nobilitatem, tum etiam quia te totis cordis affectibus sincerè diligimus. Et idcircò iterato tibi mandato præcipimus, & in periculo ordinis tui, & in virtute obedientiæ firmiter injungimus, ut ex quo in partes Cismarinas venisti, ab eis non recedas, priusquàm ad nos venias, & nobiscum loquaris. Habemus enim tibi multa dicere. De cætero nihilominùs tibi mandando præcipimus, ut de negotio quod inter te & Eboracensem vertitur, pariter & de omnibus excommunicatis sancti Oswaldi, & totius Parochiæ ejusdem, nec prece nec pretio, vel propter minas alicujus, nec interventu etiam ipsius Regis, aut Cardinalis, sivè cujuslibet alterius personæ, sine consilio & conscientia nostra aliquid facias, aut excommunicatos illos, sivè aliquem illorum absolvas.

## EPISTOLA LXXXIX.

*Joannes Saresberiensis VVilhelmo Suppriori Cantiæ.*

REFLORESCIT status, authore Domino, universalis Ecclesiæ, & Schismaticorum impetus frustratus est, & superbia Moab in dies infirmatur. Nec de nocte vastatus est núnc, ut ab initio, sed in meridie suffossa est Ar, & muri ejus dejecti sunt funditùs, ut exultatio Moab, ex necessitate Petro cedens, de cætero conquiescat. Unde spes est in Domino, ut vociferantibus tubis Sacerdotalibus, in proximo corruat & Hiericho, & Regnum proprio sanguine adquisitum obtineat triumphator Jesus, & in pace possideat, quod sui juris est, Sponsus & Custos Ecclesiæ Christus. Cùm enim Romanus Pontifex per patientiam Theutonicum Tyrannum diutiùs exspectasset, ut vel sic provocaretur ad pœnitentiam, & Schismaticus abutens patientia ejus peccata peccatis adderet jugiter, ut error in amentiam verteretur, Vicarius Petri à Domino constitutus super Gentes & super Re-

Regna, Italos & omnes qui ei ex causa Imperii & Regni Religione jurisjurandi tenebantur adstricti, à fidelitate ejus absolvit, & Italiam ferè totam à facie furentis & præsentis tanta felicitate & celeritate excussit, ut in ea nihil habere videatur nisi Tortores, quos evitat interdum, & angustiarum, quas evitare non potest, juge supplicium. Abstulit ei etiam Regiam dignitatem, ipsumque anathemate condemnavit, & inhibuit authoritate Dei, ne vires ullas amodò in bellicis congressionibus habeat, aut de Christiano aliquo victoriam consequatur, aut alicubi quiete & pace gaudeat, donec fructus pœnitentiæ condignos operetur. In quo secutus est exemplum Gregorii Septimi Decessoris sui, qui nostra ætate Henricum Imperatorem, Ecclesiæ privilegia convellentem, deponens in Concilio Romano, simili sententia condemnavit. Et quidem illa sententia effectum sortita est, & hanc de privilegio Petri latam videtur ipse Dominus confirmasse. Hoc enim Itali audito, ab eo discedentes reædificaverunt Mediolanum, Schismaticos expulerunt, Catholicos reduxerunt Episcopos, & Apostolicæ Sedi unanimiter adhæserunt. Sed quid nota recenseo? Hoc ubique locorum fama quasi præcona voce concelebrat, nec aliquibus dubium puto, nisi fortè lateat illos, qui soli tempestate hac exulant domi suæ. Quia ergo ab oriente jam radius serenitatis illuxit per Christum, & incolumitas Ecclesiæ in Capite reparatur, superest spes fidei certissima, quòd unguentum à capite in Apostolicam barbam exuberans descendet in Caput & oram Ecclesiæ Anglicanæ. Et qui prophetam exterminare nititur de Israel, nisi fortè resipiscat, Divinam Sententiam excipiet, dicente Amos ad ipsum: *Uxor tua in civitate fornicabitur, & filii tui & filiæ tuæ in gladio cadent, & humus tua in funiculo metietur, & tu in terra polluta morieris, & populus tuus captivus migrabit de terra sua*. Hæc est enim pœna resistentium verbo Dei, & Potestatum, quæ ora Sacerdotum nituntur obducere. Profectò tunc risus dolore miscebitur, & extrema gaudii luctus occupabit, & amarum erit, cibum & potum, & amica colloquia cum excommunicatis communicasse. Nunquid tunc Balaamitæ, Pontifices & Sacerdotes, & Principes Taphneos, & Arioli consiliis suis salvare poterunt Madianitas, cùm eos gladius Domini persequetur? Nunquid Cardinales proderunt aut Legati, si Balaamitæ fuerint in die Domini? Certè si affuerit ipse Balaam, aut benedicet Tabernaculi Jacob, quæ nunc proscribi & exulare videntur in Eremo, aut gladio cadens verbi Dei sibi adversarium esse experietur Spiritum Sanctum, & sentiet, quia sicut Allophylorum messes & Sata, ita & incendentium vulpium candas exurit. Hæc idcircò præmiserim, ne quis Amicorum ponat carnem brachium suum, & excommunicatis participans in se gladium provocet bis acutum. Dicitur autem, quod sine dolore & lachrymis nequeo reminisci, quod sancta Cantuariensis Ecclesia participatione illius insignis excommunicati Radulphi de Brock anathema contraxit, & lege Dei contempta Melchon adorans, litteras Domini Papæ pro Archi-Episcopo sibi missas, Regi ad subterfugium obedientiæ & opera debitæ misericordiæ excludenda transmiserit. Unde precor, attentiùs consulo, & quanta possum instantia moneo, ut si falsa sunt quæ dicuntur, & adhuc ab anathemate immunis est, sibi ne tale quid de ea probabiliter fingi possit, de cætero caveat. Et si in anathema incidit, redeat per pœnitentiam, ne quæ inter occidentales Ecclesias hactenus religione insignis exstitit, imposterùm sit insignis & crimine. Si hæc duriusculè videantur esse concepta, scio quia nec Diabolo loquor, nec Schismatico Bathoniensi, sed Amico veritatis & fidei, & per eum Ecclesiæ Christi habenti charitatem. Velit nolit Mundus, Cantuariensem Ecclesiam, quod Deus novit, sincera diligo charitate, & periculo ei imminente tacere non possum. Nam ut ait propheta: *Leo rugiit, quis non timebit? Dominus locutus est, quis non prophetabit?* De cætero si vocationem Domini Cantuariensis audisti, ex ea causa Ecclesiam tuam invitus non exeas, nisi alia causa exire te compellat. Scio enim, & tu utinam scires, quid ab ipso obtinuimus tibi. Valete.

## EPISTOLA XC.

*G ..... Ambiensi Episcopo Joannes de Saresberia.*

MAGNAM mihi præstat apud vos audendi fiduciam, quod ille, cujus memoria in benedictione est, utriusque nostrum Pater Sanctissimus Adrianus, qui vos in sancta Romana Ecclesia fortissimam, ut spes est, plantavit columnam, me speciali quadam charitatis gratia præ cæteris conteraneis diligebat, & fortunæ meæ casus fortis suæ eventibus connumerandos arbitrabatur. Hæc ipsius ad me affectio nobis ad invicem, & aliis interim paucis innotuit. Sed nisi eum fata præproperè, quod nunc luget Orbis Christianus, e medio rapuissent, jam innotuisset & mundo. Unde & mihi de vestra dilectione censeo tutiùs, & in Christo ampliùs præsumendum, credens quod sicut beatissimus vir successorem præelegit honoris, ita, immò magis habere studuit hæredem charitatis. Ea ergo fiducia, qua ipsum consueveram, alloquor & vos: quia sicut illi obsequium meum plena & sincera affectione devoveram, ita & quod in me promptum est, honori vestro & gloriæ paratus sum inservire. Cæterùm non video, quomodò vestre aut Ecclesiæ Romanæ subsistere possit honor, & unitas servari Corporis Christi, si personarum estis acceptores & munerum, si vobis judicibus perit innocens, & quod nuper Gallia fieri vidit & doluit, impænitens absolvitur criminosus. Si Ecclesia Dei spolianda & conculcanda Tyrannis exponitur, si iniquitas potens & patens in Consistorio vestro de justitia manifesta triumphat. Si Clerici vobis consentientibus aut dissimulantibus dantur ad victimam, sicut oves occisionis. Si usurpatæ prævitates vestro silentio & torpore servandarum robur obtinent Legum. Hoc enim est pro quo exulant, & proscripti sunt miseri Cantuariensis, quia mutire audent pro Ecclesiæ libertate, quia Sedis Apostolicæ privilegium protestantur, quia traditionibus impiorum anteferendas prædicant sanctorum Patrum Canonicas sanctiones. Revolvite, si placet, libellum detestandarum abominationum, & planè videbitis quod adversarii nostri, immò & vestri, & totius Ecclesiæ Dei, dorsum converterunt ad Sanctuarium Domini, & Legem non prophanare, sed evertere moliuntur. Si illis decernitis ignoscendum, quia potentes sunt, nos imbecilles, illi opulenti, nos pauperes, si tempora periculosa metimini, si dies malos expavescitis, ut contra justitiam ducatis pro malitia dispensandum, nunquid creditis vos hac via Deum placare posse, ut meliora tempora largiatur, ut vos ditet & roboret, & adversarios nostros extenuet & enervet? Nunquid hæc est via Domini? Ubi Lex? Ubi Prophetæ? Ubi Evangelium Christi? Ubi exempla & Decreta sanctorum? Lex utique sempiterna est, & solvi non potest: *Quia in quo judicio judicaveritis, judicabimini, & per quæ peccat quis, per hæc & punitur*. Sed fortasse minuti homines indigni videntur, ut pro eis tanti Principes debeant exacerbari, & pro aliis æquè potentibus esset rigor justitiæ exercendus. Verùm hæc non Apostoli distinctio est, sed redarguti philosophi Transimachi, definientis in eo constare justitiam, ut plurimùm profit ei, qui plurimum potest, cum è contra probati philosophi definierint eam esse virtutem, quæ plurimùm prodest ei, qui minimum potest. Liberat enim pauperem à Potente, & decernit meritis pręmia, non personis. Si Rex immunis creditur, quia licèt ipsius authoritate, aliorum tamen ministerio maleficia exercentur, potest & David non imputari sanguis Uriæ, quia ab eo non proprio, sed gladio filiorum Ammon interfectus est. Et Achab, & Jezabel innocentis Naboth non luent sanguinem, quia fraude judicii legitur interemptus. Sed ab utroque Regum, pauperum dumtaxat, & innocentium sanguis exquiritur, eisque non imputantur prælia commissa jure Legum. Nonne in Consistoriis vestris teritur, quod regulariter proditum est, quia ratihabitio Mandato comparatur? Nonne & omnia nostra facimus, quibus nostram impartimur authoritatem? A vestro itaque jure inferens colligo, quia si authoritatem accommodaveritis, si dissimulatione justitiæ rata habueritis quæ contra Ecclesiam pręsumuntur, totius malitiæ hujus reatum incurritis coram Deo & hominibus. Hæc idcircò vobis tanquam Patri & Domino credidi familiariùs intimanda, ne consensum detis iniquitati, sed animam vestram liberetis apud Deum & homines. De cętero quia Remensis Ecclesia dicitur ad Curiam proficisci, precor magistro Radulpho per Dominum Papam & alios ab Archi-Episcopo & Canonicis Decaniam obtineatis. Jam enim de eo eligendo sermo habitus est. Nec credo quod sit apud eos aliquis litteratior aut honestior moribus, aut liberalior in pauperes Christi.

## EPISTOLA XCI.

*Joannes de Saresberia Magistro Humfrido Bon.*

NON est, Amice, quòd possim de status mei qualitate causari, quia omnia hominis machinamenta miseratio Dei mihi cooperatur in bonum. Nam temporaliter ferè universa succedunt, & spes est quod hæc ipsa, quæ videtur esse vexatio, sicut intellectum excitat, sic veræ salutis est paritura profectum. Illud tamen aliquatenus movet, quod quidam Amicorum super conditione mea acerbiùs sollicitantur, & more hominum carnaliter & tenerè magis, quàm prudenter & verè amantium, sæpè & ferè semper vano concussi terrore, timent graviora pericula veris, & quid verè prosit aut noceat attendentes parùm, illic trepidant ubi non est timor. Nam jacturam conscientiæ aut famæ nequaquàm subtiliter pensant, & dum umbra virtutis in opinione hominum constet, & nugiloquos evitent Detractores, parùm curant quid ad sinceræ rationis examen cuique debeatur ex merito. Nam plurimi talium pluris faciunt videri, quàm esse boni. Alii sublata sibi temporalium subsidia ingemiscunt, quæ per me illis ministrabantur à Domino. Sed ad petitionem utrorumque ratio consulta respondet, quod eum qui in agone Ecclesiæ Christum sequi cœpit, nec rei familiaris dispensatio, nec patris revocat sepultura. Fixum est mihi, Deo authore, propositum, quatenùs ipse dederit, honestatis formulam sequi, & animæ salutem in mundi commercio non distrahere ad boni cujuscumque pretium temporalis. Ipse viam doceat, & ducat per semitam virtutis, & perducat ad illorum consortium, qui pro justitia patiuntur. Desidero tamen, si salva honestate fieri posset, reconciliari, & in Ecclesiis, quibus adscriptus sum, ad honorem Dei & Amicorum solatium ministrare. Undè dilectioni vestræ supplico, quatenus quid expediat & deceat, per Dominum Bajocensem & alios Amicos vestros explorare, & rescribere non gravemini, quatenus tutum fuerit, & vestrum mihi prębere consilium. Hoc enim de genere eorum est, quæ ratione humanitatis nulli negari debent. Quia & suppressa non proficiunt, & tenacitatis conservatione non crescunt, & erogatione sui non minuuntur, sed ampliùs, quò magis fuerint publicata, clarescunt.

## EPISTOLA XCII.

*H. ..... Bajocensi Episcopo Joannes de Saresberia.*

AUDIO, Pater, & gaudeo, quod pro merito vobis universa succedunt, & qui Decanorum nomen & ordinem, dum licuit, honorastis, nunc vestrarum splendore virtutum in terra aliena usque ad multorum invidiam Pontificis illustratis officium. Quod quidem tantò salubrius ad conscientiam, tantò gloriosius est ad famam, quantò rarior invenitur ovium Pastor, qui in Ecclesia Dei ministerium suum studeat honorare, in tanto fastu & numero nomine tenùs illustrium Sacerdotum. Jam enim, ut Deus prídem in propheta conquestus est, *Sacerdotes non dixerunt, ubi est Dominus? Et tenentes Legem justitiam nescierunt*. Undè & justum est, ut Eminentia vestra honoretur & diligatur etiam ab his, qui nostris exigentibus meritis, Sacerdotium pręsens videntur habere contemptui, & Legem Dei, quæ solvi non potest, evacuare nituntur. Licèt enim Ægyptii Pastores ovium detestentur, & Samaritani temporis nostri non contantur his, qui publicè verbum Dei confitentur, tamen & Joseph invenit gratiam in Ægypto, & apud Assyrios claruit Daniel, & prerogativa meritorum etiam regnante Achab Heliam fecit insignem. Non est ergo mirum, si apud Principem Christianum & officiales ejus suum virtus reperit locum, & si diligitur ab hominibus quem Divina gratia constat esse perfusum. Sicut unguentum à Capite Christo in Ecclesiæ defluxit barbam, & indè in oram vestimenti

menti derivatur, ut pro Divinæ dispensationis Decreto & meritorum gratia quemlibet irriget Electorum. Utinam, dilectissime Domine, de hac plenitudine vestra aliquid accipiamus & nos, & Agonizanti Ecclesiæ prosit, quod in conspectu Domini Regis gratiam inveniistis. Quæ sit enim conditio nostra non expedit replicare, cùm vobis & de causa nostra pleniùs constet & immerita pœna: sed consilium salubre ad conscientiam, & honestum ad famam à vobis impetrare, operosum est & prece dignum. Quamvis enim mihi adsint subsidia temporalium, Deo propitio, non modò ad necessitatem, sed ad gloriam, tamen quatenus salva integritate conscientiæ & honestate famæ licuerit, paratus sum juxta consilium vestrum Domini Regis gratiam promereri. Nihil enim spondeo contra Deum, aut si unquàm tentavero, meos conatus pietas ejus impediat.

## EPISTOLA XCIII.

*Rico..... Constantiensi Archi-Diacono Joannes de Saresberia.*

PROSCRIPSIT me gratis, quod novit Altissimus, & vos scire arbitror, violentia publicę Potestatis. Sed unde ad gratiarum non sufficio actionem, Deus sic itinera mea direxit & opera, ut experimento didicerim, quia eum timentibus nihil deest. Sed nec aliquem coexulantium novi, cui non dico tolerabilis, sed jucunda esse non debeat conditio sua. Me tamen, quod sine timore non eloquor, Dominus cęteris mitiùs tractat. Et uberior temporalium affluentia successuum debeat esse suspecta, eò quod Mundus, hominum more fallacium, illis solis continuato favore blanditur quod prodit, ac insidiantibus adversariis Potestatibus clamat; quemcumque osculatus, & amicè diutiùs amplexatus fuero, ipse de reprobis est, torquete eum. Unde & perpetua laudum gloria illustris Doctor Anselmus, ut à suis accepi, dicere consuevit se nihil magis habere suspectum, quàm quod eum Deus in tota vita nulla corripuerat adversitate. Ubi enim se Patrem exhibet, omnem filium corripit & castigat. Ipse autem novit figmentum nostrum, cui stamus aut cadimus. Et utinam eo semper stemus authore, & prospera vel adversa, cuique, prout electis novit expedire, salubri moderatione dispenset. Ab ipso itaque viæ hujus spero & exspecto processum, acceptaturus, eo propitiante, quod dederit. Plura autem & certiora scribam, cùm innotuerint. Interim super statu vestro, quem Deus optimum faciat, certiorari desiderans, & orans attentiùs, ut vestris recurrentibus litteris mihi fideliùs innotescat. Et si pacis meæ formam aliquam sine conscientiæ & famæ dispendio poteritis explorare, eam lætus excipiam, & quatenùs licitum fuerit & honestum, etiam ipsis adversariis, quibus Deus dignos fructus pœnitentiæ largiatur ad vitam, libenter obtemperabo. Alioquin non est in proposito meo, ut pro peponibus Ægyptiorum & alliis vel minimum honestatis subeam detrimentum. Pius verò Jesus, qui virtutis dedit affectum, perseverantiam largiatur, quia sine eo nihil rectè incipit aut finitur. De cętero jam à multo tempore porrectas itero preces, quatenus libros Aristotelis, quos habetis, mihi faciatis exscribi, & notulas super Marcum, meis tamen sumptibus, quibus, quæso, in hac re nulla ratione parcatis. Precor etiam iterata supplicatione, quatenùs in operibus Aristotelis, ubi difficiliora fuerint, notulas faciatis, eò quod interpretem aliquatenùs suspectum habeo, quia licèt eloquens fuerit aliàs, ut sæpè audivi, minùs tamen fuit in Grammatica institutus.

## EPISTOLA XCIV.

*Alexander Papa Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo.*

ETSI adversitatum & laborum angustiæ tibi acriùs incumbere & invalescere videantur, plurima tamen sanctorum Patrum tibi exempla proponas, qui, sicut tu, multas zelo justitiæ calamitates & angustias passi immarcessibilem coronam & cœleste Regnum meruerunt feliciter adipisci. Quapropter rogamus prudentiam tuam atque monemus, quatenùs semper illud præ oculis habens, *Beati* scilicet, *qui persecutionem patiuntur propter justitiam*, tuum nullis adversis animum frangas, nec ulla turbatione deponas, sed eum fortitudinis & constantiæ virtute confirmes. Ubi verò justitiam & libertatem Ecclesiæ deperire cognoveris, cum Rege Anglorum in depressionem & diminutionem Ecclesiasticæ dignitatis pacem reformare nullo modo labores. Veruntamen, quantùm salvo honore officii tui & libertate Ecclesiæ fieri poterit, te ipsum ei humilies, & ad gratiam & amorem suum recuperandum modis omnibus enitaris, neque plùs justo de eo timeas, nec majores, quàm oporteat, securitates requiras. Quia sicut credimus, ex quo se tibi reconciliaverit, minimè te offenderet, nec à quoquàm pateretur offendi. Nos enim, sicut tibi viva voce ac litteris proposuimus, te tanquàm charissimum sincera charitate diligere volumus, & ad conservationem honoris, libertatis, & dignitatis tuæ augmentum, quantum gratia Divina concesserit, adspirare.

## EPISTOLA XCV.

*Magistro Sylvestro Thesaurario Pictaviensi Joannes de Saresberia.*

AUDITA, dilectissime, pace tua, ut oportuit, pro Amico lætatus sum. Sed omni emolumento mihi gratior est perseverantia honestatis, & usque ad invidiam veterum Amicorum famæ purioris hilaritas. Primus itaque & adhuc solus formam perseverantiæ in agone Christiano cum Ecclesia laborantibus prębuisti, & per gratiam Dei reliquis de cętero proderit ad erectionem spei, ad tuitionem libertatis, ad virtutis profectum, quod in te prącessit felicitatis exemplum. Felicius tamen reputo, quod ex amore possessionum, & facilitate & temeritate jurandi primam fidem irritam non fecisti, quam quod rerum compendia temporalium assecutus es pro voto Amicorum, & merito tuo. Pro merito sanè dixerim, quamvis certò certiùs constet, plura & longè majora & clariora tuis deberi meritis, quæ procul dubio reddet, qui neminem fefellit ab initio Creditorum. Et mensuram coagitatam & supereffluentem refundit in promerentium sinus. Liquet ergo in te, quia Deus, qui inaniter gloriantibus resistit, humilibus dat gratiam, & juxta Apostolum, *Qui se existimat aliquid esse, cùm nihil sit, se ipsum semper, interdum verò seducit & alios*. Quia ergo, Deo propitio, naufragium evasisti, adhuc in alto navigantibus, & cum Petro naufragantibus, quam potes, opem ferre memineris, & agonem Christi juvare, nunc orationum suffragio, nunc tuarum solatio litterarum. Hæc enim sunt, ut dixerim quoad me, quibus maximè indigemus. Ego enim per misericordiam Dei temporalibus abundo, ut formam potiùs habere videar florentis in Patria, quàm exulis & proscripti. Dominum Cantuariensem Christianissimus Rex Francorum Senonis exhibet Regia magnificentia in Ecclesia beatæ Columbæ, eumque in omnibus sic veneratur & colit, ut Christum Domini decet à Christo honorari. Eidem quoque fidelissimo Principi, sicut ipse fatetur, pauci videntur dies & parvi sumptus, præ amoris magnitudine, quos Sacerdotis Christi & Apostolici Viri impendit obsequiis. Sed & fidem ejus, quod satis humiliter recolit, condigna mercede remunerat Deus, cujus muneris est, ut sine cruore & tumultu in medio hostium degens, & prosperetur in omnibus, & quod maximum reputat, ametur & honoretur à subditis. Sicut Obemedon Getheus, Arca Domini recepta, in ancillarum fœcunditate, & gregum, & totius possessionis multiplicatione, Divinæ benedictionis expertus est fructum, & Olda per ejusdem Arcæ receptionem, quando eam impius Achaz ejecerat à templo Domini, assecuta est in silentio Pontificum & Sacerdotum gratiam prophetiæ; sic Rex Christianissimus recepta in Regno suo Ecclesia Romana, de uxore suscepit filium fidei, authore Domino, & Regni hæredem, quem data sibi omnium expetibilium optione fuerat petiturus. Nunc pro humanitate Ecclesiæ exhibita Anglicanæ novam, quam pro arbitrio suo dabit Dominus, gratiam confidenter exspectat. Dominus Papa Cantuariensem Archi-Episcopum verbis & scriptis nuper consolatus est, & utinam omnibus innotescat, quibus pactionibus & cautionibus obtinuerit ille jurator insignis ea, de quibus adversarii Ecclesiæ gloriantur. Et tamen si pactiones fuerint adimpletæ, nobis abundè in restitutione ablatorum & pace, & securitate prospectum est. Silentur hæc interim necessitate obedientiæ, sed spes est in brevi omnia propalanda esse. Quia ut pro certo didicimus, Legatorum qui sperabatur adventus suspensus est, aut omninò sublatus, juratoris fraude comperta. Rescribe, quatenùs licitum fuerit, quòd Ecclesiæ & nobis in agone Christiano expedire fueris arbitratus, & me, ubicumque locorum sim, noveris esse amantissimum tui.

## EPISTOLA XCVI.

*Rogerio Vigornensi Episcopo Joannes de Saresberia.*

CONFIDENTIA secura emittit preces, nec justæ petitionis repulsam veretur apud Amicum, qui ad illius semper est accinctus obsequium. Quid autem justius est, quàm ut Dominum fidelis animet ad obsequia charitatis, & Dominus in salutis suæ compendium Amici vota compleat deprecantis? Expedire autem arbitror sanctitati vestræ ad vitam, & nobilitatem decere ad gloriam, ut contemplatione Divinæ miserationis parvulorum Christi necessitatibus communicetis, & ubicumque ratio permiserit, in eorum consolatione aut promotione charitati, quæ in Christo est, satisfaciatis, & generi vestro, quod plures Parvulos suos dignoscitur exaltasse, quàm mundus, licèt in maligno positus, adhuc possit deprimere. Lator præsentium unus parvulorum Christi est. Est & mecum unus de parvulis vestris. Potestisque collata vobis opportunitate Divinitùs, ut dici solet, sine sanguine & sudore, sine dispendio facultatum, & cum augmento opinionis vestræ & conscientiæ, necessitatibus ejus juxta preces Domini Archi-Episcopi subvenire. Quod ut faciatis, tantæ majestatis precibus meæ parvitatis adjicio preces, mihi reputaturus impensum, quidquid ei beneficii aut honoris à vestra fuerit bonitate collatum. Nec immemor sum consolationis, quam Senonis à vestræ liberalitatis verbo percepi, nec vos immemorem esse patiar, aut cùm necessitas importunior urgebit, aut modestia verecundiæ, necessitas importunitati, quam nondùm inexorabilem expertus sum, victa succumbet. Unum autem præ cęteris rogo, moneo, & in veræ amicitiæ consulo fide, ut memineritis in causa Ecclesiæ, conscientiæ quoad Deum, famæ quoad homines, nec in calamo Ægyptio confidatis, qui & nulli opem fert, & membra perforat incumbentis, rerumque exhibitione monstretis quoad vos, fallacem esse & vanum, qui malitiam, quæ adversùs Ecclesiam exercetur, excusans accusantibus prętendere consuevit: Gens sua & Pontificium tradidit eam mihi. Sacerdotem Christi alloquor, Ecclesiæ Pastorem, Pontificem animarum, filium illustris Comitis, qui in Regum catalogo dignus fuerat numerari, nisi quia magnificæ virtutis titulo meruit, ut in libertatis culmine constitutus Reges viderit in ordine secundo. Et Regum Parens, quos adoptione promovit, haberi debet in sempiternum. Non ergò vereor, ne in ventum verba emiserim, aut quòd mihi captiosum sit, in tantæ sanctitatis auribus vera esse locutum. Non tam ex causa veritatis insidiantium laqueos timeo, qui utinam totam vitam devoverim veritati, & in assertione ejus impenderim animam. In invio est, Pater, qui Ecclesiam regere putat esse Dominatum in Clero, & fastum in populo pauperum Christi loculos exhaurire, ut hostes Crucifixi histriones & mimos, & cęteras hujusmodi mulceat pestes, placere potestatibus sæculi, ut perniciosa & infami patientia Pastorum Christi conoulcetur Ecclesia; sua quærere non quæ Jesu-Christi, otiari in talento Domini, & usuraria virtutum accessionem negotiatione sollicitudinis & laboris non exercere. Aderit in brevi Pastorum Pastor, qui à vobis & nobis districtam exiget rationem. Eritque tunc memoria justi cum laudibus, & nomen impiorum putrescet. Sed ne in longum videar prophetare, citissimè per misericordiam Dei videbitis Ecclesiam resurgere. Ut qui eam hactenùs prodiderunt, aut cum Petro lachrymentur ad veniam, aut cum Juda laqueo se suspendant.

## EPISTOLA XCVII.

Alexandro Papæ Wilhelmus Papiensis,

*Domino Papæ VVilhelmus Papiensis.*

EXPEDIT, Beatissime Pater, & quadam ratione tenemur, ut devotionem, quam in vestris & Ecclesiæ filiis evidentibus experimur indiciis, Apostolica Celsitudo nostra significatione cognoscat, quatenùs & nos officii debita persolvamus, & vos talium fidelitate comperta ipsos specialiùs diligatis. Cùm igitur Venerabilem Fratrem nostrum Londoniensem Episcopum Apostolatui vestro & universæ Ecclesiæ Dei in omnibus devotum & fidelem senserimus, ipsum Paternitati vestræ duximus attentiùs commendandum, ne suæ sinceritatis meritum penitùs evacuetur à gratia. Quippe ipse est, qui liberiùs inter cęteros Regem arguit, exhortatur, & increpat, nec adeò pro veritatis suæ veretur constantia, quin semper eum ad meliora provocet & reducat, & nisi tantum hactenùs restitisset, res utique posset in deteriora vergi. Si autem apud vestrarum aurium sublimitatem fuerit ab aliquo fortasse suggestum, quòd idem Episcopus causam Cantuariensis cum Rege perverterit in hac parte, Domine mi, suam innocentiam arbitramur, sicut qui ejus intentionem circa hoc satis apertè comperimus, & ad ejusdem Cantuariensis bonum, ipsum sæpè vidimus laborantem. Proindè nos ejus devotionem & animum attendentes, sanctitatis vestræ clementiam his precibus petimus exoratam habere, quatenùs suæ fidelitatis obtentu Nuncios ipsius Apostolica mansuetudo benignè recipiat, & eidem Episcopo ita vestræ gratiæ confidentiam impendatis, ut ipse laudabile propositum attentiore studio prosequatur.

## EPISTOLA XCVIII.

Alexandro Papæ Otto Cardinalis.

*Domino Papæ Otto Cardinalis.*

VENERABILIS Frater noster Londoniensis Episcopus apud majestatem vestram plurima commendatione non indiget, quia, charissime Pater, sicut benè novit experientia vestra, & ejus persona honesta est, & erga vestrum Apostolatum ipsius devotio manifesta. Laborat utique, & operam pro vestra voluntate daret efficacem ad honorem Dei & Ecclesiæ in negotio Archi-Episcopi, sicut credimus & ex parte cognoscimus, sed sicut & nos experti sumus, non adfert fructum sermo commonitoris, nisi in corde Regio operetur primùm virtus & gratia Salvatoris. Precamur igitur pietatis vestræ clementiam, ut oculo clementiori eum respiciatis, & eum tanquàm Virum fidelem, honestum, ac religiosum habeatis. Sinistra enim, quæ cùm essemus apud vos audivimus, nequaquàm vera esse cognovimus, sed falsa.

## EPISTOLA XCIX.

Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Joanni Presbytero.

*Venerabili Fratri, & utinam Amico, Domino Joanni Neapolitano, Dei gratia sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbytero Cardinali, Thomas eadem gratia Cantuariensis Ecclesiæ Minister humilis, miser ac miserabilis exul salutem, & sic transire per bona temporalia, ut æterna non demereatur.*

VERBUM Evangelicum est, *Qui non est mecum, contra me est, & qui non colligit mecum, dispergit*. Et nunc quidem quæ fuit unquàm adversùs sublimitatem vestram nostra iniquitas, quæ parvitatis nostræ indevotio, ut non fieret nobis tempore tribulationis nostræ benigna vestra solertia, non faceret nobiscum vestra benevolentia, immò quod durius est, non destiterit aggravari manus vestra super exulis & proscripti importunitates ac molestias, non continuerit opera vestra & industria semper accepto tempore miseri hominis augere miseriam? Non debuit certè talis testimonium conscientiæ fieri gloria vestra. Parcat itaque de cętero, si placet, parcat, quæso, & nunc tempus est ut parcat, cessetque indignatio vestra infortunati hominis exaggerare infortunium, & innocentiam lacerare. Nam si quando fuerim felix, pro modo temporis didici & nunc esse infelix, nec felicius est infelici, quàm nosse sortem suam. Prętereà quomodò unquàm potuit à memoria vestra excidere, quòd petitione Domini Regis Francorum in Virgulto suo apud Ancelianum, prę-sente Comite Theobaldo, susceperit nos vestra discretio de manu ipsius propria protegendum, ac de cętero fovendum adversùs omnes homines, excepto Domino Papa? Quorsùm evanuit ista susceptio? Non equidem credimus ex nunc temporis culpa ipsius Regis aliqua excidisse, scimusque pro certo ex parte nostra nullum erga vos intercessisse delictum, quo debuerimus & gratiam vestram demeruisse, & promeruisse offensam. Hæc hactenùs. Cęterum ut veniamus ad rem, accedit Londoniensis cum multa acceleratione ad Curiam, sicut dicitur, suasus à vobis, ut nemine de nostris ibi Nunciis invento, paucisque Amicis, nunc blandis adulationibus, nunc promissionibus innumeris, nunc minis ac terroribus suis ac Regis, ibi consequatur gratiam, undè magis meruit reportare condemnationem. Nec prętendat quisquam vestrum hanc esse Sedem misericordiæ, quæ frequentiùs pietatis intuitu consuevit misereri peccantibus, quàm corripere delinquentes. Verùm respondemus vobis, quod dicit scriptura: *Amant se justitia & pax eatenùs, ut qui facit justitiam, inveniat pacem, & non aliter. Justitia etenim & pax invicem osculatæ sunt*. Unum tamen est quod petimus super omnia, nunquàm à mente vestra fieri alienum, quoniam semper protrahitur avaritia latentium indagatrix, lucrorum manifestæque prędæ avidissima vorago, neque habendi fructu felix, & cupiditate quærendi miserrima. Videte ergò, si placet, ne vos decipiat versuti hominis artificiosa malignitas, palliata Religio, illicita curiositas, promissio vana, munera, quòd



quòd absit, quæ excœcant oculos, & vim authoritatis inclinant. Quorum finis interitus, quorum fructus pulvis & cinis, quæ exufflata in ventum facilè evanescunt. Ne inhonesti lucri captura invitatus scelus, quod vindicari debet in homine isto, authoritate vestra tegatis. Quid plura? Spiritus Sanctus faciat vobiscum, ut ministerio vestro & confratrum vestrorum reveletur Filius perditionis, convertatur iniquitas ipsa in caput suum. Dissipet Deus consilium Achitophel, & statuat eum contra faciem suam, ut recipiat in Curia ista quod gessit iniquè, & reportet indè quod dignum est, ubi solet & debet exeri gladius Beati Petri ad vindictam malorum, laudem verò bonorum. Quatenùs sit indè gloria in cœlis coram Deo & Angelis ejus, & fiat pax in terra bonæ voluntatis hominibus. Valeat semel & semper vestra dilectio, ut indè sit melius nobis & miseris Coexulibus nostris, præsertim in instanti negotio.

## EPISTOLA C.

*Alexandro Papæ Petrus Abbas Sancti Remigii.*

STYLUM cohibere quis poterat Apostolicæ contemplatione Majestatis, si non erigeret animum humanitatis respectus, & provocaret ausum parvulis Christi condescendere solita clementiæ vestræ gloriosa dignatio. Inter quos audeo & ego, cùm vix antè Dominum meum Patrem fidelium, consolatorem depressorum, & deprimentium judicem, sim pulvis æstimandus & cinis, verbum facere pro Ecclesia Dei ad Apostolatus vestri gloriam & honorem, quem in exhibitione justitiæ, qua totus indiget mundus, & operibus misericordiæ, qua sublimantur oppressi, & inopes reficiuntur, lætus audio dilatari. His, Pater, titulis Sanctitas vestra promeruit, ut eam in brachio potenti & patenti virtute in tot periculis Dominus antecedat, & antè vos & pro vobis gloriosos terræ humiliet & prosternat. Revolvantur ab initio & introitus vester & variorum processus eventuum, & planè luce clarius erit, quia non manus hominum, sed Dominus fecit hæc omnia. Ille verò, qui cœpit in vobis miserationis suæ magnalia, & Apostolatus vestri consolidabit Thronum, quia mundo palam est vos ambulare in semitis ejus, qui pauperem liberat à potente, qui acceptionem reprobat personarum, qui in judicio respondebit unicuique secundùm opera sua. Exultant in his, quæ de vobis audit, devotus filius vester Christianissimus Rex Francorum, lætatur Ecclesia Gallicana, cujus tristitia de vanitate quorundam insultantium veritati nuper est in gaudium commutata. Nam in adventu Dominorum vestrorum Cardinalium didicit, quòd venerabilis viri, pro libertate Ecclesiæ laudabiliter decertantis, Cantuariensis Archi-Episcopi fovetis causam, & mendaces esse convincitis, qui se ruinam innocentum & confusionem Ecclesiæ gloriabantur à vobis impetrasse. Et planè saperent Cardinales, si starent in finibus vestris. Sed quod iterùm gemit Gallicana Ecclesia, jam in hac parte dicuntur excessisse. Undè Paternitatem vestram toto corde prostratus imploro, quatenùs Christianissimi Regis & Reginæ, & Episcoporum, & procerum Galliæ preces pro Domino Cantuariensi porrectas audiatis, & deducatis in irritum, quidquid contra justitiam ejus noveritis esse præsumptum.

## EPISTOLA CI.

*Wilhelmus & Otto Cardinales Norwicensi & Cicestrensi Episcopis.*

DISCRETIONI vestræ præsenti significatione mandamus, quatenùs personas illas, quæ à Cantuariensi Archi-Episcopo excommunicationis vinculis dictæ sunt innodatæ, in manu vestra promissione recepta quòd nostro debeant stare mandato, postquàm istas videritis litteras, absolvatis, quod vobis moderatum videbitur. Hoc autem occasione proposita prosequi studeat & adimplere, quicumque vestrum apices istos primus receperit. Ex quo vestrum receperint mandatum, significetis eos juramento præstito absolutos.

## EPISTOLA CII.

*Miloni Morinorum Episcopo Joannes Saresberiensis.*

EO Sinceritatis vestræ titulus charitate splendidiùs elucescit, quò ex relatione Latoris præsentium certiùs constat, quod inter fortuitorum eventuum turbines & varias procellas negotiorum, quibus officii vestri instantia indefinenter concutitur, & acriter, sine tamen virtutis elisione colliditur, amicorum potestis sollicitudinem gerere, & eorum onera per fraternæ charitatis exhibitionem facitis vestra. Sic enim & Apostolis scandalizatis conuritur, & fratribus conformatur infirmis, & per compassionem fit in Christo omnibus omnia, dum ad formam Ethicæ purioris & consummatioris Philosophiæ humanum à se nihil reputat alienum. Reposita est vobis, Pater, hujus corona misericordiæ, quam reddet vobis in illa die misericors & miserator Dominus, qui nos interim exules & proscriptos suos Sanctorum suorum ministerio, necessitatibus nostris pro ipso communicantium, consolatur in omni tribulatione nostra. Nam Christianissimus Rex Francorum Patrem nostrum Cantuariensem Archi-Episcopum in ulnis charitatis excipiens, eum in Ecclesia Beatæ Columbæ Senonis Regia magnificentia exhibet, & sic tractat in omnibus, ut à Christo tractari decet Christum Domini. Aliter enim exprimere nequeo affectionem, quàm Christianissimus Princeps naufrago Sacerdoti exhibet. Nos autem domestici Sacerdotis proscripti quidem rebus, sed adscripti Fidelibus, qui pro justitia patientes honorificaverunt ministerium suum, dispersi sumus ut exules in Regno Francorum. Sed ubique nobis adest, qui pascit volatilia cœli, & lilia vestit agrorum. Speramus autem, quod idem Pater noster & omnium Dominus procellam nostram in auram convertet in brevi, licèt majus nobis imminere naufragium hostes Ecclesiæ glorientur. Mentiuntur enim Romanam Ecclesiam nobis conversam esse in arcum pravum, & Dominum Papam omnibus Regis Anglorum petitionibus annuisse, ex eo sumentes conjecturam, quod excommunicati nostri absoluti sint in adventu Joannis de Oxeneford, qui etiam quasi re benè gesta in Curia Imperatoris, ubi schisma confirmatum est, acceptum

ptum de manu Domini Papæ reportavit Saresberiensis Ecclesiæ Decanatum. Sed si quis ea, quæ Romæ gesta sunt, diligentiùs recolat, planè videbit, quòd Romanus Pontifex, etiam circumventus, causam Ecclesiæ & nostram fidelissimè procuravit. Jam dictus enim Joannes tandem præstito juramento de more absolutum, id itidem publicè juravit, quòd nihil in præfato schismaticorum conventu fecerat contra fidem Ecclesiæ, & honorem & utilitatem Domini Papæ. Et utinam non dejerasset. Postmodùm commendatitias & deprecatorias porrexit ex parte Domini Regis, quibus insertum erat, ut illi tanquam Regi ipsi in omnibus crederetur. Deinde tanta fultus authoritate causam, quæ inter Regem & Archi-Episcopum super pravis Consuetudinibus vertitur, Domini Papæ commisit arbitrio, ut illæ ad nutum ejus roborarentur aut caderent, & Archi-Episcopo ad formam mandati ejus pax omnimoda reformaretur. Et hoc item juramento confirmans obtinuit, ut Dominus Papa concederet se ad hoc Legatos esse missurum, quorum iter, ut ajunt, suspensum est, juratoris fraude comperta.

## EPISTOLA CIII.

*Alexandro Papæ Joannes Saresberiensis.*

ANIMA nostra, Pater, in amaritudine est, ut, quod in conspectu vestro timeo plurimùm, verbo modestiam subtrahat vis doloris, & patientia præ miseriarum cumulo querelas omninò nequeat cohibere. Alii enim nostrum pro defensione justitiæ morientes à Deo & ab Ecclesia expetunt innocentis sanguinis ultionem. Alii variis afficiuntur suppliciis. Omnes exulamus & diù proscripti sumus, ut vel sic nefarias hominum traditiones compellamus præferre legi Dei, & Sanctionibus Patrum. Sed unicum fidelibus est in tribulatione remedium, precibus aures pulsare Majestatis, & totius mentis Arcana retexere, ut sic Patris clementiam moveant, & miseriæ solatium consequantur. Hoc quoties usi sunt filii Israel, toties de necessitatibus & angustiis leguntur erepti. Recurrebant illi ad tabernaculum fœderis, ubi Sancta Sanctorum servabantur, id est, mandata Dei, quæ cunctis justificationibus antecellunt: in opportunitatibus suis conveniebant Moysen & Aaron, Sanctos Domini. Et miseris Cantuariensibus, ad quos inter Deum & se mediatores confugiendum est, nisi ad Romanam Ecclesiam, ubi viget Divinæ legis custodia, & totius Sacerdotii Principatus? Nam si illa post Deum decreverit salvare nos, continuò liberabimur. Si manus erexeritis, sternetur Amalech. Et qui vos Pharaoni dedit in Deum, dejiciet omnes adversarios Ecclesiæ à faciæ nostra. Et utinam ille, qui se gloriatur annulo, honore, & beneficio, manu Apostolica subarrhatum, juramentis & promissionibus suis prudentiam vestram non delusisset, nec erectarum manuum flexisset rigorem, quia Ecclesia jam navigabat in portu, quando ille rediens cum triumpho sacrilegos impœnitentes fecit absolvi, & suspensa potestate Domini Cantuariensis usque in adventum Legatorum, quorum erat præambulus, persecutoribus Ecclesiæ adjecisset audaciam delinquendi. Nam anteà plures obediebant Archi-Episcopo, sed exindè, quòd meminerim, nullus, vel admodùm rarus. Data enim erat spes Æmulis ejus, quòd à Legatis dejiciendus sit, quòd spoliatus citra restitutionem rerum aut temporis debeat subire judicium. Quòd Legati veniebant in ea plenitudine potestatis, ut abrogatis his quæ nunc vigent, possent nova condere jura. Proni erant homines ad credendum, videntes assertoris annulum & honorem, & quia convocatis Episcopis in adventu ejus, excommunicati Domini Cantuariensis absoluti sunt impœnitentes, & ipsius evacuatæ sententiæ. De facto, inquam, absoluti. Certè adhuc ligati sunt antè oculos Domini, qui criminosos impœnitentes nunquàm absolvit. Constat autem de impœnitentia, quia nec satisfaciunt cùm possint, nec aliquid restituunt ablatorum. Profectò si res ablata reddi potest, & non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur. Vana sunt hæc, si non adhuc Cantuariensis Ecclesiæ possessionibus incubant, si alicui nostrum de tot & tantis vel obulus restitutus est. Nisi illis, qui retrò objerunt, & juramento præstito firmaverunt sibi jure Regis esse vivendum. Nec tamen est quo Sanctitati vestræ illa non absolutio, sed juris illusio debeat imputari, cùm in fraudem mandati vestri non tam præstita sit, quàm commissa. Indulseratis enim, ut si quos eorum ægritudine laborare contingeret, mortis imminente periculo, præstito juramento secundùm morem Ecclesiæ, quòd vestro mandato pareret, tunc demum absolveretur: in quo Ecclesiæ Dei & nobis prospectum esse voluit dignatio vestra. Illi autem absolvi doli patrocinio meruerunt, simulantes se in mortis periculo versari, quia eis de mandato Domini Regis imminebat necessitas transfretandi. Undè ille qui absolvit, nec ordinariam habebat potestatem, nec à vobis præscriptam servavit formam. Credo, si vobis aliter non videtur, collatam absolutionem de jure non tenere, & illos Ecclesiæ pervasores in anteriori manere sententia. Nam illi, qui vobis illudendo, Gallicanam & Anglicanam Ecclesiam scandalizando, peccavit in Spiritum Sanctum, Deo inspirante & vestra justitia cooperante, respondebunt merita sua: & hoc, sicut Christianissimus Rex & Regnum ejus de vobis confidit, in brevi. Exultat enim in his, quæ dicta sunt, & quæ in adventu Cardinalium pleniùs innotuerunt, vanam scilicet esse gloriationem eorum, qui Cantuariensi Archi-Episcopo, immò Ecclesiæ Anglicanæ ruinam minabantur. Nam si ob hanc caussam dejiceretur Archi-Episcopus, quis auderet mutire de cætero? Si Rex authoritate vestra confirmationem aut dissimulationem consuetudinum, quas petit, obtineret, quid vereretur amodò Princeps aliquis contra Ecclesiam postulare? Unum scio, quod salva professione, & citra Divinæ Legis injuriam, eas non modò Episcopus, sed nec Christianus poterit conservare. Nec satis mirari possum, qua mente Sacerdos ausus est innuere Sacerdoti, ut Siculorum vel Hungarorum exemplo tantis pravitatibus tolerantiam adhiberet. Absit hoc consilium à Sanctitate Pontificatus vestri, & ut tantarum præsumptio pravitatum remanens impunita, à diebus vestris in alias ætates ad consequentiam protrahatur. Non tamen Legatos, quos misistis, ad compescendam immanitatem Regis populus credit idoneos: quia idem



idem Rex semper alterius patrocinio usus est, & de eo præsumit plurimùm. Alter etsi bonam habeat voluntatem, eam ex caussis variis non potest producere in effectum. Sed nec aliquem, ut ex animi sententia loquar, ad hoc credo idoneum. Fructum quis Legationis expectet in terra sua? Ubi nec Litigatori vel judici ad dicendum aliquid contra eum in potestate sua locus est opportunus. Non creditur à prudentibus alterutrius Regni, quod ille, quem Rex à Sanctitate vestra petivit ex nomine, modò sit aut fide purior, aut charitate ferventior, aut virtute constantior, quàm fuit Papiæ inter Cognatos, amicos, & notos, ubi siluit, videns ab Hæreticis, qui convenerant, caussam fidei condemnari, & Apostolicæ Sedi gravissimum de schismaticorum consensu roborato subinferri dispendium. Sed benedictus Deus, qui misertus Ecclesiæ contrivit authorem schismatis, illum detestandum sæculis Fredericum, coram facie vestra docens annum placabilem Domino, & tempus visitationis jam advenisse. Et ut vos gladium Dei videtis eductum in capita Tyrannorum, in eos Petri gladium exeratis. Scitis quòd constituti estis Coadjutores Dei in exterminio eorum, qui ut stabiliant iniquas hominum traditiones, verbum Dei moliuntur extinguere. Sic utrique manus vestras Domino consecrabitis in exterminio Idoli, levi restituetur, ut gaudeat benedictione Patris, & Sacerdotium vestrum plusquàm Phinees reddetur omnibus sæculis gloriosum.

## EPISTOLA CIV.

*Alexander Papa Wilhelmo & Ottoni Cardinalibus.*

SUGESTUM est nobis, quod quidam eorum, quos venerabilis Frater noster Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus excommunicationi subjecerat, Ecclesiæ suæ nec non & Clericorum ejus bona & possessiones detinere, & eisdem incubare præsumunt. Undè quoniam indignum est, ut bonis & possessionibus illis detentis, à vinculo debeant, quo tenentur, absolvi, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenùs si jam, sicut audimus, per aliquem sunt absoluti, ipsis ex parte nostra in virtute juramenti firmiter injungatis, quòd præscriptas possessiones & bona personis & Ecclesiis, de quarum jure existunt, in continenti relinquant. Nec eas tenere, aut se de his de cætero intromittere qualibet occasione præsumant. Quod si ad vestrum præceptum non fecerint, vos eos, omni dilatione & appellatione cessante, in priorem excommunicationis sententiam usque ad satisfactionem plenariam reducatis. Si verò à vobis fuerint absoluti, id nihilominùs, sicut prædiximus, efficiatis.

## EPISTOLA CV.

*Joannes de Saresberia Roberto Archi-Diacono de Surreja.*

INGRATITUDINIS vitio nihil odibilius est apud Deum & homines, cujus nota meritò videbor inurendus, si actiones gratiarum lingua siluerit, quoties post beneficia datur opportunitas colloquendi. Agens ergo quas & quantas possum, illum retributorem meritorum vobis confidenter audeo delegare, qui bona cuncta larga & & copiosa manu remunerat, & nullum malum relinquit impunitum. Hæc est interim consolatio nostra, hæc spes jugis timentium Dominum. Quis enim speravit in Domino, & derelictus est? Fingat qui voluerit, quia inveniri non potest in tota sacrarum serie scripturarum. Sed nec antiquus dierum mendax invenietur, qui se voluntatem timentium se promisit esse facturum. Arrham promissionis hujus accepimus, jam pollicentis experimur fidem, & miserentis sentimus effectum, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. Quintus annus exilii mei evolvitur, & ecce cùm mihi nihil antè defuerit, solatii cumulus est, quod Ecclesiæ libertas videtur adstare præ foribus, & pro parte jam pedem fixit in Insula. Renunciavit enim Rex, sicut nuncii Cardinalium attestantur, quibusdam consuetudinibus pessimis, quas tamen antè consueverat vendicare, cum juramento detestans illas, & authores earum. Consentit ut liberum sit ad Sedem Apostolicam appellare, ut Clerici ad sæcularia judicia non trahantur, & quædam alia, quæ sic utinam probaret facto, sicut firmat eloquio. Cardinales nullam habent in Archi-Episcopum potestatem, & jussi sunt litteris Apostolicis, quas nuper receperunt, Angliam non intrare, neque intrommittere se de Consecrationibus Episcoporum, vel aliis Regni negotiis, nisi priùs Cantuariensi Archi-Episcopo pax plenissima fuerit reformata. Aliis quoque præceptum est eis, ut omni appellatione cessante reponant in anteriorem sententiam excommunicatos Domini Cantuariensis, qui videbantur absoluti, nisi satisfaciant in continenti, restituentes illi & suis Ecclesiarum possessiones, & omnia quæ indè percepérunt. Londoniensis Episcopus Cardinalibus denunciatus est excommunicatus, & Domino Papæ, ex caussis, quas percurrere longum est. Innotescent hæc per vos, si placuerit, Domino Episcopo, cui ideò minùs scribo, ne mea necessitas sub obtentu litterarum quæsisse videatur occasionem mendicandi. Undè nunquàm sub exilii hujus angustia scribendum censui suspiciosis, & conjectantibus indigentis verba semper ad quæstum & consolationem angustiæ tendere. Sed his dumtaxat, quos arbitror amici sermonem non interpretaturos precum esse improbitatem. Eum verò precor nomine meo salutari, cui multas habeo, & authore Deo gratias agam propter sinceritatem charitatis, quam mihi in corde, & cùm necesse fuerit, ostendit in opere.

## EPISTOLA CVI.

*Bartholomæo Exoniensi Archi-Diacono Joannes Saresberiensis.*

SI nihil humanum comicus à se reputat alienum, non ambigo te curare quem sortiatur exitum caussa Dei, & amicorum labor, qui pro libertate Ecclesiæ patiuntur, aut imminentia sibi pericula reformidant. Siquidem mihi pridem multis argumentis innotuit benignitas tua, suo merito bonis omnibus gratiosa. Sed, de conscientia dixerim, nulli mortalium quàm mihi dulcior. Poterunt autem tibi quæ gesta sunt in colloquio Domini Cantuarien-

tuariensis & Cardinalium, & item qualiter Episcopi, qui trasfretaverant, adversùs Archi-Episcopum denuò provocaverint, constare, tum ex relatione multorum, tum fideliùs, ut arbitror, ex litteris quarum tibi mittuntur exempla. Contraxi namque familiaritatem cum Domino Cantuariensi & Coexulibus suis, ut amicis, si fortè opus fuerit, possim commodiùs suffragari. Cùm verò ille nec illi secreta sua mihi censeant occultanda, quæ Deo propitiante, celabo fideliter, & sic opportunitatibus amicorum subsidium feram, ut hi qui de fidei meæ sinceritate præsumunt, dispendium non incurrant. Hoc officiorum gerendorum norma præscribit. Hoc enim certum est universis Cantuariensibus complacere. Amici tui sunt eorum plurimi, & de te jure societatis antiquæ velut de fratre confidunt. Undè se necessariis tuis fatentur obnoxios, & illis tanquàm sibi contemplatione tui desiderant esse prospectum. Nam quisquis amicis eorum commodus est, & illis. Licèt itaque Dominus Exoniensis, qui sine tuo gravamine molestari non poterit, nec Archi-Episcopo, nec alicui suorum amicus inventus sit aut officiosus in aliquo, tamen quia tibi jure amicus est, doleo quod perversitas quorundam vix extricabiles ei tetendit insidias. Provideat illi Deus, & tu præeunte gratia sollicitus esto suffragiis eleemosynarum, orationis instantia, & deliberandi studio consilium, prout à Patre luminum impetraveris, ministrare. Nam nisi Deus impediat, aut Archi-Episcopum offendet cum dispendio conscientiæ, aut Regem & Cardinales suos. Recepturus enim est, si nondùm recepit, litteras Legatorum, præcipientes ut absolvat excommunicatos Domini Cantuariensis, cùm ipsi tamen præcipiendi sic nullam habeant potestatem, sed inhibiti sint litteris Apostolicis Angliam ingredi, vel se de Regni negotiis intromittere, nisi priùs Archi-Episcopo pax plenissimè reformetur. Alia quoque præceptione jussi sunt memoratos excommunicatos sine dilatione, omni appellatione cessante, reponere in sententiam excommunicationis, nisi satisfecerint, prout videre potes ex litteris, quarum tibi mitto rescriptum. Archi-Diaconum quoque Pictaviensem Cardinalis Papiæ nuper absolvit. Ex quo patet, quàm nulla fuerit à Gualensi Episcopo eis collata absolutio, & quàm periculosè sit eis exindè communicatum. Si ergò illos absolverit Exoniensis, & liquidum sit impœnitentes esse, offendet primò in Deum, deindè Archi-Episcopum graviter exasperabit. Si verò non absolverit, Regis & Cardinalium suorum indignationem videbitur meruisse. Dicent enim: ecce jam in propatulo est, quòd Archi-Episcopo prorsùs favet, quòd Domini Regis honorem non diligit, quòd Apostolicæ Sedis contemnit authoritatem. Potuerant Cardinales, si circumspecti essent, si timerent Dominum, si brachium suum non ponerent carnem, revolvere quid susceperint in mandatis, quæ sit Apostolicarum conceptio litterarum, quid Ecclesiæ expediret, & à mandatis hujusmodi penitùs abstinerent. Aut si hominem Deo præferendum esse decreverint, quare non injunxerunt hoc munus uni eorum, qui præsentes aderant, & festinabant ad reditum? Nam Londoniensis, Saresberiensis, Cicestrensis, Vigornensis assidebant eis, & in humeros Exoniensis, ut dicitur, impegerunt hoc onus. Magis tamen imponitur Vigornensi, qui si vera sunt quæ dicuntur, plusquàm tantæ modestiæ virum deceat, in Archi-Episcopum suum jocatus est. Sed accusentur Episcopi: novit Dominus qui sunt ejus. Et declarabitur veritas in die illa. Nec interim nocens se judice absolvetur, & qui fratri foveam parat, incidet in eam prior. Quid ergò faciet inter has tendiculas tuus, & pro amore tuo meus Exoniensis? Si consilio polles, aut aliquis tuorum, gaudens eo utere; sin autem, meo interim, quod sine melioris præjudicio dictum sit, adquiesce. Scio enim quod libenter te audit Exoniensis. Si illi venerint absolvendi, mandati tenorem inspiciat, flagitet pœnitentiam, extorqueat confessionem, & si mandati forma non impedit, legitimam de satisfactione exigat cautionem, ostendat & Apostolicas litteras, quibus in anteriorem sententiam ex necessitate reponendi sunt, si satisfactionem exhibere distulerint. Exerceat admonitiones, & quæ pericula immineant, diligenter exponat. Quod si per eos steterit, quominùs absolvantur, res ei in tuto est. Quod si pœnitere nolunt, & tamen absolutionem importuniùs quærunt, respondeatur eis in omni charitate & modestia, quia hæc absolutionis forma Evangelicæ & Apostolicæ doctrinæ contraria est, & quæ ab aliquo Episcoporum sine majori authoritate exerceri non potest, ut sic ad Cardinalium consultationem negotium referatur. Dicatur etiam eis, quòd absolutio non proderit eis ad salutem, nisi præcedant pœnitentia & confessio, & satisfactio pro facultate. Nunquàm enim sic impudentes erunt Legati, ut impœnitentes judicent absolvendos. Si verò pœnituerint, & emendationem publicè promiserint, licèt ab eis cautio nequeat extorqueri, nec inserta mandato sit, absolvi fortassè poterunt, ut Regis & Cardinalium indignatio declinetur, quia præsumi poterit mandatoribus fuisse cautum. Habeatur autem, quoties aderunt, ubique & publicè protestatio Divini juris. Veruntamen Archi-Episcopo displiciturum scio, si mandato illorum absolvantur, qui non de accepta potestate, sed de temeritatis audacia mandare præsumunt Episcopis, super quos nullam habent authoritatem. Et quidem meritò displicebit. Sed quia ego & alii amici tui Cantuariensem in multis promeruimus Archi-Episcopum, quamvis læsum, confido fore placabilem. Et quod vobis plenè remittet in animo, si quid in hac necessitate contra se viderit esse præsumptum. Si vidissem mandati conceptionem, planior esset via consilii. Quare precor attentiùs, ut ipsas litteras, si adhuc traditæ sunt, mihi mittere non moreris. Nec excidet à memoria, quoniam in litteris, quas Joannes de Oxeneford attulit, jussit Dominus Papa, ut si excommunicati essent in mortis periculo constituti, tunc absolverentur præstito juramento, quòd, si convalescerent, Apostolico parerent mandato. In litteris quoque, quibus Cardinales præcipiuntur eos reducere in sententiam anathematis, nisi satisfecerint in continenti, ejusdem juramenti conditio inserta est, & posteriorum tibi mitto rescriptum litterarum, ut earum sententia publicetur, & possit indigentibus esse præsidio. Nam qui Deum timuerit, movebitur, ut minùs audeat in mortem suam. Sed si nodum istum ille tuus amicus aliqua ratione expedierit, laqueum timeo duriorem. Vereor enim, ne Princeps Sacerdotum, qui consilium



sium inierunt, quomodò occidant Christum Domini, & Ecclesiæ perimant libertatem, accitis officialibus Regis illum tuum Exoniensem inducere velint aut compellere, ut appellationi factæ, consilio Regis & Cardinalium, nomine Regni & Sacerdotii, adscribat, & actionem muniat suarum testimonio litterarum. Et fortassè Regis authoritate præcipient per fidem, quam illi debet, & sicut honorem Regni & Sacerdotii diligit, ut cum aliis Nunciis caussam suscipiat, & in propria persona prosequatur. Quorum si unum fecerit, indubitanter credo quòd Deum, & scio quòd offendet Archi-Episcopum, fortassis irreparabiliter. Fuit enim cum aliis appellatoribus apud Northamtune Adversarius ejus. Item secundò appellantibus adstitit, & habita sunt hæc quasi non fuerint. Si verò nunc tertiò non gravatus ratihabitione retorquet ad se malitiam aliorum, cum eis videbitur sitire sanguinem Patris, & magis vulnerabit conscientiam propriam, quàm Ecclesiæ caussam, quàm personam illius, cujus ruina quæritur. Si non fecerit, præterita non proderunt merita, quin Regis & Sacerdotii denuntietur publicus hostis: & licèt hæc omnia fecerit, hunc eundem exitum timeo. Ea enim est natura hominis, ut apud eum jacturam faciat omnium meritorum, quicumque ratione præterierit aut distulerit unum qualecumque adimplere mandatum. Ea autem est moderatio precum & sobrietas mandatorum, ut ei quandòque necesse sit obviari. Quare summa consilii mei est, ut adhibita diligentia & tota mentis sollicitudine semper teneatur amicus, dum fieri potest, incolumi religione. Si verò contingat articulus, ut aut ipsum offendere necessitas urgeat aut peccare, Deus est præferendus, ut conscientiæ servetur integritas. Nec fieri mala debent, ut proveniant bona, nec offensis placanda est indignatio Majestatis, ut fidelium suorum convertat, aut conterat inimicos. Si ille pro nobis, quis contra nos? Itaque si ratihabitionem exegerint, si petierint subscriptionem, mihi videtur, salva reverentia consilii potioris, quod dilatio peti potest, donec Ecclesiam suam Episcopus consulat, & Religiosos viros Parochiæ. Non enim videtur grandis esse prudentiæ, si homo sine querela se litigiis immergat alienis. Et cùm testis sit attendere quod vidit & audivit, quid testificari poterit, qui nec interfuit negotio, nec audit nisi partis alterius hostes, quærentes quæ sua sunt, non quæ Dei. Et hac eadem ratione uti poterunt, qui appellantibus defuerunt, præsertim cum nec mandaverint appellari, nec conscii fuerint. Poterunt, inquam, si qui tamen sunt in tanto Regno, qui veritatem, quam mente conceperunt, audeant profiteri. Londoniensis timet capiti suo, & ideò furoris socios quærit, ut remaneat impunitum, quòd à tam multis constiterit fuisse præsumptum. Quod si instantiùs urgeant, deferatur, si fieri potest, ad Cardinalium consultationem. Hoc tamen voluntati Regis negandum non erit, quod pro eo scribatur, quatenùs apparuerit justitia ejus, & exoretur Dominus Papa, ut Ecclesiæ reformet pacem, & Regis honorem servet, & justitiam promoveat, sicut docuerit Spiritus Sanctus. Si autem specialiora quæsierint, quidquid contra conscientiam & honestatem specificabitur, non habebit speciem vel decorem, certè nec exitus felices. Prosecutionem caussæ suscipere quidem non expedit, sed qui coactus fuerit gaudebit fortassis dilatione, qua necessaria quærat, & domui suæ disponere possit. Fortassè sub eo prætextu colligi poterunt, quæ Deo gratiùs erogentur. In ipsius verò Legationis susceptione omnia causæ vitia & impedimenta protestanda sunt, ut etiam conscientia servetur indemnis, & ut amarus exitus posteà non debeat imputari. Exigetur fortè de mandatis diligentiùs exequendis novi cautio juramenti: sed non video, quomodò sine turpitudinis nota præstetur. Nihil autem utilius esse dilatione credo, si potest impetrari: quia authore Domino interim aut pax reformabitur, aut Dominus Papa vel Cardinales alio procedent consilio, ut totius negotii formam oporteat immutari. Utinam veris graviora sint pericula quæ timentur, & sollicitudo vanos timores incusserit amanti. Si Cicestrensis & Vigornensis operam dederint & diligentiam, quod, ut arbitror, poterunt, quo modo tuus Exoniensis expediatur, minus rumoribus credam. Alioquin præsumetur eos machinatos esse periculum fratris, quòd noluerint impedire. Hoc autem certum habeat, quod Archi-Episcopus ratas non habet absolutiones quasdam à Cardinalibus. Et hoc ipsum significavit eis. Deferens tamen Apostolicæ Sedi, noluit eos arguere publicè, præsertim cùm promittant se celeriter correcturos, quod circumventi præsumpsisse noscuntur. Rogaverunt Cardinales Archi-Episcopum, ne Londoniensem vel alios denunciaret excommunicatos, dum spes pacis esset, & ipse tunc adquievit.

## EPISTOLA CVII.

*Joannes Saresberiensis cuidam Amico suo.*

LICET communis Pater noster & Dominus magistra charitate didicerit abundare & penuriam pati, & ubique & in omnibus, in quibus est, pro Christo sufficiens esse, gaudeo tamen propter te, quòd tandem aliquando qualitercumque charitas tua refloruit, & indicio operis, quamvis sero, & modico priùs apparentem, convincit vel tenuiter vivere fidem, *quæ*, ut nosti, teste Jacobo, *sine operibus mortua est*. Et quidem ille nullam hactenùs, aut honestam dumtaxat sustinuit paupertatem, Deo temperante flagella, & persecutiones hominum, ut tolerabiles sint fidelibus, clementiùs mitigante. Sed ad horam tentatus est, ut se pleniùs agnosceret, & planiùs innotesceret Mundo, & in tantæ tribulationis angustia fidem amicorum manifestiùs comprobaret. Jam per ignem transivit & aquam, vexillum fidei & justitiæ antè Reges & Præsides reluctantes & contradicentes erigere & perferre nec erubescit, nec expavit, nec prece, nec pretio, nec minis, nec blanditiis, aut tormentis frangi vel flecti potuit, ut nomen Domini reticeret, & honoris ejus quantulumcumque dispendium pateretur. Nunquid non ei dictum est, & ferè verbis eisdem, sed diverso proposito: sine me, ut honorem Divinum minuam, ut Ecclesiæ deleam libertatem, & faciam te crescere in gentem magnam, dummodò consuetudines Avitas procedere patiaris, & eis non anteponas aut opponas Divinorum reverentiam mandatorum? Sed vas Electionis fidem fiducialiter eloquens, aut, inquit, me delebis, aut

hæc

hæc Deo inimica præsumptio tua delebitur, quia tibi talia molienti, & illi servire non possum. Undè, nutu favente Divino, contemsit: plenam & gloriosam accepit à Domino potestatem, qua conterere poterit Adversarios suos. Attende quæso, quomodò Episcopi & alii, qui eum impugnabant, deficiunt. Et persistens in eo, quod tandem cœpisti, converte & robora Fratres tuos. Exhibe te Patri filium, quoniam in ejus manibus post Deum & per Deum salus Ecclesiæ posita est. Nec differas benefacere, cùm possit. Sed si aliter salus eorum expediri non possit, fratribus utrimque subtrahe aliquid ignaris aut invitis, undè incolumitas & indemnitas eorum in die obductionis valeat procurari. Tu, Deo authore, in portu navigas, quid te oporteat agere, per Latorem præsentium audite.

## EPISTOLA CVIII.

### Idem Bartholomeo Exoniensi Archi-Diacono.

*Suo Benedicto suus Gratianus salutem & benedictionem à Domino.*

QUIA tibi præsentium portitor pleniùs notus est, plura relatu digna schedulæ subtrahens, fidei ejus commissi tibi secretiùs intimanda. Verùm quia de statu publico Ecclesiæ & Regni pariter sollicitamur, utumque tibi succincta brevitate perstringo. In primis ergò noveris, quod Hæresiarcha Cremensis & cremandus clausus est in Turre Stephani Theobaldi, nec audet egredi, timetque usque ad mortem innovationem Senatorum, qui in Calendis Novembribus Urbis regimen accepturi sunt. Nam præsentis anni Senatores, ut captivos suos de carcere Imperatoris eriperent, Guidonem Cremensem receperunt apud Sanctum Petrum, & in Regione Transtyberina, ei juratoria cautione securitatem præstantes. Romam verò ei nunquàm subjicere potuerunt, & ut opinor, nec voluerunt. Novi verò Senatores Domino Papæ Alexandro facient fidelitatem, & ut creditur, authore Deo, schismati finem dabunt. Hoc enim diutiùs tractatum est, & multis firmatum juramentis. Cardinales redeunt revocati, non sine confusione pœnitentes, & conquerentes se ad Regis voluntatem nimis caussam Ecclesiæ depressisse. Alter enim eorum, videlicet Papiensis, ei in omnibus adstitit, altero quoque remissiùs agente, quàm tantæ exspectationis & spei hominem decuisset. Undè litteras illas, de quibus Rex gloriatur, Domini Cantuariensis potestatem cohibentes, donec redeat in gratiam ejus, constat hac arte fuisse impetratas. Noverat memoratus Papiensis Dominum Cantuariensem obtinuisse ab Apostolica Sede, ut ei liceret in caput Regis anathematis, & in Regnum interdicti promulgare sententiam, nisi Rex infra terminum litteris comprehensum Ecclesiis ablata cùm integritate restitueret, & condignè satisfaceret. Scripsit ergò Domino Papæ, lachrymabili supplicatione deposcens, ut cum Rege mitiùs ageretur, ne tam illum, quàm Dominum Ottonem collegam suum, ad ignominiam & opprobrium sempiternum Ecclesiæ Romanæ, idem Rex, sicut jam disposuerat, si in ipsum asperiùs ageretur, conjiceret in vincula & carcerem, ubi morte ipsa duriorem, miseram & brevem transigerent vitam. Cùm ergò Regem hoc facturum esse persuasisset, obtinuit ad consolationem Regis, etiam quasi suam & socii liberationem, quò faciliùs egrederetur, rescriptum Apostolicum, quod tam vestram quàm omnium fidelium mentes exulceravit. Sed impetrare non potuit, ut tollerentur litteræ, quibus Dominus Papa reducit in memoriam Regis, quod ei tam ex litteris ejus, quàm ex promissionibus Nunciorum data certa spes & fiducia pacis sub ea conditione, ut sæpè dicto Regi tantus exhiberetur honor. Supplicatum est, ut ad annum protenderetur hæc dilatio, sed repulsæ sunt preces, Apostolico dicente Nunciis ipsis se in brevi revocaturum indulgentiam istam, nisi Rex cum Archi-Episcopo citò fecerit pacem. Et quidem jam revocata est, nisi infra certum satisfecerit diem. Exindè enim liberum est Archi-Episcopo procedere de vigore litterarum, quas ipsum superiùs diximus impetrasse. Indè est, quòd Cardinales de manibus Regis elabi festinantiùs studuerunt. Nuncius supplebit cætera dicenda potiùs quàm scribenda, ut & tu cùm omnia videris, provideas quomodò possis cautissimè ambulare. Si quid autem adhuc emerserit, quod jam Statutis præjudicet, tibi, Deo propitiante, communicare non differam. Regum pax sperabatur & tractabatur nuper, sed Rex in tantam recidit contrarietatem, ut jam ferè impossibilis videatur, licet neuter guerram velit. Profectò convenissent à multis diebus, nisi Rex Angliæ rebus dispositis & compositis aliquid semper conaretur adjicere. Itaque ferè accidit, ut quantum procedere nititur, res in contrarium proposito pergat eventum: ut fiat retrogradus in agendis, qui præter æquum & bonum molitur conventionis, etiam Juris non tam præcessor esse, quàm subversor. Apostolicæ constitutionis rescripta, cùm licuerit, quod quidem in brevi, Domino patrocinante, futurum est, tibi mittam, adjiciens si quid referendorum contigerit interim innovari. Præteream quod minimè reor esse prætereundum, scilicet Dominum Ottonem paucis diebus, antequàm recederet à Rege, ipsum diligentiùs convenisse, ut pacem cum Archi-Episcopo reformaret. Ille verò respondit se pro amore Domini Papæ & Cardinalium permissurum, ut Archi-Episcopus in pace redeat ad Sedem suam, & disponat Ecclesiæ & rebus suis. Et quia de consuetudinibus jurgia diutiùs protraxerunt, dixit se & liberos suos illis solis esse contentos, quas antecessores suos habuisse constiterit, juramento centum hominum de Anglia, & centum de Normannia, & centum de Andegavia, & aliis terris suis. Si verò hæc conditio pacis Archi-Episcopo displicuerit, se paratum esse dixit stare arbitrio trium Episcoporum Angliæ, & trium Cismarinorum, videlicet Rothomagensis, Bajocensis, & Cenomanensis. Quod si nec istud suffecerit, Domini Papæ judicio stabit, eo salvo ut non exhæredentur liberi ejus. Nam in diebus suis facilè sustinebit, ut Dominus Papa, quas voluerit, reprobet. Quæsitum est ab eo, quidnam Archi-Episcopo & suis facturus erat de restitutione, quæ ab ipso petitur & debetur. At ille respondit, quia nihil, jurans multis & exquisitis juramentis, quod omnia, quæ indè



indè perceperat, solis Ecclesiis etiam pauperibus erogavit. Sed hoc credat Judæus apella, non ego. Cardinalis autem subintulit, quòd nisi alio utatur consilio, & cum Ecclesia Dei mitiùs agat, omnia districtiùs & citiùs quàm credat, ab illo requirent Deus & Ecclesia ejus. Et sic accepta licentia ab eo recessit. Deindè convenit eum Wilhelmus Papiensis eo ferè modo, sed semen verbi ejus cecidit in arenam. Facientes autem transitum per Christianissimum Regem Franciæ redierunt in gratiam ejus, intervenientibus pactis, quæ vobis harum bajulus intimabit. Pictavienses viriliter agunt, & confortantur, omnia longè latèque depopulantes in circuitu suo.

## EPISTOLA CIX.

### *Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Alexandro & Joanni Fidelibus suis.*

ANTE discessum vestrum innotuit vobis, nos misisse Canonicum Regularem de S. Joanne ad Dominos Cardinales cum transcripto litterarum Domini Papæ de excommunicatis nostris sub juramento absolvendis in hanc formam, ut omnia nobis & nostris ablata restituerent. Aliòquin in eandem, in qua priùs fuerant, reponerentur sententiam. Posteà verò ipsas litteras Domini Papæ ipsis Cardinalibus per Dominum Osbertum Subdiaconum Curiæ misimus, ad quas per præfatum Canonicum responderunt, quod prædicti excommunicati, quorum nomina eis in schedula expresseramus, ex Regis mandato & ejus authoritate reditus nostros & nostrorum perceperant, & ideò non posse, dum in terra ejus moram facerent, in illos justitiam exercere. Adjicientes etiam nomen nostrum ipsi Regi adeò esse odiosum, ut nec ipsi nec alii auderent de nobis cum eo loqui, nec eum super his, quæ ad nos spectant, aliquo modo convenire. Dixit etiam Dominus Otto ipsi Nuncio secretiùs, quòd etiam apud vos secretum sit, nemini præterquàm Domino Papæ & fidelioribus amicis nostris revelandum, quia pro nihilo mandaret eis Dominus Papa aliquid hujusmodi, quod esset contra Regem, quem dum moram facerent in terra sua, nec pro ipso Papa, nec pro alio eum aliqua ratione offenderent. Et ideò omnimodis expedit, immò plusquàm necessarium est, ut omnem quàm poteritis, operam adhibeatis, & pro viribus apud Dominum Papam efficiatis, quatenùs sæpè dicti Cardinales revocentur, & à terra tota ipsius Regis sub pœnæ interminatione exire compellantur. Sed & de Londoniensi & Saresberiensi memoriter teneatis, & efficere satagatis, quod vobis injunximus. Litteras etiam Domini Regis pro nobis, & litteras Cardinalium, quas per prætaxatum Canonicum nobis miserunt, & litteras Domini Ottonis privatas, quas & apud vos privatas esse volumus, Domino Papæ dumtaxat ostendendas, per Latorem præsentium vobis mittimus. Ad hæc significatum est nobis per aliquem, quia juxta quod Wilhelmus Papiensis suggessit Regi, & fortè aliis, nisi præsensisset de voluntate Domini Papæ nos posse transferri, id nunquàm Rex in quo modo est, propositum arripuisset, nec in eo stetisset. Verùm sciat Dominus Papa & alii amici nostri, quod & eis constanter & firmiter proponatis, quia permitteremus nos potiùs interfici, Deus novit, qui scrutator est cordium, quàm pateremur nos à Matre nostra Cantuariensi Ecclesia cum vita avelli, cum nos enutrierit & exaltaverit in eo quod sumus. Unde & pro nihilo ad id operam darent, quia citiùs quodvis subiremus discrimen. Adjicietis etiam, quia si non esset aliud, nisi quod aufert homo ille possessiones Ecclesiæ nostræ, & aliarum Ecclesiarum in terra illa, mallemus, Deus scit, mori quavis morte, quàm turpiter vivere, ipso nec impunè ferente, & debitam à nobis pœnam, nisi fortè satisfecerit, non reportante.

## EPISTOLA CX.

### *Joannes Saresberiensis Magistro Balduino Archi-Diacono.*

UBI de seriis agitur, nugas multiplicare non expedit. Et indecens est Medicorum more fallacium, cùm aliud necessitas exigit, amicis indigentibus verba dare pro rebus. Nosti pridem nominalium tuorum eò mihi minùs placere sententiam, quòd in sermonibus tota consistens utilitatem rerum non assumpserit, cùm certum sapientibus ac indubium sit, quòd res quærit Philosophia, non verba. Ut ergo copiosiùs agam tecum meorum more Realium, ex litteris, quæ nostro Benedicto directæ sunt, colliges in quo calculo caussa Sacerdotii versetur & Regni. Tibi verò specialiter scribendum censui, quod interim graviùs exulcerat animam meam, & cor tuum, ut arbitror, acerbiùs uret, si tamen verum est, quod de Vigornensi nostro in auribus multorum divulgavit fama celebrior. Dicitur enim, quòd imprudentiùs versatus est in caussa Archi-Episcopi & Consecratoris sui, conatus ex eo in præsentia Episcoporum & aliorum docere caussam Domini Cantuariensis non niti de sinceritate justitiæ, nec Ecclesiæ quærere libertatem, sed dumtaxat quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi; quia cedere non vult ea conditione, ut Rex perpetuò concedat Ecclesiæ debitam libertatem. Dicitur etiam adjecisse insultando se paratum esse renunciare Episcopatui suo sub eodem pacto. Quod, ut ajunt, nec illis placuit, qui hanc puritatem ipsius audierunt, cum pro persona dicentis quam diligebant, & opinabantur sanioris esse consilii & voluntatis, tum quia perniciosum esset exemplo, tum quia facilè posset hæc Domini Regis benignitas revocari, & Ecclesia in anteriorem, immò deteriorem retrudi servitutem. Quis enim auderet de cætero proclamare in libertatem? Quis caussam suscitare, in qua & pro qua meminisset tantum cecidisse Pontificem? Alia est quærenda via libertatis, aliud consilium poterit amicis intimare: Et, si vult, experiri in se ipso, an Ecclesiæ & Episcopatus sui sic possit redimere libertatem. Quia prout à Cantuariensibus didici, Archi-Episcopus huic consilio non adquiescet, nec aliqua promissione se deludi patietur, ut aut permutet Episcopatum, sicut alicui moliuntur, aut desistat à prosecutione juris sui, aut pacem faciat manentibus consuetudinibus, super quibus controversia orta est. Hæc idcircò tibi scripsi, ut si opportunitatem

tem videris, persuadeas memorato Domino nostro & amico, ut si res tanti est, hanc suspicionem purgare non negligat. Omnes enim qui mecum hoc verbum audierunt, compassi sunt anteactæ ejus vitæ & famæ. Ipse Cantuariensis narrantes inhibuit, dicens rumoribus credi non oportere. Præsertim cùm verbum tanto sit indignum viro. Scio tamen, quod aliquantulùm motus fuit, sed ut homo prudens gessit tempori morem. Videbis ex rescripto litterarum Domini Papæ, undè post comminationes multas Archi-Episcopus Londoniensem Episcopum denunciaverit excommunicatum: & quare illos, quos Episcopus Sancti Asaph circumventus imprudenter absolvit, excommunicatos habeat, donec juxta mandatum Domini Papæ satisfaciant. Et quia Cardinales ipsi fines mandati dignoscuntur excessisse, consilium eorum de reliquo minùs audiet. Nam judicandi de eo, nisi velit, non acceperunt aliquam potestatem. Quod Vigornensem volui præmuniri, prodiit ex adipe charitatis, & quoties opportunum fuerit, honori ejus libenter operam dabo.

## EPISTOLA CXI.

Alexander Papa Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo.

*Alexander Papa, servus Servorum Dei Venerabili Fratri Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo, salutem & Apostolicam Benedictionem.*

DUM in celebratione Turonensis Concilii in nostra esses præsentia constitutus, voluisse te obtinere meminimus, ut venerabilis frater Gilbertus, quondam Herefordensis, nunc verò Londoniensis Episcopus, professionem, quam prædecessori tuo nomine Herefordensis Ecclesiæ fecerat, tibi etiam pro Londoniensi Ecclesia, sicut antecessores ejus tuis fecerunt antecessoribus, exhiberet. Nos verò considerantes professionem ab eo Cantuariensi Ecclesiæ nomine Herefordensis exhibitam posse satis, & debere sufficere, præsertim cum si alteram facere cogeretur, videretur idem Episcopus violatæ professionis argui, & cùm non sit consuetudo Romanæ Ecclesiæ, ut aliquis occasione translationis suæ professionem bis facere compellatur, respondisse tibi nos & consuluisse meminimus, ut prima illa, quam Herefordensi in Ecclesia prædecessori tuo ac ejusdem successoribus fecerat, contentus existeres, nec eum supra alia professione gravares. Quoniam igitur monitis & consilio nostro humiliter in hac parte obtemperare curasti, præsentium litterarum inscriptione decernimus, ut ex hoc nullum præjudicium tibi vel Ecclesiæ tuæ debeat imposterùm provenire, quò minùs illi, qui prædicto Episcopo in Ecclesia Londoniensi successerint, tam tibi quàm successoribus tuis professionem teneantur consuetam & debitam exhibere.

## FINIS LIBRI SECUNDI.

# LIBER TERTIUS,

# ALEGATIONE GRATIANI ET VIVIANI.

## EPISTOLA I.

*Alexander Papa Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo.*

ILLUSTRIS Regis Anglorum Nuncios, & litteras recepimus, & cùm à nobis per eosdem Nuncios quædam magna & difficilia postulasset, & super his obtinendis apud nos Nuncii ejus vehementer & fortiter institissent, animum nostrum ad voluntatem suam nequaquàm flectere potuerunt. Sed ut non posset ullam materiam & occasionem de nostra duritia conquerendi, & quod sibi nollemus in quoquam deferre, sequentes vestigia & exempla Prædecessorum nostrorum, quos Sanctos esse non dubitamus, prædictum Regem cum omni benignitate, modestia, & mansuetudine à suo revocare proposito, & ejus mitigare animum, & emollire disposuimus duritiam. Indè utique fuit, quòd nos, sicut de consilio & deliberatione Fratrum nostrorum præcessit, dilectos filios nostros Gratianum Subdiaconum & Notarium nostrum, virum honestum & litteratum, quem ob memoriam sanctæ recordationis Patris & Prædecessoris nostri Eugenii Papæ, & intuitu sincerissimæ fidei & obsequii sui charum omnimodis acceptumque tenemus, & magistrum Vivianum, quem ob antiquam familiaritatem, prudentiam, & litteraturam ejus sincero cordis affectu diligimus, ad præfati Regis præsentiam duximus destinandos, per quos & per litteras nostras ipsum cum omni studio & solicitudine, districtiùs quàm possimus, commonemus, ut tibi pacem & gratiam restituens, te ad Ecclesiam tuam honorificè revocet, & tam tibi quàm eidem Ecclesiæ antiqua jura & libertates, dignitates, & honores integrè & illibatè conservet, & te & tua cum omni pace & tranquillitate esse permittat. Quapropter rogamus Fraternitatem tuam atque monemus, quatenùs malitiam & angustiam temporis diligenter considerans, & attendens quomodò majores nostri tempora redemerunt propter dierum malitiam, ad recuperandam gratiam & amorem supradicti Regis, omnibus modis, quantum salvo ordine & officio tuo fieri poterit, elabores, & ejus satagas animum mitigare, illam patientiam, mansuetudinem, & benignitatem ostendens, quòd à nullo merito possit dici per te remansisse, quominùs gratiam & bonam voluntatem illius, pleniùs debeas adipisci. Rogamus prætereà prudentiam tuam, monemus, consulimus, & volumus ut usque ad discessum Nunciorum nostrorum, nec in Regem, nec in personas Regni aut Regnum aliquam sententiam proferas, & si fortè, quod non credimus, jam protulisti, ipsam usque ad tempus illud suspendas. Hoc autem ideò dicimus, ut illi omnem conquerendi occasionem & materiam tollamus, & ejus duritiam tali modo vincamus. Si enim secus, quod absit, contingeret, nos tibi authoritatem tuam nullatenùs subtrahere volumus, sed potiùs conservare, & consilium & auxilium nostrum diligenter conferre. Cætera verò in ore Nunciorum nostrorum posuimus, quorum dictis fidem incunctanter adhibeas, & eorum consiliis & adhortationibus adquiescas.

## EPISTOLA II.

Alexander Papa Henrico Regi Angliæ.

*Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei charissimo in Christo filio, Henrico Illustri Regi Anglorum, salutem & Apostolicam Benedictionem.*

ET naturali ratione & juris forma dictante providentiam tuam credimus edoctam fuisse, quòd quantò quis ab aliquo majora suscepisse dignoscitur, tantò ei obnoxior & magis obligatus tenetur. Novit autem excellentia tua, quod ex quo misericors & omnipotens Dominus in tantum personam tuam inter filios hominum voluit sublimare, ut te Regem & Principem tam potentem, tam magnificùm constitueret, tot divitiis, tanta gloria præ cæteris ampliaret, decet industriam tuam ad ea semper totis viribus eniti, quæ tanti Bebefactoris beneplacita cognoveris voluntati. Ut immensam & superabundantem illius clementiam recta videaris consideratione perpendere, & tam magnis pro possibilitate velle beneficiis respondere. Ut autem Beatus Gregorius dicit, *Evangelica veritas sollicitè considerare nos admonet, ne nos qui plus cæteris in hoc mundo accepisse cernimur, ab authore mundi graviùs indè judicemur. Cùm enim augentur dona, rationes etiam crescunt donorum. Tantò ergò esse humilior atque ad serviendum promptior quisque debet ex munere, quantò se obligatiorem esse conspicit in reddenda ratione.* Quod utique tam Ecclesiarum Prælatos, quàm potestates etiam sæculares ad animum sollicita convenit meditatione reducere. Et ne de talento sibi commisso in extremo examine graviùs judicentur, de ratiocinio studiosiùs cogitare. Indè siquidem est, quòd nos, qui personam tuam

tuam eo charitatis fervore diligimus, & inter alios Reges Christianos ita charam acceptamque tenemus, ut quidquid pro aliquo mortalium faceremus, magnificentiæ tuæ nequaquàm denegare velimus, Celsitudinem tuam de crediti denarii ratione duximus attentiùs admonendam, ut tu, sicut vir scientia & industria multa præfulgens, ita cogites de æternis, quòd decursis temporalibus ei corregnes in cœlis, qui te tantùm & tam magnificum constituit dispensatorem in terris. Meminimus autem nos Serenitatem tuam super negotio venerabilis fratris nostri Thomæ Cantuariensis Archi-Episcopi per Nuncios & litteras sæpè & sæpiùs sollicitasse, ut voluntatem & animum tuum in hac parte à Deo, qui vinci non potest, cui servire regnare est, vinci potiùs quàm vincere sustineres, quod multò gloriosius esse, & saluti tuæ ampliùs noscitur expedire. Undè quoniam in his non multum hactenùs, nescimus quo Dei judicio, proficere potuimus, super hoc non minùs pro te, quàm pro Matre tua, Ecclesia scilicet Sacrosancta, quæ in hoc quotidie graviùs scandalizatur, tristes admodùm & dolentes efficimur, cùm à plerisque magnatibus & tota ferè Ecclesia super tepiditate & negligentia nostri officii sæpiùs increpemur, & non modicam indè notam per plurimos, qui nobis de abusione patientiæ nostræ insultant, contraxisse noscamur. Nunc autem quoniàm ex litteris postremò per Nuncios tuos nobis transmissis animum tuum in his, Divina inspirante Clementia, novimus leniorem, & ad id, quod Regis Christianissimi & pii Principis est, non modicum inclinatum, gaudio gaudemus in Domino, & ei à quo bona cuncta procedunt, qui hoc cordi tuo procul dubio inspiravit, nec non & Clementiæ tuæ immensas exindè gratiarum referimus actiones, de misericordia Christi omninò sperantes, quod qui tantum bonum incepit, optatum ei finem solita pietate adjunget. Ea propter Serenitatem tuam per Apostolica scripta rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, nec non & in remissionem tibi peccatorum ex parte Dei omnipotentis, & Beati Petri Apostolorum Principis, & nostra injungimus, ut memoratum Archi-Episcopum pro Deo & Ecclesia sua, & honore tuo, nec non & totius Regni tui, in gratiam & amorem tuum, omni indignatione & rancore deposito, clementer recipias, & Deum in hac parte vincere, ac tuam voluntatem vinci sustineas. Ut idem Deus & Dominus noster Jesus-Christus, qui se in illo à te susceptum fuisse procul dubio reputabit, eodem dicente, *Qui vos spernit, me spernit, & qui vos recipit, me recipit*, regnum terrenum per tempora longiora tranquillum tibi conservet, & dies diuturniores cum desiderata jucunditate concedat, decursis verò temporalibus in illa felici retributione justorum pro tantæ patientiæ, & pietatis, ac humilitatis exemplo specialem tibi coronam largiri dignetur. Et te suum efficiens cohæredem, in hæredes & posteros tuos tantæ clementiæ præmium de sua immensa benignitate transfundat. Verumtamen ut illam spem & fiduciam, quam ex prædictis litteris tuis percepimus, plenius in opere comprobemus, dilectos filios nostros, Gratianum Sub-Diaconum nostrum, virum honestum & litteratum, quem ob memoriam sanctæ recordationis Patris & Prædecessoris nostri Eugenii Papæ, & intuitu sincerissimæ fidei & obsequii sui, charum omnimodis acceptumque tenemus, & magistrum Vivianum, quem ob antiquam familiaritatem, prudentiam, & litteraturam ejus, sincero cordis affectu diligimus, ad Regiæ sublimitatis præsentiam duximus destinandos, per quos Excellentiæ tuæ voluntatem nostram viva voce latiùs intimamus, magnificentiam tuam rogantes attentiùs, & monentes, quatenùs eosdem pro Ecclesiæ Dei reverentia, & honore Beati Petri & nostro, benignè, sicut decet, recipias & honestè petractes. His verò, quæ ex parte nostra Regiæ Serenitati viva voce proponent, tam super his quàm super aliis, quæ nobis per dilectum filium nostrum Reginaldum Saresberiensem Archi-Diaconum significasti, fidem indubitanter adhibeas, & eorum executioni ad honorem Dei & Ecclesiæ, nec non ad perpetuam laudem & gloriam nominis tui, & hæredum tuorum pariter profectum, omnibus modis intendas. Datum Beneventi, sexto Idus Maii.

## EPISTOLA III.

*Alexander Papa Henrico Regi Angliæ.*

MAGNIFICENTIÆ tuæ litteras, quas nobis per dilectos nostros, primò Reginaldum Saresberiensem, & deindè Randulphum Lavensem Archi-Diaconos, viros providos & discretos, & in commisso sibi negotio studiosos atque sollicitos, transmisisti, Paterna benignitate suscepimus, & earum continentiam diligenter curavimus & studiosè audire. Cùm autem Excellentiæ tuæ petitiones nobis tam ex serie litterarum, quàm ex Nunciorum tuorum viva voce pleniùs innotuissent, & nos cum fratribus nostris exindè diutiùs deliberassemus, non fuit nobis visum, quod aliquam earum, juxta quod rogasti, cum honestate nostra & Ecclesiæ possemus effectui mancipare. Verumtamen ut sublimitati tuæ in omnibus, quantum cum honore Dei & Ecclesiæ fieri poterit, deferamus, & ne nos potiùs ex voluntate, quàm de necessitate credas aliqua ratione fecisse, dilectos filios nostros, Gratianum Sub-Diaconum & Notarium nostrum, & magistrum Vivianum, viros siquidem providos & discretos, & nobis ac toti Ecclesiæ charos pariter & acceptos, ad Regiæ Celsitudinis præsentiam destinavimus, per quos magnificentiæ tuæ voluntatem & animum nostrum, & talia quæ ad honorem & exaltationem tuam spectabunt, & quæ serenitati tuæ meritò placere debebunt, pleniùs significamus. Quod autem, sicut ex magnificentiæ tuæ litteris intelleximus, in tantum voluntatem tuam & animum tuum circa negotium venerabilis fratris nostri Thomæ Cantuariensis Archi-Episcopi inclinasti, quòd eum ob reverentiam Ecclesiæ & nostram permitteres ad propria remeare, & Ecclesiam in pace tenere, dummodò quod tibi debet, impendere velit, gratum omnimodis acceptumque tenemus, & Divinæ Clementiæ, quæ hoc cordi tuo procul dubio inspiravit, quantas possumus laudes & gratias exhibemus, serenitatem tuam attentè rogantes, & tibi in delictorum tuorum veniam injungentes, quòd Deo potiùs quàm homi-



homini in præscripto negotio deferas, & ad hoc solummodò Divinæ Pietatis respectu animum tuum inclines. Super eo verò, quod magnificentiæ tuæ de nobis & nostræ voluntatis mutatione significatum fuisse dicebas, non oportet discretam prudentiam tuam omni spiritui credere, cùm multi detractores & corrosores existant, quorum dictis quibuslibet non est fides adhibenda aliquatenùs. Nos autem voluntatem & desiderium habemus personam tuam, sicut charissimi in Christo filii nostri, & toto cordis affectu diligere, nec eam in aliquo, nisi fortè, quod Deus avertat, nos ad hoc tu ipse compelleres, volumus aggravare. Datum Beneventi, secundo Calendas Martii.

## EPISTOLA IV.

Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Magister Vivianus.

*Salutem, & de instanti negotio ad honorem Dei & Ecclesiæ Victoriam.*

UT cum Domino Turonensi vel ejus Nunciis ad Curiam, authore Deo, festinantissimè reverteremur, Turonis declinavimus, & quarto Calendas Novembris litteras Regis Angliæ, Archi-Episcopi Rothomagensis, & Cantuariensis Archi-Diaconi, per Priorem Abbatiæ de Beccis, & quemdam alium nobilem virum recepimus, quarum transcriptum Beatitudini vestræ mittimus, supplicantes ut non adquiescatis suggestioni alicujus Clerici etiamsi primariè fulgeret dignitate præclara, si in apertis litteris Regis, quòd honori vestro expediat, prout sæpenumerò propositum est, non recipiatis. Et rogamus ut festinantissimè Cursorem vel Clericum aliquem ad nos usque mittatis, per quem voluntatem vestram nobis, si placet, aperiatis, nec tantum deferatis magistro Gratiano, ut honorem charissimi Amici vestri, præcipui defensoris in Ecclesia Romana, penitùs in persona nostra conculcetis.

## EPISTOLA V.

*Bartholomæo Exoniensi Archi-Diacono Joannes Saresberiensis.*

EXCUSSIS propriis aliena curans, quasi cum Cantuariensibus aut Æmulis eorum mihi sit aliquod familiaritatis commercium, nuper in festo Beatæ Mariæ Magdalenæ Veziliacum profectus sum, occurrens ibi Nunciis Domini Papæ, caussa, sicut videbatur, addiscendi, quid Cantuariensis timere oporteat vel sperare. Nam hæc fabula ferè sola linguas & aures utriusque Regni, quod ad Clerum spectat, & certè ex magna parte ad populum, creditur occupare. Desiderabam autem meum reverà videre cognominem, &, quod magis est, compatriotam, & quodammodò Fratrem Germanum, cujus tu, ut meminisse potes, à sanctæ recordationis Papa Eugenio Ferentini decretus es Institutor. Illum Fratrem dixerim confidenter, cùm quo mihi fidei & societatis sunt jura communia. Et licèt nos non ediderit una civitas, Patriam tamen nobis esse unam non ambigit, qui Patriam fortium, quæ nobis individua est, & quam Carmentis ostendit, reducit ad animum. Ab illo ergò & socio ejus Viviano amicè & reverenter exceptus, familiariùs didici quòd Dominus Papa & Ecclesia Romana Cantuariensibus plurimùm favent. Adeò quidem ut nisi Rex nunc cum Domino Cantuariensi juxta consilium Domini fecerit pacem, ei denunciaturi sint, quòd non modò in manus Archi-Episcopi dabitur, sed & ipse Romanus Pontifex in eum aggravaturus est manum suam. Quòd autem multos mirari asseris, quo juris ordine Cantuariensis excommunicaverit Episcopos, & alios non convictos de crimine, seu de contumacia, nec confessos, sed nec citatos semel, & quod gravius est, post appellationem, mirandum quidem esset, si veritate de querimonia testimonium niteretur. Sed secus est, quando opera eorum non præcesserunt ad judicium, sed in se quasi pigram & tardantem condemnationem provocabant. Et non tantùm, cum oportuerit, ab hominibus convincentur, sed clamant contra eos cœlum & terra. Undè & eis appellationis subsidium à Romano Pontifice jure subtractum est, & Archi-Episcopo in ipsum Regem, & Regnum, & personas Regni collata plenæ potestatis authoritas, ad omnem inobedientiam puniendam, & reprimendos Ecclesiæ malefactores, & suos. Procedit ergò munitus Apostolicæ Sedis consilio, & nuper receptis propriis Nunciis & litteris Domini Papæ securus factus est, quòd ea quæ statuerit, non mutabuntur. Archi-Episcopus tamen paratus est excommunicatos illos absolvere secundùm institutionem Patrum & Ecclesiæ formam, si pœnituerint fructu condigno. Si verò in ea, quam cœperunt, contumacia, quod absit, duxerint persistendum, ipse vita comite procedet ulteriùs, nec antè reponet gladium Spiritus in vaginam, quàm terra purgetur à tantis abominationibus. Nam in infectum & concretum pulvere septies in utre stringendus est, ut Syria conteratur. Quod autem, ut ajunt, Reginaldus Archi-Diaconus jactitat, quòd hi Nuncii Domini Papæ omnes conatus, & Facta Archi-Episcopi Apostolica authoritate evacuabunt, ipsi planè diffitentur, asserentes cum juramento, quòd in dispendium Archi-Episcopi nihil ex proposito facient, sed nec facere possunt, sed utilitatem ejus & honorem Ecclesiæ, quibuscumque modis secundùm Deum poterunt, procurabunt. Et quidem illis forma præscripta est, cujus fines excedere non audebunt. Quia ad hoc juramento arctati sunt, adeò quidem, ut jussi sint, nisi pace formata, in tantum à Regis muneribus abstinere, ut nec sumptus ab eo recipere permittantur. Loquantur alii, quod voluerint, mihi spes interim pacis major est, quàm anteà fuerit. Nam & in morbis per augmenta dolorum ad summum veniendum est, ut invalescente natura & defæcata corruptione salus & incolumitas reparetur. Et licèt aliqui glorientur se à Domino Papa absolutos, certò certiùs sit quod neminem eorum absolvit. Quippe qui nondùm ligatos noverat. Sed cùm postmodùm itinerantibus innotuisset, hanc, de qua nunc agitur, latam esse sententiam, remissus est ad Dominum Papam Randulphus Archi-Diaconus Landavensis, ut eum sollicitaret excommunicatos absolvere, sed non creditur exaudiendus. Nam ut cætera taceam, se illi Dominus R.... Mel-

denſis, authoritate major, & jure potior, viribus totis opponet. Audietur autem in brevi, Deo propitio, quid pars alterutra, vel utraque proficiat, neque Nunciorum, qui jam uſque Antiſiodorum pervenerunt, diu poterunt Arcana latere. Siquidem profectionis exitus, eò quòd jam ferè acceſſerunt ad illos, quorum negotium geritur, in januis eſt. Res in ſuſpenſo diu eſſe non poterit. Et quia pro tuo, & quia tuus eſt in eo Exonienſis, ſollicitaris. Interim probo quod fecit, ſubtrahens ſe ab excommunicatorum participatione. Indubium eſt, quin à fidelibus tales oporteat evitari, quò uſque de abſolutione conſtiterit. Deo enim potiùs quàm hominibus obedire oportet. Quod tamen ſæpiſſimè, præſertim in talibus, ſine periculo non contingit, eò quòd per multas tribulationes intratur in Regnum Dei. Hæc eſt, dilecte mi, via juſtorum, hæc vitiorum purgatio, virtutum conflatorium, electos ſtatuens inter malleum & incudem. Sed de his omnibus liberat eos Dominus, & probatos illuſtriori corona glorificat. Si licentiam, quod tamen non credo, transfretandi obtinuerit, timeo ne cogatur non ad ſuum, ſed ad Exactoris arbitrium appellare. Si enim ad nutum ipſius non proceſſerint univerſa, exacerbabitur impatientia ejus, cui citra aliorum everſionem nihil eſt ſatis. Si proceſſerint, juſtitia relinquetur. Et quo nihil deterius aut turpius eſt, offendetur Deus. Si, quod magis credo, transfretare prohibeatur, timeo ne ſolus ſubſiſtere non poſſit tot inſidiis appetitus, tot provocatus injuriis, & tortoribus cunctis expoſitus. Nam & hoc fortaſſe mandatis principalibus inferetur. Mitiùs tamen, ſi quid manſuetum eſſe valeat in tormentis, tolerari poterunt inferiores miniſtri Sathanæ, quàm ille præſens, qui exigentibus peccatis majorem nocendi accepit à Domino poteſtatem. Unde conſultius arbitror, ut quamdiu per diſpenſatoria diverticula, quæ tamen juſtitiam nullatenus impediant, evadere poterit, patienter interim ſuſtineat habitare cum filiis Cedar, exſpectans conſilium & conſolationem à Domino. Si verò Regem redire contigerit, & duriùs conveniatur, ut tranſeat in Collegium impiorum, vocem Pontifice dignam exerat in ſpiritu libertatis, & antequam lædat Eccleſiæ conditionem, ſumpta, quam Deus miniſtrabit, honeſta cauſſa, exeat de medio Babylonis, ne tangens immundum accipiat de plagis ejus, funem, ſi aliàs ſolvi non poteſt, rumpens, ne cum periculo conſcientiæ & nota infamiæ ſalvatricem cogatur rumpere charitatem. Interim quia tot anguſtiæ undique imminent, conſulo, ut, quatenus poterit, de rebus ſuis proſpiciat ſibi, & maximè ſpem ponens in operibus miſericordiæ, & orationibus Sanctorum. Sic enim, quod & illum, ſi nondum legit, legere deſidero, magnus Baſilius ſe & Populum ſuum à faucibus Juliani eripuit. Deus certè ex alto proſpicit, qui electos ſuos ſupra id quod poſſunt, tentari non patietur, de ipſa jucundum & glorioſum facturus tentatione proventum. Ut autem ſollicitudinem tuam ex aliqua parte mitigem, Fredericus Theutonicus tyrannus, Deo propitiante, pacem cum Eccleſia facturus creditur, petens ut filium ſuum natu ſecundum, quem in Regem eligi fecit, in Imperatorem recipiat Dominus Papa, & à Catholicis Epiſcopis præcipiat conſecrari, Apoſtolicæ Sedi pariturum, dum tamen Fredericus in perſona ſua nullum Apoſtolicum, niſi velit, recipere compellatur, præter Petrum & alios, qui in cœlis ſunt. Et in his facilè audiretur, ſi non pactis inſereret, ut in gradibus & dignitatibus ſuis remaneant, qui ſunt à ſchiſmaticis hæreſiarchis ordinati & conſecrati. Stat in hoc calculo lis adhuc, ſed utraque pars ex aliquibus ſignis in quadam petitionis parte alteri ceſſura eſſe præſumitur. Quod pleniùs innoteſcet, cùm, quod in brevi ſperatur, verbi procuratores hujus, Ciſtertienſis & Claræ-Vallenſis Abbates ab Eccleſia Romana redierint. Pauca familiariùs Lator præſentium proſequetur, cujus curam precor haberi facias, donec convaleſcat, in quo & fratrem meum, quoad medicinam pertinet, ſollicitum eſſe deſidero. Cùm relatu digna emerſerint, ea favente Deo ad tuam citiſſimè notitiam perferentur. Vale, & tuorum memineris ante Deum.

## EPISTOLA VI.

*Thomæ Cantuarienſi Archi-Epiſcopo quidam Amicus.*

IN die Aſſumptionis Beatæ Mariæ apud Argenteum perlatæ ſunt litteræ Domini Papæ ex parte Nunciorum, & perlectis illis ſatis turbatus eſt Rex. Craſtina die miſit obviam Nunciis Decanum Saresberienſem, & Reginaldum Archi-Diaconum. In vigilia Beati Bartholomei venerunt Nuncii ad Damfront. Adventum quorum cùm audiſſet Gaufredus Ridel, & Nigellus de Sacra-Villa, exierunt de Damfront cum ſubita feſtinatione. Quare exierint, vobis ſatis notum eſt. Ipſa die cùm jam ſerò factum eſſet, venit Rex de nemore, & divertit ad hoſpitium Nunciorum, priuſquàm ad ſuum, & eos cum multo honore & reverentia, & humilitate ſuſcepit & ſalutavit. Et dum ſtans adhuc cum eis loqueretur, ecce ad oſtium ejuſdem hoſpitii venit Dominus Henricus filius Regis, & multi pueri cum eo, unuſquiſque cum cornu venatorio buccinantes, ſicut ſolet, de captione cervi, quem totum eis donavit. Quod fecerunt ut audiret hoſpes. En ad populum Phaleras. Craſtina autem die circa horam primam venit Rex ad hoſpitium Nunciorum, & intraverunt cum eo cameram Sagienſis & Redonenſis Epiſcopi. Poſt aliquam moram admiſſi ſunt Joannes Decanus Saresberienſis, & Reginaldus Archi-Diaconus. Et paulò poſt Archi-Diaconus Landavenſis. Et ſtantes uſque ad horam nonam colloquebantur aliquando in pace, aliquando autem in rixa & tumultu. Intentio Domini Regis fuit, quòd Clerici excommunicati non jurarent. Aliquantulùm ante occaſum ſolis exiit Rex multùm iratus, conquerens graviter de Domino Papa, quòd nunquàm in aliquo audierit eum. Et cum quadam contumacia dixit Rex: *Per oculos Dei ego faciam aliud*. Et Gratianus gratioſè reſpondit: *Domine noli minari. Nos enim nullas minas timemus. Quia de tali Curia ſumus, quæ conſuevit imperare Imperatoribus & Regibus*. Tunc convocati ſunt omnes Barones & Monachi albi, qui præſentes erant, & omnes ferè de Capella: & Dominus Rex rogavit, ut tempore opportuno teſtificarentur pro eo, quanta & qualia obtulerat, reſtitutionem ſcilicet Archi-Epiſcopatus & pacis. In fine viſus eſt aliquantulùm



tulùm pacificatus ab eis diſcedere, & certæ reſponſionis diem, diem aſſignavit octavam. Ad quam diem convocati Epiſcopi venerunt Rothomagenſis & Burdegalenſis, caſu Cenomanenſis, & omnes Epiſcopi de Nortmannia. Vigornenſis die, qua hæc agebantur, & quæ dicenda ſunt, non venerat, ſed craſtina die venturus ſperabatur, & venit. Pictavienſis ſynodo, quam tenebat, occaſionem prætendebat non veniendi, ſed poſt ſynodum ſe continuò venturum mandavit. Pridie Kalendas Septembris Bajoci obtulerunt Nuncii Domino Regi litteras Domini Papæ, precatorias de reſtitutione veſtra, & de pace. Dominus verò Rex propoſita narratione omnium rerum, quas adversùs vos ſolet proponere, dixit: *Si quid de homine iſto fecero pro precibus Domini Papæ, multas mihi debet habere grates*. Craſtina die cum Nunciis convenerunt omnes Epiſcopi ad locum quemdam, qui vocatur Lebur. Et ſtatim ex quo venerunt Nuncii, intravit Dominus Rex Parcum, & omnes Epiſcopi cum eo, & illi tantummodò, qui vocati erant ex nomine. Et ſtatim habuit Dominus Rex conſilium cum Nunciis ſolis petens ab eis quòd Clericos ſuos abſolverent ſine juramento. Quod cùm Nuncii ſe facturos inſtanter negarent, Dominus Rex ad equum ſuum cucurrit, & adſcendit, & audientibus juravit, quòd nunquàm in vita ſua audiret neque Dominum Papam, neque alium de pace & reſtitutione veſtra. Quo audito Archi-Epiſcopi & Epiſcopi, quotquot erant, ad Nuncios venerunt, & ſupplicaverunt eis, quod pro amore Dei hoc facerent. Ipſi verò cum ſumma difficultate conceſſerunt. Quo facto deſcendit Dominus Rex, & iterùm cum eis habuit conſilium. Et citò poſt convocatis omnibus quotquot in Parco erant, incepit Dominus Rex narrationem ſuam, & dixit quod volebat eos ſcire, quod vos per eum de Anglia non exiiſtis, & quod vos multoties revocaverat, ut veniretis ſatisfacere ſuper his, quæ adversùs vos habuit, & noluiſtis. Sed modò ita ſe habet res, quod ipſe prece & præcepto Domini Papæ Archi-Epiſcopatum vobis integrè reddit & pacem, & omnibus qui de terra ſua pro vobis exierunt. Iſtam pacis conceſſionem fecit Dominus Rex circa horam nonam, & poſt hæc valdè lætus remanſit, & quaſdam alias cauſas in præſentia ſua tractari fecit. Quibus pertractatis iterùm venit ad Nuncios, petens ab eis quòd ipſi irent in Angliam, cauſa abſolvendi excommunicatos, qui ibi ſunt. Quod cùm inſtanter negarent ſe facturos, iratus eſt Rex, & petiit iterùm quòd alter illorum ſaltem iret, alter remaneret, vel quòd unum Clericorum ſuorum mitterent, & ipſe illi Clerico redditus daret antequàm rediret. Quod cum iterùm Gratianus, qui ut ſperamus, filius eſt gratiæ, denegaret, Dominus Rex ab eis iratiſſimus receſſit, & audientibus illis dixit: *Facite quod vultis, ego neque vos, neque excommunicationes veſtras appretior, vel dubito unum ovum*. Et poſt iſtud verbum equum ſuum adſcendit ut recederet. Sed ſecuti ſunt eum Archi-Epiſcopi & Epiſcopi, quotquot erant, & dixerunt ei quod malè locutus erat. Poſteà verò deſcendit, & cum eis verbum habuit. Cujus conſilii ſumma fuit, quòd ipſi omnes ſcriberent Domino Papæ, & quod audientibus illis obtulerat vobis pacem, & paratus erat facere omne præceptum Domini Papæ, & quod per Nuncios ſtetit, quò minùs fieret. Deindè cùm in faciendis litteris non nihil temporis perdidiſſent, cùm multoties quaſi iratiſſimus ab eis diſceſſiſſet, acceſſerunt ad eum & Epiſcopi dicentes, quòd iſti Nuncii haberent, & oſtendiſſent jam Mandatum Domini Papæ, quòd omnes facerent quidquid ipſi Nuncii præceperint. Reſpondit Rex: *Scio, ſcio, interdicent terram meam. Sed nunquid ego, qui poſſum capere ſingulis diebus caſtrum fortiſſimum, potero capere unum Clericum, ſi interdixerit terram meam?* Verùm cùm aliqua ad voluntatem ſuam ſe facturos promiſiſſent, ceſſavit omninò tempeſtas, & ipſe rediit ad cor, & dixit: *Niſi hac nocte pacem feceritis, nunquàm de cætero ad hunc punctum venietis*. Poſteà cùm aliquantum in verbo iſto laboraſſent, convocatis omnibus dixit: *Oportet me facere multum pro prece Domini Papæ, qui Dominus & Pater meus eſt, & ideò reddo ei Archi-Epiſcopatum ſuum, & pacem meam, & omnibus qui pro eo extra terram ſunt*. Tunc Nuncii & omnes alii gratias egere. Et tunc Rex adjunxit: *Si quid modò minus feci, cras conſilio noſtro ſupplebo*. Craſtina die, id eſt, Kalendis Septembris convenerunt ad eundem locum circa horam meridianam, & cùm de abſolutione excommunicatorum diutiùs eſſet tractatum, ut ſcilicet non jurarent, eò decurſum eſt, quod Gaufredus Ridel, & Nigellus de Sacra-Villa, & Thomas filius Bernardi, extenta manu ad Evangelia coram poſita dixerunt in verbo veritatis ſe facturos Mandatum Nunciorum. Tunc petitum eſt à Nunciis, quòd omnes res, quotquot Eccleſiæ veſtræ Dominus Rex interim donavit, penes eos reſiderent, quibus à Rege donatæ ſunt. Sed ſicut audivimus, eò decurſum eſt, ut liberè ad veſtram redeant donationem. Poſteà hoc actum eſt, ut formam pacis, quam conceſſerat Rex, Epiſcopi ſcriberent, et multa intentione agebat hoc Dominus Rex, quòd alter Nunciorum in Angliam transfretaret ad abſolvendum excommunicatos. Et cùm diſceſſiſſent, jam tertia hora noctis ferè elapſa, Rex dixit, quod in forma pacis ſcriberetur: *Salva dignitate Regni ſui*. Sed Gratianus, ut audivimus, inſtanter negavit ſe ulla hoc conceſſurum ratione. Et in iſto verbo ſtant adhuc, redituri die Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis apud Cadomum, ut hoc ipſum pleniùs confirment. Lexovienſis operam dedit ut Regi blandiretur, Rothomagenſis ut Deo et Domino Papæ. Valete.

## EPISTOLA VII.

*Thomæ Cantuarienſi Archi-Epiſcopo quidam Amicus.*

HÆC eſt forma, in qua conveni Regem: tentavi quomodò poſſem Archi-Epiſcopo perſuadere, quatenùs ſuper verbis illis, quæ pacem inter vos ruperant, ſupponeret ſe conſilio Domini Rothomagenſis, et Cenomanenſis, et Sagienſis, et meo, cæterorumque Epiſcoporum qui colloquio interfuerant, aut ſi ei aliquis illorum ſuſpectus eſſet, illum amoveret, et quemcumque alium Epiſcopum vellet, loco illius reciperetis, dummodò de Regno veſtro eſſet, et juxta conſilium illorum verba illa omninò tolleretis aut mutaretis in certam formam, quòd omnem omninò dubitationem excluderetis. Archi-Epiſcopus verò mihi reſpondit, quòd neque Domi-

Domini Rothomagensis consilium, neque meum, neque alicujus mortalium adeò illi exstitit fructuosum aut honorabile, sicut vestrum. Neque ex alicujus mortalis consilio tantum honoris fuerat assecutus. Et propterea si vobis placeret, quòd eum in consilium vestrum reciperetis, ille se consilio submitteret, ita ut vos primum honori Regni vestri & vestro prospiceretis, & consequenter ipsi, ne adversùs Dominum Papam, cui adstrictus est, offenderet, nec Ecclesiam, cui prodesse debet, læderet. Congruum autem esset, ut consilium illud, priusquàm conveniretis, ita determinaretur & certificaretur, quòd nihil superesset quæstionis, quando vos simul conveniretis, ne fortè tunc minùs honestè ab invicem discederetis, sicut nuper fecistis. Ipse verò Rex benignùs hoc verbum recepit, quàm existimabam, & adjecit: quòd ipse in primis in consilio, quod daret, honorem Dei observaret, & deindè suum & Regni sui, & vobis ita prospiceret, quòd quantum rationabiliter posset, personam vestram non læderet. Sed certificationem verborum dixit inter vos fieri non posse, dum ipse & vos in tam remotis locis essetis. Oportet autem vos ad locum vicinum sibi venire, undè inter vos Nuncii, qui hæc tractarent, de propius & facilius discurrere possent. Placuisset autem ei, ut ipse Turonum, & apud majus Monasterium essetis. Aut si hoc non vultis, ipse Turonum, & vos apud Choise, ubi scilicet Dominus Papa cum Regibus colloquium habuit, paulò ultrà Blesium. Dies quoque præfixa est in Cathedra Beati Petri. Ita tamen ut octo diebus ei priùs in Normannia significem, utrum diem observare velitis.

## EPISTOLA VIII.

*Henricus Rex Angliæ VVilhelmo Senonensi Episcopo.*

QUOS ad me misistis Ordinis Cistercienses Viros Religiosos & Venerabiles, sicut decuit, honorificè suscepi, attentè audivi, diligenter intellexi. Verbum autem, quod ex parte vestra mihi intimaverunt, benignè secundùm quod vos accepisse ex Domini Papæ Mandato mihi significaverunt, ut mecum de pace reformanda inter me & Archi-Episcopum Cantuariensem loqueremini, admisi. Placet itaque mihi, quatenùs super hoc mecum loquamini. Vobis enim ex magna parte innotuit causa, quæ inter nos vertitur, sicut præsens audistis, ubi in præsentia Domini Regis Franciæ inter nos indè sermo haberetur. Ipse causam præstitit discordiæ, ab ipso concordiæ debet causa procedere. Ipse vulnus impressit, ipse sanare studeat. Per ipsum morbus invaluit, in ipso est ut sanitate reddita morbus evacuetur. Ego neque causam mali, neque executionem excitavi vel implevi. In quo itaque loco utrique nostrum, donec convenire possimus, significetis. Confido autem de fidelitatis vestræ integritate & constantia, quod causæ hujus veritati favorem inclinabitis. Ideòque affectuosiùs accipio, ut vestra discretio diligentiùs meam circa hoc voluntatem & æquitatem attendat. Præterea ad vos dirigo meam conquestionem super hoc, quod Dominus meus Rex Franciæ nuper æquum excedens, mihi in meis fecit injuriam. Vestra namque mediatione, & Comitis Theobaldi fratris vestri, posthabito meorum consilio, super hoc quod prædecessores mei nunquàm fecerunt, pro bono pacis me totum nuper exposui voluntati Domini Regis Franciæ, vestro adquiescens consilio. Vos autem non credo latere, quomodò mihi nuper injuriatus est. Vobis autem conqueror, ut quod in præjudicium pacis inter nos statutæ præsumpsit, transgressio vobis displiceat, & eum ad satisfactionem justam deducere satagatis, quo authore ipsa facta est.

## EPISTOLA IX.

*Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Magister Vivianus.*

BENEDICTUS Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui disjunctos parietes suggestione pravorum, indissolubili jam charitatis vinculo unire contra multorum opinionem paratus est. Ad præsentiam Regis revocati accessimus, & ea Divina cooperante gratia invenimus, in quibus honor Dei & Ecclesiæ in nullo violatur. Si ergo Nuncium Domini Regis Francorum, & Domini Rothomagensis jam recepistis, sicut indubitanter credimus, gaudemus. Ita enim fuit statutum. Et si Magister Joannes Saresberiensis, Clericus vester, charissimus Socius noster, ad vos rediit, sicut speramus, quoniam Nuncium recepit, lætamur. Quidquid tamen, Reverende Pater, fuerit, rogamus, & rogando ex parte Domini Papæ & Romanæ Ecclesiæ consulimus, ut omni occasione postposita ad colloquium, quod inter duos Reges apud S. Dionysium prima Dominica post festum S. Martini celebrabitur, desideratissimè occurratis. Quoniam illic authore Deo Angelicum accipietis hymnum: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax Domino Cantuariensi.* Magister & presbyter Camerarius summi & maximi Cardinalis Wilhelmi, fidelissimus vester, vos sicut proprium Dominum salutat, & nobiscum est in labore socius, & gerit personam Domini sui, & quædam Secreta Domini Regis portat, quæ ad exaltationem vestram omni modo spectant. Est præterea, quod nos, cum præsentes erimus, exponemus, quod vobis consulit, ut omninò ad colloquium properanter accedatis, quia Regem & ejus filios juxta vestrum arbitrium habebitis. Nos properamus ad serenissimum Regem Francorum, & diplomate, ut vos videamus, utimur, & illico simul ad statutum colloquium accedatis. Omnes vobiscum in exilio positos sincerissimè salutamus. Optamus ut charissimus socius noster Magister Longus, more suæ gentis, in hoc negotio prudenter sapiat.

## EPISTOLA X.

Thomas Cantuariensis Archi-Episcopo Magistro Viviano.

*Thomas Dei gratia Cantuariensis Ecclesiæ minister humilis, & Apostolicæ Sedis Legatus, Magistro Viviano fideli suo, & S. R. Ecclesiæ Advocato, salutem & per omnia rectè sapere & intelligere.*

HABITA ratione Legationis tibi commissæ, & negotii crediti, ex accessu tuo ad Dominum Regem Angliæ nihil deperisset de substantia negotii, in nullo derogatum fuisset authoritate Te mittentis, nihil attentatum, dictum, aut actum dispendio: & nostro. Quatenùs enim in hoc facto partes se extenderint, cum semel functus sis officio tibi commisso, sivè benè sivè malè, præstituti temporis præfinitio ad Legationem explendam te scientem jura, professum legibus, satis per omnia cautum reddere debuerat. Vide ergo ut prudenter sapias, & prudenter incedas, ne fias in fabulam & magnatibus in derisum. Verùm si authoritate propria novum sortitus es ac recens Legationis officium, pareat cujus interest, & inde sustineat onus, ad quem spectabit emolumentum, me autem in nullo obligat jurisdictio. Et quidem quod dicis te habere socium in labore Camerarium summi & magni Cardinalis, presbyterum loquor gerentem Domini sui personam, non minus admiror consortis istius præsumptionem, quàm personæ principalis in hac partè sollicitudinem. Et si cujus id actum est periculo, curam sui habeat, quomodò cautiùs possit ejus præsumptionis vitare periculum. Satis credo dictum esse sapienti. Gratias habemus sollicitudini tuæ, quam geris super pace nostra & nostrorum, utinam non minùs prudenter, quàm sollicitè. Sed timeo ne arguiis & verborum anfractibus, cum quibus tibi res agitur, pereat, quod absit, opera tua & industria, & sic lædatur sollicitudo laborantis. Cæterùm quod hortaris nos, ut descendamus ad colloquium Regum, quod habituri sunt die Dominica proxima apud S. Dionysium, qua certitudine, qua spe pacis, qua ratione, cum tanta instantia hoc feceris, sicut ex Mandato tuo intelligere non possumus, sic te ad nostri vocationem tam facilem fuisse plurimùm miramur. Verùm ob reverentiam S. Romanæ Ecclesiæ, & tui dilectionem, licèt in incertum, ut timemus, ad tuam instantiam die Veneris per Dei misericordiam apud Castrum Corbolii tibi occurremus, ut citiùs audiamus per os tuum, quem laboris & operis tui fructum consequi debeamus, & tu quid honoris & gloriæ. Vale, & provideat tibi Deus, ne capiaris muscipula, quam secum contrahentium vix aliquis potuit evadere.

## EPISTOLA XI.

Alexander Papa Henrico Regi Angliæ.

*Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, charissimo in Christo filio, Henrico illustri Anglorum Regi, salutem & Apostolicam benedictionem.*

QUANTO personam tuam ob multa & magna principalis devotionis & Regalis munificentiæ merita pleniori diligimus charitatis affectu, & paternæ sinceritatis brachiis arctiùs amplexamur, tantò ea, quæ ad salutem animæ, & honoris & gloriæ tuæ augmentum pro certo pertinere cognoscimus, sublimitati tuæ sæpiùs & attentiùs proponentes, te ad ea exequenda diligenter inducere, & cum omni sollicitudine ac studio benigniùs exhortari curamus. Quod si cœlitus datum esset, ut tuæ desiderabilis præsentiæ, sicut vellemus, copia frueremur, tibi eadem, quæ scriptis eloquimur, multò libentiùs viva voce jugiter suadere, & quasi quædam remedia inculcare assiduè studeremus. Accepimus autem, quòd præter alia, de quibus Regiam volumus industriam emendari, in Lincolniensi, Bathoniensi, Herefordensi Episcopatibus, quos vacantes & Pastorum solatio destitutos in manibus tuis tenes, nec non in Bathoniensi & Laveniensi liberam electionem, sicut deceret, fieri fastu quodam & majoris potentiæ terrore prohibeas, & quasi alter Cæsar omnia solus esse contendens, non solùm quæ sunt Cæsaris, prout convenit, obtinere, sed & quæ Dei sunt, illicitè atque in animæ tuæ periculum usurpare non metuis. Quod quàm sit indignum, & tam supra quàm contra Regiæ justitiæ dignitatem, & tua te prudentia, si diligenter velis attendere, naturali ratione prævia sufficientiùs edocebit, & nonnulla id ipsum exempla eorum, qui idem attentare frustrà conati sunt, nihilominùs approbabunt. Et quoniàm nobis, licèt indignis, generalis Ecclesiæ à Domino, qui pro ea etiam sanguinem proprium fudit, cura commissa est & tutela, prætermittere non possumus ullatenùs nec debemus, quin pro ea partes nostras apud te cæterosque Ecclesiæ filios interponere modis omnibus studeamus, & dignitates ac jura ipsius ad instar Sanctissimi Nabuthæ usque ad mortem, si necesse fuerit, ab omnibus defendamus. Ideòque Serenitatem tuam monemus, rogamus & obsecramus in Domino, atque in peccatorum tibi remissionem injungimus, quatenùs sicut in Divinarum & humanarum rerum scientia circumspectus excellis, ita te prudentem in omnibus exhibeas ac modestum, Deum antè omnia Creatorem tuum meliùs solito verearis, Ecclesias & Ecclesiasticas personas honores, & ita tibi quæ tua sunt discretè vendices ac defendas, ut ad ea quæ Divini Juris esse noscuntur, manus extendere de cætero non præsumas. Specialiter autem in prænominatis Ecclesiis Clericos, ut electionem tam liberam quàm canonicam faciant, Regia Celsitudo commoneat, & eis ad hoc opem necessariam & favorem salva penitùs Ecclesiastica libertate concedat. Nec velis eis, qui electionem facturi sunt, personam, de qua electionem facere debeant, nominare. Hoc enim esset non eos, sed te ipsum potiùs electionem illorum ministerio celebrare, & in electione ipsa libertatem omninò illis eligendi subtrahere. Et quidem si ea, quæ monentes in spiritu mansuetudinis & cum omni humilitate prædiximus, effectui, sicut debes, mancipare curaveris, & tuæ procul dubio gloriæ ac saluti consules, & Deo ac nobis gratum facies omnimodis & acceptum. Alioquin quantumcumque te sicut charissimum filium nostrum, & Christianissimum Principem diligere, ac tuæ magnitudini deferre velimus, manus Beati Petri ac nostras à tuo non poterimus gravamine continere. Et plus Deum quàm hominem, sicut dignum est, metuentes, Ecclesiæ jura pariter & honorem concessa nobis Divinitùs potestate integrè curabimus atque inviolabiliter conservare. Datum Beneventi, septimo Idus Octobris.

## EPISTOLA XII.

*Joanni Pictaviensi Episcopo Joannes Saresberiensis.*

GAUDEO, si tamen famæ præconiis fides habenda est, quòd vos Rex Angliæ à pridem destinati

ſtinati itineris limite revocavit, ut proceſſum & exitum negotii videatis, quod ei cum Cantuarienſi, immò contra Eccleſiam geritur. Et utinam veſtro & ſapientum conſilio adquieſcat. Et quidem ſi Gratianus, ut jam dicitur incepiſſe, viriliter egerit, tandem adquieſcet ſano conſilio vel invitus. Eſt autem ſpes multorum, quod filius gratiæ, cui ex re nomen eſt, & Beati Eugenii Nepos, rectè incedet ad veritatem Evangelii, & Apoſtolicæ Majeſtatis gloriam, & Eccleſiæ laborantis honeſtatem & pacem. Scit enim indubitanter, quòd ſi hac via inceſſerit, æternam gloriam coram Deo & hominibus promerebitur. Et quia invenit paucos, quibus poſſit confidenter inniti, vos conſtantiam ejus, quæſo, erigatis & roboretis in Domino. Rex, Deo propitio, benè ſolvendo eſt, & conſtat impœnitentibus peccata non poſſe remitti. Si verò res ablata, cùm reddi poſſit, non redditur, non agitur pœnitentia, ſed fingitur. Quid excommunicatis conferet abſolutio, niſi ſatisfecerint de injuriis, & rapinis, & tam manifeſto inobedientiæ crimine? Crimina publicatione ſui evidentiſſima totam Eccleſiam gravi ſcandalo affecerunt. Et quæ in lumine commiſſa ſunt, non debent in tenebris aboleri. Præſertim cùm non ſit aliquid occultum, quod non reveletur, & quod non prædicetur in compitis & ſupra tecta. Si ſine juramento fuerint abſoluti, contra formam publicam & in læſionem Eccleſiæ graviter præſumetur: niſi reſtitutionis faciendæ verbum ritè præceſſerit, Principibus & Tyrannis, tam coætaneis quàm futuris, perniciosum relinquetur exemplum. Si Rex obtinuerit, ut pactis inſeratur Regni dignitates ſalvas fore, conſuetudines evicit mutato dumtaxat nomine, & omnem Eccleſiæ Romanæ authoritatem eliminavit ab Anglia. Sed abſit, ut aliquid iſtorum fiat. Et certus ſum, quòd Dominus Cantuarienſis prælegit coexulare perpetuò, quàm ut propter pacem ejus lædatur Eccleſia, & Sedis Apoſtolicæ privilegium convellatur. Suadete ergò Domino Gratiano, ut in omnibus, & præcipuè in his articulis caveat ſibi, ne eum, quod Deus avertat, *decipiant animi ſub vulpe latentes*. Jam enim, ni fallor, expertus eſſe poteſt, quoniam verba præcipitationis diligit lingua doloſa. *Nulla*, inquit Sapiens, *unquàm ſecuritas eſt vicino ſerpente dormire*. Et in ſede Sathanæ certum eſt habitare ſtruthiones & ſcorpiones cum his, qui tenent doctrinam Balaam.

## EPISTOLA XIII.

*Rotrodus Rothomagenſis Archi-Epiſcopus Regi Angliæ.*

FORMAM verborum, quam reliquiſtis nobis, à Legatis nequivimus impetrare propter determinationes, quæ tam à vobis, quàm ab ipſis hinc indè multiplices & ambiguæ ponebantur. Eos autem abruptè, & ſine ſpe pacis recedere, nec honori veſtro nec utilitati congruere videbatur. Cùm igitur inter nos plurima tractarentur, verbum incidit, in quo dignitati veſtræ & honori veſtro non derogatur in aliquo, nec Cantuarienſi aliqua in futurum litigii materia comparatur. Eſt autem verbum hujuſmodi, ut concedatis pro amore Dei & Domini Papæ Archi-Epiſcopum redire in Angliam, & Archi-Epiſcopatum ſuum ita integrè habere faciatis, ſicut habuit antequàm exiret, & illis qui cum eo vel propter eum egreſſi ſunt, ſimiliter ſua. Placuit autem nobis brevitas & ſimplicitas hujus verbi: quia nullis artibus aut ſuſpicionibus videbatur involutum. Unde vobis conſulimus & laudamus, ut veſtrum ad hoc accommodare non dubitetis aſſenſum.

## EPISTOLA XIV.

*Thomas Cantuarienſis Archi-Epiſcopus Frog..... Sagienſi Epiſcopo.*

GRATIAS, quas pro tempore licet, referimus dilectioni veſtræ, quæ noſtri gerit ſollicitudinem, & Cantuarienſis Eccleſiæ, à cujus uberibus coaluimus, officioſam rependit charitatem. Utinam illa quandòque poſſit, Deo propitiante, & nos per illam, veſtrum candelabrum promovere, & vicem condignam reddere miſerationi, quam cum paucis electis pro Domino nobis & noſtris exhibetis afflictis. Et quidem de gratia Dei non diffidimus, quæ ſemper Cantuarienſem protexit Eccleſiam, & tam Cultores quàm perſecutores ejus conſuevit beare vel punire pro merito. Nam licèt Chriſtus ejus ſit benignus & patiens, tamen fortis & juſtus certè Redditor eſt. Et cùm vobis in multis teneamur obnoxii, in eo maximè nos emeruiſtis, quod veſtro, ut ſcripſiſtis, interventu Dominus Rex indignationem ſuam nobis remiſit ex animo. De ejus quoque & ſapientum, qui circa eum ſunt, prudentia confidentes indubitanter ſperamus, quòd contra Matrem ſuam Cantuarienſem Eccleſiam, quæ ipſum & anteceſſores ſuos promovit, nihil faciet contra ſalutem animæ ſuæ, & in perniciem filii, quem Dominus ab omnibus tueatur adverſis. Scripſiſtis autem nuper, ut vobis & Domino Cyrenſi, redeuntibus à Rege Francorum, Pariſiùs occurreremus. Et licèt diem non præfixeritis, ut oportuit, nos tamen parati eramus iter arripere, quandò vos audivimus in Normanniam rediiſſe. Subſtitimus ergò ſtupentes, quòd nihil nobis ſignificare curaſtis, vel de reditu veſtro, vel de itinere noſtro. Nunc autem ſcribitis ſimiliter, ut vobis redeuntibus occurramus, nec diem deſignatis, quaſi aut nos & veſtrum reditum poſſimus divinare, aut abundemus expenſis, ut ſine onere Amicorum, qui nobis & noſtris ſæpè neceſſarii ſunt, morari & exſpectare vos valeamus in domibus alienis. Indè eſt, quòd vobis occurrere non poſſumus in incertum, licèt proni ſimus, cùm fructus itineris noſtri apparuerit, ad Dominum Regem accedere, & ipſius, in quibuſcumque ſecundùm Deum & Eccleſiæ honeſtatem poterimus, obſequi voluntati. Valeat ſemper, & proſperetur in Domino chara nobis veſtra Fraternitas.

## EPISTOLA XV.

*Thomas Cantuarienſis Archi-Epiſcopus Meldenſi Epiſcopo.*

MERITO dixerim cum propheta: *Væ mihi, quia tacui*. Quia ei vulneris mei & doloris non revelavi moleſtiam, qui præ cæteris mihi & coexulibus meis, Chriſti proſcriptis, in Regno Francorum



corum conſuevit adhibere medicinam, & neceſſariæ conſolationis fomenta. Sed tanti ſilentii culpam probabilis error excuſat, quia veſter ab Amicis reditus exſpectabatur, & ſperabatur in dies. Nutu verò Divino crediderim accidiſſe, ut vos tam diu morari tum cauſæ neceſſitas, tum ſanctæ Eccleſiæ Romanæ voluntas compulerit, ut ex longa converſatione & familiaritate contracta virtus veſtra clariùs elucesſcat, & de cætero poſſit egenis, quorum primus ego, efficaciùs opitulari apud Apoſtolicam Majeſtatem. Et jam quidem miſera Eccleſia Anglicana experta eſt in multis neceſſitatibus pietatis veſtræ ſubſidium, & undè vobis gratias agit, quotquot redeunt, vos eam ſollicitudinem gerere perhibent in negotiis noſtris, quam exerceretis in propriis, aut fortè ampliorem. Quocircà fiducialiùs ad vos, quanta poſſunt devotione, Parvuli Chriſti confugiunt, & ſancta Cantuarienſis Eccleſia provolvitur pedibus veſtris, ut interceſſionum veſtrarum ſuffragio ipſam & omnes conterminas ejus eripiatis à laqueo mortis, quam ſub honeſtæ pacis velamine perſecutor noſter intentat. Eò enim perductus eſt ad inſtantiam Domini Gratiani, ut quod anno præterito reſpuerat, pro amore & prece Domini Papæ nunc admittat, honorem Dei ſcilicet ſalvum fore. Sed in continenti adjecit: *Salvis dignitatibus ſuis*. Quarum nomine damnatas pridem, & perpetuò damnandas diſponit conſuetudines obtinere. Ea enim mens eſt pii Principis, ut tunc demum vigeat honor Dei, ſi dignitatibus, quas vendicat, non refragetur. Alioquin illæ præjudicent. Gratianus autem intulit, quod ille ſalva libertate Eccleſiæ Regni libertatibus potiatur, ſed ad nomen libertatis Eccleſiæ, quod antè ſibi in exactis conditionibus fuerat inauditum, pius Rex vehementer excanduit, & nomen hoc vix potuit ſuſtinere. Jactitant ſui reſtitutionem ablatorum nullam Eccleſiæ faciendam, eò quòd Anteceſſores ſui, ut mentiuntur, nihil unquàm reſtituerunt Archi-Epiſcopis & Epiſcopis, quos ex pari cauſa ſæpènumerò fugaverunt. Et certè eò conſtantiùs petenda eſt, & petetur à nobis, quia malorum exempla citiùs invaleſcunt, & authore Deo, quòad licuerit, declinabimus ad poſteros tantæ enormitatis & ſceleris transferre & perpetuare perniciem. Conatur idem Rex formam fidelitatis, quam Clerici Principibus facere conſueverunt, evertere, non admittens in ultima clauſula ſe obligantis ſalvum fore *Honorem Dei*. Quia perſuaſus eſt, ut ajunt, à Grammaticis ſuis, quos in læſionem Eccleſiæ adſcivit, quòd honor Dei non minuetur, ſi Clerici paſſim appellare, & appellationes proſequi non permittantur. Si ad ſingulas vocationes Domini Papæ vel Legatorum Epiſcopi vel alii vocati non accedant: ad quod tamen ex ordinis ſui neceſſitate tenentur. Supplicamus itaque ſanctitati veſtræ, quatenùs Domino Papæ perſuadeatis, ut in diſpendium Eccleſiaſticæ libertatis nullam admittat pacem, neque nos compellat à damnorum repetitione deſiſtere, neque tritam fidelitatis exemplo noſtro faciat mutari formam. Nam quod ſemel obtinuerit, præſertim authoritate Eccleſiæ Romanæ, ſibi & liberis ſuis volet eſſe perpetuum. Ad hæc latores præſentium magiſtrum Godefridum, & magiſtrum Waltherum, Nuncios venerabilis fratris noſtri Trundenſis Archi-Epiſcopi, ea, ſi placet, benignitate fovete & recipite, qua nos & noſtros veſtra charitas recipere conſuevit. Valeat ſemper ſanctitas veſtra, & has mentis angustias & Domino Hyacintho communicare dignetur.

## EPISTOLA XVI.

Alexandro Papæ Milo Morinorum Epiſcopus.

*Sanctiſſimo Domino & Patri chariſſimo, Alexandro Dei gratia Summo Pontifici, Milo Morinorum Epiſcopus, ſalutem, & devotam in omnibus obedientiam.*

IMPUDENTIÆ mater ambitio, quàm cœca ſit, ex eo conſpicuum eſt, quod ſe pari temeritate audendis & non audendis immergit. Et concupiſcentiæ ſtimulis agitata per fas & nefas ruit in præceps. Hujus impulſus furore Londonienſis Epiſcopus Matrem ſuam S. Cantuarienſem Eccleſiam, cui fidem & obedientiam ex præſtita profeſſione debet, quærit evertere, & Archi-Epiſcopatus honorem Eccleſiæ Londonienſi, cui præſidet, ſe adquiſiturum gloriatur. Sufficere debuerat ei, quòd Patrem ſuum Dominum Cantuarienſem, ob confeſſionem veritatis, & tuitionem libertatis Eccleſiaſticæ, & privilegiorum Sedis Apoſtolicæ defenſionem, jam quinquennio proſcribi fecit, & quod indubitanter peremptorium eſt, Regis & Officialium ſuorum animos in perſecutionem Eccleſiæ excitavit, & Mandato veſtro inobediens Clericorum, qui pro juſtitia ſpoliati ſunt, adhuc detinet bona. Nam ſi in fraudem ſpoliatorum dolo deſiit poſſidere, aut quod magis credimus, fingit ſe aliis ceſſiſſe poſſeſſionem, nihilominùs damnandus eſt, præſertim cùm antè receperit tam veſtras quàm Archi-Epiſcopi ſui litteras, quibus præcipiebatur in periculo Ordinis ſui, & ſub anathemate reſtituere Clericis ablata, quæ tenebat, & alios, qui bona eorundem Mandato Regis occupaverant, ad reſtitutionem faciendam ſeveritate Eccleſiaſtica perurgere. Sed quia nimis alta mente repoſitum manet, quòd eum Cantuarienſis Eccleſia, prout ambierat, non elegit, & hactenùs proſperatus eſt in iniquitatibus ſuis, & quod malè libuit, impunè commiſit, ſicut opera ejus videntur atteſtari, nihil ei ſatis erit, niſi virum innocentem & juſtum, & Patrem ſuum, & jam ſæpiùs Confeſſorem, de terra prorsùs avellat. Nuper in ſolemni Conventu per Officiales Regis elaboravit, ut Fratres & Coepiſcopos ſuos ſibi communicare compelleret, & Domino Cantuarienſi debitam ſubtrahere obedientiam. Cæterùm, Deo inſpirante, qui præcipui erant, in conflatorio ejus probati ſunt, & ei in faciem reſiſtentes, Deo antè conſpectum ſuum propoſito, hinc indignationem Regis, quam ille concitat & minatur, indè conſolationem exſpectant à Deo. Conterminales ſumus Anglorum, et noſtrorum et illorum interveniente frequenti commercio, nos facilè latere non poteſt, quod tam ſolemniter ab illis geritur. Diu lupum texit in pellibus agninis, et fallacia habitus et geſtus ſimulata Religione deriſit Eccleſiam. Quid ergò ſupereſt, Pater optime, qui totius Eccleſiæ ſalutem cooperante Domino diſpenſatis, niſi ut audito ſapientiſſimo Salomonis conſilio, jam à Chriſti corpore ſeparatum ejiciatis deriſorem, et exibit cum eo jurgium?

gium. Nam *totius* hujus schismatis Author est et incentor, et quasi per se non satis insaniat, instigat Regem. Supplicamus itaque Majestatis vestræ pedibus provoluti, ut Cantuariensi Ecclesiæ feratis opem, et tam præfatum Episcopum quàm alios, quos Archi-Episcopus justo anathemate perculit, sic conteratis, ut posteris, qui audituri sunt tanta peccatis nostris exigentibus fuisse præsumpta, gaudeant à vobis eadem severitate vindictæ fortiter, ut à successore Petri decet et Christi Vicario, fuisse restincta. Nam gloriæ vestræ, quam Deus perpetuet, titulos plurimùm illustrabit, si tam justæ ultionis in reprobos condignum relinquatis exemplum. Valeat semper sanctitas vestra.

## EPISTOLA XVII.

### Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Capitulo Cantuariensi.

*Thomas Dei gratia Cantuariensis Archi-Episcopus, totius Angliæ Primas, & Apostolicæ Sedis Legatus, dilectissimis in Christo Filiis, VVilhelmo Suppriori, & Odoni, & cæteris Fratribus, qui in sancta Cantuariensi Ecclesia Domino famulantur, salutem, & pacem, quam sicut Mundus nescit, ita solam Christus agnoscit.*

QUOT et quanta pro honore Dei, pro libertate Ecclesiæ, pro Sedis Apostolicæ reverentia, et privilegiis ejus conservandis huc usque parvitas nostra pertulerit, vestra quidem non potest ignorare, nec dissimulare debet Fraternitas, quæ licèt nostris, et Christi pauperum nobis in ipso Coexulantium necessitatibus, ut oportuit, nondùm communicaverit, tamen acerbitatem exilii, proscriptionis injurias, contumelias detractorum, persecutorum atrocitates, dolos insidiantium, Tyrannorum vires in personam et domum nostram solutiùs, acrius, et pertinaciùs effusas, ex relatione multorum audivit, et partim oculata fide conspexit. Cæterùm in omnibus his gravissima fuere nobis pericula, quæ pertulimus à falsis fratribus, prætendentibus pacis officia, et obsequia pietatis, et clam tendiculas operantibus. Tendebant ut gladium linguas suas, et aliorum machinas erigebant, ut nobis et nostris prorsùs de cœtu viventium deletis, sanctæ Cantuariensis Ecclesiæ titulum abolerent, et auferrent honoris et præeminentiæ gloriam, quam sanctorum, qui in ea requiescunt, constat sanguine, et laboribus multis et magnis adquisitam. Retribuet illis Dominus secundùm opera eorum, et secundùm nequitias ipsorum. Horum incentor et signifer exstitit ab initio Londoniensis ille, qui primus scidit Anglicanæ Ecclesiæ unitatem in perniciem Ecclesiasticæ libertatis et nostram. Regis et Officialium suorum animos armavit et manus. Deindè Fratri et Amico nostro Eboracensi assistens et cohærens, quosdam de Fratribus nostris exquisita calliditate circumvenit, ut contra Matrem suam, cui ad fidem et obedientiam ex professione tenebantur adstricti, Domino Papæ pro antedicto Archi-Episcopo, qui ex quo à Cantuariensi Ecclesia in Archi-Episcopatum promotus est, ei semper quantas scivit et potuit, tetendit insidias, scriberent, quatenùs ei liceret Crucem salutiferæ Crucis æmulam, quia in stipite elationis posita est, per Provinciam nostram deferre, ut ad parilitatem Ecclesiæ Cantuariensis quodammodò videretur accedere. Parcat illis Deus, qui circumventi sunt, et eos qui circumvenerunt, aut compulerunt simplices et infirmos fratres, ad honorem suum aut convertat, aut conterat. Reticeamus ad præsens, quòd morosius esset enarrare, quot et quantis, et quibus sollicitationibus et machinamentis exilium et proscriptionem nostram, cum jam dicto Archi-Episcopo, et Richardo de Luci, et Richardo tunc Pictavienſi Archi-Diacono, præsente Nuncio Domini Papæ, dictavit, et fecit jam protelari in annum quintum, et Tyrannorum ministerio Christi pauperes innocentes compellat vivere miserabiliter relegatos, ne propriam injuriam prosequi videamur. Hæc fecit ille Cantuariensis Ecclesiæ Filius, verus utinam. Hæc fuit exhibitio fidei Sacerdotis, et Episcopi professi fidem et reverentiam. Hæc opera fratris, Amici, adhærentis lateri et Ordini nostro, qui emergentibus Ecclesiæ necessitatibus nobiscum primus fuit in Concilio Sacerdotum. Diu, dilectissimi, tacuimus, & eò usque dissimulavimus in periculis & criminibus tam manifestis, ut sanctis habentibus Spiritum Dei, & Viris discretis videretur patientia nostra ignaviæ & remissionis potiùs nomine digna, quàm virtutis. Ille autem quid fecit? Errorem ejus, ne furorem dixerimus, quo mentis malitiam patefecit, inviti loquimur, neque vos patienter audietis, qui alterum Absalon in sanctæ Civitatis subversionem planè cognoscetis armari, ut hæreditatem vestram & sanctorum, quibus vestra clarescit Ecclesia, gloriam transferat ad Aquilonem. Similis illi, qui usurpatione gloriæ, non conformitate bonitatis Altissimo voluit coæquari. Gloriatur enim, quòd Cathedram Episcopalem Londoniis statuet, & quòd Ecclesiæ Cantuariensi nullam debet obedientiam, quia ex quo translatus est, nec iteravit professionem. Quid ad hæc turbamini, & cogitationes adscendunt in corda vestra, ut lachrymas nequeat læsa pietas continere? Scimus enim, quia nullus vestrum est, aut admodùm rarus, & eidem patricidæ comparandus, si quis tamen ad hanc vocem non ingemiscat, cujus animum non exulceret & pertranseat vis doloris, & qui corde & visceribus extractis non mallet præmori, quàm videre quod præsumptuosus ille minatur. Sed nutu Divino contigit, ut se proderet iniquitas ejus. Et qui præcipitare decrevit innocentes, debitam properet ad ruinam, & cum authore suo pro usurpatione gloriæ irreparabilem excipiat casum. Quis enim contra sanctorum Sedem, Ecclesiam Cantuariensem, à sæculis tam immaniter insurrexit, & non est præcipitatus ex alto? Quot & quantos persecutores vestros præcipitavit Dominus antè faciem vestram? Itaque consolamini, Fratres, experti quòd major sit arrogantia Moab, quàm fortitudo ejus: & propè est quòd qui diuturnos tumultus exercet, ut in nocte vastetur & conticescat. Sed nunquid vos, quibus ferè præ cæteris tanta paratur injuria, dissimulabitis ulteriùs, & à vindicta, quoniam Deus suæ ultor injuriæ & nostræ læsionis, cum his qui terram Merob inhabitant, continebitis manus? Sed tenetis quod scriptum est: *Maledicite terræ Merob*, dixit Angelus Domi-



Domini. Et illum quidem jam apprehendit maledictio, quoniam culpis exigentibus traditus est Sathanæ in interitum carnis, & charactere bestiæ insignitus, à fratribus & coepiscopis, qui rectum sapiunt, evitatus, ne eos ex participatione lepræ macula damnationis inficiat. Accingimini ergò filii potentes, & estote parati contra subversionem Ecclesiæ vestræ in prælium. Si quis Domini est, jungatur nobis, & quisquis conatibus ejus favet animo, manifestè cohæreat illi. Amodò namque duobus Dominis servire non poteritis, quia Dominus ventilabrum judicii sui misit in terram, ut grana à paleis discernantur. Qui verò illi cohæserint, Deo propitiante similes eis erunt in interitum carnis, facti in combustionem & cibum ignis. Nulli enim de cætero parcemus, quin pro modo culpæ exerceatur & ratio vindictæ. Undè quia universitatem vestram, quod Deus novit, sincera charitate diligimus, & pro jure Matris nostræ S Cantuariensis Ecclesiæ, ut præsens indicat dies, si res exigat, decrevimus animas ponere, vobis consulendo, monendo, & in virtute obedientiæ præcipiendo mandamus, quatenùs duos de fratribus vestris, quos ad hoc, vestro communicato consilio, necessarios decrevimus, preparetis, ut sufficienter instructi possint occurrere homini tam malitioso: & ex rescriptis privilegiorum nostrorum Dominum Papam & Curiam Romanam sufficiant præmunire, & in auditorio ejus expugnare, & proterere publicæ salutis hostem. Nunc enim apparebit, qua fide, qua devotione, quo zelo quisque vixerit hactenùs, & militaverit Ecclesiæ suæ. Dissimulavimus culpas eorum, qui excommunicatis nostris communicaverunt, licèt nomina eorum pro magna parte teneamus expressa, sed de cætero nisi cautiùs egerint, dissimulationi non erit locus. Excommunicati verò sunt, quorum nomina subscribuntur inferiùs, nobisque tam de justitia, quàm de clementia Sedis Apostolicæ indultum est, ut nullius appellationis obtentu differamus in eos rigorem Ecclesiasticum exercere. Nam Dominus Papa cognita malitia adversantium, quæ per se patens est, & justitia nostra, quæ cunctis liquet, ita procul dubio in causa nostra procedit, sicut in fratris uterini necessitate judicat procedendum. Eramus ad consolationem vestram ampliora dicturi, sed consulta ratione substitimus, interim exspectantes & orantes, ut fiat omnium nostrum cor unum & anima una in Domino, ne aliquis quæ sua sunt quærat, sed quæ Jesu Christi, & quod publicæ utilitati expediat, & libertati Ecclesiæ & dignitati imposterùm. Confortamini pusillanimes, quia propè est ut videatis gloriam Dei, & confusionem & ignominiam eorum, qui Ecclesiam Dei persequuntur. Non confidat quis in mundana supellectili, vel satellitum familiaritate, quia *non habet eventus sordida præda bonos*. Et infidelium nulla est fides. Et ne à nobis districtiùs exigatur, si eorum qui Ecclesiam persequuntur, & quos, ut pœnitentia agerent, in multa patientia jam ferè toto quinquennio supportavimus, magnas & manifestas culpas ulteriùs dissimulaverimus, fraternitati vestræ denunciamus nos publicè excommunicasse Gaufredum Cantuariensem Archi-Diaconum, & Robertum ejus Vicarium, Richardum de Welcestre, Wilhelmum Giffard, Richardum de Luci, Adam de Cheringe, & item eos qui officia vel beneficia Ecclesiastica contra sacrorum Canonum institutionem de manu Laica acceperunt, vel ea usurpaverunt propria temeritate. Similiter & illos qui Domini Papæ Nuncios vel nostros, ne Ecclesiæ necessitates prosequantur, impediunt.

## EPISTOLA XVIII.

### Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus cuidam Amico.

*Thomas Dei gratia Cantuariensis Archi-Episcopus dilecto suo N.... salutem & sinceræ dilectionis affectum.*

NOSCAT dilectio tua nos, Divina favente gratia, sanos & incolumes, & omnia fore prospera. De tuæ quidem dilectionis sinceritate admodùm plenariam spem obtinentes atque fiduciam, tibi mandamus, quatenùs per Latorem præsentium, vel per alium, quæ Matri tuæ Sanctæ Cantuariensi Ecclesiæ & nobis, sollicitiùs inquirens, noveris expedire, absque dilatione maturius procures significare.

## EPISTOLA XIX.

*Joannes Saresberiensis Conventui Cantuariensi.*

DOLEO, dilectissimi, & admodùm doleo in his, quæ de vestra fraternitate dicta sunt mihi, quoniam schismata in vobis sunt, ut non idem sentiatis, aut dicatis in Domino. Nam, ut ajunt, qui conversationem vestram familiariùs inspexisse, & perspicaciùs intellexisse creduntur, alius vestrum dicit: *Ego sum Regis, ego Ranulfi, ego fortunam sequar, & vincentibus adhærebo*. Inter hæc rarus admodùm est, si quis tamen, qui suæ memor professionis Archi-Episcopum, cui oporteat obediri, se recolat habere, qui verbum Dei loquatur cum fiducia, qui publicè protestari audeat, quòd Deo potiùs oportet quàm hominibus obedire. Miror, si tamen vera sunt quæ dicuntur. Et utinam falsa apparerent, quod sic tam citò transferimini à via Domini in aliud Evangelium, quòd Ecclesiæ Catholicæ subvertit authoritatem, & eis qui meritis exigentibus Sathanæ traditi sunt, indulget communionem fidelium, & ad participium voluptatis vel lucri cum prædonibus, furibus, fornicatoribus, & Simoniacis docet iniquitatis ponere portionem. Quod quidem indè creditur evenisse, quòd sint aliqui in Corpore vestro, qui vos conturbant, & alii foris, qui cœca ducti ambitione, dum vobis appetunt dominari, blandis promissionibus à conformitate ordinis vestri, & exquisitis dolis circumveniunt innocentiam vestram. Sed si non estis adeò mentis stupidæ, ut brutissima animalia stoliditate vincatis, luce clariùs potestis intueri, in quem finem illorum molimina dirigantur. Ecce enim Londoniensis Episcopus publicè non sine dolore fidelium protestatus est, quòd primæ Britanniarum Sedi, videlicèt Cantuariensi Ecclesiæ, nullam debet obedientiam, & quòd Cathedram Metropoliticam illuc transferri faciet, ubi eam esse debere fingit, ne dicam mentitur, scilicet ad Ecclesiam Londoniensem,

nienſem, ubi Archi-Flamen gloriatur ſediſſe, dum Jovialis Religio colebatur. Et fortaſſe vir prudens & Religioſus cultum Jovis inſtaurare diſponit, ut ſi alio modo Archi-Epiſcopari non poteſt, Archi-Flaminis tamen nomen & titulum adſequatur. Fretus tamen eſt Oraculo Merlini, qui neſcio quo repletus ſpiritu perhibetur ante adventum Beati Auguſtini Anglorum Apoſtoli vaticinatus eſſe delendam eſſe Chriſtianam Religionem & denuò reformandam, quando Londonienſis dignitas Doroberniam adornabit. Sed quia Merlianus philoſophus Prophetæ ſui futilem novit authoritatem, etiam ad validiora certè ſubſidia dicitur confugiſſe, præſumens de Potentatu Principis, de Eccleſiæ debilitate, de avaritia Romanorum, de puſillanimitate veſtra, de paupertate Archi-Epiſcopi, & multitudine divitiarum ſuarum, quibus adversùs ſapientiam & juſtitiam Dei confidit ſe prævaliturum in vanitate ſua. Quid ergo dicetis & facietis ad hæc? Nunquid alios prænominatos Patronos veſtros, aut ut veriùs dixerim, pietatis & fidei timetis hoſtes, ut ei detis locum, qui Matrem veſtram tam parricidali impietate jugulare molitur? Nonne hic non modò facultates Eccleſiæ erogandæ, ſed ſanguis fundendus eſt, ut ei reſiſtatur, & Eccleſiæ conſervetur authoritas? Pudeat, quæſo, ſanctitatem veſtram, quòd nullam hactenus Patri exulanti & proſcripto exhibuiſtis humanitatem conſolationis, aut nihil, aut quod meliùs noſtis, minimum impendiſtis, cùm tamen ferè totus latinus orbis evidenter agnoſceret juſtitiam Dei, & Eccleſiæ libertatem, titulum eſſe exilii & proſcriptionis illius. Alias ergo Eccleſias jam quinquennio non dico ſpoliavit, quoniam & ſponte & ultro communicaverunt neceſſitatibus ſuis & tribulationibus ejus, ſed ab eis ſtipendium accepit ad miniſterium quietis, libertatis, honoris, & gloriæ veſtræ. Non quod inhumanitatem aut tenacitatem veſtram accuſem, hæc ſcribo, quia fortè occupati eratis, ſed ut fratres chariſſimos moneo, ut tandem aliquando in operibus charitatis reviviſcat, & floreat fides veſtra, ut pace, quam ſperamus in proximo reformata, non erubeſcatis, ſed fructum charitatis exhibitæ cum fœnore multiplici recipiatis in lætitia & exultatione. Venit enim temporis plenitudo, ut Sathanæ non liceat ulteriùs tanto furore in Eccleſiam debacchari, & Pater veſter poteſtatem accepit à Domino, ut poſſit parcere ſubjectis & debellare ſuperbos. Utinam videant oculi mei vos præ cæteris de merito nobilitari poſſe in conſolatione ſanctorum compatientium nobis! Utinam vos arctiori charitatis vinculo ſocios gaudii noſtri in reditu amplectamur! Utinam nunc veſtra diligentia ſeminet in ariditate indigentium Fratrum, & maximè in corde Patris veſtri, quod poſtmodùm metatis in gaudio. Scitis quis dixerit: *Qui parcè ſeminat, parcè & metet, & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet*. Quid inquies? Cum gratia temporali vitam æternam. Sed fortaſsè pertimeſcitis minas inſidiantium, & intentantium labores & dolores, ut non audeatis quod tempus exigit, & Eccleſiæ depoſcit neceſſitas: *Qui ſeminant in lachrymis, & in gaudio metent*. Nihil eſt quod nobis defuit hactenùs. Opulentiam & quietem, aliis in egeſtate & labore pro defenſione Eccleſiæ laborantibus, Divina gratia miniſtravit. Nunc demùm ſi placeat, & veſtræ diſcretioni viſum ſit, *tempus eſt*, ut compaſſionem charitatis, quam tribulationi fratrum verbis jugiter pretendiſtis, exhibitione comprobetis. Non quidem ut illis remiſſio ſit, & vobis tribulatio, ſed ex æqualitate, ut in preſenti tempore veſtra abundantia, ſi non fraternæ, quòd oporteret, ſaltem Paternæ inopiæ ſit ſupplementum. Alioquin patens erit iniquitas, ubi nulla æquandorum reperitur æqualitas. Nam de his, qui unanimes verſantur in Domo Domini, ſcriptum eſt: *Qui multum habebat, non abundavit, & qui modicum, non minoravit*. Nunquid vos ſoli in caſtris Domini Gomor legitimum perdidiſtis? Si Manna, prohibente Domino, reſervatum, munus quidem cœleſte, & panis & paſtus Angelicus, putreſcit & vermes facit, quid putredinis & vermium contrahet putredo, Domino prohibente, ſervata in diſpendium charitatis, in eſurie & nuditate fratrum? Non utique quòd illi eſuriant aut nudi ſint, ſed quòd illos, niſi charitas in vobis ampliùs excitetur, fami, nuditati, & periculis omnibus expoſuiſtis. Verſentur hæc & ſimilia in animis, & terantur in colloquiis veſtris, & ponite corda veſtra ſuper vias veſtras, & cauſam & itinera Patris, & vias adverſantium, & attendite quis Deo inſpectore & judice poſſit ab his exitus provenire, ita tamen ut non alius ſit conſultator Ranulfi, alius Jamnes, alius Mambres, alius Achitofel, Magorumque ſimilium, ſed conſcientiam quiſque diſcutiat, & conſulat Legem Dei. Jam ſanè prævia ratione illuſtrati, per gratiam reducetis ad animum, quoniàm miſericordia plenitudo virtutum eſt, & recedentes à viis priſtinis cum eo facietis miſericordiam: quia eam, Deo propitiante, citò reſpondere poterit in cornu verbi, & affligentes ſe potenter affligere. Sit Spiritus conſilii vobiſcum, & dirigat corda veſtra, ut in bonum memineritis noſtri. Hæc enim à corde & labiis meis, Deo inſpectore, teſte, & judice, charitas expreſſit ad dulciſſimos & reverendiſſimos fratres, ut mihi de cætero coram Deo, quem teſtem horum & judicem invoco, imputari non debeat, ſi me ſalubria conſulentem dedignantur audire.

## EPISTOLA XX.

*Alexandro Papa Henricus Rex Angliæ.*

SÆPIUS Nuncios noſtros ad pedes Paternitatis veſtræ direximus, rogantes & ſupplicantes, quatenus quæ inter nos & Cantuarienſem querelis vertuntur, finem debitum juſtitia mediante poneretis. Et tandem placuit benignitati veſtræ, ut juxta petitionem noſtram de latere veſtro legatos nobis mitteretis cum poteſtatis plenitudine, ut omnes controverſias noſtras plenè decidere, & definire poſſent remoto appellationis obſtaculo. Qui cum in hac poteſtate, ſicut Nuncii noſtri ad nos reportaverunt, & litteris veſtris continebat expreſſum, quas adhuc penes nos habemus, miſſi fuiſſent, ſicut per eoſdem legatos, cum ad nos perveniſſent, accepimus, poteſtas illa ad injuriam noſtram illis ſubtracta eſt. Unde cum nos ad omnem juſtitiam coram eis offerremus, præfatus Cantuarienſis, qui ita iniquè & malitioſè erga me ſe habet, ſicut vobis & toti Mundo innotuit, coram illis juſtitiæ parere omnino contempſit. Ob cujus defectum alios deinceps Nuncios ad Majeſtatem veſtram tranſmiſimus, per quos litteras veſtras recepimus, quas & ipſas adhuc penes nos habemus, in quibus terram noſtram & perſonas Regni à præfati Cantuarienſis poteſtate eximebatis, donec ipſe in gratiam noſtram rediiſſet. Quòd cum ante reſtitutionem noſtræ gratiæ, neſcimus ob quam cauſam, immutaveritis, dum alii Nuncii noſtri adhuc in Curia veſtra morarentur, & antequàm noviſſimi Legati veſtri ad nos perveniſſent, Vivianus & Gratianus, ipſe in perſonas Regni noſtri, & in quoſdam familiares & ſervientes noſtros, qui ſingulis diebus nobis adſiſtebant, excommunicationis ſententiam promulgavit. Cùm verò prænominatos Nuncios debito nos honore ſuſcepiſſemus, qui tam per litteras veſtras, quàm viva voce proteſtabantur, quod ad honorem noſtrum & Regni noſtri exaltationem veniſſent, primo loco de abſolvendis excommunicatis tractavimus, qui non ſolùm ad noſtram, verùm etiam ad veſtrorum Legatorum injuriam excommunicati videbantur, petitionibus illis, quas ex parte veſtra nobis proponebant, quantum poteramus, ob reverentiam & amorem veſtrum pio aſſenſu condeſcendentes. Proponebant ſiquidem litteræ veſtræ, quatenus ſæpefato Cantuarienſi Epiſcopatum ſuum, pacem, & amorem noſtrum redderemus. Nos verò poſtpoſito omni honore noſtro, communicato conſilio Burdigalenſis & Rothomagenſis Archi-Epiſcoporum, Cenomanenſis, Redonenſis, Bajocenſis, Lexovienſis, Conſtantienſis & Sagienſis Epiſcoporum, Fiſcanienſis, Beccenſis, Sancti Wandergiſili, Cadomenſis, Troanenſis, Cereſenſis, Rievallenſis, Mortuimarenſis, Tyronenſis, Beldecenſis, & quorundam aliorum Abbatum, necnon & Gaufredi Antiſiodorenſis, & quorundam aliorum Religioſorum Virorum, conceſſimus ante dicto Cantuarienſi, licèt ipſe, ſicut vobis multoties ſignificavimus, abſque conſcientia noſtra & coactione aliqua à Regno noſtro exierit, ut in bono & in pace rediret, & poſſeſſiones ſuas omnes haberet, ſicut habuit quando à Regno exivit, & ipſe & omnes qui cum eo vel propter eum exierunt, ob honorem Dei, & ob amorem veſtrum, *ſalva dignitate Regni noſtri*. Cumque Nuncii veſtri ſupradictis Viris reſponſum hoc abſque omni contradictione recepiſſent, excommunicatos illos, qui præſentes erant, abſolverunt. Convenit autem inter nos, ut alter eorum, Vivianus ſcilicèt, pro excommunicatis illis qui in Anglia erant, abſolvendis transfretaret, Gratianus verò ad verba hæc ſæpè nominato Cantuarienſi tranſportanda rediret. Manè autem facto cum ab eis, quibuſdam negotiis nos trahentibus, accepta ab eis priùs licentia, receſſiſſemus, neſcimus cujus inſtinctu, aut quo ſpiritu, conceſſis ſtare recuſaverunt, cauſantes verbum illud, quo nos dignitatem Regni noſtri ſalvam fore dixeramus. Quod tam nobis, quàm illis qui nobiſcum aderant, nullo jure ab eis cauſari debere videbatur. Nos autem hujus rei ſeriem ad veſtram conſcientiam referendam eſſe duximus, de veſtra ſemper diſcretione præſumentes, quòd vos in nullo honori noſtro derogare velitis, vel Regni noſtri dignitati, obnixè Serenitati veſtræ ſupplicantes, quatenus attentè conſiderantes honorem & utilitatem, quam vobis & Curiæ veſtræ contulimus, & in futurum, niſi per vos ſteterit, conferemus, ſic rem temperetis, ne penes vos tantùm poſſint illius perfidi Proditoris noſtri malitioſæ blanditiæ, quantùm evidentia tot & tantorum Virorum teſtimoniis corroborata cauſæ noſtræ merita, ſed juxta petitionem noſtram eos, qui excommunicati ſunt, abſolvatis, & ne in nos & alios venenum ſuæ excommunicationis perfundere poſſit, provideatis. Ne ſi minus in hac juſta petitione noſtra exauditi fuerimus, tanquàm de veſtra benevolentia deſperantes, aliter ſecuritati noſtræ & honori proſpicere compellamur. Et quoniàm ſingula, quæ à nobis dicta ſunt & propoſita, difficile ſcripto comprehenderentur, tranſmittimus ad pedes Paternitatis veſtræ Clericos & Familiares noſtros, Reginaldum Archi-Diaconum Saresberienſem, & Richardum Barre, qui pleniùs vobis cuncta, quæ hinc indè agitata ſunt, exponent. Quibus in cunctis, quæ ex noſtra parte veſtræ ſanctitati proponent, fidem indubitanter habeatis. De quorum reditu feſtinanter maturatò veſtra, precamur & conſulimus ſollicitè, provideat diſcretio, quoniàm eorum mora diuturnior periculum & damnum intolerabile Eccleſiæ poſſet adferre.

## EPISTOLA XXI.

*Alexandro Papæ Rotrodus Rothomagenſis Archi-Epiſcopus.*

EVOCATI ſumus à Domino noſtro Rege. Cùm veniſſemus ad Curiam, & cum veſtris Legatis jam aliquantulùm proceſſum eſſet ſuper Mandatis veſtris, ex veraciſſimo Archi-Epiſcoporum & Epiſcoporum relatu, qui ad hoc venerant, & quibus nimirùm credimus, ſicut nobis, auditu comperimus, quòd Nuncios & litteras veſtras Dominus Rex Anglorum tantò majore lætitia & alacritate ſuſceperit, quantò majorem ei benignitatis veſtræ gratiam promittere videbantur. Undè petitione veſtra, de pace Cantuarienſis Archi-Epiſcopi, & ſuorum reditu, conſilio Archi-Epiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum, & Religioſarum perſonarum, & optimatum Regni ſui, pro amore veſtro benigniùs exaudita, eum ad Archi-Epiſcopatum ſuum redire, ipſumque cum omni integritate, quod tenebat quandò exivit, recipere, & deinceps benè & in pace poſſidere ad honorem Dei, ſalva nimirùm Regni ſui priſtina dignitate, conceſſit. Cùm igitur inter Dominum Regem & Nuncios veſtros ſuper hoc tractatus prolixior incidiſſet, in verbo utrimque complacito noviſſimè convenerunt, ita ſcilicet ut eos, qui præſentes aderant, ſtatim abſolverint, & ad eos, qui erant in Anglia, abſolvendos alter eorum, videlicet magiſter Vivianus, illicò tranſire, alter citra mare ad executionem condictæ pacis conſenſerint remanere. Poſtmodùm verò revocato conſenſu verbum, quod jam ſuſceperant, conſervandæ in futurum Regiæ dignitatis, admittere noluerunt, ea quæ jam ſalubriter quidem diſpoſita fuerant, exequi recuſantes. Ego itaque cum præfatis non contemptæ authoritatis perſonis, quæ aderant, pro bono tantæ pacis miſſus omni vigilantia & ſollicitudine inſtiti, ut ſicut dictum fuerat, præpoſito honore Dei, & Regni ſtante antiqua dignitate, ut dignum eſt, Nuncii veſtri verbum optimum, & omni acceptione dignum Regiæ dignitatis cum gaudio ſuſciperent, ne tantum bonum remaneret. Et cum noſtra perſuaſione multum labo-

laboratum esset, & nihil elaboratum, doluimus plurimùm, præsertim cùm constet nobis pro certo, quod in observatione Regiæ dignitatis libertas aut dignitas Ecclesiastica nullatenùs prægravetur. Siquidem dignitas Ecclesiastica Regiam provehit potiùs, quàm adimit dignitatem, & Regalis dignitas Ecclesiasticam potiùs conservare, quàm tollere consuevit libertatem: etenim quasi quibusdam sibi invicem complexibus dignitas Ecclesiastica & Regalis occurrunt, cùm nec Reges salutem sine Ecclesia, nec Ecclesia pacem sine protectione Regia consequatur. Genibus itaque provoluti pietatis vestræ, quanta possumus devotione, sanctitatem vestram exoramus, ne sapientia vestra quasi litterarum apices & conceptiones verborum potiùs, quàm rem ipsam duxerit amplectendas, sed secundùm à Deo datum vobis Spiritum discretionis id agite, ne causa unius in multorum & ferè innumerabilium perniciem convertatur. Quia ad bonum pacis quandòque magis proficit mansuetudo gratiæ, quàm severitas disciplinæ.

## EPISTOLA XXII.

*Alexandro Papæ Bernardus Nivernensis Episcopus.*

POST Nunciorum vestrorum à Domino Rege discessum, ad Curiam citati venimus, ibique ex certa relatione Archi-Episcoporum, Episcoporum, & aliorum terræ suæ, qui ob hoc convenerant, Magnatum accepimus, quod idem Dominus Rex Nuncios vestros & litteras debita veneratione susceperat. Quippè qui ei promptam benignitatis vestræ gratiam promittere videbantur. Propositis siquidem ab eis petitionibus vestris de consilio prædictorum optimatum suorum præfatum Regem benignè respondisse asserebant, quod pro amore & honore vestro Archi-Episcopum Cantuariensem ad Archi-Episcopatum suum redire, & omnia, quæ tenebat quandò exivit, cum integritate recipere, salva nimirùm pristina dignitate Regni sui, concedat, & deinceps benè & in pace possidere ad honorem Dei. Asserebant etiam quod cùm inter Dominum Regem & prædictos Nuncios vestros super hoc tractatus prolixior haberetur, tandem utrimque complacuit, ut eos qui præsentes aderant, statim absolverent, & ad illos, qui in Anglia erant absolvendos alter eorum, videlicet magister Vivianus, illicò transiret, alter ad condictæ pacis executionem remaneret. Postmodùm verò revocato, quem præbuerant, consensu verbum conservandæ imposterùm Regiæ dignitatis admittere noluerunt, ea quæ utiliter & providè ordinata fuerant, exequi recusantes, tanquàm in hoc verbo aliquid Ecclesiasticæ dignitati derogaretur, cùm omnibus saniùs & rectè intelligentibus videatur, quod dignitas Regia Ecclesiasticam provehat potiùs quàm minuat dignitatem, sicut versa vice Ecclesiastica libertas Regiam adornat & veneratur majestatem. Est enim in his duabus rebus firmissimus amicitiarum nodus, & amica connexio, cùm & Regiam excellentiam dignitas Ecclesiastica provehat, & pacem Ecclesiasticam Regia conservet authoritas. Nos itaque Paternitatis vestræ genibus advoluti, quanta possumus supplicatione, pietatem vestram exoramus, ne in tanto rerum discrimine litterarum apices, & verborum conceptiones potiùs, quàm ipsam amplecti velitis veritatem, sed juxta datum vobis à Deo discretionis & consilii Spiritum dormitet aliquantulùm apud vos severitas disciplinæ, ut magis proficiat benignitas & mansuetudo gratiæ: & causæ unius, sicut pium Patrem decet, multorum aut certè innumerabilium discrimen & periculum præveratis.

## EPISTOLA XXIII.

Alexandro Papæ Clerus Nortmanniæ.

*Domino Papæ Alexandro Episcopi & Clerus Nortmanniæ salutem & obedientiam.*

NUNCIOS & litteras vestras Dominus noster Rex Angliæ tantò majore lætitia & alacritate suscepit, quantò majorem ei benignitatis vestræ gratiam promittere videbantur. Undè petitione vestra de pace Cantuariensis Archi-Episcopi & suorum reditu, Ecclesiasticarum personarum & optimatum Regni sui consilio, pro amore vestro benignùs exaudita, eum ad Archi-Episcopatum suum redire, ipsumque cum omni integritate, quam tenebat quandò exivit, recipere & deinceps in pace possidere, ad honorem siquidem Dei, salva nimirùm Regni sui dignitate pristina, concessit. Cùm igitur inter Dominum Regem & Nuncios vestros super hoc tractatus prolixior incidisset, in verbo utrimque complacito novissimè convenerunt: ita scilicet ut eos, qui præsentes erant, statim absolverent, & ad eos absolvendos, qui erant in Anglia, alter eorum, scilicet magister Vivianus illicò transire, alter citra mare ad executionem condictæ pacis concesserunt remanere. Postmodùm revocato consensu verbum conservandæ in futurum Regiæ dignitatis admittere noluerunt, ea quæ disposita fuerant exequi recusantes: cùm Archi-Episcopi, Episcopi, Abbates, Religiosæ personæ, optimates Regni, qui aderant, pro bono tantæ pacis multis precibus institissent, quoniàm in observatione Regiæ dignitatis nullatenùs videbatur nobis libertas aut dignitas Ecclesiastica prægravari. Siquidem dignitas Ecclesiastica Regiam provehit potiùs quàm adimat dignitatem, & Regalis dignitas Ecclesiasticam conservare potiùs consuevit, quàm tollere libertatem. Etenim quasi quibusdam sibi invicem complexibus dignitas Ecclesiastica & Regalis occurrunt. Cùm nec Reges salutem sine Ecclesia, nec Ecclesia pacem sine protectione Regia consequatur. Genibus itaque pietatis vestræ, quanta devotione possumus, advoluti suppliciter enixèque deposcimus, ne sapientia vestra quasi litterarum apices & conceptiones verborum potiùs, quàm rem ipsam duxerit amplectendas. Sed secundùm datum vobis à Deo Spiritum discretionis id agite, ne causa unius in multorum & ferè innumerabilium perniciem convertatur. Quia ad bonum pacis quandòque magis proficit mansuetudo gratiæ, quàm severitas disciplinæ. Dominus personam vestram Ecclesiæ suæ per tempora multa conservet incolumem.





## EPISTOLA XXIV.

Alexander Papa Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo.

*Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Thomæ, Cantuariensi Archi-Episcopo, totius Angliæ Primati, & Apostolicæ Sedis Legato, salutem & Apostolicam benedictionem.*

CUM Nuncios tuos ad præsentiam nostram misisses, & charissimus filius noster in Christo Henricus, illustris Rex Anglorum, proprios Nuncios ad Sedem Apostolicam delegasset, mirabile gerimus, quod non exspectato reditu Nunciorum tuorum, nec cognito consilio nostro, quaslibet personas Regni aliqua sententia gravasti. Verùm licèt te multam providentiam & circumspectam habere discretionem non dubitemus, quia tamen sæpiùs contingere solet, quod quis meliùs in aliena quam in propria causa videt, nos sententiam tua authoritate propria revocari volentes, Fraternitatem tuam monemus, consulimus, volumus, & hortamur, ut ad evincendam duritiam Regis, & ejus animum mitigandum, sententiam ipsam suspendas, quousque ex responsione Nunciorum nostrorum cognoscas, an idem Rex te sibi reconciliare velit, & ad Ecclesiam tuam, sicut decet, & nobis spes facta est, revocare. Decet enim nos, & te ipsum, ut ad emolliendam authoritatem ipsius duobus vel tribus mensibus exspectemus, & ita duritiam ejus in benignitate & mansuetudine toleremus, quod nulla ei remanere possit occasio, qua debeat pacis & concordiæ bonum inter te & ipsum quomodòlibet præpediri. Sanè si consilio & hortatui nostro non duxeris adquiescendum, & res non processerit juxta desiderium & æstimationem tuam, sed in contrarium, quod avertat Dominus, cesserit, id non nobis imputare debebis. Verùntamen si ad exhortationem nostram & suggestionem Nunciorum nostrorum sententiam suspenderis, & Rex in sua duritia & severitate perstiterit, antequàm iidem Nuncii à te recedant, si tui consilii fuerit & voluntatis, sententiam ipsam indubitanter poteris revocare: quod si feceris, nobis minimè displicebit. Immò tibi, secundùm quod decuerit, à nobis consilium & auxilium tribuetur. Datum Beneventi, Kalendis Julii.

## EPISTOLA XXV.

*Alexander Papa Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo.*

AD tuæ discretionis notitiam volumus pervenire, nos venerabilibus fratribus nostris Vintoniensi & Vigornensi Episcopis in Mandatis dedisse, ut à Nobili Viro Comite Hugone, sufficiente cautione recepta, quod eorum super his, pro quibus excommunicatus est, parebit Mandato, eundem ab ea sententia, qua tenetur, omni contradictione & appellatione cessante absolvant, & eundem posteà universa, quæ Canonicis de Pantaneja abstulit, aut Episcopis per eum ablata tenentur, sibi infra quadraginta dies sequentes cum integritate restituere per cautionem acceptam compellant; si verò Comes ad Mandatum illud restitutionem infra terminum sibi præfixum non fecerit, ipsi eundem occasione & appellatione sublata in priorem excommunicationis sententiam reducant. Quod si Episcopi prælibati adimplere neglexerint, tu memoratum Comitem infra triginta dies post præscriptos quadraginta in sententiam pristinam reducere non postponas. Si autem Hugo ad satisfactionem venire voluerit, tu eum satisfactione exhibita facias per alium vel per te ipsum absolvi. Verùm si idem Hugo infra annum post latam in eum sententiam non resipuerit, totam terram ejus ex tunc interdicto subjicias. Datum Laterani, decima Kalendas Maii.

## EPISTOLA XXVI.

*Rex Angliæ VVilhelmo Senonensi Archi-Episcopo.*

VENIENTES ad me Nuncii Domini Papæ pro negotio, quod inter me & Archi-Episcopum Cantuariensem vertitur, licèt aspera & omni honori meo portarent contraria, pro Domini Papæ reverentia, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ debita devotione, honorificè suscepi, & qua decuit benignitate audivi, Mandatum Domini Papæ modestè admodùm admittens, quod ipsi deferebant, licèt me in meis gravatum sentirem, quos ipsi excommunicatos habebant, extraordinariè præcipitata in illos sententia, magis ex impetu animi & motu mentis, quàm ex rationis librata æquitate vel deliberationis consilio. Cum autem super hoc diutiùs sermo duceretur, petii ut absolverent, quos ipsi sic ligatos habebant, si illis securitas juratoria præstaretur ab eisdem, quòd absoluti ipsorum parerent arbitrio. Hinc autem motus vehementiùs, juravi quòd nullatenùs sacramentum inde præstarent, sed si vellent, à Laicis fidei interpositione, à Clericis in verbo veritatis promissione eis securitatem fieri facerem, ut mererentur absolvi. Ipsi autem esse hoc extraneum à consuetudine asserentes, & à sibi injuncto tenore alienum affirmantes dixerunt, quòd ad hoc vestrum habere vellent consilium, qui & Archi-Episcopus & Apostolicæ Sedis Legatus estis, ut si hoc ex vestro haberent consilio, pro excusatione eis sufficeret, si aliquando transgressionis propter hoc arguerentur. Mittunt itaque ad vos, & ego mitto & precor, quòd honori meo & commodo consulentes, ad hoc consilium vestrum applicetis. Confido autem constanter de vobis, quem pro summo amico amplector cum abundantissima devotione, quod in hoc & aliis negotiis meis & gratiam uberem, & diligentiam vigilantem, & firmissimam fidelitatem exhibebitis. Desiderio meo plurimùm successisse reputarem, si vobiscum loqui possem, sed aliorum negotiorum instantia hoc ad præsens fieri prohibet. Peto itaque quatenùs aliquem de vestris ad me mittatis, per quem pleniùs vestra mihi voluntas innotescat, & mea vobis pariter notificetur.

## EPISTOLA XXVII.

Alexandro Papæ Vivianus.

*Beatissimo Patri & Domino Alexandro, Dei gratia universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Vivianus ejus Sanctitatis Servus devotissimus, debitæ subjectionis obsequium.*

QUOD statum nostrum pariter & esse negotii, pro quo ad illustrem Regem Angliæ destinati sumus, tamdiu beatitudini vestræ significare distulimus, non dissolutæ negligentiæ, quæ culpæ adnumeratur, sed necessitati & qualitati esse adscribendum certissimè fore sciatis. Erat enim cum exercitu in remotis Guasconiæ partibus, & illuc absque maximo discrimine nullatenùs, sanctissime Pater, poteramus accedere, nec fuit de consilio Christianissimi Regis Francorum, cui apud Sylviniacum obviavimus, litteras sibi vestras, quas devotissimè recepit, repræsentantes. Deindè Senonas, Regis Angliæ reditum exspectantes, declinavimus. Qui cùm longiorem, quàm credideramus, moram in Guasconia fecerat, tandem rediit, & ad ejus præsentiam festinantes in Normannia accessimus. A quo & Principibus suis satis honestè recepti fuimus: in crastino litteras ei vestras exhibentes. Quas cùm legisset, multa in exordio orationis suæ contra Dominum Cantuariensem nobis, sicut olim Dominis nostris Cardinalibus, proposuit. Sed quia ut eum in amorem & gratiam suam omni rancore deposito in remissionem peccatorum suorum reciperet, sibi incessanter injungebatis, quodammodò verbo annuit, & se habiturum fore consilium respondit. Sed antè de absolvendis excommunicatis proposuit. Nos verò qualem super absolutionem Episcoporum potestatem haberemus, quia vobis non exstat incognitum, narratione supersedemus. Qualicumque tamen postmodùm potestate accepta, si Deus animum suum & voluntatem ad pacem inclinaret, propter hoc præstito ab eis juramento nullatenùs remaneret. Qui cùm per multos amfractus locorum, nec minùs verborum nos secum adduxisset, & aliquamdiu detinuisset, demùm in præsentia Rothomagensis & Burdigalensis Archi-Episcoporum hæc proposuit: *Ut tres qui præsentes erant, absolverentur, & unus nostrum Angliam intraret, & reliquos excommunicatos, quos juxta littus maris inveniret, absolveret, & alter ad Archi-Episcopum procederet.* Quo pacto, ejus intuitu per quem Reges regnant, & amore vestro, Archi-Episcopo permitteret ut securè veniret, & in bona pace & firma securitate Ecclesiam suam reciperet cum omni integritate, sicut habuit antequàm exiret, eamque teneret ad honorem Dei & Ecclesiæ, & suum & filiorum suorum: & hoc idem suis, qui cum eo, & pro eo exulabant, concedebat. Et in scriptis totum quod promittebat, redigere debebat. In crastinum autem, cùm illos tres absolvere deberemus, mutavit dumtaxat nomen *Filiorum*, & dixit *Hæredum*, & hoc in præsentia prædictorum Archi-Episcoporum, & unius nominatissimi Lexoviensis Episcopi. Quid ergò de osculo? Nec propter hoc modicùm pax remaneret, respondit. Ejus verbum nobis placuit, & admisimus. Absolutione autem illorum postmodò facta, ubi dixit, *honorem suorum hæredum*, cæteris in suo statu manentibus, in ejus loco adjecit, *salva dignitate Regni sui*. Quo audito plurimùm turbati sumus. Quia in finibus prædictorum verborum non stabat, & ita ab eo utrimque recessimus, & in ducatu Rothomagensis Archi-Episcopi Cadomum usque pervenimus. Et cùm Rex Comiti Flandrensi Rothomagum obviam proficisceretur, verbum pacis nobiscum denuò retractandæ prænominatis Archi-Episcopis, Lexoviensi, Vigornensi, Sagiensi, Bajocensi, Redonensi Episcopis, Cantuariensi, Saresberiensi Archi-Diaconis, & suis Principibus commisit. Qui cùm instarent ut verbum, scilicet *salva dignitate Regni*, admitteremus, respondimus: *Stet ergò verbum Regis pariter & verbum Domini*, id est, *salva libertate Ecclesiæ*. Quod non admiserunt, sicut nec Rex, licèt in honore Dei libertatem Ecclesiæ, ut dicebat, intelligeret, apponere tamen scripto penitùs recusavit. Et cùm jam contra nos verbo prævalere non possent, prælegerunt, ut Archi-Episcopus, sicut jam dictum est, securè ad Ecclesiam suam accederet, & in bona pace & securitate Ecclesiam suam cum omni integritate, sicut habuit antequàm exiret, hinc indè nulla conditione apposita reciperet, & sui similiter sua. Et ad eorum instantiam verbum admisimus. Demùm à Rege apud Rothomagum vocati cum multo labore accessimus. Tandem per Legatos suos nobis in Curia Archi-Episcopi mandavit, quòd nullatenùs à verbo illo, *salva* scilicet *dignitate Regni sui*, recederet, & ita sicut nec primo, nec secundo à prænominatis personis verbo invento stare placuit. Et hoc modo, Beatissime Pater, recessimus. Archi-Episcopis quoque sub debito fidelitatis, qua vobis adstricti tenebantur, præcepimus, ut eis, quos absolvimus, sub debito juramenti, quo vobis tenebantur, præciperent, & Domino Regi proponerent, ut si pax secuta non esset antè discessum nostrum, beneficio absolutionis non fruerentur, & sententiam, quam Archi-Episcopus Cantuariensis in eos tulerat, irrefragabiliter observarent. Et hæc hactenùs de his, quæ cum Domino Rege gessimus. Cæterùm verbum Regis Cantuariensi Archi-Episcopo postmodùm repræsentavimus. Qui cùm prædicta omnia æquanimiter sustineret, dignitatem Regni sui libenter conservaret, salvo ordine suo & fidelitate Romanæ Ecclesiæ. De his quoque si quis aliter vobis proposuerit, sic esse, sicut diximus, per omnia credatis. Et quòd nomen Domini Gratiani non ponitur in his litteris, non ideò remansit, quòd eas non viderit & diligenter pertractaverit, sed quia festinabat redire, & longè breviores volebat fieri litteras: sed ut nihil Nunciis Regis contra nos usque ad reditum nostrum crederetis. Novissimè de consilio Archi-Episcoporum & Episcoporum disposuimus ad præsentiam ipsius Regis mittere Nuncium. Elegimus tandem magistrum Petrum, Virum honestum, & benè litteratum, Papiensem Archi-Diaconum, quem ad prænominatum Regem misimus, ut ei clementer supplicaret; utque in exequenda pace inter ipsum & Dominum Cantuariensem juxta tenorem litterarum vestrarum, quas ipse receperat, preces admitteret, ex parte vestra affectuosissimè rogaret. Qui cùm honestè fuisset receptus, indecenter & contra honorem Dei, & suum, sicut ipse asserit, fuit tandem dimissus, & quibusdam rebus suis in ejus ducatu postmodùm exspoliatus. Unus quoque, de suis præcipuè, qui ab eo, ut dicebat, timore jam extra villam non longè recesserat, à sævis hominibus acriter est tractatus, sed suggestione cujusdam supervenientis militis, ut nobis hujusmodi factum denunciaret, Divina gratia de manibus illorum est ereptus.



## EPISTOLA XXVIII.

Alexandro Papæ Mauricius Parisiensis Episcopus.

*Sanctissimo Patri & Domino Alexandro, Dei gratia summo Pontifici, & Universali Papæ, Mauricius eadem gratia Parisiensis Ecclesiæ humilis Minister, obedientiæ, servitutis, & devotionis plenitudinem.*

NOVERIT Celsitudo vestra, Serenissime Pater, quòd nuper propè Parisiùs de pace inter Regem Angliæ & Dominum Cantuariensem reformanda tractatum est. Et sicut magistrum Vivianum confitentem audivi, Rex Angliæ in hunc modum pacem concessit, scilicèt quòd juxta mandatum & consilium vestrum pro Dei, & vestri, & honore sanctæ Ecclesiæ, Dominum Cantuariensem in gratiam suam reciperet, & omnibus qui pro eo exulabant, pacem & plenam de se & suis securitatem concederet, & ipsi Ecclesiam Cantuariensem in ea plenitudine & libertate, in qua eam meliùs habuerat postquàm factus est Archi-Episcopus, redderet, possessiones etiam omnes quas habuit, ita liberè & quietè, & honorificè tenendas, sicut Ecclesia & ipse liberiùs & honorificentiùs, postquàm promotus est in Archi-Episcopum, tenuerat, ipsi & suis similiter resignaret. Et omnes Ecclesias & præbendas ad Archi-Episcopatum pertinentes, quæ postquàm de terra exivit vacaverunt, ut de his sicut de suis ad libitum suum faceret, similiter habere permitteret. Hæc quidem omnia concessit. Verùmtamem in osculum pacis ipsum nullatenus recipere voluit. Quod quia multis prudentibus qui aderant, suspectum videbatur, nec eo modo Dominum Cantuariensem in plenariam Regis Angliæ gratiam redire, vel pacis integritatem obtinere posse intelligebant, pax imperfecta remansit. Præterea requirebat Dominus Cantuariensis partem ablatorum sibi restitui, alteram verò partem in sustentationem dimitti, donec vestrum super hoc & Religiosorum virorum haberet consilium. Inconveniens enim, & sibi valdè damnosum, & perniciosum sanctæ Ecclesiæ exemplum videretur, si ipse omnia ablata, sicut Rex Angliæ postulabat, penitùs remitteret, cum per ejus absentiam ædificia Cantuariensis Ecclesiæ diruta essent, & ad possessiones dissipatas tenue haberet refugium, & ipse gravissimo alieni æris debito adstrictus teneretur. Sanctitati igitur vestræ, quam pro Ecclesia Cantuariensi frequentiùs rogavi, flexis genibus & tota animi devotione supplico, ut filiæ vestræ jamdiu periclitantis miserias misericorditer attendentes, ipsius honori & utilitati consulendo, & honestæ compositioni intendendo, eum ab exilio instanter revocare paterno affectu vigiletis. Videtur autem quòd Dominus Cantuariensis non minùs possit vel debeat à Rege Angliæ exigere, præsertim cum Dominus Rex palam dixerit, eidem Cantuariensi plenariè gratiam minimè restitui, nec se aliquomodo huic compositioni interesse, nisi osculo pacis firmaretur.

## EPISTOLA XXIX.

*Henricus Rex Angliæ omnibus Abbatibus Cistertiensis Ordinis.*

DE vestra Sanctitate & Religione confidens, & constantiùs præsumens, universitati vestræ devotè supplico, humiliter petens, quatenùs mei & hæredum meorum memoriam habeatis, nec non & fidelium meorum, quatenùs precibus vestris propensiùs mihi inclinetur Divina Clementia, nobisque miserationem ejus propitiam facere studeatis, ut cùm pace solida & continua nos dirigat, & Regnum meum & alias terras mihi subditas conservet. Prætereà vobis innotescere volo, quod Nuncios Domini Papæ, viros Venerabiles, Gratianum Domini Papæ Notarium, & magistrum Vivianum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Advocatum, quos pro negotio Archi-Episcopi Cantuariensis ad me transmisit, honorificè suscipere, petitionem ejus per eosdem mihi porrectam devotè, sicut decuit, audire curavi. Eidem autem petitioni, adhibito consilio Archi-Episcoporum, Episcoporum, & Abbatum plurimùm, benignè & sufficienter respondere cum prædictorum Nunciorum consensu studui, sicut vos subscripta docebunt, ut Domino Papæ omnimodam videar in hoc negotio exhibuisse reverentiam, licèt semper juri stare, & quod inter nos statueret, subire petiissem à primordiis hujus caussæ: & sæpiùs postulassem, ut à Latere Domini Papæ transmitterentur, qui de ista causa pleniùs cognoscentes illam æquitatis fine concluderent. Archi-Episcopus Cantuariensis, sicut ad remotiores Francorum vestrorum partes fama discurrere divulgatum est, sine mea licentia & conscientia exivit ab Anglia, & post exitum ejus me ad Religiosos viros crudelitatis notabilem haberi voluit, in me vota Principum & Clericorum provocans, & odium gentium exterarum. Pro petitione tamen, & reverentia, & amore Domini Papæ, licèt mihi gravissimum esset, & voluntati meæ admodùm repugnans, & mihi molestissimum videretur, concedo quòd ipse redeat in Angliam, & habeat Archi-Episcopatum suum cum ea integritate, cùm qua illum habuit, quandò illum dimisit: & sui similiter sua habeant. Et ipse & sui pacem habeant ad honorem Dei & mei, *Salvis dignitatibus Regni mei*. Quòd autem breviùs vobis de præsenti negotio, quàm solemniter, quibus præsentibus actum sit, ex litteris datur intelligi, vobis diligentiùs & pleniùs intimabunt venerabiles fratres vestri qui aderant: Frater Gaufredus de Altisiodoro, Abbas de Mortuo-Mari, Abbas de Bellet, Abbas de Rievalle; quibus, ut decet, fidem habebitis. Universitati autem vestræ dissuasum esse desidero, ne de cætero tam facilem adhibeatis credulitatem, si quis in perniciem de me vobis sinistra prædicare & persuadere voluerit. Prætereà dilectioni vestræ grates uberes exsolvo, quod ad petitionem meam Fratrem Gaufredum mihi misistis. Et nunc iterùm diligenter peto, quatenùs eun-

eundem quàm citiùs mihi remittatis. Necessariam enim mihi ejus intelligo discretionem & prudentiam, ut mihi præsens adsit, & aliquamdiu propinqua mihi ejus conversatio.

## EPISTOLA XXX.

*Wilhelmus Senonensis Archi-Episcopus Regi Angliæ.*

SIGNIFICAVIT nobis vestra Serenitas, ut Nunciis Domini Papæ absque juratoria cautione excommunicatos absolvere de consilio nostro liceret. Nos autem nec à Domino Papa super hoc authoritatem habemus, nec ipsis consulere audemus, ut mandatum Domini Papæ transgrediantur, vel ut contra consuetudinem Romanæ Ecclesiæ in aliquo negotio procedant. Salva gratia sua, ipsi in nos culpam refundere non debuerant, qui mentem Domini Papæ pleniùs cognoverunt. Nos enim nobis succedere judicamus, si honorem vestrum in aliquo promovere, vel utilitatem procurare valeamus.

## EPISTOLA XXXI.

*Wilhelmus Senonensis Archi-Episcopus Gratiano, & Viviano Legatis.*

IN admirationem ducimur non modicam, quòd onus quæstionis, quæ super excommunicatorum absolutione vertitur, ita in nos transfundere voluistis, quòd sicut ex tenore litterarum Domini Regis Angliæ accepimus, sub umbra consilii nostri eidem Regi proposueritis, vos posse à nota transgressionis excusari. Non enim in eo debuistis in nos culpam refundere, in quo nostram nemo valet incrustare sinceritatem. Verùm quia in tam intima devotione & vinculo adeò indissolubili Domino Papæ & Ecclesiæ Romanæ adstricti sumus, ut nec sentire, nec quidquam consulere debeamus, ex quo Ecclesiæ honori derogari, vel opinionis suæ integritas violari videatur, discretioni vestræ nihil aliud audemus respondere, nisi quòd nec fines mandati Domini Papæ transgrediamini, nec in præsenti articulo quidquam velitis statuere, quod Ecclesiasticæ Sanctioni, & Ecclesiæ Romanæ, immò generali totius Ecclesiæ consuetudini videatur refragari, vel ad pernicioſi exempli consequentiam imposterùm valeat derivari, nisi fortè aliud ex voluntate Domini Cantuariensis acceperitis. Angelus consilii & fortitudinis sit vobiscum.

## EPISTOLA XXXII.

*Amicus Amico.*

DOMINUS Cantuariensis concessit in præsentia nostra, & Domini Trecensis, & quorundam aliorum, Nunciis Domini Papæ, Domino Gratiano & magistro Viviano, pro bono pacis, ut hac vice absolverent excommunicatos suos ad tempus, accepto ab eis juramento, quòd stabunt mandato ipsius Cantuariensis, si hoc aliquo efficere poterunt, sin autem, suo. Et ipsi versa vice promiserunt Domino Archi-Episcopo in veritate, quòd si non fuerit pax subsecuta inter Regem & ipsum ante recessum eorum, qui non protrahetur ultra Festum Beati Martini, ab eodem Festo reponent eos in eadem sententiam, in qua fuerunt, nec dimittent propter aliquam appellationem factam vel faciendam ab illis, vel ab aliquo alio pro ipsis, nisi infra viginti dies à prædicto Festo, si tamen tantoperè moram fecerint, Domino Cantuariensi satisfecerint de his, pro quibus ab eo excommunicati sunt. Et si ante memoratum Festum recesserint, similiter reponent eos in eandem sententiam à die recessus sui, nisi sicut prædictum est, satisfecerint eidem Cantuariensi. Verentur enim ipsum, qui pro Ecclesiæ libertate per tanti temporis spatium exilium jam sustinuit, ad intolerabilem injuriam provocare. Qui juxta sententiam Domini Papæ in paucis vexatus, in multis profecit, sicut creditur ab his, qui ejusdem Cantuariensis intima noverunt.

## EPISTOLA XXXIII.

Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Clericis Cantiæ.

*Thomas Dei gratiâ Cantuariensis Archi-Episcopus, & Apostolicæ Sedis Legatus, omnibus Clericis per Cantiam constitutis, & in Christiana Communione degentibus, salutem, & Deo potiùs quàm hominibus obedire.*

NOVIT vestra discretio pro parte, quot & quantas injurias Ecclesiæ Dei & nostris intulerit Dominus Rex Anglorum, & quàmdiu ipsum & suos in multa patientia sustinuerimus, exspectantes ut eum nostra mansuetudo ad pœnitentiam provocaret. Nunc autem quia ille Domini Papæ & nostra patientia semper abusus est, & in periculum animæ nostræ redundabit, si tantas Christi injurias ulteriùs dissimulaverimus, universitati vestræ in virtute obedientiæ, sub anathemate, in periculo Ordinis & Beneficii, Apostolica authoritate & nostra præcipiendo mandamus, quatenùs, nisi prædictus Dominus noster Rex infra Purificationem Beatæ Mariæ Ecclesiæ Dei & nobis debitam satisfactionem exhibuerit, ex tunc penitùs à Divinorum celebratione cessetis, excepto Baptismo Parvulorum, Pœnitentia, & Viatico, quod pro necessitate conficiendum est, clausis Ecclesiæ januis, personis prorsùs exclusis, sine campanarum pulsatione & solemnitatibus, quas tempore quietis & lætitiæ exercere Ecclesia consuevit. Præterea Gaufredum Ridel, & Robertum Vicarium ejus, Richardum de Welcestria, Wilhelmum Giffard, Richardum de Luci, Nigellum de Saccavilla, & Adam de Cheringis excommunicatos & evitandos esse sub eadem interminatione denunciare præcipimus: & ne quis Parochianorum vestrorum Roberto Vicario, quem beneficio Ecclesiastico privavimus, deinceps obediat, authoritate Domini Papæ & nostra prohibemus. Et ne exactionibus, quas exercere solitus est, ulteriùs adquiescant. Ad hæc nisi Joannes Decanus Saresberiensis, & Wido Decanus Walthanensis, & Joannes Cumin, & Radulphus Landavensis Archi-Diaconus, & Wimarus Alumnus Comitis Hugonis, infra Nativitatem Domini Ecclesiæ Dei, quam læserunt, & nobis satisfecerint, publicè denuncietis eos tanquàm excommunicatos ex tunc esse vitandos. Omnes autem, qui Ecclesias vel Ecclesiastica beneficia de manu Laicorum accipiunt, qui Clericos & Ecclesiasticas personas ad inobedientiam compellunt, qui Domini Papæ Nuncios & nostros, ne Ecclesiæ necessitates prosequantur, impediunt, qui ad evitandam legitimam correctionem, ut justitia Ecclesiæ opprimatur, ad sæculi confugiunt potestates, qui traditiones hominum & potentum usurpationes sive abusiones Divinæ Legi præferendas prædicant, aut præferri compellunt, & Sacerdotes alienæ ordinationis, qui post exitum nostrum sine authoritate nostra præsumpserunt, sivè concessionem usurpantium vices nostras habuerint, sivè non, in Episcopatu nostro Divina celebrare, nisi postquàm hæc eis denuntiatio innotuerit, à tanta præsumptione desiterint, illos etiam qui eos admiserint in Ecclesiis suis, hos, inquam, omnes excommunicatos esse publicè denunciari præcipimus. Ne timeatis, dilectissimi filii, à multitudine vel facie eorum: quia plures nobiscum sunt quàm cum illis, vobisque cita de cœlo dabitur consolatio, sanctis omnibus procurantibus apud Deum, ut adversarios Ecclesiæ ad gloriam nominis sui maturè convertat, aut conterat. Perseverantiam fidei & obedientiæ vobis Divina gratia largiatur, sine qua, ut nostis, coronam justitiæ nullus adsequitur.



## EPISTOLA XXXIV.

Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Wilhelmo Suppriori, & Conventui Cantuariensi.

*Thomas Dei gratia Cantuariensis Archi-Episcopus, & Sedis Apostolicæ Legatus, dilectis in Christo filiis, VVilhelmo Suppriori, & toti Conventui Cantuariensis Ecclesiæ, salutem, & in fidei & obedientiæ virtute constantem perseverantiam.*

LAMENTATI sumus quinquennio cum propheta stupentes præ dolore & admiratione, quomodò Domina gentium, Provinciarum Princeps, & quondam numerosa filiorum sobole, & Populorum affluentia gloriosa, & quò gloriosior & illustrior est Britanniarum Mater, nutrix & propagatrix in Christo, tamdiu in solitudinem, miseramque servitutem redacta sit, ut nec libertatis audeat meminisse, nec ad quod fundata est, gentibus edisserere legem Christi, & publicare Ecclesiasticas sanctiones. Supervacaneum erit referre, præsertim vobis, qui præsentes vidistis, & audistis atroces injurias, & quæ sine miseratione & omni reverentia juris adversùs Deum & Ecclesiam præsumpta sunt. Sperabatur quòd nostra Dominum Regem patientia posset ad pœnitentiam provocare; sed quod sine lachrymis enunciare non possumus, immanitas ejus ab impunitate semper adscendit, & ex dissimulatione factus est inhumanior. Timemus ergò ne sanguis ejus, & jam ferè deficientis Ecclesiæ de manu nostra meritò requiratur, si tantus excessus remanserit ulteriùs impunitus, & irrequisitus à nobis. Nam & Heli ob id perisse describitur, quòd filiorum videns & increpans culpas, uti maluit affectione & mansuetudine Patris, quàm severitate & authoritate Pontificis. Ne ergò nos ex criminis dissimulati consensu justitia reos damnationi deputet ante Deum, vobis in virtute obedientiæ, sub anathemate, in periculo officii, gradus & beneficii, Apostolica & nostra authoritate præcipiendo mandamus, quatenùs nisi infra Purificationem Beatæ Mariæ Virginis Ecclesiæ satisfecerit, & tam illi, quàm his qui pro ea exulant aut proscripti sunt, debitam reddiderit pacem, à Divinis cessetis officiis, excepto quod exclusis Laicis sine solemnitate campanarum & Ecclesiasticæ lætitiæ signis, voce demissa Canonicus mos Viris Religiosis indulget. Nec timeatis eos, qui interdùm à Domino permittuntur ad majorem coronam Electorum corporaliter sanctos affligere, & in animas nihil possunt: quia in hoc Constatoria patenter judicabit Dominus, quos in futuro debeat coronare. Illos autem qui Ecclesias, & Ecclesiastica beneficia contra Canonicas institutiones accipiunt de manu Laicorum, qui Clericos pœnis aut terroribus ad inobedientiam compellunt, qui Domini Papæ Nuncios & nostros, ne Ecclesiæ necessitates prosequantur, impediunt, qui traditiones hominum Divinæ Legi præferendas docent, & usurpationes sivè abusiones Potentum cogunt Christianæ Religionis institutionibus anteponi, & nominatim Gaufredum Cantuariensem Archi-Diaconum, & Robertum Vicarium ejus, Richardum de Welcestre, Wilhelmum Giffard, Nigellum de Sacca-Villa, Richardum de Luci, Thomam filium Bernardi, Adam de Cheringis publicè excommunicavimus. Quod si nec in subditorum pœnis excessus correxit Rex Angliæ, exindè personæ ejus, quod inviti dicimus, in dispendium salutis nostræ, sicut hactenùs fecimus, authore Domino, non parcemus. Nam miseratio talis impietas esse convincitur, cùm scriptum sit, quod qui virgæ parcit, odit filium. Ad hæc eadem authoritate sub eadem interminatione præcipimus, ut Joannem Decanum Saresberiensem, Widonem Decanum Waltham, Joannem Cumin, Radulphum Landavensem Archi-Diaconum, Wimarum presbyterum alumnum Comitis Hugonis, à die Nativitatis Dominicæ tamquam excommunicatos evitetis, nisi Ecclesiæ Dei, quam læserunt, & nobis satisfactionem debitam curaverint exhibere. Verbum Dei luceat in cordibus & operibus vestris, ut timorem Dei præferentes humano, vobis adquiratis coronam gloriæ, & exemplum obedientiæ & fortitudinis feliciter ad Coævos transmittatis & Posteros.

Similiter Richardo Priori, & Capitulo Douræ, & Cantiæ Monasteriis.

## EPISTOLA XXXV.

Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Capitulo Rothomagensi.

*Venerabilibus fratribus G..... Decano, Archi-Diaconis, & toti Clero, & Populo Rothomagensi, Thomas Dei gratia Cantuariensis Ecclesiæ Minister humilis, salutem, & utriusque vitæ successus.*

AD vestram credimus pervenisse notitiam, qualiter Dominus Gratianus & magister Vivianus, Nuncii Domini Papæ, excommunicatos nostros, scilicet Gaufredum Ridel, Nigellum de Saccavilla, Thomam filium Bernardi, concepta spe pacis absolvi fecerint, accepto priùs ab eis juramento, quòd Mandato eorum stare deberent: Et quia post

post absolutionem eorum pax, ut debuit, secuta non est, immò per aliquem eorum qui absoluti fuerant, ut dicitur, impedita, præfati Nuncii Domini Papæ infecto negotio redeuntes, dederunt in Mandatis Venerabilibus Patribus, Rothomagensi & Burdigalensi Archi-Episcopis, præcipientes authoritate Domini Papæ & sua in virtute obedientiæ, quatenùs præfatis Gaufredo Nigello, & Thomæ denunciarent in virtute juramenti, quod præstiterant, ne fruerentur collatæ sibi absolutionis beneficio, nisi infra Festum Beati Michaelis tunc imminens esset pax Ecclesiæ reformata; sed se gererent excommunicatos, ex quo constaret eis nos in illos anathematis tulisse sententiam. Quia ergò infra terminum illum Ecclesia non obtinuit pacem, sed illius sunt auctæ & multiplicatæ injuriæ, sæpiùs dictos Gaufredum Nigellum, & Thomam anathematis vinculo innodavimus, vobis & aliis Ecclesiis secundùm Canonum instituta denunciantes, ut caveatis illorum communionem, quousque mereantur absolvi. Siquidem vobis non est incognitum, quòd qui scienter excommunicatis communicare præsumit, se ipsum laqueo similis damnationis adstringit. Morem quoque Canonicum exequentes denunciamus Joanni Decano Saresberiensi, Guidoni Decano Waltham, Joanni Cumin, Radulfo Landavensi Archi-Diacono, Wimaro presbytero, quatenùs Ecclesiæ Dei, quam læserunt, & nobis infra octavam Beati Martini satisfaciant: quia nisi interim satisfecerint, eos ex tunc authore Domino excommunicabimus. Excommunicavimus etiam omnes illos, qui Nuncios Domini Papæ & nostros, ne Ecclesiæ necessitates prosequantur, impediunt. Toto jam quinquennio molestias exilii, proscriptionis injurias, & multiplices nos & nostros persequentium, & patientiam provocantium stimulos in multa mansuetudine sustinuimus, sed injuriam Christi, & tantas Ecclesiæ lacerationes non audemus ulteriùs sustinere, ne nostræ, quod absit, desidiæ vel negligentiæ meritò debeat imputari, quia ex dissimulatione reus convincitur ante Deum, qui pro debito Officii culpas non reprimit aut arguit subditorum. Si verò Dominus Rex, & quicumque nos læserunt, in reformatione Ecclesiasticæ pacis debitum honorem Deo reddiderint, & charitatis officia studuerint adimplere, nos per gratiam Dei singulis sinceræ charitatis affectione jungemur, & sua in Domino jura cuique curabimus illibata servare. Sed Regi operosiùs & efficaciùs, tanquàm Domino Amantissimo, & omni jure cæteris in mundanis omnibus præcellenti. Solum Deum, & quæ Dei sunt, illi & suis, si permiserit censemus præferendum, & voluntati ejus sic obtemperamus in omnibus, ut solus Ordo collatus à Domino, qui sine dispendio salutis, Divinæ Legis, & Christianæ institutionis prævaricationes non admittit, nobis permaneat illæsus & illibatus. Det vobis Deus cor, ut colatis eum, ipsius fideliter implendo voluntatem, & habendo memoriam nostri in orationibus, eleemosynis, & Deo placitis operibus vestris. Illud Ethicum ad mentem reducite: *Quia mors æquo pede pulsat Regum turres, & pauperum tabernas.*

Similiter scriptum est omnibus Episcopis Normanniæ, ut Archi-Episcopo; & Capitulis, ut Rothomagensi.

## EPISTOLA XXXVI.

*Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Rothomagensi Archi-Episcopo.*

MEMINIT vestra discretio, qualiter ex Mandato Nunciorum Domini Papæ, juramento præcedente, nostros excommunicatos absolveritis, scilicet Gaufredum Cantuariensem Archi-Diaconum, Nigellum de Sacca-Villa, & Thomam filium Bernardi, concepta spe pacis Ecclesiæ, quæ per hanc dispensationem credebatur citiùs provenire. Nos autem id æquanimiter interim sustinentes, in omni mansuetudine fidem promissionis exspectavimus usque ad terminum, quem Dominus Papa præfixerat Nunciis, ut redirent. Et quia pax secuta non est, præfatos Gaufredum, Nigellum, Thomam, elapso termino publicè excommunicavimus, vobisque secundùm sacrorum Canonum institutiones denunciamus, ut eos per Provinciam vestram, prout Ecclesiastica disciplina præscribit, tanquàm excommunicatos faciatis à cunctis fidelibus evitari. Ediximus etiam more Canonico, quatenùs Joannes Decanus Saresberiensis, & Guido Decanus de Waltham, & Joannes Cumin, & Radulphus Archi-Diaconus de Landaf, & Wimarus presbyter, infra octavam Beati Martini satisfaciant Ecclesiæ Dei, quam læserunt, & nobis: quia tunc authore Deo eos excommunicabimus, nisi interim satisfecerint. Excommunicavimus etiam illos, qui Nuncios Domini Papæ aut nostros, ne Ecclesiæ necessitates prosequantur, impediunt.

## EPISTOLA XXXVII.

Dominus Gratianus Gaufredo Ridel, & Nigello de Sacca-Villa, & Thomæ filio Bernardi.

*Gratianus S. R. Ecclesiæ Sub-Diaconus, & Domini Papæ Notarius, Gaufredo Cantuariensi Archi-Diacono, & Nigello de Sacca-Villa, & Thomæ filio Bernardi, sic transire per bona temporalia, ut non amittant æterna.*

A Vestra non debet excidisse memoria, qualiter à vobis accepto juramento vos in spe pacis promissæ fecerimus absolvi. Et quia pax, ut sperabatur, secuta non est, vobis per Venerabiles Viros, Rothomagensem & Burdigalensem Archi-Episcopos, denunciavimus, ut nisi infra tunc imminens Festum Beati Michaelis pax reformata esset, nequaquàm exindè collatæ absolutionis beneficio fruerémini. Sed sententiam, quam Cantuariensis Archi-Episcopus in vos ferret, sine fraude & malo ingenio firmiter servaretis. Quia ergò pax secuta non est, & vos præfatus Cantuariensis in sententiam excommunicationis publicè reposuit, vobis in virtute præstiti juramenti præcipimus, quatenùs sententiam ipsam, donec absolvi mereamini, inviolabiliter observetis. Det vobis Deus cor, ut colatis eum, & magis faciatis ipsius, quàm hominis voluntatem.

EPI-



## EPISTOLA XXXVIII.

*Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Clerebaldo electo, & Fratribus S. Augustini.*

QUANTO majorem cum S. R. Ecclesia contraxistis familiaritatem, tantò ad reprimendas & ulciscendas injurias ejus viriliùs debetis insurgere, & qua fide illi adhæreatis, operis testimonio comprobare. Nec dubium est in illius redundare injuriam, quòd ipsa prohibente tot & tanta, & tamdiu adversùs Anglicanam Ecclesiam, & nos, & nostros præsumpta sunt, cùm Dominus Rex sæpè per Episcopos, per Abbates, per Subdiaconos Curiæ, per Cardinales, quos vel pro sua reverentia oportuerat exaudiri, commonitus sit, & semper facta sint novissima ejus atrociora prioribus. Quia ergò verendum est, ne nos ulterior dissimulatio reos damnationi obliget ante Deum, apud quem non est personarum acceptio, & qui potentes potenter punit, vobis in virtute obedientiæ, sub anathemate, in periculo dignitatis & ordinis, Domini Papæ, cujus vice fungimur, & nostra authoritate præcipiendo mandamus, quatenùs, nisi infra Purificationem Beatæ Mariæ præfatus Dominus noster Rex Ecclesiæ Dei & nobis condignam satisfactionem exhibuerit, ex tunc à Divinorum celebratione cessetis, excepta Pœnitentia & Viatico, & his quæ Religionis favore locis venerabilibus indulget sacrorum Canonum dispensatio, januis clausis, exclusis personis Laicis, sine campanarum pulsatione, & solemnitatibus, quas in tempore quietis & lætitiæ consuevit Ecclesia exercere. Ad hæc Gaufredum Cantuariensem Archi-Diaconum, & Robertum Vicarium ejus, Richardum de Welcestre, Nigellum de Sacca-Villa, Wimarum Giffardum, Richardum de Luci, Adam de Cheringis, quoniam publicè excommunicati sunt, præcipimus à cunctis fidelibus evitari: quia qui scienter excommunicato communicat, seipsum pari anathemate ex immunda participatione condemnat.

Similiter Conventui Malmesberiensi, & Laurentio Abbati Westmonasterii, Abbati S. Albani, & S. Edmundi, sic: ex tunc prorsùs à Divinorum celebratione cessetis, & in cunctis Ecclesiis, quæ ad vestram jurisdictionem pertinent, omnia Divina prohibeatis officia celebrari, excepto Baptismo Parvulorum, & Pœnitentia, & Viatico.

## EPISTOLA XXXIX.

Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Gilberto Londoniensi Episcopo.

*Thomas Dei gratia Cantuariensis Archi-Episcopus, & Apostolicæ Sedis Legatus, utinam vero fratri, Gilberto Londoniensi Episcopo, declinare à malo, & facere bonum.*

EXCESSUS vestros, dum licuit, supportavimus: & utinam mansuetudo patientiæ nostræ, quæ nobis ultra modum damnosa exstitit, in totius Ecclesiæ perniciem non redundet. Sed quia patientia nostra semper abusi estis, & neque Dominum Papam, neque nos in verbo salutis vestræ voluistis audire, sed obduratio vestra in deteriora semper excrevit, vos urgente necessitate officii, & ratione juris persuadente, ex justis & manifestis causis, anathematis sententia percellentes excommunicavimus, & à Corpore Christi, quod est Ecclesia, donec condignè satisfaciatis, amputavimus. Præcipimus ergò in virtute obedientiæ, & in periculo salutis, & dignitatis & ordinis, quatenùs prout Ecclesiæ forma præscribit, ab omni communione fidelium abstineatis, ne vestra participatio Gregem Dominicum contaminet ad ruinam, qui vestra doctrina erudiendus, & exemplis informandus erat ad vitam.

## EPISTOLA XL.

Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Gilberto Londoniensi Episcopo.

*Thomas Dei gratia Cantuariensis Archi-Episcopus, & Apostolicæ Sedis Legatus, Gilberto Londoniensi Episcopo, utinam vero fratri, declinare à malo, & facere bonum.*

VESTRA debuerat meminisse prudentia, quanta vos affectione Mater vestra Cantuariensis Ecclesia semper dilexerit, quanta diligentia Sedis Apostolicæ gratiam vobis conciliare studuerit, honori vestro & utilitati, tanquàm saluti propriæ, semper invigilans: vos autem accepta facultate nocendi, adversùs utramque calcaneum erexistis, & eis tanquàm clavus in oculo, & sagitta in latere tantò perniciosiùs nocuistis, quantò minùs cavebatur impietas Religionis tecta velamine, & perfidia professionem fidei fallaciùs & fraudulentiùs impugnabat. Vos sæpè commonuimus, & utinam ad salubrioris verba consilii & exhortationis non intumuisset, aut obduruisset cor vestrum. Scripsit vobis Summus Pontifex, ut paci reformandæ inter Ecclesiam & Regem diligentiam impenderetis, sed, sicut publicè notum est, per vos adversùs Ecclesiam vehementior est excitata turbatio. Et quidem multa & magna ad condemnationis vestræ judicium præcesserunt, nisi Sedes Apostolica Fraternitatem vestram in multa mansuetudine supportasset. Nos autem, licèt gravissimè læsi, molimina vestra contra Ecclesiam & nos, quamdiu licuit, dissimulavimus, ut cunctis rectum sapientibus, & habentibus zelum legis, excessisse modum videatur patientia nostra. Sed quia novissima vestra semper inventa sunt deteriora prioribus, & ulteriùs dissimulare non licuit, vos ex justis & manifestis causis anathematis sententia percellentes, à Corpore Christi, quod est Ecclesia, donec condignè satisfaciatis, tanquàm membrum putredinis resecavimus. Præcipimus ergò in virtute obedientiæ, in periculo salutis, dignitatis & ordinis, quatenùs prout Ecclesiæ forma præscribit, ab omni vos communione fidelium abstineatis, ne vestra participatio Dominicum Gregem contaminet ad ruinam, qui vestra doctrina erudiendus, & exemplis informandus erat ad vitam.

EPI-

## EPISTOLA XLI.

Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo magister Wilhelmus.

*Thomæ Dei gratia Cantuariensi Archi-Episcopo, & Apostolicæ Sedis Legato, magister VVilhelmus, filius Richardi Bonhart, nihil infra posse, sed ut suprà,*

Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas,
Hac quoque contentos auguror esse Deos.

AURIBUS ad plura occupatis verbum facio abbreviatum, dum ad notitiam vestram referre dignum duxi, quomodò Berengarius in die Adscensionis tradidit litteras vestras in Ecclesia Beati Pauli. Lecto Evangelio missus ille ad Altare accessit, & manu Sacerdotis, nomine Vitalis, æstimantis se ab eo oblationem accepturum, litteras me stante & videntе intrusit, & manum cum litteris firmiter tenuit, præcipientes ei ex parte Domini Papæ & vestra, quòd unas litteras traderet Episcopo, & alias Decano, & ne Missam celebraret, antequàm litteræ essent lectæ. Super his Wilhelmum de Norhallis in testimonium adduxit, qui legit Evangelium in die Adscensionis, injungendo ei etiam ex parte vestra, ne adstaret Missæ similiter, & Subdiaconum nomine Hog, donec litteræ essent lectæ. Post hæc Berengarius ad Populum conversus voce clamosa dixit: *Scitote Episcopum Londoniensem Gilbertum excommunicatum esse à Thoma Cantuariensi Archi-Episcopo, & Apostolicæ Sedis Legato.* Quo audito plures eum retinere parati, contumelias illi intulerunt. Sed hunc feci discedere, ne tumultus fieret in populo: & hominibus catervatim egredientibus illum mea cooperui cappa, & sic ab Ecclesia ductum usque ab hospitium, à quo egressus fuerat, comitatus sum. Hujus facti testes habeo ipsum Berengarium, & Richardum nepotem Wilhelmi de Cap..... & filium Wilhelmi Wannoc. Contra prohibitionem ex parte vestra factam Sacerdos noluit celebrare missam, neque Wilhelmus de Norhallis adstare. Wilhelmus nunciavit hæc Nicolao Archi-Diacono, qui respondit dicens: *Sacerdos cessaret à comestione, si Nuncius dixisset ei ex parte Archi-Episcopi, ne comederet?* Et celebrata est Missa non lectis litteris, nisi clanculum, ut audivi. Quod ut Episcopo Londoniensi, Stubbehubæ existenti, notificatum est, in Sabbatho post Adscensionem Domini proximo Clerum Londoniensis Ecclesiæ convocare fecit, & multis præhabitis consiliis inter Episcopum, & Decanum, & Archi-Diaconum, & Canonicos, tandem confederunt. Imperio itaque Episcopi adfuit Vitalis Sacerdos cum litteris vestris, & rem gestam ordine retulit, & litteras Episcopo missas tradidit, & alias Decano. Episcopus malignitatis amaritudine exasperatus, contractis superciliis, vix verbis exeuntibus, litteras legit, & sententiam sibi à vobis illatam his Capitulis coram omnibus attentavit. Primum Capitulum de Veteri Testamento sumptum est: Adam in Paradiso peccavit, non statim damnavit eum Deus, sed deambulavit ut faceret copiam sui. Post vocavit eum dicens: *Adam.* Tertiò increpavit, dicens: *Ubi es?* Item secundum Capitulum de Novo Testamento. In Evangelio dictum est Petro: *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum privatò. Posteà coram duobus vel tribus. Tertiò dic Ecclesiæ. Tunc demùm habe eum incorrectum, sicut Ethnicum & publicanum.* Item dixit: *Ne dicat Archi-Episcopus; Non potui citare Londoniensem Episcopum. Constat potuisse. Quia qui potuit, quod majus est, scilicet excommunicare, potuit quod minus est, scilicet citare.* Item dixit: *Solius Papæ est privilegium, ab eo non posse appellari. Et appellatione tutus per invocationem sanctissimi Nominis sanctæ Trinitatis elido ejus factum ad firmam Petram, supra quam fundata est Ecclesia.* Item dixit: *In omni casu criminali quatuor esse debent, accusator, accusatus, testes, & judex. Hæc omnia confundit odio mei, dum solus accuset, testetur, & judicet. Undè constat, si posset, materiali gladio caput amputaret.* Item dixit: *In alienam segetem mittit falcem. Quia nec in personam meam, nec in Ecclesiam meam potestatem habet. In personam, quoniàm nunquàm ei nec professionem, nec obedientiam feci; nec Cantuariensi Ecclesiæ nomine istius Ecclesiæ, scilicet Ecclesiæ Londoniensis. In Ecclesiam, quia Ecclesia Londoniensis repetit, quod diu Paganorum irruptione ablatum est, scilicet Archi-Episcopatum debere esse Londoniæ, quod nos probabimus. Et appellationem priùs factam innovamus.* Item dixit: *Quod si verum est, quod dicit, se habere illam potestatem à Domino Papa jure legationis, nec ea in me manus extendere potest, quia nondùm recepit se in fines illos, in quibus esse debet Legatus.* Decanus, & Archi-Diaconus, & omnes Canonici, & omnes presbyteri Londoniensis appellationem fecerunt. Sed Canonici S. Bartholomei, & S. Martini, & S. Trinitatis noluerunt facere aliquam appellationem. Tunc ad ultimum Decanus fecit legere litteras sibi missas secundò. Quæ nunc scribo, antè Adscensionem facta fuerunt apud Westmonasterium. Episcopus Londoniensis convocavit Episcopum Exoniensem, Richardum de Welcestre, Abbatem de Westmonasterio, Widonem Ruffum, Episcopum Saresberiensem, & Barones Scaccarii. Præmandavit Episcopo Exoniensi Episcopus Londoniensis, ne offerret ei osculum pacis: quod non renuit tamen. Nam osculatus est eum Exoniensis. Residentibus omnibus ad eos habuit Episcopus Londoniensis sermonem, multimodis ad hoc nitens rationibus, ut Episcopum Exoniensem in appellatione secum stare faceret. Sed quasi murus inexpugnabilis adversùs Expugnatores libertatis Ecclesiæ extitit. Cui mentionem facienti de sententia eis illata à vobis, Episcopus Saresberiensis respondit sic: si Buinardus Archi-Episcopus meus præcipit mihi aliquid facere, quod facere non debeam, nunquid faciam? Quod absit, quod memoriæ commendetur, ut ei pœna indè reddatur. Semper enim scelera, dum non resecantur, increscunt, & in augmenta facinorum prosilitur, dum secura impunitate peccatur. Valete, & Angelum magni consilii consulite, ut ejus instinctu honesta & utilia in omnibus negotiis vestris faciatis.

## EPISTOLA XLII.

*Henrico Regi Angliæ Gilbertus Londoniensis Episcopus.*

VESTRAM, Domine, credimus non latere excellentiam, qualiter in me & quosdam alios fideles vestros manum suam Dominus Cantuariensis aggravaverit, & quoad potuit, gladium in nos spiritualem, in juris publici læsionem, dextera iniquitatis extorsit. Canon namque potissimus hic est, ut nemo præproperè vel præposterè, id est, non commonitus, neque convictus judicetur. Nec Episcopus omninò quemquam excommunicet, donec caussa probetur, super qua Reus impetitur. Undè cùm à jure exorbitaverit, de Domino confidimus, ut in nos vibrando gladium, aerem potiùs verberaverit, quàm aut corpore aut anima spirituale nobis vulnus infixerit. Ictus enim ejus ad Dominum Papam appellando prævenimus, & in initio Quadragesimæ facta appellatio sententiam die palmarum latam plenè viribus evacuavit. Sixtus enim Papa sic constituit: *Quoties Episcopus se à suo Metropolitano putaverit prægravari, vel eum suspectum habuerit, mox Romanam appellet Sedem, à qua dum se audiri poposcerit, nullus eum excommunicet, antequàm caussa Summi Pontificis authoritate finiatur. Quod si aliter præsumptum fuerit, nihil erit, sed viribus omninò carebit.*



## EPISTOLA XLIII.

Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Clero Londoniensi.

*Thomas Dei gratia Cantuariensis Archi-Episcopus, & Apostolicæ Sedis Legatus, Decano, Archi-Diacono, & Clero Londoniensi, salutem, & à communione excommunicatorum fideliter abstinere.*

VESTRAM latere non debet prudentiam, quod ferè totus Latinus Orbis agnovit, quàm iniquè, sumpta opportunitate ex caussa schismatis generalis, Gilbertus Londoniensis Episcopus frater noster, utinam verus, in caussa Ecclesiæ versatus sit, & pacem ejus studuerit perturbare. Supportavimus enim eum in multa patientia hactenùs, qua ille semper abutens, jugis inobedientiæ crimen multiplicans excessibus incorrigibiliter cumulavit. Nos igitur, cui dissimulare non licuit, eum urgente necessitate Officii, & ratione juris persuadente, publicè excommunicavimus, & vobis præcipimus in virtute obedientiæ, & in periculo ordinis & salutis, ut communione ejus, sicut Christi fideles decet, prorsùs abstineatis. Similiter eos sub eadem interminatione præcipimus evitari, quorum nomina inferiùs scripta sunt. Simili quoque sententia, Deo authore, eos qui à nobis solemniter citati sunt, nisi interim satisfecerint, condemnabimus in die Adscensionis Domini, scilicet Gaufredum Cantuariensem Archi-Diaconum, & Robertum Vicarium ejus, Richardum de Welcestre, Richardum de Luci, Wimarum Giffard, Adam de Chere, & eos qui ope vel consilio Domini Regis, vel mandato, vel propria temeritate, nostra vel Clericorum nostrorum bona occupaverunt, & eos, qui ope vel consilio Domini Regis animum adversùs libertatem Ecclesiæ, & innocentium proscriptionem, & depopulationem instigasse noscuntur, & qui Nuncios Domini Papæ nostros, ne prosequantur Ecclesiæ necessitates, impediunt. Non turbetur cor vestrum, neque formidet in his, quia & contra tergiversationes malignantium, & appellationum subterfugia, Deo propitio, Sedis Apostolicæ munimine tuti sumus. Hæc sunt nomina excommunicatorum: Jocelinus Saresberiensis Episcopus, Comes Hugo, Radulphus de Broc, Thomas filius Bernardi, Robertus Clericus de Broc, Hugo de S. Claro, Letardus Clericus de Norflece, Nigellus de Sacca-Villa, Richardus Frater Wilhelmi de Bastinga, qui Ecclesiam nostram de Munech etiam occupavit. Valete.

## EPISTOLA XLIV.

Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Norwicensi Episcopo.

*Thomas Dei gratia Cantuariensis Archi-Episcopus, & Apostolicæ Sedis Legatus, venerabili fratri W..... eadem gratia Norwicensi Episcopo salutem, & in Spiritu Sancto Gladium Petri adversùs Persecutores Christi fideliter exserere, & feliciter exercere.*

SE ipsum ad pœnam criminis obligare dignoscitur, quisquis Divinitùs accepta potestate perversis hominibus dat audaciam delinquendi ex dissimulatione vindictæ. Nam sanguis iniquorum de manu negligentis aut dissimulantis Sacerdotis exquiritur. Spinæ & tribuli, sicut Scriptura docet, nascuntur in manu temulenti. Ne nos igitur ex dissimulatione manifestorum criminum reatus involvat, & in perniciem Ecclesiæ convincat nimium siluisse, Comitem Hugonem, præcedente tamen mandato Summi Pontificis, vinculo anathematis innodavimus, præcipimusque ut eum per Episcopatum vestrum publicè faciatis excommunicatum denunciari, & subtrahi sibi, prout Ecclesiastica disciplina præscribit, fidelium participationem. Ad hæc meminisse potest vestra Fraternitas, quoniam diu Londoniensis Episcopi dissimulavimus culpas, qui, ut cætera taceantur, utinam tam impudens schismatis non fuisset incentor: nec in subversionem Ecclesiasticæ libertatis & juris animasset publicam potestatem, & ministros ejus armasset. Freti itaque Sedis Apostolicæ authoritate eum publicè excommunicavimus; Episcopum quoque Saresberiensem ex caussa inobedientiæ & contemptus; & alios, quorum nomina subscripta sunt, ex variis & justis caussis. Excommunicati sunt ergo Thomas Filius Bernardi, Radulphus de Broc, Robertus de Broc Clericus, Hugo de S. Claro, & R.... Clericus de Norflece, Nigellus de Sacca-Villa, & Frater Wilhelmi de Hastinga, qui Ecclesiam nostram de Monechete occupavit. Præcipimus autem authoritate Apostolica & nostra, in virtute obedientiæ, & in periculo salutis & ordinis, ut eos per totam Diœcesim vestram faciatis publicè denunciari excommunicatos, & communionem eorum jubeatis ab omnibus fideliter evitari. Valete in Domino.

## EPISTOLA XLV.

Thomæ Cantuariensis Archi-Episcopus Nigello Elienſi Episcopo.

*Thomas Dei gratia, &c. Venerabili fratri Nigello, eadem gratia Episcopo Elienſi, & Rico Archi-Diacono suo salutem, & dirigere prudenter in futura prospectum.*

SACRORUM Canonum disciplina præscribit, ut Episcopi excommunicatorum suorum nomina Comprovincialibus denuncient, ne una ovis morbida gregem fidelium contaminare possit.

Nos autem ex speciali mandato Domini Papæ Comitem Hugonem anathematis vinculo innodavimus, & præcipimus ut sententiam, quæ ex summi Pontificis processit arbitrio, faciatis, prout canonicis edictis decretum est, in omibus Episcopatus vestri Ecclesiis publicari. Secuti quoque authoritatem Sedis Apostolicæ, quam habemus præ manibus, excommunicavimus Gilbertum Londoniensem, & Jocelinum Saresberiensem Episcopos, Randulphum de Broc, & cæteros ut supra. Præcipimus itaque vobis in virtute obedientiæ, & in periculo dignitatis & ordinis, quatenùs tam præfatum Comitem, quàm jam dictos Episcopos, & cæteros prænominatos faciatis per totam Diœcesim vestram publicè denunciari excommunicatos, & à cunctis fidelibus, prout Ecclesiasticæ Doctrinæ vigor exigit, evitari. Quod si unus vestrum, quacumque impediente necessitate, non potest exequi, alter id modis omnibus, sicut honorem & officium diligit, exequatur. Tu verò, fili Archidiacone, tibi diligentiùs in hac parte provideas, ne à te districtiùs exigatur, si sub prætextu infirmitatis Episcopi, mandatum Domini Papæ & nostrum minùs fuerit adimpletum, aut Ecclesia, quæ nunc, ut fama est, ex tuo pendet arbitrio, tua culpa perniciem contrahat, aut enorme dispendium patiatur. Valete in Domino.

## EPISTOLA XLVI.

*Henrico Regi Angliæ Gilebertus Londoniensis Episcopus.*

MITTIMUS ad vos, Domine, familiarem Clericum nostrum H..... utique fidelem vestrum, quanto possumus affectu supplicantes, ut ipsum in petitionibus nostris benignè, si placet, audiatis, & nobis in necessitate nostra Regia Clementia subveniatis. Quod benè quidem facietis, si Domino Papæ pro nobis aliquantulùm affectuosè scripseritis, ut appellationem, quam ad ipsum fecimus, ut juris dictat æquitas, admittat, & post appellationem in nos latam sententiam, ea, qua potest & debet, æquitate suspendat, donec caussam nostram audiat, & digna meritis cuique retribuat. Ad Cardinales etiam Amicos vestros litteras, si placet, exposcimus, ut ad hoc Dominum Papam inflectant, & super admittenda appellatione nostra indultum omnibus oppressis beneficium prece vestra nobis obtineant. Sixtus enim Papa sic statuit: *Quoties Episcopus se à suo Metropolitano senserit prægravari, vel eum suspectum habuerit, mox Romanam appellet Sedem, à qua dum se audiri poposcerit, nullus eum excommunicet, antequàm caussa Summi Pontificis finiatur authoritate. Quod si aliter præsumptum fuerit, nil erit, sed viribus omninò carebit.* De cætero quia crebra allocutione frui vestra summoperè necesse est & consilio, excellentiæ vestræ devotissimè supplicamus ut nobis transfretandi licentiam concedatis, & in partibus transmarinis Nuncios, quos ad Dominum Papam mittimus, nos expectare permittatis. Conservet incolumitatem vestram in longa tempora omnipotens Dominus.

## EPISTOLA XLVII.

*Henricus Rex Angliæ Gileberto Londoniensi Episcopo.*

AUDIVI gravamen, quod ille Thomas Proditor & adversarius meus intulit in te, & in alias personas Regni mei, quod non minus ægrè fero de persona tua, quàm si in meam propriam personam virus suum evomuisset. Et ideò pro certo scias, quòd ego omnem operam dabo, per Dominum Papam, & per Regem Francorum, & per omnes Amicos meos, quod de cætero nobis nec Regno nostro nocere non poterit. Unde volo & consulo, quod tu interim nullo modo in animo tuo turberis, sed tibi viriliter provideas, utrum magis tibi & mihi expediat, quod ad me in Normanniam venias, vel quod in Anglia remaneas. Hoc enim totum tuæ committo dispositioni, pro certo sciturus, quod si ad me veneris, & Romam adire volueris, omnia necessaria ad viam de meo tibi honorabiliter & sufficienter inveniam. Teste G..... Clerico apud S. Macharium in Guasconia.

## EPISTOLA XLVIII.

*Alexandro Papæ Henricus Rex Angliæ.*

VESTRÆ satis innotescit Serenitati, quanta me & terram meam affligat molestia, quantis me vexaverit injuriis Thomas ille Cantuariensis Adversarius meus, cùm teste conscientia nihil meruerim, nil gesserim tam vehementi & injuriosa dignum contumelia. A vestra siquidem non credo excidisse memoria, quod judices S. R. Ecclesiæ Cardinales à vestra impetraverim Paternitate, ut super causa ita cognoscerent, sed placuit Sanctitati vestræ, ut adversarius meus eximeretur à cognitione, nec potuit vestro præpedita præcepto in lucis venire claritatem Innocentiæ sinceritas. Sæpiùs etiam, immò semper paratus exstiti in facie Ecclesiæ juri & judicio stare, si vel in minimo deliquissem, quod me fecisse non recolo, prout ratio dictaret satisfacere, & longè ampliùs quàm antecessores mei, qui me præstantiores exstiterunt, Ecclesiæ Cantuariesi fecerint, semper paratus sui facere. Proinde admirari non sufficio, quod permittit prudentia vestra devotum Ecclesiæ Romanæ filium, juri semper stare paratissimum, contra omnem justitiam, ut mihi videtur, deprimi, injuriosis præter rationem contumeliis molestari. Nunc itaque innumeris præcedentibus novam adjecit injuriam, qui affligere non desistit Innocentem. Vestra siquidem fultus, ut asserit, authoritate devotos & fideles Ecclesiæ Romanæ filios, Londoniensem & Saresberiensem Episcopos, post appellationem ad vos factam, juri per omnia parituros, non citatos, non vocatos, non convictos, nullo modo commonitos, excommunicationis de novo innodavit sententia. Quibusdam etiam de familiaribus meis anathematis intentat severitatem, nullam adversùs eos habens rationabilem causam. Quod non minùs ægrè fero, quod in se quàm si in meam propriam personam lata foret sententia. Hoc autem quàm sit mihi intolerabile, quàm injuriosum, quàmque famæ meæ & vestræ generet læsionem, vestræ non credo incognitum prudentiæ. Videtur etiam, quod me quasi derelictum abjecerit Paternitas vestra, qui filii non attendit nec curat injurias, sed ad ignominiæ & contumeliæ meæ augmentum, flagitiosum in me permittit grassari inimicum: nec reprimit injuriarum vehementiam Paternæ correctionis moderatio. Vestram igitur suppliciter obsecro & adjuro, ut justum est, celsitudinem, ut quem filio debetis, operis exhibitione monstretis affectum, & illatam mihi, & personis meis, & terræ meæ absque ordine judiciario emendare dignemini absque tardatione injuriam. Cum omnimoda etiam devotione attentiùs supplico, quatenus quidquid prænominatus Thomas Adversarius meus, contra juris ordinem, post factam appellationem ad vos, in personas Regni mei, Clericos & Laicos statuit, irritum & vacuum habeatis, Teste G.... Val.... Episcopo apud S. Macharium in Guasconia.



## EPISTOLA XLIX.

*Alexandro Papæ Rotrodus Rothomagensis Archi-Episcopus.*

PERSEVERANS in corde nostro desiderium videndi optatam Serenitatis vestræ præsentiam, ipsa dilatione quotidiè augmentatur. Super his, quæ in instanti attinent ad venerabilem & charissimum fratrem nostrum Gilebertum Londoniensem Episcopum, cujus vita, & scientia, & morum mansuetudo ubique suaviter redolet, Sanctitati vestræ notificamus, quod cùm in secretissimo essemus colloquio, in quo tantùm aderat Rex Angliæ & nos duo, ubi de salute animæ Regis agebatur, ipse viriliter & discretè cum omni instantia summoperè laborabat, ut pacem perquireret Domino Cantuariensi, & omnibus locis, tam in privatis quàm in publicis colloquiis, ad perquirendam omnem adhibuit diligentiam & sedulitatem. Undè plurimùm miramur, quod contra eum aliquid egit Dominus Cantuariensis. Si enim de propria voluntate absque alterius suggestione hoc fecit, in fratrem innocentem deliquit; si verò aliquorum suggestione, scimus falsò fuisse suggestum. Indè est quod totis viribus nostris & tota animi devotione vestram benignissimam exoramus Clementiam, quatenùs innocenti fratri super gravamine à Domino Cantuariensi illato pietatis vestræ viscera aperiatis. Conservet Deus Ecclesiæ suæ personam vestram per tempora longa incolumem.

## EPISTOLA L.

*Alexandro Papæ Laurentius Abbas Westmonasterii.*

VERITATIS assertio tunc demùm libera solet, & sine offensione procedere, cum & cæteris rerum nititur argumentis, & celeberrimæ opinionis attestatione vallatur. Hinc est quod venerabilem Patrem nostrum Gilebertum Londoniensem Episcopum eò Sanctitati vestræ attentiùs commendamus, quò eum in partibus nostris & meritum in se celebrem, & communis habet æstimatio commendabilem. Vestræ itaque sublimitati, cujus Reverentiam, sicut non debemus, ita nullis volumus falsitatis incæstare figmentis, sublata omni ambiguitate suggerimus, quod memorati viri vita & conversatio, quantùm aut ex evidentibus rerum indiciis, aut ex celebri opinione ad vestram potuit notitiam pervenire, hactenùs claruit decorata virtutibus, & formam Religionis & honestatis intuentium oculis visa est prætendisse. Quis enim ex nostratibus ignorare permittitur Dominum Londoniensem tam Divinæ Legis, quàm sæcularis scientiæ peritissimum, honestate præcipuum, in cultu & observantia Religionis & Divina & Sancta fuisse conversatione probatum? Quis eorum ita desipiat, ut hoc non sapiat? Hoc etiam nos ex Domini Regis noveritis testimonio concepisse, quod idem Dominus Londoniensis Domino Cantuariensi apud Regiam Majestatem numquàm dicto factovè nocuus exstiterit, quod quidem ab omnibus vitæ ipsius & conversationis honestæ conscriis, sub quadam potest certitudine & securitate præsumi, cum auditu etiam grave sit & fide indignum, tam præclarum in Ecclesia Dei Religionis & Sanctitatis speculum alicujus malignitatis seminarium aut fomitem exstitisse. Oramus igitur, Sanctissime Pater & Domine, ut devoto & venerabili filio, ad gremium se vestræ mansuetudinis transferenti, sinum benignitatis & gratiæ clementer aperiatis, eumque in gratiæ vestræ plenitudinem restitutum Ecclesiæ suæ restituere, communibus, si placet, in hoc bonorum votis satisfaciendo dignemini. Hoc enim vestræ, ut credimus, sublimitatis honori & Ecclesiasticis videbitur utilitatibus deservire. Omnipotens Deus incolumitatem vestram in tempora longa & læta perducat, Charissime Pater & Domine.

## EPISTOLA LI.

*Alexandro Papæ Abbas Ramesiensis.*

QUOTIES optimis viris testimonia deferuntur, absque retractione & offendiculo decurrit oratio, cùm semper eorum sit commendatio irrefragabilis, quos communis habet æstimatio commendatos. Venerabilis Pater noster Gilebertus Londoniensis Episcopus, vir meritis & nomine conspicuus, inter electas terræ nostræ personas quadam prærogativa virtutum insigniter elucescit. Quippè qui sæculari litteratura & Lege Divina ad unguem institutus, singulos ferè tam Religionis quàm Ecclesiastici ordinis & dignitatis gradus attigisse & conscendisse dignoscitur, pastoralisque curam regiminis fideliter prudenterque dispensans, digna satis promotione de Monasterio transivit ad Cathedram, primò Herefordensem, postmodùm vestra interveniente authoritate Londoniensem, utramque vita pariter & doctrina illustrans & honorans. Longè sit itaque à tam conspicuæ probitatis, tam elimatæ Religionis viro quævis sinistra suspicio: fiatque procul à sanctis auribus vestris de eo aut operibus ejus quòrumlibet malefida interpretatio. Quis enim credat virum bonum, honestum, Religiosum, bono, honesto, Religioso, vel in modico juxta conscientiam suam nocuisse? Episcopum Archi-Episcopo, filium Patri? Quantùm æstimare pro certo possumus ex his, quæ audivimus & vidimus, ex indubitato etiam Domini nostri Regis testimonio, pacem venerabilis Archi-Episcopi & reconciliationem erga Regem ipsum studiosè quæsivit, & ad eam diligenter intendit. Si quid postmodùm enormiter

miter actum est, præter conscientiam ipsius & voluntatem credimus accidisse. Superest igitur, Sanctissime Pater, ut honorabilem filium vestrum ad gremium mansuetudinis vestræ se transferentem, juxta commune omnium bonorum votum, blandè & leniter suscipiatis, innocentiamque ipsius incertis suspicionum conjecturis, quibus credi non oportet, lædi non permittatis. Sanctitatem vestram Ecclesiæ suæ diu conservet incolumem omnipotens Dominus.

## EPISTOLA LII.

Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Henrico Vintoniensi Episcopo.

*Thomas Dei gratia Cantuariensis Archi-Episcopus, & Apostolicæ Sedis Legatus, venerabili fratri & Amico charissimo, Henrico Dei gratia Wintoniensi Episcopo, salutem, & perseverantem in defensione Matris Ecclesiæ Zelum.*

VESTRA discretio non potest ignorare, quæ sub oculis vestris, immò in conspectu circumjacentium remotarumque gentium, adversùs Ecclesiam in Regno Anglorum præsumpta esse noscuntur. Et quod sine timore Divini judicii non eloquimur, verendum est, ne dissimulatio nostra culpas auxerit præsumptorum, & impunitas aluerit audaciam delinquendi. Quinquennium jam exegimus exules, & proscripti innocentes: sine miseratione ætatis & sexus, sine reverentia conditionis aut ordinis, privati bonis, addicti exilio, variis & arctioribus injuriis affecti sunt, sancta prophanantur, bona diripiuntur Ecclesiæ, Sacerdotes prohibentur implere legem Domini, & quas professi sunt exercere Canonicas sanctiones. Et sub pretextu Regiæ dignitatis pravitates obtinent, quas pridem sancti Patres in diebus suis, & in nostris Sedes Apostolica condemnavit. Sæpè commonitus est Dominus Rex, ut ista corrigeret, per Episcopos, per Abbates, per Subdiaconos Curiæ, per Cardinales. Et tunc tandem quasi peremptorio edicto per Dominum Gratianum Subdiaconum & Notarium Sedis, & magistrum Vivianum Urbis Archi-Diaconum, ut aut per istos præsumpta corrigeret, aut in se & in terra sua, quam meruerat, animadversionem justitiæ sentiret. Ipsi verò ab eo non modò exauditi non sunt, sed in Venerabili Viro magistro Petro Carnotensi Archi-Diacono, & aliis Nunciis, quos ad eum in verbis pacificis miserant, graves injurias exceperunt. Siquidem in omni mansuetudine Domini Papæ, & diuturnitate patientiæ nostræ, & exhibitione humilitatis, non quievit, aut mitigata est immanitas ejus, sed ab impunitate ferocior in deteriora semper excrevit. Ne ergò nos ulterior dissimulatio malitiæ consensisse convincat, & ante districti judicis oculos, apud quem non est acceptio personarum, damnationi reos addicat, tantos excessus irrequisitos amodò præterire non possumus, nec audemus. Indè est, quod fraternitati vestræ in virtute obedientiæ, sub anathemate, in periculo dignitatis & ordinis, Apostolica authoritate & nostra precipiendo mandamus, quatenùs, nisi infra Purificationem Beatæ Mariæ Dominus Rex Ecclesiæ Dei & nobis ablata restituere, & proscriptos innocentes debita juris redintegratione revocare studuerit, & sacras Ecclesiæ sanctiones vigere permiserit, & Clerum & Populum, ut justum est, sanctæ Romanæ Ecclesiæ obedire, ex tunc per totum Episcopatum vestrum in omnibus Ecclesiis omnia Divina prohibeatis officia celebrari, excepto baptismate Parvulorum, & Pœnitentia, & Viatico, quod presbyteri clausis januis sine campanarum pulsatione, & omni solemnitate jucunditatis Ecclesiasticæ pro necessitate salutis conficere permittuntur. Et si nec sic in flagello Populi præfatus Dominus noster Rex antedictos excessus debita satisfactione correxerit, noveritis, & ei irrefragabiliter denuncietis, quoniam personæ ejus, quod inviti dicimus, cum periculo salutis nostræ, ut hactenus fecimus, ulteriùs authore Domino non parcemus. Sub eadem quoque interminatione precipimus, quatenus eos excommunicatos esse publicè denunciari faciatis, qui Ecclesias, & Ecclesiastica officia & beneficia, contra sacrorum Canonum institutionem de manu Laicorum accipiunt; qui Clericos contra Prælatorum suorum inhibitionem Divina celebrare compellunt; qui Nuncios Domini Papæ & nostros, ne Ecclesiæ necessitates prosequantur, impediunt; qui Ecclesias ad honorem Dei non patiuntur regulariter ordinari; qui Divinæ legis institutionibus traditiones aut consuetudines hominum anteponendas predicant, aut violenter compellunt anteferri. Sed ex nomine Gaufredum Cantuariensem Archi-Diaconum, Robertum Vicarium ejus, Richardum de VVelcestre, VVimarum Giffard, Nigellum de Sacca-Villa, Richardum de Luci, Thomam filium Bernardi, Adam de Cheringis, quos pridem excommunicavimus, Edicto Canonico publicetis cunctis fidelibus esse vitandos. Ad hæc si Joannes Decanus Saresberiensis, & Guido Decanus VValthan, Joannes Cumin, Radulphus Landanensis Archi-Diaconus, VVimarus presbyter, alumnus Comitis Hugonis, Ecclesiæ Dei, quam læserunt, & nobis infra diem Nativitatis Dominicæ non satisfecerint, eos ex tunc excommunicatos esse publicè denuncietis. Confortamini in Domino, & in potentia virtutis ejus, quia fidelis est, nec vos supra vires tentari patietur. Sed ex quo cum Josue secundùm Legem Sacerdotalibus insonueritis tubis, omnes munitiones hostium diruet & dissipabit ante faciem vestram. Probabitur hic, qui Christi Sacerdotes sint, qui servi Belial. Dirigat in beneplacito suo Deus opera vestra, & Ecclesiæ suæ pacem sua virtute & gratia, vestroque ministerio reformare dignetur.

VValthero Roffensi Episcopo sic, ubi habetur, *per Episcopatum vestrum, per totam Cantiam*. Sic Henrico VVintonensi, sic Norwicensi, Cicestrensi, Exoniensi, Vigornensi, Dunelmensi. David Menevensensi verò, & Nicolao Landavensi, & Godefrido Lavenensi sic: *Per totam terram ejus, quæ in Episcopatu vestro est, in omnibus Ecclesiis.*

## EPISTOLA LIII.

*Nomina Excommunicatorum.*

GILEBERTUS Londoniensis Episcopus, & Jocelinus Saresberiensis Episcopus. Gaufredus Ridel, Cantuariensis Archi-Diaconus, Richardus de Welcestria, Pictaviensis Archi-Diaconus, Nigellus de Sacca-Villa, Richardus de Hastinges, Nepos Richardi de Hastinges, Letardus Nepos Theobaldi Archi-Episcopi, Robertus de Broc, Robertus frater Wilhelmi de Eineforde, Robertus Vicarius Gaufredi Archi-Diaconi Cantuariensis, ille qui tenet Ecclesiam de Chere, ille qui tenet Ecclesiam de Hele, Richardus de Luci, Hugo de S. Claro, Thomas filius Bernardi, Randulphus de Broc, Wilhelmus de Essereforde, Robertus Pincerna Theobaldi Archi-Episcopi, Alanus de Reclingis, Wilhelmus de Becco, ille qui tenet terram de Mundeham, de Manerio, de Pagaham, quam Rex abstulit Ecclesiæ Cantuariensi propter Joannem Mareschallum, si est alius, qui teneat eam quàm Rex. Ille qui tenet terram de Lese, de Manerio, de Ortofordis, de Emisdord, quam tenuit Joannes Frater Wilhelmi, si est alius qui tenet eam præter Regem. Joannes Cumin, Guido Ruffus, qui tenetur, sicut cæteri supradicti, quidquid percepit de redditibus Thesaurarii Lexoviensis ipsi Cantuariensi restituere. Ipsi sunt qui tenent possessiones Ecclesiasticas & laicas Ecclesiæ Cantuariensis, & Domini Cantuariensis, quas vult & petit cum omni integritate sibi & suis restitui. A Londoniensi verò, quidquid percepit de redditibus Clericorum suorum, petit sibi restitui. Si qui verò sunt alii, qui receperint possessiones Ecclesiasticas sive laicas de manu Regis, vel de ipsius concessione, pertinentes ad Ecclesiam Cantuariensem, excommunicati sunt, donec illas easdem possessiones Ecclesiæ Cantuariensi & Domino Cantuariensi Archi-Episcopo restituant, & omnia inde percepta. Præterea excommunicatus est ab eodem Archi-Episcopo Wimarus, qui fuit Clericus Comitis Hugonis, Adam de Cheringis, Wilhelmus Giffard.

## EPISTOLA LIV.

Alexandro Papæ Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus.

*Sanctissimo Domino & Patri Charissimo, Alexandro Dei gratia summo Pontifici, Thomas Cantuariensis Ecclesiæ minister humilis, salutem, & omnem cum devotione obedientiam.*

AD pedes Majestatis vestræ confugiunt miseri nostri, qui nutu Divino reservati esse creduntur, ut fratrum suorum crudeliter interemptorum cladem deplorare valeant, & jam ferè pereuntis Ecclesiæ miserias exponant in auribus vestris. Jam enim rarus est, qui etiam cum magna difficultate inter tot pericula & mortes audeat prosequi necessitates nostras, cum alii incarcerati, alii capti, alii flagellati, alii mortui diebus ferè singulis audiantur. Et Rex Anglorum, qui tantorum malorum caussa esse dignoscitur, non modò impunis remaneat, sed gaudeat in confusione Ecclesiæ, & in periculis rideat alienis. Cùm diu, si Spiritu Dei ageretur, mansuetudo vestra, in multa patientia sustinens, debuerat ad pœnitentiam provocasse. Sed ille, dum peccata peccatis & minora majoribus cumulat, sibi videtur thesaurizare iram, & temerata provocatione vindictam. Toto quinquennio in Ecclesiam debachatum est, & ego, quod sinè timore non eloquor, Christum in membris ferè quotidie video crucifigi, prophanari Sancta, lacerari & conculcari Ecclesiam cui custos à Domino fueram deputatus, & nondum cum Petro exserui gladium verbi Dei, ut Malchi sævientis auriculam amputarem. Quoties lego zelum Phinees, Heliæ, Matathiæ, filiorumque ejus, quoties menti meæ fervor Apostolicus occurrit, quoties Sanctorum Patrum, qui se principibus & potestatibus murum opposuerunt pro Domo Domini, gesta revolvo, toties ingemisco periculum meum, & miseriæ animæ, animæ scilicet meæ, timeo justam ex dissimulatione injusta & indebita patientia condemnationem. Cum enim facientes & consentientes comparentur in crimine, & qui potestate Divinitùs accepta non corrigit quæ non ambigit corrigenda, consentientis cadat in culpam, tremendum mihi video imminere judicium, qui tantas enormitates tamdiu remissione, quod vereor, nimia pertuli subditorum. Nam Beatus, qui talium parvulos nascentes extinguit, aut natos, quam citò tenentur, allidit ad petram. Vereor, Pater, ne sanguinem illius, & commalignantium sibi de manu mea requirat Dominus. Timeo ne proscriptorum suorum, & in causa Ecclesiæ laborantium usque ad mortem, neces multas exigat durus judex, cum scriptum sit: quoniam *maledictus est, qui gladium prohibet à cruore*. Nam, ut ait Salomon, *Qui delicatè nutrit servum, posteà illum sentiet contumacem*. Et hoc quidem crebris Ecclesia & certissimis sentit experimentis. Si quis enim primos ejus cohibuisset impetus, si quis instigantium ad mala & furorem procurantium perculisset temeritatem, nequaquàm tot & tantas pestes arbores pestiferæ germinassent. Nam tenerorum vitia citiùs abolentur, & cùm diuturnitate invaluerint, quodammodo transeunt in naturam. Et certè tanta fuerat reprimenda præsumptio, tum sui ipsius corripienda enormitate, tùm quia totum Orbem Latinum perniciosò corrumpit exemplo. Audiat, quæso, Clementia vestra per Dominum Gratianum Subdiaconum vestrum, cui ex re nomen esse credimus, eò quod tanquàm filius gratiæ caussam Ecclesiæ fideliter & prudenter in omni modestia & sinceritate studuit procurare. Audiat, inquam, qualiter in Occidente nostro, nisi citiùs Deo propitio subveneritis, occidat Ecclesia: & tandem misereatur, & tantis miseriis imponat finem. Si enim expectaveritis, ut Nuncii ejus & malitiæ fautores non habeant mendacia quæ prætendunt, & nobis & vobis, & illis vita deficiet. Et in districto examine cogetur quilibet nostrum sine personarum acceptione sui operis reddere rationem. Ecce nunc dicit se non à me exigere rationem administrationis Cancellariæ suæ, nec pecuniam quam tunc accepérim aut promiserim, sed id solum petit, quod me tempore Archi-Episcopatus mei dicit accepisse de rebus suis. Sed Deo propitiante cunctis apud nos notum est, quod ei jam super hoc reddita ratione non teneor. Item dicit se non controversatum esse de consuetudinibus suis, quas tamen mutato dumtaxat verbo sibi servari petit nomine *Dignitatum*. Et ego quidem dignitates Regni libenter servabo, sicut sæpiùs obtuli, *salvo ordine meo & fidelitate Ecclesiæ Romanæ*. Sed ut novam juramenti formam in Ecclesiam Dei inducam, authore Deo, & pietate vestra mihi prospiciente, nulla necessitate induci potero. Nam quod à me nunc obtinebit, ab omnibus Epi-

ſcopis & Eccleſia tota indubitanter exiget. Obſervationem Canonum, ſed nec Evangelii mandata ſe impleturos aliqui jurare compelluntur; certè nec tutum eſſet: & Epiſcopi ad obſervantiam conſuetudinum vel dignitatum arctabuntur, inaudito exemplo, juramenti neceſſitate? Forma fidelitatis exigit in Eccleſia Gallicana & Anglica, ut Prælati Eccleſiarum Principibus jurent ſe ſervaturos eis fidem, in indemnitate vitæ, membrorum, honoris terreni, *ſalvo ordine ſuo*: & hæc forma etiam reprobis conſuetudinibus ejus inſerta eſt. In hac forma juravi, ſic me juraſſe publicè profitebor, & hac debet eſſe contentus: nec ego in hac parte tranſgrediar temerè terminos à Patribus conſtitutos. Inſtat etiam, ut mihi & meis ablata, immò Eccleſiæ, non reſtituat aut ſatisfaciat, dicens majores ſuos, quorum menſuram in perſecutione Eccleſiæ implet aut ſupergreditur, multos de meis fugaſſe majoribus, quibus nihil unquàm reſtituerunt. Sed ne trahatur ad conſequentiam, citiùs providendum eſt, ut pernicies deleatur exempli. Nam qui poſteris relinquit erroris exemplum, eos meritò in culpam impuliſſe convincitur. Sicut Hieroboam filius Nabath legitur feciſſe peccare imitatorem ſui ſceleris Iſrael. Quis autem dimittet peccatum, ſi ablata non reſtituat aut ſatisfaciat? Utique omni ſollicitudine procurandum eſt, ut ſicut ille authoritatem criminis à deceſſoribus trahit, ſic idem poſteris ſuis relinquat exempla correctionis. Alioquin verendum eſt, ne ille ſucceſſoribus ſuis fiat Hieroboam, & ego, ſi de cætero à debita ceſſavero correptione, meos velut alter Heli, aut potiùs Sacerdos excelſorum, in ruinam damnationis præcipitem. Nec me quiſquam detrectare concordiam, dummodò fiat in Domino & ſine læſione Eccleſiæ, mentiatur. Quia non ſum adeò vecors, ut quæ in temporalibus maxima & hominibus gratiſſima ſunt, tanta facilitate contemnam, niſi quia pro his nolo diſpendium faceræ æternorum. Nemo dum me accuſat in contemptu, ſuum in appetitu vanæ quietis aut mundanæ ſupellectilis tueatur errorem: quia Deus irrideri non poteſt. Revelabit in brevi, quando ante Tribunal ejus adſtabimus omnes, qua mente quis vixerit. Illum conſcientiæ inſpectorem & teſtem habeo, illum exſpecto judicem, quem contra æquitatem nullus fallit aſtutia, nec viribus flectit. Recolite, Pater, quanta vos ille miſeratione reſpexit, quomodò veſtros, immò Eccleſiæ ad gloriam nominis ſui protriverit inimicos, & cum eo exſurgite in adjutorium ejus, qui in membris ſuis injuſtè proſcribitur, torquetur, & crucifigitur. Audite, ſi placet, miſeros noſtros, & preces, quas per eos vobis porrexit, & adhuc porrigit Cantuarienſis Eccleſia, clementiùs exaudite, ut à patre ſuo poſt tantas miſerias conſolationem debitam ſe gaudeat recepiſſe. Conterite perſecutores ejus, & eos, quos Sathanæ tradidimus in interitum carnis, quorum nomina vobis exprimentur, ſi ad vos venerint aut miſerint, excommunicatos, donec Eccleſiæ Dei ſatisfaciant & nobis, haberi faciatis. Nuncii vobis, quæ fuerant dicenda, ſupplebunt licèt cumulum miſeriarum Eccleſiæ Anglicanæ non ſufficiant, prout neceſſitas exigit, explanare. Valeat ſemper & vigeat ſanctitas veſtra.

## EPISTOLA LV.

*Thomas Cantuarienſis Oſtienſi Epiſcopo.*

GRATISSIMI Oratoris præclara ſententia eſt; quia primò decipi, incommodum; ſecundò, ſtultum; tertiò, turpe. Sed utinam Nuncii Regis Anglorum, dolis & minis armati, Sedis Apoſtolicæ Religionem rer quaterque non eluſiſſent, ſi tamen de circumventione queri poſſunt, qui ſcientes & prudentes per diſſimulationem criminis publicè peccantibus delinquendi audaciam præſtiterunt. Quomodò enim potuit Eccleſia Romana, quæ in univerſum orbem providentiæ ſuę oculos circumducit & ad quàm Provinciarum negotia referuntur, ignorare quod Lippis & Tonſoribus notum eſt, quod in plateis prædicatur, quod cantatur in compitis Aſcalonis? Proſcriptionem meam & meorum jam quinquennio pertuli, ad vos tam Eccleſiæ quàm proprias deploravi injurias, coexulantium mihi funera in Chriſto, pro quo paſſi ſunt, dormientium partim vidiſtis, & plura audiſtis. Et tamen Regis Anglorum, cujus in depreſſionem Eccleſiæ & ſanctorum conculcationem manus extenta eſt, furor nondùm cohibetur à vobis. Ubi quæſo, Pater, veri Sacerdotii Zelus, quo ſe Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, & Apoſtolici Viri Principatibus & Poteſtatibus oppoſuerunt pro Domo Domini, ſtantes in prælio in die diſcriminis, & per fidem Regna vincentes? Nunquid hæc ſcripta ſunt, ut fabulæ ſint narrantium, non exempla morum & forma vivendi? Hæc enim prædicatorum volvuntur in ore, ſed quod ſine rubore & dolore non eloquor, quod vita convincit, non habentur in corde. Aut certè ſi retinentur in conſcientia, quaſi quædam in animo ſcribuntur juſtiſſimè eorum, qui bona docent & non faciunt, damnationis argumenta. Et quidem mihi præ cęteris timeo, ne ſanguis Eccleſiæ tamdiu, & tam atrociter, & palam affictæ, & adhuc inultæ citò requiratur à me: eò quòd in brevi ſtabimus omnes ante Tribunal Chriſti, ſine acceptione perſonarum reddituri rationem de operibus & diſſimulationibus noſtris. Sed Regem, quod ratio exigebat, ut convinceretur malitia ejus, voluiſtis ſæpiùs commoneri, & commonitus per litteras & Nuncios extraneos, per Subdiaconos, per Cardinales veſtros, per Epiſcopos, per Abbates, & nunc tandem in fine anni quinti quaſi peremptorio edicto per Dominum Gratianum, & magiſtrum Vivianum, & ſemper facta ſunt noviſſima ejus deteriora prioribus. Referet hoc Dominus Gratianus, qui in tanta ſinceritate & maturitate converſatus eſt in hoc negotio, ut Dei & hominum magnam gratiam debeat meruiſſe. Nec per eum ſtetit, nec per nos, quod pax reformata non eſt. Sed quia Rex modò ait, modò negat, & verſibilitate prothea vincit, Gaufredus quoque Archi-Diaconus jam ferè factam impedivit pacem, perſuadens Regi, ut nulla ratione componeret, niſi ex tota obligatione ſervandarum conſuetudinum, quas ut faciliùs obtineat, favorabiliori nomine nuncupat *dignitates*. Ego verò concedo, & gratum habeo, ut ſalvo ordine meo valeant & vigeant omnes Regis & Regni dignitates. Sed ut obſervantiam earum jurem, non adquieſco. Quippè qui nec Canones, nec Evangelii Mandata me impleturum jurare præſumo, nec populum certè juramento hujuſmodi video coarctatum. Laborat adhuc, ut ablata reſtituere, vel pro his ſatisfacere non compellatur, quod evidenter injuſtum eſt, præſertim cùm ipſe palam confeſſus ſit, quod ei de adminiſtratione Cancellariæ non teneor. Nuncii ſupplebunt plura, quos, ſi placet, clementer audire, & petitiones noſtras more ſolito promovere dignemini. Valeat Dominus, & Pater meus.



## EPISTOLA LVI.

*Thomas Cantuarienſis Archi-Epiſcopus Hyacintho Cardinali.*

INTEREMPTORUM pro cauſa Domini & Eccleſiæ libertate ſanguis clamat ad Dominum, & miſeri, qui reſidui ſunt, omnes ad ſanctitatis veſtræ confugiunt pedes in miſeriis iſtis. Quot & quanta ab impiis Anglicana Eccleſia toto quinquennio iſto pertulerit, ſoli illi noverint, qui experti ſunt, quorum primus ego cum miſeris coexulibus meis, proſcriptis Chriſti-Jeſu. Ipſe, cujus expugnatur hæreditas, lex conculcatur, prophanantur ſancta, ſic cauſæ ſuæ citò propitius adſit, ſicut conſcientiæ meæ fideliſſimus teſtis adſiſtit, & pro innocentibus contra perſecutores & oppreſſores eorum, quam promiſit, ferat ſententiam. Commonitus eſt Rex Anglorum per litteras, per Nuncios, per Abbates, per Epiſcopos, per Subdiaconos Curiæ Romanæ, per Cardinales, & nunc tandem quaſi peremptorio edicto, per Dominum Gratianum, & magiſtrum Vivianum, qui quatenùs profecerint, referente Domino Gratiano, qui fideliter, modeſtè, & in omni ſinceritate in hoc negotio verſatus eſt, & nunc feſtinat ad vos, poteſtis audire. Non enim ſtetit per nos, quò minùs pax reformaretur, ſed per illum qui confidit in potentatu ſuo, in divitiis Eccleſiæ, cujus impunè diripit ſpolia, in doloſitate ſuorum, & familiaritate quorumdam veſtrorum, quos hactenùs in perverſitatibus protegendis habuit defenſores. Nam quod mundus ſentit, dolet, ingemiſcit, nullus adeò iniquam cauſam ad Eccleſiam Romanam defert, quin ibi ſpe lucri concepta, ne dixerim odore ſordium, adjutorem inveniat & patronum. Sed & hoc in monte Dominus videt, ante cujus Tribunal citiùs omnes adſtabimus, de operibus & conſcientiis reſponſuri. In quo verò calculo nunc cauſa noſtra reſederit, ſi placet, audite: Rex adquieſcit, ut ego & mei redeamus ad noſtra, domos ſcilicet vacuas, honorem Dei ſervantes, ſalvis dignitatibus ſuis, quarum nomine pravas illas intelligit conſuetudines, quas audiſtis, & quas conſtat Lege Divina & authoritate Eccleſiæ Romanæ eſſe damnatas. Nos autem admittimus, ut ſalvo honore Dei & fidelitate Eccleſiæ Romanæ, Regni valeant & vigeant dignitates, quæ ſub menſura Divini honoris cohibendæ ſunt. Non enim ad illarum formam coarctandus eſt honor Dei. Sed ille non adquieſcit niſi abſolutè profiteamur ſub Religione juramenti obſervantiam dignitatum, quod nondùm fecit nec minimus de populo terræ. Nec ad hoc alicubi arctatus eſt Clerus, ut ſe vel ſacros Canones vel Evangelii mandata juret obſervaturum. Certè nec tutum eſſet; quia in multis offendimus omnes. Detrectat ablata reſtituere vel ſatisfacere, cùm tamen & præfatis Domini Papæ & aliis palam profeſſus ſit, quod de tempore Cancellariæ non teneor illi. Hanc tamen detentionis injuſtæ prætendit rationem, quod anteceſſores ſui noſtris, quos ſæpè fugaverunt, redeuntibus nihil reſtituiſſe reperiuntur. Sed hoc falſum eſſe convincitur ex hiſtoriis, & atteſtatione Vivorum. Nunquid ergò cohibendus non eſt, qui majorum violentias & impietates uſurpat pro lege? Utique ſi, quod abſit, in iſto prævaluerit, peſſimum iniqui compendii cunctis gentibus, & ſæculis relinquit exemplum. Releget ergò, & proſcribat quot & quantos, & quamdiu voluerit, & cùm redierint, petitiones eorum hoc exemplo, immò jam lege excludet. Nam Deum teſtem invoco in animam meam, quod me magis movet pernicies exempli, quàm temporalium jactura rerum. Cùmque ita novas & indebitas exigat obligationes, cùm tam perverſas ſub nomine *dignitatum* vendicet conſuetudines, non perſuadeat vobis quiſpiam, quòd ego pacis generem impedimentum, ſed ille, qui Dei ſubvertit Legem, & totam turbat Eccleſiam. Quidquid potero facere ſalvo ordine meo, & ſine pernicie exempli, libenter faciam pro recuperanda gratia ejus, & pace mea. Sed abſit, ut ſcienter faciam contra Deum pro quiete momentanea, & non tam perituris, quàm pereuntibus bonis. Hæc diligentiùs ſcripſi paternitati veſtræ. Plura tamen de neceſſariis, ne ſcripta faſtidium generarent, in ore Nunciorum poſita ſunt, quos, ſi placet, ut conſueviſtis, in benignitate recipite, & cauſam Eccleſiæ fovete ut veſtram, quoniàm Dei cauſa eſt.

Et ego & Parvuli ſumus & erimus ſemper veſtri.

Similiter Domino Alberto presbytero Cardinali.

Item Domino Theoduino presbytero Cardinali.

## EPISTOLA LVII.

*Thomas Cantuarienſis Wilhelmo Papienſi.*

FESTINAT ad reditum D.... Gratianus, qui cum magiſtro Viviano ad hoc deſtinatus eſt ad Regem Anglorum, ſicut indubitanter accepimus, ut duritia ejus, ſi nobis pacem non reformaret, manifeſtiùs convinceretur. Qualiter autem in negotio proceſſum ſit, ex Nunciis referentibus, authore Deo, pleniùs audieritis, & ſi placet, magiſtrum Petrum Carnotenſem Archi-Diaconum, Virum quidem litteris & honeſtate conſpicuum, interrogate: quoniam ipſe manſuetudinem & modeſtiam præfati Regis expertus eſt, & qua devotione Romanam veneretur Eccleſiam. Sed & vos ipſi præſentes audiſtis & vidiſtis, quomodò premat Eccleſiam, & mores hominis rerum experientia familiariùs didiciſtis. Quid ergò ampliùs ad convincendam duritiam ejus pro Eccleſia deſideratis teſtes? Ipſi enim, prout credimus, ab ore hominis audiſtis, & operis publicatione, ut ſperamus de vobis, inviti vidiſtis blaſphemiam. Undè ad Serenitatis veſtræ patrocinium fiducialiùs recurrit miſera Eccleſia Anglicana, ſupplicans ut ei feratis opem, ne in hac tribulatione deficiat. Reducite, ſi placet, ad animum, quomodò me & cauſam Eccleſiæ receperitis de manu Chriſtianiſſimi Regis Francorum, qui ſuperſtites miſeros noſtros ſecurè confugere præcepit ad pedes Cle-

Clementiæ vestræ. Nam magna pars proscriptorum Christi, pro fide & libertate Ecclesiæ agonizantium, de Mundo sublata est, & apud Patrem misericordiarum sanguinis sui, qui injustè effusus est, implorat ultionem. Illa, ut confidimus, adsistit vultui Dei, nos qui residui sumus, adventum aut vocationem Domini præstolantes, interim quanta possumus supplicatione clamamus ad vos, ut vestra intercedente industria justitiam suam Ecclesia consequatur & pacem. Quanam juris consequentia residebunt apud Regem sine satisfactione impunè bona Ecclesiæ, quæ diripuit, cùm ille, sicut Nunciis Domini Papæ & pluribus aliis palam confessus est, de toto tempore Cancellariæ, cujus aliquandò simulabat deberi rationes, nunc nihil exigat, sed hoc prætendat, quod sui meis antecessoribus, quos sæpè fugaverunt, nihil redeuntibus reddiderunt. Hoc tamen, ut pace ejus dictum sit, ex multis rationibus constat non esse verum. Sed ne pernicies exempli vertatur in legem, omnibus modis occurrendum est. Nomine *dignitatum* damnatas nititur consuetudines instaurare. Sed ut omnem pravæ suspicionis occasionem à me amoveam, quatenùs potero, salvo ordine meo & fidelitate Ecclesiæ Romanæ dignitates ejus libenter observabo, & eas in Domino multiplicare curabo & augere. Sed absit, ut exemplo mei nova faciendæ fidelitatis forma in Ecclesiam inducatur, præsertim perniciosa. Nec vos latere creditur, quanta me immanitate persecutus sit Londoniensis Episcopus, totius hujus discordiæ incentor, cui, si placet, tamquàm inobedienti & excommunicato vos pro Domo Domini opponatis: quoniam in depressione illius & Gaufredi Ridel, ut spes fidelium est, cessabit tempestas. Cætera probata sunt in ore Nunciorum, quos, si placet, benignè recipite, & causam Christi, quam portant pro Christo, promovete. Valeat sanctitas vestra.

## EPISTOLA LVIII.

*Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Joanni Cardinali Joannis & Pauli.*

SANCTA Cantuariensis Ecclesia diu & familiaritate & patrocinio vestro gavisa est. Et adhuc in spe vestræ miserationis & consolationis exultat. Undè ad sinum dilectionis vestræ fiducialiùs transmittit miseros suos, qui fratrum suorum pro fide & libertate Ecclesiæ interemptorum neci superstites relicti sunt. Sanguis interemptorum clamat ad Dominum, adversùs persecutores & oppressores Ecclesiæ, & utinam non contra me, & contra illos qui se nobiscum opposuisse debuerant pro legibus & Domo Domini. Audite, si placet, & intelligite à Nunciis, qui nuper missi sunt, quanta evidentia duplicitatis & pravitatis convicta sit duritia Regis Anglorum, & in quibus finibus Ecclesiæ causa resederit. Nunc enim, ut semper, stetit per Regem, quominùs pax reformaretur. Ego enim quatenùs potero, salvo ordine meo, & fidelitate Ecclesiæ Romanæ dignitates ejus fovendas & augendas libens admitto, sed non adquiesco, ut nova & perniciosa fidelitatis forma exemplo mei in Ecclesiam inducatur. Ablata mihi & meis, aut satisfactionem omni jure repeto, ne pernicies exempli, si tam manifesta rapina irrequisita remaneat, vertatur in legem, & tam posteris quàm coætaneis nostris præstet audaciam similiter delinquendi. Vos itaque, si placet, exsurgite in adjutorium jam ferè deficientis Ecclesiæ, & persuadete Domino Papæ, & Fratribus vestris, ne diutiùs tam manifestam injuriam Christi dissimulent, cui nobiscum sine personarum acceptione reddetis in brevi cunctorum operum rationem. Nam opportunitas sæpè, dum exspectatur, elabitur. Et culpæ particeps est, qui quod potest corrigere, negligit emendare. Nuncii supplebunt cætera, quos si placet, pro Christo audiatis in causa Christi. Et si fortè Londoniensis Episcopus & Gaufredus Ridel ad Ecclesiam Romanam venerint, eos velut Anti-Christi membra tractate, qui jam Mysterium iniquitatis suæ operatur in illis. Valeat sanctitas vestra.

## EPISTOLA LIX.

*Idem Portuensi Episcopo.*

MISSI sunt ad Regem Angliæ Nuncii multi, quorum omnium fuit labor infructuosus. Et quomodò novissimis istis, D. Gratiano & Viviano, opera impensa perierit, si placet, ab ipsis referentibus potestis audire. Rex & sui nunc, ut semper, impedierunt pacem, cùm ego & coexules mei Nunciis, sicut Dominus Senonensis & Episcopi, qui præsentes aderant, audierunt, usquequaque obtemperaverimus. Et adhuc quidem, quantùm salvo ordine meo, & fidelitate Ecclesiæ Romanæ, quatenùs potero, Regis & Regni dignitates conservare & augere paratus sum. Sed authore Deo nova & perniciosa fidelitatis forma exemplo mei in Ecclesiam Dei nunquàm inducetur. Peto autem, ut mihi & meis ablata restituat aut satisfaciat, quæ gratis & absque causa resident penes ipsum. Nam & Nunciis & aliis pluribus palam confessus est, quod de toto tempore Cancellariæ nec pecuniæ nec administrationis exigit rationem. Nec me tantùm perturbant damna rerum; quantùm pernicies exempli, quod coætaneos & posteros facilè impinget in errorem & ausum similia attentandi, si pestis hæc impunita & irrequisita remanserit. Cætera, ne scripturam protrahendo vobis fastidium generetur, in ore pauperum Christi, qui diriguntur ad vos, posita sunt, quos, si placet, audite & exaudite pro Christo, cujus negotium prosequuntur, & date operam & diligentiam, ut Ecclesia debitam consequi valeat libertatem. Si verò præambulos Anti-Christi Londoniensem Epicopum & Gaufredum Ridel ad Curiam venire contigerit, sic eos tractate, sicut Anti-Christi membra tractari decet à Christo Domini.

## EPISTOLA LX.

*Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Joanni Cardinali Neapolitano.*

FRATERNITATEM vestram in Christo convenio, ut Anglicanæ Ecclesiæ assistatis pro Christo. Hoc enim mihi à vobis promissum indubitanter & gratanter recolo, quòd mihi consilium, auxilium & patrocinium firmissimè promisistis, ubicumque & contra quemcumque mihi justitia suffragaretur. Nunc autem in quo calculo mea, immò Anglicanæ Ecclesiæ causa consistat, ex Nunciis Domini Papæ, D. Gratiano & magistro Viviano, & Venerabili Petro Carnotensi Archi-Diacono potestis audire, & planè, si placuerit, cognoscetis quòd non ego, sed Rex & sui, more solito, pacis impedimentum attulerunt. Nam dignitates ejus, quantùm salvo ordine meo & fidelitate Ecclesiæ Romanæ licuerit, servare paratus sum & augere, sed novam & perniciosam fidelitatis formam in Ecclesiam, Deo propitio, numquàm inducam. Ablata quidem mihi & meis restitui, aut Ecclesiæ satisfieri peto, quia nunc authore Deo constat, quod ex nulla, vel injusta causa resident penes ipsum. Nunciis enim Domini Papæ, & pluribus aliis palam confessus est, quod de toto tempore Cancellariæ nec pecuniæ nec administrationis illi debeo rationem. Agite ergo, si placet, ut tollatur exempli pernicies, quæ coætaneos & posteros occupabit, si, quod absit, tam manifesta rapina & injuria Christi remanserit impunita. Jam enim convicta est duritia ejus, nec est quarè debeat ulteriùs supportari, nisi qui fovet aut dissimulat errorem, in se ipsum alieni criminis provocet ultionem. Ego & coexules mei, immò Ecclesia Anglicana, pro cujus libertate persecutionem patimur, & proscripti variis torquemur injuriis, Deo de cætero committimus causam nostram, aut, ut rectiùs dixerim, suam: ut ipse, in cujus conspectu in brevi sine acceptione personarum, sine suffragio munerum stabimus reddituri de actibus & voluntatibus rationem, dijudicet inter nos, & persecutores & oppressores Ecclesiæ. Et ad gloriam nominis sui promissionis, qua parvulos suos in præsentia corporis consolatus est, citiùs exhibeat veritatem. Interim de promissione vestra & charitate præsumens, affectuosiùs supplico, quatenus miseros nostros præsentium portitores benignis exaudiatis, & causam Christi promoveatis pro Christo. Si autem ad Ecclesiam Romanam venerint Episcopus Londoniensis & Gaufredus Ridel, sic illos tractate, ut tractari debent, qui seminant inter fratres discordiam. Cantuariensis Ecclesia suum vobis præsentat obsequium, quod promptissima devotione vobis & vestris impendet, cùm vestro patrocinio, quod speramus, eruta fuerit à tribulatione malorum & dolore.

## EPISTOLA LXI.

Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Wilhelmo Senonensi Archi-Episcopo.

*Reverendo Patri & Amico charissimo, VVilhelmo Dei gratia Senonensi Archi-Episcopo, Thomas Cantuariensis Ecclesiæ minister humilis, quidquid devotio potest exulis & proscripti.*

IMPOSSIBILE est, ut animus quiescat impii, quem conscientiæ stimulus semper exagitat, perpetuumque timorem incutit, ne per singula momenta recipiat quod meretur. Sic æstuantem jugis sollicitudo premit, & dum omnes homines, etiam benè promeritos & amicissimos, suspicionibus lacerat, ex propriæ culpa perfidiæ putat aliis deesse, quam in conscientia non habet fidem. Sic Rex Anglorum, audita profectione vestra, suæ conscius iniquitatis, & veritus zelum legis, & perseverantiam virtutis, quam habetis & exercetis in Domino, supra modum timet, ne in terram ejus cismarinam sanctitati vestræ legatio committatur; quia in tota Ecclesia Gallicana ei alius non occurrit, per quem malitia ejus reprimi possit aut conteri. Sed nec in Ecclesia Romana veretur aliquem, sicut sui testantur, præter Dominum Gratianum: quia si gloriatio ejus vera est, quotquot alii ad ipsum ex quacumque causa accesserint, ad nutum ejus, & interdum non sine nota sinistræ opinionis, convertibiles inventi sunt. Quia ergo Dominum Gratianum in comitatu vestro redire didicit, adeò turbatus est, ut animi motum dissimulare nequiverit, dicens quod per vos cogendus erat ad pacem, aut cum magno sui suorumque dispendio perpetuam ignominiam subiturus. Evocavit itaque magistrum Vivianum per suas, & D. Rothomagensis, & Gaufredi Ridelli litteras. Eique, sicut idem Vivianus in publica plurimorum audientia confessus est, corporaliter fidem dedit, quod in pace Ecclesiæ reformanda Domini Papæ mandatum & ipsius consilium sequeretur. Fecit & litteras signari sigillo suo, quas ostendit quibus voluit, promittens in illis, quod pro amore Domini Papæ nobis redderet Cantuariensem Ecclesiam, & possessiones ablatas nobis & nostris, & pacem & securitatem, ut ad tractandum pacis verbum, quàm vestro & D. Gratiani metu, quidquid alius glorietur, quærere videbatur, præfatum Vivianum validiùs perurgeret. Sed de ablatis non faciebat aliquam mentionem, nisi quod innuebat, quod si illius in reformatione pacis sequeremur arbitrium, nos collocaret in capite Regni, & nulla ratione pateretur egere. Revocato autem magistro Viviano, & verbis ejus habente fidem, simulata devotione profectus est ad S. Dionysium, re autem vera, ut faceret quod penè fecit, id est, ut Regem Christianissimum circumveniret. Convenit enim inter eos in colloquio apud S. Dionysium, ut ei alendum & instituendum traderet Richardum filium suum, & ut Comitem S. Ægidii Turonas evocet, eidem Richardo responsurum super Comitatu Tholosano. Siquidem locus ille prudenter commodissimus visus est, ubi subsidiarii partium tutissimè conveniant, & litigantium Natales liberè protestentur. Et qui jus dicturi sunt, quam ratio exegerit partem, alteri sine trepidatione vel aliqua cunctatione condemnent. Nos ad illud colloquium compulerunt accedere Dominus Rex Franciæ, & magister Vivianus, & alii sapientes, ut nobis Parisiùs constitutis, & illo apud S. Dionysium existente, posset de vicino pax nostra commodiùs tractari. Ubi cum illum sæpedictus Vivianus instantiùs & diligentiùs conveniret, ut impleret promissionis fidem, resiliit more suo, & talem se Viviano exhibuit, ut ad nos rediens pluribus adsidentibus palam dixerit, quod hominem adeò mendacem se vidisse vel audisse non poterat recordari. Sed & ipsi præsenti, multis audientibus, sicut ab eis post accepimus, quæ fuerant dicenda non tacuit. Immò duplicitatem ejus patenter arguens, ex magna parte, quam priùs læserat, redemit famam, conquerens quod adeò captus fuerat dolis ejus. Quod quidem vobis ideò intimamus, ut si ad Ecclesiam Romanam rediens partes illusoris fovere præsumpserit aut fraudes occulere, rei veritatem Domino Papæ & Cardinalibus vestra dilectio possit

possit fidelius intimare. Nam sicut nutu Divino contigit, ut re strenuè gesta rediret D. Gratianus, & vos, quem Deus firmissimam columnam, ut persæpè loquimur, in Ecclesia sua posuit, & qui mores hominis plenius nostis, ad Sedem Apostolicam accideretis iter; sic ejusdem nutu creditur accidisse, ut Vivianus, quidquid haberet in animo, ad illustrandam justitiam Ecclesiæ & dilatandam gloriam Gratiani, remanserit in Francia: ut Rex Anglorum per fautorem suum hominibus, quos decipere consuevit, ampliùs innotescat, & fallacia verborum Dominum Papam & Curiam, ei huc usque nimis credulam, de cetero minus solito circumscribat. Cùm verò præfatus Anglorum Rex à S. Dionysio recedens propè Montem Martyrum transitum faceret, illuc occurrimus, petentes ab ipso per Venerabiles Viros, Dominum Rothomagensem & Episcopum Sagiensem, & alios quosdam, qui se verbo ingesserant, quatenus nobis pro amore Dei & Domini Papæ, & nostris gratiam suam, pacem, securitatem, possessiones & ablata restitueret, offerentes nos paratos esse exhibere illi, quidquid Archi-Episcopus Principi debet. Ille autem respondit se ex animo libenter remittere ex parte sua offensas & querelas, si quas contra nos habuerat: & de his, quæ proponere vellemus adversùs eum, paratum esse stare dicto Curiæ Domini sui Regis Francorum, vel judicio Ecclesiæ Gallicanæ, aut Scholarium Parisiensium. Quo audito, respondimus nos Curiæ Domini Regis, si ei placeret, aut Ecclesiæ Gallicanæ non refutare judicium, malle tamen, si illius sederet animo, cum illo amicabiliter componere, quàm litigare. Et si Ecclesiam & possessiones nobis & nostris vellet restituere, & gratiam, & pacem, & securitatem præstare nobis in osculo pacis, parati eramus hæc recipere, postulantes ut mobilium ablatorum medietatem Ecclesiæ redderet ad solvenda nostra & nostrorum debita, ad Sarta Tecta reficienda, ad instruenda prædia, & reparandas varias Ecclesiæ necessitates, quæ ad summum calamitatis officialium suorum depopulatione & fraude perducta est. Et ne vota nostra modum viderentur excedere, & ut pacta ad declinandam lubricitatem hominis in scripturam redacta fidelius tenerentur, ei petitionem, quam vobis scriptam mittimus, ad Nunciorum suorum arbitrium castigatam & temperatam fecimus offerri, ut omnibus innotesceret nos nullam pacis, quæ Ecclesiæ Dei tolerabilis sit, detrectare conditionem. Sed ille audito scripto, & ab omnibus propter nimiam modestiam approbato, materna respondit lingua: sic amfractus verborum, quod familiare habet, invertens, ut simplicioribus videretur universa concedere, cautioribus autem perversas, & non ferendas immiscere conditiones. In uno tamen consentiunt universi, quod nos in osculo pacis recipere non adquievit. Subintulit ergo Christianissimus Princeps, quod pro tanta quantitate auri, quantus ipse est, non consuleret, ut terram ejus, nisi priùs accepto publicè pacis osculo, ingrederemur. Et Comes Theobaldus adjecit, quod stultissima præsumptio esset, multis circumstantium sibi invicem dicentibus & reducentibus ad animum, quid Roberto de Filliaco acciderit, quia nec ipsum osculum ad pacis & securitatis custodiam satis firma cautio videretur. Sed nec istud responsum suum nobis per præfatos Episcopos pacis, ut sperabatur, mediatores, aut per alios significare curavit; immò nobis præstolantibus responsionem versùs Meldam deflexit iter. Allatus est ei in via Dominus Philippus, Benedictus Filius Christianissimi Regis, quem, ut ajunt qui attulerant, subtristis vidit, tenuiter allocutus est, & cum festinatione dimisit. Deus tamen præelecti pueri sui inspiravit animum, & linguam formavit, & direxit, ut cum adstantium admiratione festinantem ad discessum moneret & rogaret, quatenus diligeret Regem & Regnum Franciæ, & ipsum, quia per hoc Dei & hominum gratiam consequeretur. Comitatus est autem eum Dominus Rex Franciæ usque Medontam, & indè usque propè Paciacum, exspectans ut juxta conditum traderet Richardum filium suum. At ille se hoc facturum promisit in colloquio Turonensi, in quo manifestè deprehenderunt Dominus Rex & sui, quod res cum eis agebatur in dolo. Et sicut ex consequentibus signis visum est, in minori charitate discesserunt ab invicem, quàm ab initio convenissent. Nec creditur colloquium illud, quod ille captat, esse futurum, quia machinatio hæc multis patet impedimentis. Nos sine responso ejus ad loca consolationis nobis Divinitùs provisa reversi sumus, spem nostram projicientes in eum, qui non deserit sperantes in se, & dilectionis vestræ solatium præstolantes. Rex autem Angliæ ad magistrum Vivianum posteà Nuncium misit, & viginti marcas, ut ajunt, rogans ut se iterùm intromitteret de pace reformanda. Sed ille, sicut pro certo accepimus, & pecuniam respuit, & respondit ei litteris, quarum dilectioni vestræ exemplum mittimus. Nec est quod ipsum ad pacem tantopere urgeat, quantum metus ille, quem de vestra & D. Gratiani profectione concepit. Nec Vivianum captat ob aliud, nisi ut vestras & Gratiani non incidat manus. Nobis etiam relatum est, quod Ægidium Rothomagensem Archi-Diaconum, & Joannem de Oxeneford, & Joannem Sagiensem misit ad Curiam, ut impediant ne vobis in terram suam legatio concedatur, aut aliud quod ei vel Comiti Flandriæ possit esse molestum. Vos Nunciorum personas pro parte novistis, sed fortasè pleniùs nostri, qui vestri gratia nobiscum sunt. Cùm ergo de vestra sinceritate & Domini Gratiani, quam expertus est, fide tantus hominem illum timor invaserit, luce clarius est, quod si eum Dominus Papa ab initio terruisset authoritate Summi Pontificis potiùs, quàm sustineret pia mansuetudine Patris, jam Ecclesia Dei à multis diebus serenata fuisset, & detumuisset furor hominis, qui fugientes & imbelles sine miseratione persequitur, & viriliter resistentibus cedit. Miseriæ nostræ conditionem pro parte, quia fastidiosum esset recensere singula, deploravimus in auribus vestris: vestræ dignationis & charitatis erit impetrare à Domino Papa, ut Ecclesiæ Dei & nobis, & miseriis nostris, expedientem & se dignam provideat pacem: quia in eum oculi omnium directi sunt, exspectantes quid facturus sit in causa ista. Si raptor ablata non restituerit aut satisfecerit, si novam & præter Ecclesiæ morem à nobis obligationem extorserit, præsertim authoritate Summi Pontificis, pernicies exempli non debitur in sempiternum, sed à nobis transferetur in alias nationes. Quid autem minus exigit potuit, quàm id quod de suorum arbitrio contracta & castigata continet subscripta petitio? Sanè si Dominus Papa vel nunc tandem



tandem Nuncios ejus confusos remiserit, & in terras ejus cismarinas aggravare propofuerit manum suam, nihil valet præcipere, quod non sine difficultate & mora valeat obtinere. Nam Proceres Ecclesiæ favent, solique Clerici, quam venenosis consiliis seminaverunt, furoris pertinaciam rigant exhortationibus, & instigationibus fovent & promovent. Quorum alii verò crebris discursionibus nunc Apostolicam Sedem, nunc adversùs Ecclesiam publicas Orbis Latini sollicitant Potestates. Quod autem sine dolore & stupore non dicimus, sæculi Potestates ad tanti flagitii consortium nequeunt inclinare, sed in Ecclesia Romana semper inveniunt aliquos, quos scelerati Propositi se gloriantur habere consortes.

## EPISTOLA LXII.

*Alexandro Papæ magister Vivianus.*

OPERAM omnem adhibui & diligentiam, ut inter Regem Anglorum & D. Cantuariensem pax reformaretur juxta formam, quam sanctitas vestra præscripserat. Tandem verò post multos labores ad id ventum est, ut D. Cantuariensis in colloquio Regum, Parisiùs habito in octava Beati Martini, petitionem subscriptam per D. Rothomagensem, & Episcopum Sagiensem, & me, Regi Anglorum, præsente Christianissimo Rege, porrigeret: *Hoc petimus à Domino nostro Rege juxta Mandatum & consilium Domini Papæ, ut pro amore Dei, & Domini Papæ, & honore S. Ecclesiæ, ac salute sua & hæredum suorum, recipiat nos in gratiam suam, & concedat nobis & omnibus, qui nobiscum & pro nobis exierunt de Regno, pacem suam, & plenam securitatem de se & suis, sine malo ingenio. Et reddat nobis Ecclesiam Cantuariensem in ea plenitudine & libertate, in qua eam meliùs habuimus, postquàm ad Sedem illam accessimus, & possessiones omnes, quas habuimus, ad tenendum & habendum, ita liberè, & quietè, & honorificè, sicut Ecclesia & nos eas liberiùs & honorificentiùs tenuimus & habuimus, postquàm promoti sumus in Archi-Episcopum. Et similiter nostris. Et omnes Ecclesias, & Præbendas ad Archi-Episcopatum pertinentes, quæ vacaverunt postquàm exivimus de terra, ut faciamus de eis sicut de nostris, prout nobis placuerit, similiter habere permittat.* Et hoc in scripturam redactum est. De mobilibus verò ablatis se facturum promisit Archi-Episcopus juxta consilium vestrum, ut à nullo super hoc deberet argui. Rex autem audita petitione scripta, de plano non contradixit, sed mutatis verbis respondit quod Archi-Episcopus haberet Ecclesiam suam & possessiones suas in pace, quas habuerunt, & sicut habuerunt antecessores sui, & sic excluderet possessiones quasdam, quæ de novo acciderant huic Archi-Episcopo de jure Ecclesiæ suæ, & quas habuerat & tenuerat postquàm factus est Archi-Episcopus: & Ecclesias & prebendas, quæ vacaverunt postquàm exivit de terra. Et ut callidè alligaret eum ad observandas Consuetudines suas pravas & maledictas, sicut postea benè deprehendimus, quia in omnibus ferè verbis suis Ecclesiæ Dei sophisticus & captiosus. Et pretereà nullius prece, eum tamen rogaretur à multis, induci potuit, ut præfatum Cantuariensem in osculo pacis reciperet. Institi apud Christianissimum Regem, ut hoc tantillum suarum precum instantia extorqueret. Sed ille alii Regi, dum in terra sua erat, nolebat esse molestus in aliquo. Domino tamen Cantuariensi dixit, & etiam mihi coram multis, qui præsentes aderant, quod nec pro tanta quantitate auri, quantus ipse erat, vellet vel auderet consulere, nisi pacis osculo precedente, quod terram ejus ingrederetur: quia subtracto osculo gratiam non reddebat. His ergò, qui aderant, ex causa probabili visum est, quod verbum pacis tractabat in dolo, qui publicum & celebre gentibus pacis signum admittere recusabat. Nec aliquid per suos Domino Cantuariensi respondere curavit. Sed quasi occasionem discedendi captans recessit. Visumque est, quod tantum simulare volebat gratiam, non restituere. Placeat itaque sanctitati vestræ, si quid adversùs hæc audieritis, differre omnia, quousque servi vestri faciem, qui cunctis interfui, videatis, & audiatis ex ore meo, qualiter Ecclesia conculcetur, & quàm iniquè proscripti sint innocentes. Omnipotens Dominus incolumitatem vestram ad gloriam nominis sui, & pia nostra nostrorumque vota, in tempora longa custodiat, sanctissime & Amantissime Pater.

## EPISTOLA LXIII.

Henrico Regi Angliæ magister Vivianus.

*Serenissimo Domino Henrico, Dei gratia Anglorum Regi, magister Vivianus, S. R. Ecclesiæ Advocatus, salutem, & salubri consilio adquiescere.*

QUANTUM pro honore vestro laboraverim, quantam diligentiam adhibuerim, ut ad gloriam Dei & vestram, pacem cum Ecclesia faceretis, novit Deus, & prudentia vestra ignorare non debet. Nam tantum pro vobis institi, quod multorum & magnorum amisi gratiam, & fabula factus sum detractorum. Undè miror, quod me, quem in vestra utilitate & honore noluistis audire, quasi pecunia corruptum reddere voluistis infamem. Sed quia vos obsequiis cœpi colere, & ab Amicis non facilè recedere consuevi, precor & modis omnibus consulo, ut redeatis ad cor, & petitionem, quam vobis scriptam misit D. Cantuariensis, charta vestra confirmetis, hoc adjecto, quod eum recipietis in osculo pacis, eique mittatis, & revocetis ipsum, antequàm terra vestra subjiciatur interdicto, & illi feriantur anathemate, quorum nomina in libello damnationis eorum concepta sunt. Nam & plurimi sunt, & vobis pernecessarii, & tempus breve est. Quare autem vos rogare noluerint quidam, discretio vestra facilè perpendet, si veros pensaverit Amicos, & fidem hominum. Pretereà de mobilibus, quæ abstulistis, ea moderatione respondeatis Archi-Episcopo, ut liberalitas vestra coram hominibus ampliùs elucescat, & conscientia tanti criminis reatum diluat ante Deum, & idem Archi-Episcopus & sui, quoad vixerint, vobis & hæredibus vestris fideliores & devotiores debeant permanere. Si autem me vel hac vice noluieritis audire, sera erit, pœnitentia. Nec dicatis ulteriùs vobis quod immineat, non fuisse prædictum.

EPI-

## EPISTOLA LXIV.

*Thomas Cantuarienſis Archi-Epiſcopus Gratiano.*

IMPIORUM molimina gratiæ filiis in finem nocere non poſſunt. Quia Deus eos ſupra vires tentari non patitur, ad electorum utilitatem cuncta dirigens, & de ſingulis eventibus rerum profectum mirabiliter eliciens glorioſum. Et quidem fidem veſtram reſpexit Dominus, qui moram magiſtri Viviani, & quidquid poſt receſſum veſtrum geſſit in Francia, convertit in gloriam nominis veſtri, vos in Deum conſtituens Pharaoni. Ex quo enim Dominus Rex Anglorum cognovit, quod cum Domino Senonenſi, cujus zelum timet ſupra quàm dici poſſit, ad Curiam revertebamini, & vos promptos animadvertit ad juſtitiam exercendam, illicò per ſe & per ſuos prefatum Vivianum ſollicitare ſtuduit, ut rediret, promittens ſe ad honorem Dei & utilitatem Eccleſiæ per eum pacem eſſe facturum, ſi ille procuraret, ut cum eo colloquium haberemus. Dicebat ſe enim hanc illi velle impendere gratiam, eò quòd morigerum ſenſerat ſibi, cum tamen magis abſentia veſtra, quàm preſentia ejus, gratiæ Dei cooperaretur, & perurgeret ad pacem. In ſpe ergo pacis, ſicut pleniùs innoteſcet ex litteris vocationis noſtræ, acceſſimus ad colloquium, in quo quid actum ſit, ex his quæ ſubſcripſimus Domino Senonenſi & Sociis noſtris, facile diſcretio veſtra perpendet. Timemus enim, ne ſi cuncta retexamus, prolixitas orationis faſtidium generet, preſertim cum certum teneamus diligentiam veſtram circa plurima occupatam. Sed ſicut non poteſt æthiops mutare pellem, aut pardus varietates ſuas, ſic fallaciam & fraudem exuere neſciunt, qui ab initio vitæ uſque ad ætatem maturiorem docuerunt linguam ſuam loqui mendacium, & ut iniquè agerent, laboraverunt. Ut ergo magiſtri Viviani verbis utamur, hoc in tantarum promiſſionum ſumma demùm reperit, quod Rex ille præ cunctis mortalibus ſophiſticè vivit & loquitur, ut Deo & hominibus debeat eſſe odibilis. Ceſſit tandem præfatus magiſter in ſententiam veſtram, & ſicut ab eis accepimus, quibus fides adhibenda eſt, fallaciam Regis apud S. Dionyſium patenter arguit, & ſicut audivimus, pecuniam, quam ei receſſuro miſerat, accipere recuſavit, deteſtans duplicitatem & malitiam ejus. Eique reſcripſit increpatorias, exhortatorias, & comminatorias litteras, ſicut nobis ſignificatum eſt, quarum exemplum vobis juſſimus præſentari. Quicumque verò familiaritatis initæ viderunt exitum, aut Vivianum loquentem audierunt, publicè proteſtabantur ſolum ex omnibus, qui ad Regem Anglorum miſſi fuerant, ſapere Gratianum. Si Vivianus in Curia conſonaverit iſtis, ibidem illo authore, velit nolit, nominis veſtri titulus clariùs eluceſcet. Si partem, quam apud nos deteſtatus eſt, fovere auſus fuerit, dignus eſt cum proditore Chriſti ignominioſam ſuſpendii ſubire damnationem. Speramus autem de illo viciniora ſaluti & honeſtati, quia quantum deprehendere potuimus, & qui nobiſcum erant, & ſicut indubitanter à multis accepimus, laudabiliter in extremis verſatus eſt. Rei ſeries vobis innoteſcet ex ordine. Vos, ſi placet, neceſſitates noſtras & honeſtatem Eccleſiæ adhibita diligentia promovete. Nam ſi Dominus Papa, & Eccleſia Romana extenderit manum ſuam in retribuendo, nobis citiſſimè quies dabitur, & authoritas Eccleſiæ Romanæ, tam in Anglia, quàm in ciſmarinis terris Regi Angliæ ſubditis, infloreſcet.

## EPISTOLA LXV.

*Thomas Cantuarienſis Archi-Epiſcopus Joanni & Alexandro Clericis ſuis.*

QUÆ in colloquio Regum in octava S. Martini apud S. Dionyſium habito geſta ſunt, pleniùs agnoſcetis ex reſcripto litterarum, quas Domino Senonenſi tranſmiſimus. Sed quia verebamur faſtidium, nonnulla quæ ibi deſunt, ei Domino & Amico noſtro per vos communicanda litteris præſentibus curavimus exarare. Nam ſic ei res faciliùs innoteſcet, cùm viva voce referre poſſitis plurima, quæ litteris illis minimè cenſuimus inſerenda. Exegerunt à nobis Dominus Rothomagenſis, & Epiſcopus Sagienſis, qui pacis reformandæ mediatores eſſe debuerant, quatenus exprimeremus immobilium nomina poſſeſſionum, quas nobiſcum Eccleſiæ Cantuarienſi reſtitui petebamus, ad quod reſpondimus nos, qui tanto tempore abſentes fuimus, & caruimus omninò gentis & terræ noſtræ commercio, ſcire non poſſe, quas terras Dominus Rex aut Officiales ejus alienaverint aut diſtraxerint, ſed omnes nobis reſtitui volebamus, quas anteceſſor noſter bonæ memoriæ Theobaldus Archi-Epiſcopus habuit, quo ad vixit, & nos ipſi, quando ad regimen Cantuarienſis Eccleſiæ acceſſimus, & poſteà quandò profecti ſumus ad Concilium Turonenſe, & ſemper antequàm Rex nos & Eccleſiam perſequeretur. Et præter iſtas petivimus & petimus terram, quam Henricus de Elexia tenebat de nobis, quia illo ex tali cauſa exhæredato, in Dominium & proprietatem Eccleſiæ redire debuit, ſicut illæ quas de Rege tenebat, ad illum redierunt. Feudum quoque Wilhelmi de Ros nobis abſtulit, contra juramentum quod Regi Stephano præſtitit, quando eum adoptavit in filium, & accepto hominio ejus ipſum Regni inſtituit hæredem. Juravit enim tunc ſolemniter & publicè, quod terras, quas Rex Stephanus, Dominus & adoptionis jure Pater ſuus, Eccleſiis contulerat, eis perpetuò conſervaret. Abſtulit etiam nobis terram de Mundeham, quam contra Deum & ſalutem ſuam, & omnem æquitatem Joanni Mareſchallo contulit, qui nutu Divino, ut ſcitis, beatiſſimo Anſelmo ſuam vindicante injuriam, cum liberis ſuis, quos prædæ futuros ſucceſſores opinabatur, poſt paucos dies defunctus eſt. Has autem tres poſſeſſiones, ſcilicèt Henrici, VVilhelmi, & terram quam Joanni contulit, expreſsè petivimus & petimus, malentes exulare perpetuò, quàm iſtis ablatis diſpendioſam Eccleſiæ facere pacem. Mediatores autem nos in bona ſpe terrarum reſtituendarum verbis ponere nitebantur, ſed circa mobilia, quæ abſtulit, loquebantur tepidiùs, quamvis Sagienſis, & magiſter Vivianus nobis mille marcas, ſi pax procederet, reſtituendas aſſererent. Hoc enim ſe dicebant accepiſſe ex ore ejus. Nos autem exegimus medietatem ablatorum ad neceſſarios uſus, Domini Papæ vel Religioſorum conſilio de reſiduo parituri. Quia ſuper omnia perniciem veremur exempli, & ſaluti noſtræ timemus, pariter & illius. Noſtræ quidem, ſi tantum ſacrilegium diſſimulatione foverimus; illius verò, ſi non reſtituat cum ſolvendum ſit, aut ſatisfaciat de ablatis, quia in tali caſu conſtat prorsùs non dimitti peccatum, ſi non reſtituatur ablatum. Sunt autem variæ ſpecies compenſationum, quas & ille implere ſufficit ſine magno ſui diſpendio, & nos parati recipere. Nam ut ei remittamus, impœnitenti præſertim, quod Eccleſiæ Dei abſtulit, Divina nos protegente Clementia, nullis unquàm machinationibus obtinebit. Si tamen pœnituerit, & de parte ſatisfecerit, nos eum de reliquo pro devotione, quam exhibebit Eccleſiæ, & charitate, quam ad nos habebit, ſupportabimus in omni patientia. Quia tam Romanæ quàm Anglicanæ Eccleſiæ expedit, ut aliquid habeat penes ſe, quod ei tumultus & ſeditiones molienti rectè poſſit opponi. Alioquin quiſquis eum prorsùs expediet, immanitatem ejus armabit ad Eccleſiam jugulandam. Nunc autem in eo calculo conſtitutus eſt, & imminentem ſibi & terræ ſuæ ſententiam adeò timet, ex quo Dominum Senonenſem & Gratianum illum, cujus memoria in utroque Regno in gloria & benedictione eſt, cognovit ad Curiam proficiſci, ut nihil Domino Papæ negare audeat, quidquid ſimulet & minetur, ſi in terras ejus ciſmarinas aggravare decreverit manum ſuam, & Nuncios ejus confuſos remiſerit. Nec oportebit, ut ſententia ſortiatur effectum, quia ſola comminatio facillimè quidquid intentatum fuerit, obtinebit. Miſit nuper in Angliam Gaufredum Ridellum, ut torqueat perſonas Eccleſiaſticas, & ad inobedientiæ crimen nefariis obliget ſacramentis. Is cum Richardo Pictavienſi Archi-Diacono, & aliis Officialibus Regni, præcepit ex parte Regis, ut omnes Epiſcopi Londoniæ convenirent, præſtituri cautionem de ſervando Edicto Regis, ne quis Nuncium aut litteras Domini Papæ vel noſtras, inconſulto Rege recipiat; ne pareat interdicto, ſi fuerit promulgatum; ne ſententiam anathematis in aliquem fidelium Regis ferre præſumat. Sed nullus Epiſcoporum vel Abbatum præter illum Emiſſarium S. Auguſtini, in illo Conciliabulo officialium comparere voluit, eò quòd præelegerunt incurrere publicæ Poteſtatis offenſam, ſi eam declinare nequiverint, quàm derelinquere legem Dei. In primis ergo Dominus Vintonienſis publicè proteſtatus eſt, & ſolemniter prædicat ſe Mandatis Apoſtolicis, & Eccleſiæ Cantuarienſis, cui ex profeſſione fidem & obedientiam debet, cum omni devotione, quoad vixerit, per omnia pariturum: & ut idem faciant, Clericis ſuis indicit. Imitatur eum Epiſcopus Exonienſis, ad omnem promptus obedientiam, & ſe in Religioſorum Collegio recepit, donec tranſeat iniquitas. Norwicenſis verò prohibitus ex parte Regis, præſentibus officialibus, excommunicavit Comitem Hugonem, & alios, prout ſibi fuerat imperatum: & deſcendens à Pulpito, Cambutam, baculum ſcilicet Paſtoralem, ſuper Altare poſuit, dicens ſe viſurum, quis in terras vel res Eccleſiæ ſuæ manus extenderet. Ingreſſuſque Clauſtrum cum fratribus vivit. Ceſtrenſis verò ſimiliter exequi paratus eſt imperata, & ut ab officialibus tutus ſit, ſeceſſit in illam partem Epiſcopatus ſui, quam Wallenſes inhabitant. Ex quo perſpicuum eſt Dominum Papam ad gloriam Dei & perpetuum honorem Apoſtolicæ Sedis in Anglia triumphare, ut ibi floreat & fructificet authoritas ejus, ſi in vigore perſeveraverit, nec rejecerit Coronam ſibi Divinitùs præparatam. Neſcit enim impietas quò ſe vertat, & ſemper, ut ſui perhibent, habet ante oculos Dominum Senonenſem, & filium gratiæ Gratianum. Ad cujs gloriam plurimùm proficit mora, quam fecit Vivianus, qui nunc tandem dolos expertus eſt illuſoris, & malitiam ejus, & fraudes varias non deſtitit apud nos in compitis prædicare. Quod cum in Eccleſia Romana fecerit, ſi tamen fides in homine eſt, etiam teſtimonio ejus ampliùs juſtificabitur Dominus Gratianus in operibus ſuis. Vos autem & per vos & per Dominum Hyacinthum elaborate, ut ſecundùm quod promiſit, confutet Nuncios illuſoris ſui. Et ſi hoc fecerit, & vobiſcum fideliter ambulaverit, litteras, quas pro eo ſcribimus, porrigatis Domino Papæ. Et ſicut pro certo didicimus, nunc in receſſu Regem perfidiæ conſtanter arguit, & famam, quam priùs læſerat, ex magna parte redemit. Si verò voluerit ingredi duabus viis, quod tamen non credimus, quia pecuniam dicitur reſpuiſſe, & litteras retineatis, & ne nocere valeat, eſtote ſolliciti. Sollicitaverunt nos quidam ex conſcientia & Mandato Regis, ut ad ipſum in Normanniam proficiſcamur: nec hoc detrectamus implere, ſi nobis in confinio terrarum, ut promiſſum eſt, occurrerint, qui nobis & noſtris ſufficiant præſtare ſecuritatem. Vos autem inſtate, ut Dominus Papa inhibeat, ne novam, & præter morem Eccleſiæ Gallicanæ & Anglicanæ præſtemus cautionem, ne à forma, quam Regi ſcriptam miſimus, Dominus Papa recedat; ut partem condecentem ablatorum nobis reſtitui præcipiat; ut terreat Regem metu interdicti in terris ciſmarinis; ut Regi Anglorum diligentiùs ſcribat, quatenus nos recipiat in oſculo pacis; & jubeat in aliis litteris, ut terras ablatas, quas prænominavimus, ſine quibus pax eſſe non poteſt, Eccleſiæ Cantuarienſi reſtituat. Item prohibeat ne aliquem, niſi præſtito ſecundùm morem & formam Eccleſiæ juramento, ab anathematis vinculo præſumamus abſolvere. Quoniam inter jura conſuetudinum, quas vendicat contra Deum, ſi credatur expertis, manifeſtè cognoſcetur hoc ferè eſſe pernicioſiſſimum. In quo ſi à præſumptione ſua ceciderit, non magnoperè, ut ſperamus, ne ſæpius confundatur, inſiſtet cæteris. Ad hæc ut Dominus Papa Chriſtianiſſimo Regi de conſolatione noſtra gratias agens, ſcribat exhortatorias & animatorias, interſerens in eis quantum ſit crimen ſacrilegii, Eccleſiæ bona diripere, & ſine juſta cauſa perſonas Eccleſiaſticas exquiſitis occaſionibus fraudare ſuis bonis, & quod peccatum ſine pœnitentia & ſatisfactione, præſertim cum tempus adeſt, & rerum copia ſuppetit, non dimittitur. Quoniam ſi res ablata, cum reddi poſſit, non redditur, phantaſtica pœnitentia eſt, & non vera, quæ proficiat ad ſalutem, ſed accumulat damnationem. Mittimus vobis petitionem, quam porreximus Regi, à qua nullo modo recedatis, niſi poſſitis meliorare cauſam, & litteras quas miſimus magiſtro Viviano, & quas ille, ut accepimus, miſit Anglorum Regi. Quo pleniùs inſtructi negotium Eccleſiæ poſſitis commodiùs promo-

promovere. Si garrulorum quispiam præsumat arguere, quod terram ejus nolumus ingredi, nisi nos recipiat in osculo pacis, Robertus de Silliaco redeat in mentem ejus, quem ne pacis osculum publicè datum, nec fides corporaliter Regi Franciæ præstita fecit esse securum: nostræque cautelæ, nisi rationis expers sit, ut credimus, illicò veniam dabit. Nos & vos dirigat Dominus, ut faciamus in omnibus ipsius voluntatem, & sive per prospera sive per adversantia nobis, debitam Ecclesiæ suæ restituat libertatem. Hæc Patri nostro Domino Hostiensi, & cætera quæ Senonensi Archi-Episcopo scripsimus, significabitis ex parte nostra, deinde ex consilio ejus reliquis Amicis nostris, qui exspectant & procurabunt redemptionem Israel. Lexoviensis Episcopus, nos ut scitis, persequitur, Amici tamen indutus nomine, & Sinonis sui, quem sub Episcopi professione vivendo semper expressit, formam imitatus, dantis arma Danais in Amazones, & Amazonibus tela in Danaos ministrantis, ut suæ quieti provideat, nunc viris Ecclesiasticis in sæculares, nunc sæcularibus in Ecclesiasticos arma ministrat. Inspicite litteras, quas modò pro Londoniensi Episcopo, cujus merita nostis, scribit, & ad mentem reducite, quæ nobis consuevit dare consilia, & alterum planè videbitis Sinonem inter Danaos & Dardanos discurrentem. Nam & iste, si virtutem nominis attendatis, Sinon est, fovens est, & non in sinu suo: lingua concinnat dolos, & ex abundantia cordis ferè semper in Amicorum causis & negotiis fidei volvit, terit, & replicat *sic & non*. Presbyter Clericus Domini Papiensis idem perseveravit in causa nostra, qui fuit ab initio. Quod quid sit, non latet, ut credimus, Dominum Gratianum. Nam & illi, dum præsens esset, adstitit, & Regi posteà semper adhæsit,

## EPISTOLA LXVI.

*Alexandro Papæ Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus.*

QUÆ acta sunt à magistro Viviano de negotio Ecclesiæ Dei, & nostro post recessum Domini Gratiani, & quàm sollicitè, sanctitati vestræ breviter intimare curavimus. Quod ipse verò moram fecerit in Francia aliquam post socii sui recessum, in confusionem opprimentium Ecclesiam creditur accidisse, ut justitia Ecclesiæ, quam multi pravitatis actu nitebantur offuscare, in conspectu omnium gentium declararetur. Studuit quidem præfatus filius vester morem homini gerere, ut vocatus ab ipso, sicut asserit, litteris suis & multa instantia ipsum inclinaret ad pacem. Cujus ex multis & magnis promissionibus spem indubitatam acceperat, & eò usque promissiones ejus secutus est, donec in conspectu Christianissimi Regis & Procerum Franciæ convinceret malitiam & duritiam ejus. Quantum verò laboraverit, ut Regum & nostri colloquium uniretur, quantam operam & diligentiam reformandæ paci ibidem adhibuerit, quàm instanter universos & singulos, quos ad hoc idoneos esse credebat, sollicitaverit, verbis exponere non sufficimus. Et nisi præsentes fuissemus, vix possemus fideli referentibus adhibere. Quia ergo in mora ejus justitia Ecclesiæ ampliùs per Dei misericordiam, qui non derelinquit sperantes in se, sicut nobis videtur, & omnibus qui interfuerunt, manifestata est, Majestati vestræ profusis genibus supplicamus, quatenus ipsum ad sinum Clementiæ vestræ redeuntem Paterna pietate recipiatis.

## EPISTOLA LXVII.

*Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Alexandro & Joanni Nunciis suis.*

SOLLICITI estote circa negotium nostrum, & contra Adversarios nostros cautelam & continuam vigilantiam habeatis, præsertim adversùs illum spurium, fornicarium, & Ecclesiasticæ pacis inimicum, Sacerdotis filium, Reginaldum de Saresberia, qui personam nostram, in quantum potest, diffamat ubique, & deturpat, dicens nos proditorem esse, & sibi fidem nostram dedisse, quod Patrem ejus non læderemus in aliquo. Quod utique ipsi non plus, quàm cani faceremus. Dicit etiam, quòd si Dominus Papa decederet, faceret nos deleri de libro vitæ, jactitans Curiam Romanam ita venalem esse, ut intervenientibus muneribus quid velit, possit impetrare. Suggessit etiam Regi Anglorum hujusmodi petitiones facere Domino Papæ, ut alicui Episcopo in Anglia committeret authoritatem coronandi filium ipsius Regis, & consecrandi Episcopos, ut vel sic Dominum Papam deciperet. Cui cùm respondisset Rex se, ut credebat, à Domino Papa petitiones illas non posse impetrare, respondit Reginaldus: Dominus Papa ut stolidus & fatuus aget, nisi petitionibus tuis satisfecerit. Rogamus idcircò dilectionem vestram, de qua sine dubio confidimus, ut cum Hugotione Romano Amico nostro, qui de Francia Romam profectus est, & cæteris Amicis nostris, & vestris pro nobis, sed & pro justitia & libertate Ecclesiæ viriliter stetis, & ad hoc vigilanter tota intentione laboretis, ut ille commentor fraudis, machinator doli, fictor falsitatis, suæ pravitatis opinione frustratus undique confundatur, & ita ejus iniquitas per vos detegatur & in eum redundet, ut doleat se ad Curiam venisse, & à suæ iniquitatis teste, quem assiduè gerit in pectore, meritò torqueri dignoscatur. Nam sicut benè novistis, si Dominus Papa petitionibus Regis in hac parte, quod Deus avertat, aliquo modo adquieverit, sciat indubitanter authoritatem Ecclesiæ Romanæ in Anglia in perpetuum perituram, ita ut authoritatis Apostolicæ aliquis ibi mentionem facere non audeat. Si verò Dominus Papa, prout sibi expedierit, Nuncios ejus confutatos & proposito suo frustratos dimiserit, sciat nos in proximo, per misericordiam Dei, pacem habituros. His enim duobus articulis, videlicet Coronationi filii sui, & Consecrationibus Episcoporum insistit Rex Anglorum, & valdè arctabitur ad pacem nostram faciendam, si constantiam Domini Papæ viderit. Inter cætera verò caveatis, ne cum prænominato Hugotione in præsentia Cardinalium sivè aliorum aliqua verba super negotio nostro habeatis, sed cùm opportunitatem habueritis, secretiùs cum ipso de executione negotii tractetis. Ita quidem ut non possit deprehendi vos aliquam cum ipso familiaritatem habere.

EPI-



## EPISTOLA LXVIII.

*Thomas Cantuariensis Clericis & Laicis Cantiæ.*

NOVERIT universitas vestra, dilectissimi fratres, quòd nos ex justis & manifestis causis publicè excommunicavimus Gilebertum Londoniensem Episcopum, Randulphum de Broc, & alios quorum nomina superiùs scripta sunt. Denunciamus ergò vobis, sicut charissimis filiis & fratribus nostris, ut ab eorum communione, donec resipiscant & condignè satisfaciant, prorsùs abstineatis. Præterea noveritis, quod vos à subjectione & obedientia Gaufredi Archi-Diaconi & Roberti Vicarii ejus absolvimus, & prohibemus, ne eis obedientiam aut reverentiam exhibeatis, donec super crimine inobedientiæ condignè satisfaciant nobis & Ecclesiæ Dei, quam plurimùm læsisse noscuntur: nec eorum exactiones sustineatis ulteriùs. Non turbetur cor vestrum in his, neque formidet, quia Deo propitiante, contra malignantium tergiversationes & appellationum subterfugia, Sedis Apostolicæ munimine tuti sumus.

## EPISTOLA LXIX.

*Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Gaufredo Archi-Diacono Cantuariensi.*

JUSTUM est ut ei, qui in manifesto inobedientiæ crimine perseverat, à subditis obedientia subtrahatur. Et qui scienter communicat his, quos excommunicatos esse non ambigit, se ipsum ex nefanda participatione eorum condemnationi immergit. Nos autem miramur supra modum, qua temeritate præsumas in Clericos & Parochianos Ecclesiæ Cantuariensis magisterium gerere, & nostrum videlicet Episcopale Officium, Investituras Ecclesiarum faciendo, & tradendo curam animarum, quam ipsis Archi-Diaconis sanctorum Patrum decreta subtrahunt, exercere, & Plebanas Ecclesias onerare variis exactionibus, præsertim cùm te publicè excommunicaverimus, sicut ipsum Londoniensem, Randulphum de Broc, & reliquos quorum nomina superiùs scripta sunt. Clericos quoque & Parochianos nostros ab obedientia & reverentia tua prorsùs absolvimus, donec memor fidei & juramenti, quod nobis præstitisti, cum satisfactione condigna redeas ad obedientiam nostram. Prohibemus autem authoritate Domini Papæ & nostra, in virtute obedientiæ, in periculo salutis & ordinis, ne de cætero te intromittas de Archi-Diaconatu nostro, donec à nobis absolvi merearis. Hoc autem tam tibi, quàm omnibus notum sit, quod omnes investituras Ecclesiarum, quæ in absentia nostra factæ sunt, authoritate Domini Papæ & nostra in irritum revocamus, & tibi interdicimus, ne Parochianos Ecclesiæ Cantuariensis tua communione contamines. Et quidem, Deo propitiante, contra malignantium tergiversationes & appellationum subterfugia, Sedis Apostolicæ munimine tuti sumus, subjicientes & illos anathemati, qui ex Mandato Domini Regis, aut propria temeritate nostra vel nostrorum occupaverunt bona, aut in proscriptionem innocentium, aut pauperum Ecclesiæ Christi depopulationem, consiliis, aut delationibus, aut dolis ipsius Regis animum instigaverunt. Et item eos, qui Nuncios Domini Papæ & nostros, ne prosequantur Ecclesiæ necessitates, impediunt. Præcipimusque eos à participatione fidelium abstinere, donec resipiscant, & condignè satisfaciant.

## EPISTOLA LXX.

*Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Rotrodo Rothomagensi Archi-Episcopo.*

SACRORUM Canonum authoritate præcipitur, ut quilibet Episcopus excommunicatorum suorum nomina denunciet vicinis Episcopis: ut excommunicatis aditus Ecclesiasticus ubique præcludatur, & excusationis causa omnibus auferatur. Nam qui etiam illis, qui se conqueruntur injustè ligatos, ante utriusque partis justam examinationem scienter communicaverint in oratione, aut cibo vel potu, aut osculo, vel etiam *Ave* dixerint, aut sermonis commercium exercuerint, nisi qui ad conversionem debeat pertinere, juxta sacram Canonum institutionem, cui ex proposito impium, & pertinaciter obviare hæreticum est, excommunicationi simili subjacebunt. Scienti Constitutiones Ecclesiæ loquimur & tenenti, qui zelum legis habens docet eum prætimeri, qui corpus & animam potest mittere in gehennam. Nec diffidimus, quin Apostolicæ Sedis Decreta, quorum observationem in ipsa consecratione professio Pontificis exprimit, secularium Potestatum præferatis edictis. Nec persuaderi potest, quod humanus dies prudentiam sanctitatis vestræ possit impellere, ut contemplatione cujusquàm damni vel commodi imminentis, velit cum aliquibus criminosum iniquitatis inire consortium. Audivimus autem, & quasi certum tenemus, quod excommunicati nostri, quos ex justis & manifestis causis, urgente necessitate officii, & persuadente ratione juris excommunicavimus, ad Provinciam vestram frequenter accedunt. Unde nostrum & vestrum præcaventes periculum, eos secundùm Ecclesiæ normam nominibus propriis curavimus designare, ne eorum participatione labem damnationis commissa vobis Ecclesia contrahat. Hæc autem sunt eorum nomina: Gilebertus Londoniensis Episcopus, &c. Denunciamus ergo vobis ex parte Domini Papæ & nostra, quatenus, prout Canonum censura præscribit, eos studiosiùs evitetis, & per Provinciam vestram denunciatione publica faciatis à cunctis fidelibus evitari. Sunt & alii solemniter citati à nobis, quos authore Deo in die Dominicæ Adscensionis excommunicabimus, nisi interim condignè satisfacere curaverint Ecclesiæ Dei, quam læserunt, & nobis: Gaufredus Cantuariensis Archi-Diaconus, Robertus Vicarius ejus, Richardus de VVelcestre, Richardus de Luci, Adam de Cheringis, VVilhelmus Giffard. Eos quoque simili sententia condemnavimus & excommunicavimus, qui bona Cantuariensis Ecclesiæ & Clericorum nostrorum sive ex Mandato Domini Regis, sive ex propria temeritate occupaverunt, aut qui in proscriptionem Innocentium, aut depopulationem pauperum Ecclesiæ Christi malignis consiliis & delationibus, & vestutiis ejusdem Domini

mini nostri Regis animum instigaverunt, aut Nuncios Domini Papæ & nostros, ne prosequantur Ecclesiæ necessitates, impediunt, donec resipiscant, & condignè satisfaciant. Nec se quisquam fraudulentia verborum, aut prætextu subreptæ absolutionis, aut innocentiæ conetur excusare: quia impœnitentes aut persistentes in scelere, aut voluntate peccandi, non Apostolus, non Angelus, non quæcumque Potestas potest absolvere coram Deo, qui eos judicii severitate condemnat, quos Ecclesia Sathanæ tradit. Diu, & utinam non nimium, tantas Christi injurias & contumelias dissimulavimus, exspectantes ut patientia nostra fructum pœnitentiæ operaretur in illis: sed quia superbia & impietas eorum adscendit semper, de cætero potestate Divinitus collata utemur, Deo propitiante, Sedis Apostolicæ authoritate muniti contra appellationum subterfugia, & malignantium tergiversationes.

## EPISTOLA LXXI.

*Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Dunelmensi Episcopo.*

NOVERIT vestra Fraternitas, quod nos ex justis & manifestis causis, urgente necessitate officii, & ratione juris persuadente, publicè excommunicavimus Gilebertum Londoniensem Episcopum, & Jocelinum Saresberiensem, & reliquos, quorum nomina superiùs scripta sunt. Denunciamus ergo vobis authoritate Domini Papæ & nostra, ut eos, prout Canonum censura præscribit, denunciatione publica faciatis per Episcopatum vestrum à cunctis fidelibus evitari. Non turbetur cor vestrum in his, neque formidet, quia contra tergiversationes malignantium & appellationum subterfugia, Deo propitiante, Sedis Apostolicæ munimine muniti sumus. Hæc sunt nomina excommunicatorum: Ranulphus de Broc, &c.

## EPISTOLA LXXII.

Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Clericis Cicestrensis Ecclesiæ.

*Thomas Dei gratia Cantuariensis Archi-Episcopus, & Apostolicæ Sedis Legatus, Priori, & Roberto Archi-Diacono, & toti Clero & Populo Cicestrensis Ecclesiæ, Christianam communionem habentibus, salutem, & Deo potiùs quàm hominibus obedire.*

VOBIS, dilectissimi fratres esse non potest incognitum, quod & atrocitate criminis & temporis diuturnitate jam ferè totum latinum replevit orbem. Taceantur ad præsens, quas vidistis & doluistis, innocentium proscriptiones, fileatur bonorum Ecclesiæ confiscatio inaudita, atrocitatem suppliciorum, concussionem pauperum, quæ referri nequeunt, animus & lingua dissimulet, tantum publicæ libertatis & salutis nostræ, qui Christi tam patentes injurias nimis diu siluimus, & exempli perniciem non curavimus, ut oportebat, delere, pariter defleamus. Luctus enim communis esse debet, ubi exhonoratur Dominus ac Redemptor, & judex omnium Christus; ubi libertas Ecclesiæ perimitur; ubi publica salus in periculo est. Lugent Ecclesiæ Pastoribus destitutæ; sine Sacramentorum plenitudine decedunt parvuli; Ecclesiarum & Virginum consecratio cessat; non est in Populis multis qui criminosos confitentes excipiat ad consolationem; non est qui publicè pœnitentes absolvat ad veniam; non est qui errantium delicta debita correctione redarguat; qui causas possit examinare & finire majores; qui promoveat quos necessitatibus suis desiderat Ecclesia promoveri: nisi fortè conductus quis alienus Episcopus, aut coactus, lege Domini prohibente falcem mittere in alienam messem. Ubi verò majores Ecclesiæ Pontifices suos habent, & in minoribus necessaria provisa sunt subsidia Sacerdotum, ab officiis suis publicæ Potestatis Edicto & violentia suspenduntur, cum in majores personas, aut quantulumcumque beneficii aut officii à Domino Rege habentes, eis curam Pastoralem exercere non liceat, nisi venia impetrata. Hæc autem quantùm Divinis obvient institutis, & universorum saluti derogent, verbis adstruere supervacuum est, cùm res ipsa tardioribus etiam perspicua sit, nedum vobis qui sensus habetis exercitatos in lege Domini. Plurima, ne simus onerosi, consultò reticemus, quæ quisquis fidelium non attendit, cœcus est; qui non dolet, caret sensu, qui proficiat ad salutem. Dum commonitus est Dominus noster Rex per litteras, per Nuncios, per Episcopos, per Abbates, per Subdiaconos Curiæ, per Clarissimos Cardinales, ut tam malè præsumpta corrigeret, plenum in multa amaritudine Ecclesiæ dolentis & languentis effluxit quinquennium, & non est inventus qui causam apud ipsum relevaret ex omnibus Charis ejus. Quodque magis dolendum est & stupendum, quod sine gravi mœrore non recolimus aut dicimus, quidam de Clarioribus Episcopis infideles inventi sunt, & arma iniquitatis ope auxilii & consilii persecutoribus intulerunt. Si recolatis, dilectissimi, quæ in injuriam Christi, & in depressionem Ecclesiæ, nostramque & nostrorum contritionem sub hac tempestate gesta sunt, justè, ut credimus, mirabimini, quod tam patienti animo potuimus hæc omnia tolerare, præsertim cùm à multo tempore, sicut multi noverunt, plenam habuimus potestatem reprimendi & coercendi Persecutores nostros. Quorum tamen tanta fuit immanitas, ut antiqui mitiùs egerint in Confessores Christi, quorum si priscas revolvatis historias, cognatos & amicos nequaquàm lædebant, nisi ex publica confessione consortes haberentur & tituli. Quia ergò nec diuturnitate patientiæ, nec multa humilitatis exhibitione præfati Domini nostri ira deferbuit, sed ab impunitate pertinacior & atrocior factus est, tantos excessus ejus irrequisitos ulteriùs prætermittere non audemus. Nam dissimulatio culpæ comparatur assensui. Et facientes & consentientes pari pœna lex Divina percellit. Indè est quod vobis, dilecti filii, Decani, Archi-Diaconi, & qui Archi-Diaconorum geritis vices, in virtute obedientiæ, sub anathemate, in periculo salutis & ordinis, Apostolica authoritate & nostra præcipiendo mandamus, quatenus, nisi sæpedictus Dominus Rex infra purificationem Beatæ Mariæ memoratas enormitates debita satisfactione correxerit, & Ecclesiæ debitam cum libertate & dignitate reddiderit pacem, ex tunc prorsùs cessetis à Divinis, & ea per totum Episcopatum vestrum penitùs in



in omnibus Ecclesiis eadem authoritate, & sub eadem interminatione celebrari prohibeatis, excepto Baptismo Parvulorum, & Pœnitentia, & Viatico, quod clausis januis, & Laicis personis exclusis, confici licet sine campanarum pulsatione, & solemnitate cantus & lætitiæ, quam in diebus jucundis consuevit Ecclesia exercere. Nec timeatis eos, qui interdùm à Domino permittuntur ad majorem coronam electorum corporaliter sanctos affligere, & in animas nihil possunt: quia in hoc conflatorio patenter judicabit Deus, quos in futuro debeat coronare. Illos autem, qui Ecclesias & Ecclesiastica officia vel beneficia contra canonicas institutiones accipiunt de manu Laicorum, qui Clericos pœnis aut terroribus ad inobedientiam compellunt, qui Domini Papæ Nuncios & nostros, ne necessitates Ecclesiæ prosequantur, impediunt, qui traditiones hominum Divinæ Legi præferendas docent, & usurpationes sivè abusiones potentum cogunt Christianæ Religionis institutionibus anteponi, & nominatim Cantuariensem Archi-Diaconum Gaufredum, & Robertum Vicarium ejus, Richardum de Welcestre, Wilhelmum Giffard, Nigellum de Sacca-Villa, Richardum de Luci, Thomam filium Bernardi, Adam de Cheringis publicè excommunicamus. Quod si nec in subditorum pœnis excessus suos correxerit Rex Anglorum, exindè personæ ejus, quod inviti dicimus, in dispendium salutis nostræ, sicut hactenùs fecimus, authore Deo, non parcemus. Nam miseratio talis impietas esse convincitur, cùm scriptum sit: *Quod qui virgæ parcit, odit filium*. Ad hæc eadem authoritate, & sub eadem interminatione præcipimus, ut Joannem Decanum Saresberiensem, Guidonem Decanum Waltham, Joannem Cumin, Radulphum Landavensem Archi-Diaconum, Wimarum presbyterum alumnum Comitis Hugonis à die Nativitatis Dominicæ, tanquàm excommunicatos evitetis, nisi infra Ecclesiæ Dei, quam læserunt, & nobis satisfactionem debitam curaverint exhibere. Verbum Dei luceat in cordibus & operibus vestris, ut timorem Dei præferentes humano, vobis adquiratis coronam gloriæ, & exemplum obedientiæ & fortitudinis feliciter transmittatis ad Posteros.

In eandem formam Clero & Populo Lincolniensi. Et Clero & Populo Bathoniensi.

## EPISTOLA LXXIII.

Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus VVigornensi Episcopo.

*Venerabili Fratri Rogerio Vigornensi Episcopo & salutem, & eum prætimere, qui potest & corpus & animam perdere in gehennam.*

DILECTIONIS vestræ litteras diligenter inspeximus. Consilium, quod necessitati nostræ vestra discretio fideliter ex proposito ministravit, libratis hinc indè rationibus, adhibita deliberatione perpendimus ex fraternæ charitatis dulcedine provenire, conjicientes quòd fides vestra ulteriùs cohiberi non poterit, quin in conspectu Principum, sicut Viri generosi nobilitatem & Religiosi Pontificis zelum decet, verbum Dei liberè prosequatur. Agimus itaque gratias devotioni, congratulamur prudentiæ, propositum quo Dominum Regem pro nobis, immò pro causa Dei, solitò vigilantiùs & instantiùs convenire decrevistis, plurimùm approbamus, rogantes, ut, quod in hac parte promittitis, citiùs aggrediamini, faciatis frequentiùs, & nihil ex contingentibus omittentes, studiosiùs impleatis. Spes enim est, quod fideliter evangelizanti verbum adjiciet Dominus virtutem multam. Siquidem fidelis est in omnibus verbis suis, qui hoc Pastoribus Ecclesiæ repromisit. Et quidem credibile est, nec aliud nobis persuaderi potest, quod si vos & alii fratres nostri eum ab initio, prout justum fuerat, convenissetis, nequaquàm tantum in perniciem Ecclesiæ pravorum consiliis licuisset. Sed quia nullus fuit aut rarus, quod sine rubore & gemitu non eloquimur, qui eum statueret contra faciem suam, & revocaret à consilio impiorum, res in id discriminis & infortunii delapsa est, ut se nequaquam putet ex quacumque causa corripiendum, qui se in tantis præsumptionibus & tam manifestis impietatibus recolit à nullo fuisse correptum. Nos autem ipsi diu siluimus, & utinam animæ meæ nimiùm tantas Christi injurias dissimulanti non esset ex conscientia dicendum: *Væ mihi, quoniam tacui*. Fuimus patientes cum Ecclesia Romana, quæ eum tanquàm delicatum filium & tenellum in multa mansuetudine supportabat, ut patientia ejus nobilem, quod decens fuerat, animum ad pœnitentiam provocaret. Utinam non semper abusus esset patientia ejus & nostra. Et ne quid eorum, quæ gerenda videbantur à nobis, omissum dici possit, coram Christianissimo Rege & optimatibus totius Regni Franciæ humiliavimus nos, prostrati ad pedes ejus, causam totam quæ inter nos vertitur, salvo honore Dei, in ejus arbitrium conferentes. At ille ut audivit honoris Divini mentionem, adversùs innocentiam nostram vehementer excanduit, & proponens quod voluit, utique non quod debuit, quoniam, ut pace ejus dictum sit, res aliter se habebat, in contumeliam supplicis implorantis misericordiam, & cum omni devotione obsequium offerentis, famam nostram, quod ei remittat Deus, ut nos de ipso loco exilii perturbaret, suis adinventionibus studuit onerare. Audivimus omnia patienter, sperantes indignationem ejus mitigandam fore, si acerbitatem, quam mente conceperat, sine contradictione penitùs effudisset. Præsertim cum Domini Papæ majestas interveniret, præfati Regis & Optimatum Franciæ diligentiùs intercedens adesset præsentia, & sanctissimi Viri Carthusienses & Grandi-Montani, quos vel solos oportuerat pro sua reverentia exaudiri, misericordiam exactissimè implorarent, denunciantes ei familiariùs & expressiùs, quod oculata fide perceperant nobis à Domino Papa restitutam & collatam animadvertendi in eum, & terram suam, & malefactores Ecclesiæ plenariam potestatem. In omnibus tamen his non est aversus rancor ejus, sed usque in hodiernum diem permanet manus ejus extenta, & in depopulationem Ecclesiæ crudescit ampliùs. Sed nec ipsum latet, quod nobis potestas restituta est, cum hoc ex litteris Apostolicis, quas in secundo colloquio recepit, certissimè teneat. Verùm præterea, quæ continentur in illis litteris, nobis alia indulta sunt, quibus, authore Deo, utemur contra eum & alios Ecclesiæ persecutores, nisi ei reddiderit pacem. Et ea quidem

quidem innotescere poterunt, sicut desideratis, in brevi, si in voluntate Dei fuerit, ut colloquamur: aut aliquis è vestris ad nos transiens, cum illo communicari oporteat. Exspectamus enim emendationem illius, quem potiùs ex alieno instinctu, quàm spiritu proprio credimus tam immaniter in Ecclesiam desævire. Eos ergò pro parte tradidimus Sathanæ in interitum carnis, ex justis & manifestis causis, urgente necessitate officii, & ratione juris persuadente, ut in pœna membrorum sanetur caput, & ab inferni laqueis extrahatur, quibus se ipsum, dum Ecclesiam persequitur, incessanter adstringit. Reliquos autem, sicut vobis denunciatum est, Deo disponente, anathemate simili condemnabimus, nisi interim condigna satisfactione sententiam declinaverint imminentem. Ipsi enim Regi detulimus hactenùs, & in spe pacis adhuc differre disponimus, nec eum anathemati subjiciemus, aut Regnum interdicto, dum hoc cum indemnitate salutis & salva constitutione Sedis Apostolicæ dissimulare licuerit. Quod autem rogastis, ut vobis liceat excommunicatis communicare, quasi ut per hanc Dei offensam sit expeditior via ad gratiam Regis & pacem Ecclesiæ reformandam, tanquàm non sit à Deo, sed per humanam astutiam redintegranda, mirum est quomodò venerit in animum sapientis, præsertim Episcopi, quem oportet habere zelum legis, qui dissuadentem audivit Apostolum: *Ne mala faciamus, ut proveniant bona*. Quæ est societas luci ad tenebras? Quæ conventio Christi & Belial? Quis consensus Templo Dei cum Idolis? Quæ participatio fidei cum iniquitate? Sed timetis Regem. Deus certè fuerat prætimendus. Paupertas horrori est, & proscriptionis injuria. Sed tales Christus Confessores agnoscit eos, qui pro justitia persecutionem patiuntur, beatos eos esse denuncians, non eos qui croceis induti sunt, qui primos habent recubitus, qui salutationes excipiunt clariores, qui epulantur quotidiè splendidè, quibus mundus blandiens adulatur, ad singula eorum dicta vel facta clamans: *Euge, Euge. Si hominibus placerem*, ait Vas electionis, *Christi servus non essem*. Quoniam qui hominibus placere desiderant, confundentur. Edicta fortasse recolitis, quibus publicus hostis censetur, qui contra Regis voluntatem præsumit aliquem, ex quacumque causa, sententia anathematis condemnare. Sed nostra quid excidit à memoria? Quod Sacerdoti denunciat Spiritus Sanctus: *Quod nisi annunciaveritis impio iniquitatem suam, sanguinem ejus de manu tua requiram*. Nonnè qui corripientem non audit Ecclesiam, ut Ethnicus habendus est & publicanus? Sed objicietis, quod tempora mala sunt: quasi ea bonus non disposuerit Deus, & beati non sint, qui faciunt judicium & justitiam in omni tempore. Ne timeatis, ubi non est timor, frater amande: quia plures nobiscum sunt, quàm cum illis. Et qui dat jumentis escam ipsorum, & corvorum pullis, cultores suos in necessitate non deseret, & ut paucis nostrum expediamus consilium, consulite legem & prophetas, consulite Evangelium & Apostoli verba; sanctorum PP. revolvite sanctiones, & horum omnium erit authoritate perspicuum, quod sine dispendio salutis & ordinis non potestis excommunicatis communicare. Christus enim denunciat, quòd nemo potest duobus Domini servire, Deo & Mammonæ. Et profectò si ponamus corda nostra super vias nostras, & conscientias subtiliùs excutiamus, maxima pars Sacerdotum hoc in offensione Potentum formidamus, ne nobis divitiæ subtrahantur, aut fallax, momentanea, & umbratilis gratia. Neque hæc dicta videantur, quasi cultricem Mammonæ suspicemur Nobilitatem vestram, quam constat præ honestate semper contempsisse divitias, sed ut promptam obedientiam fidei vestræ, si tamen verbis incitari potest, ut in charitate ampliùs ferveat, exhortatione proposita reddamus promptiorem. De vestra igitur sinceritate plenam fiduciam obtinentes, præcipimus in virtute obedientiæ, & periculo salutis & ordinis, quatenùs antè denunciatos excommunicatos evitetis, & per Episcopatum vestrum, prout Canonum censura præscribit, denunciatione publica faciatis à cunctis fidelibus evitari. Scitis quod melior est obedientia quàm victimæ, & non adquiescendi voluntas idololatriæ comparatur. Contra tergiversationes adversantium muniti & tuti sumus. Nec dubium, quòd in brevi per gratiam Dei, veritas nos liberabit & vos. Persecutor jam quinquennio depopulatur Ecclesiam, proscribit innocentes, addicit Clerum, Sacerdotum, immò Pontificum, ne legem Dei loquantur, ora concludit; Ecclesiasticæ Potestatis, ne crimina puniantur, jura cohibet & extinguit: & à nobis, ut in tanta Christi contumelia sileamus, exigitur? Silent & silebunt profectò Mercenarii, sed quisquis Ecclesiæ Pastor fuerit, procul dubio jungetur nobis. Si ulteriùs dissimularemus, timendum fuerat, ne ultor injuriarum Dei gladius in capita nostra meritò convertatur. Nec moveamini, si non dispensamus ad preces vestras, quod dispensari non potest: quia nec Romanus Pontifex, hanc habet authoritatem. Qui quamvis excommunicatos licenter absolvat, novit tamen participationem eorum sibi jure perpetuo interdictam. Impœnitentes & persistentes in scelere & voluntate peccandi, non Apostolus, non Angelus licenter absolvunt. Valete.

## EPISTOLA LXXIV.

*Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Gratiano.*

GRATIAS habemus benignitati vestræ multimodas super his, quæ nobis à mero dilectionis fonte prolata per latorem præsentium mandare curastis. Sciturus pro certo, quod si ad nos venissetis, sicut desiderabamus, omnimodum vobis honorem, quem possemus, cum exactissima diligentia, tum intuitu personæ vestræ, quam plurima dilectione amplexamur, tum intuitu devotionis, quam erga sacrosanctam Romanam Ecclesiam habemus, vobis utique exhibuissemus, brevioremque etiam in partibus nostris transitum & tutiorem habuissetis, si ad nos venissetis, quamquàm æmuli & invidi nostri, quasi ad detrimentum nostrum, ne mutuo simul frueremur colloquio, aliter vobis persuaserint. Quo siquidem nobis nequissimè defraudato plurimùm dolemus. Rogamus tamen attentiùs cum quanta supplicatione possumus, quatenus de cætero, si placet, sub quadam dilectionis prærogativa personam nostram, sed & Ecclesiam Cantuariensem pietatis intuitu familiarem vobis habeatis, & patrocinium nobis in opportunitatibus nostris diligenter pro loco & tempore præstetis, miseratus saltem tribulationum & angustiarum nostrarum, quas pro parte aliqua, quamquàm minima, jam novistis. Sciturus absque omni ambiguitate, quia neque mors, neque instantia aliqua poterit nos separare à fidelitate Domini Papæ & Ecclesiæ Romanæ. Etsi fortè priùs ipsa, quod absit, prorsùs nobis defuerit. Valete, Latorique præsentium, si placet, fidem habete super his, quæ vobis ex parte nostra pleniùs viva voce intimaverit.



## EPISTOLA LXXV.

*Alexandro Papæ Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus.*

APOSTOLICÆ Sedis auxilium sæpè cogimur implorare, qui in contemptum Dei, vestram, Pater, injuriam, multis, magnis, & continuis torquemur afflictionibus, contumeliis dehonestamur, & provocamur injuriis. Quæ verò personam lædunt, minùs revocantur ad animum, sed species impietatis est, tantam & tam manifestam Christi injuriam sub inani prætextu patientiæ dissimulare. Loquar ergò semel adhuc ad Dominum meum in conspectu Dei pro Ecclesia ejus, quæ parvitati meæ commissa est, faciens verbum, ne sanguis ejus, cujus languor jam adscendit ad summum, & damnatio eorum, qui eam cruciant & exstinguunt, tacitur nitati meæ possit adscribi. Et quidem si clamorem illius, quem in angustiis suis emisit per os meum, ab initio vestra pietas exaudisset, collidens ad Petram Parvulos Babylonis, & parturientis malitiæ germina comprimens, nequaquàm in tantam impietatem persecutoris nostri temeritas excrevisset. Sed Divina mansuetudo vestra, quæ suo merito & universalis Ecclesiæ precibus Spiritus Sancti gratiam possidet ampliorem, postponens Tenuitatis meæ consilium, vasa iræ in multa & longa patientia censuit supportanda, ut delinquentes filios Paterna benignitas ad pœnitentiam provocaret. Quod etsi ad præsens totam Ecclesiam Dei non mediocriter læserit, probabile tamen est hoc à Spiritu Sancto, qui consilia vestra regit, & opera dirigit, fuisse procuratum. Ut iniquitas, quæ multis & exquisitis dolis latere gestiebat, patientia vestra semper abutens, revelata facie prodiret in publicum, & opprobria Ægypti videntibus cunctis detegerentur. Siquidem Joannes de Oxeneford, & omnes alii tantæ impietatis ministri, cum à Sede Apostolica gloriosi, & quasi de justitia triumphantes revererentur, dederunt cornua peccatori, & authores & incentores hujus erroris, quasi per se non satis insanirent, impunitatis & gloriæ suæ calcaribus cœperunt acriùs instigare. Venenatos tamen animos, aut potiùs venenosos, non oportuerat ampliùs toxicari, nec Achitophel aut Judam temporis nostri excitari, aut animari ad facinus. Ex abundanti tamen illi, quos tali Legatione fungentes vestra pietas adoptavit in filios, & honoribus sublimavit, Ecclesiæ Anglorum facti sunt in arcum pravum, ut misera Cantuariensis Ecclesia, aliarum tamen omnium in insula mater, utpotè quæ illas genera-vit & educavit in Christo, meritò dicere possit: *Filii Matris meæ pugnaverunt contra me, & mei proprii, quos genui & exaltavi, conculcaverunt, & vulneraverunt me, & adhuc exquirunt animam meam, ut auferant eam*. Non utique quod de vestra liberalitate, quæ pia fuit, aut illorum promotione, quæ sperabatur utilis, contristatur, sed dolet quod vobis infideles sunt, & perniciosissimi, & manifestissimi persecutores Ecclesiæ. Ipsi enim sunt qui sævitiam Domini Regis instigant & accendunt, & modis omnibus elaborant, non modò ut mihi omnis reverentia subtrahatur, hæc enim pridem jam impleverunt; sed ut meum & coexulantium mihi, qui jam pauci sunt, eò quòd plures à facie persequentis in fata decesserunt, nomen deleatur de terra. Præcoperatis autem tum aliis, tum maximè Episcopo Londoniensi, ut pacem Ecclesiæ, quod ut creditur facilè posset, adhibita diligentia studeret reformare. Sed illo ex quo audivit, quod debitam animadvertendi in malefactores Ecclesiæ mihi vestra Gratia restituerat, & contulerat facultatem, statim per se & complices suos commovit & conturbavit terram, timens sanandas esse contritiones ejus, quæ per eum fuerat conturbata. Neque id in occulto, sed passim. Et quò manifestior esset ejus iniquitas, Londoniæ in celeberimo loco, ubi ad ratiocinia publica tractanda totius Regni Officiales convenerant. Debuerat ei sufficere, quod tamdiu sustinuit eum Clementia vestra, quod sententiam anathematis ex caussa inobedientiæ & aliorum scelerum, quæ manifesta sunt, incurrerat alias impunitus, sed ab impunitate conceperat cujuscumque præsumptionis audaciam, habens fiduciam quod Jordanis influeret in os ejus. Nam ad ejus consilio dependent tam Saresberiensis Episcopus, hactenus inobediens & rebellis, quàm Randulphus de Broc, qui Cantuariensi Ecclesiæ incubat, & alii depopulatores nostri. Unde exigente ratione juris, & urgente stimulo conscientiæ, quæ nos de tanta taciturnitate in tanto periculo Ecclesiæ vehementer accusat, eundem Londoniensem & Saresberiensem Episcopos, & præfatum Randulphum cum aliis, quorum nomina superiùs scripta sunt, ex justis & manifestis caussis publicè excommunicavimus, citantes adhuc alios, qui factionis & seditionis eorum noscuntur participes exstitisse. Quos nisi resipuerint, vinculo anathematis compellemus adire tribunal, charactere bestiæ designatos. Provideat itaque Sanctitas vestra Ecclesiæ libertati & paci, quia si nobis hac vice credideritis, omnia ad vestrum libitum componentur, & oculo ad oculum videbimus, quia superbientis & parvulos terrentis Moab arrogantia major est, quam fortitudo. Approbate, si placet, quod facimus, & vos ipsi, quod necessitas exigit, manum apponite, conterite audaciam & malitiam impiorum: ne si, quod absit, illi prout hactenus fecisse visi sunt, prævaluerint, salus Ecclesiæ conteratur & pereat. Ad hæc supplicamus, ut petitiones nostras, & quas dudum porreximus, & quas modò porrigimus, jubeatis effectu celeri prosequente compleri: quia ex sententia animi nostri omnes ad honorem vestrum spectant, & Ecclesiæ proficiunt ad utilitatem.

EPI-

## EPISTOLA LXVI.

*Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Alberto & Theobaldo Cardinalibus.*

ECCLESIÆ molestias & innocentium afflictiones, miserias eorum, qui zelum Dei habent, tantò vobis acerbiores esse non dubitamus, quantò vos pro certo novimus institutis Apostolicis familiariùs & dulciùs adhærere. Et quidem Ecclesia Dei stare non poterit, si in ruinam ejus proni sunt, quibus incumbit illius procurare salutem. Si enim pastores amore aut odio, cupiditate aut neglectu, spe aut metu temporalium, locum suum deserant, aut vitiis cedant, restat ut eorum candelabrum moveatur, & populo fiant in laqueum & ruinam. Unde ut coram Deo loquamur, quem judicem exspectamus, & invocamus ut judicet causam suam, licèt Dominum nostrum Regem Angliæ plurimùm dilexerimus, & ex totis viribus antè impositum Sacerdotium ad nutum servierimus, sine conscientia tamen criminis, ex hoc ei in injuriam Dei & conculcationem Ecclesiæ nolentes consentire, pro Deo nos opposuimus, malentes ipsum offendendo revocare ad veniam, quàm adulando præcipitare in gehennam. Causa quam contra nos exercet, inter ipsum & Deum est, quia nos nihil aliud ab eo quærimus, nisi quod Ecclesiæ suæ æterno testamento pro ea in susceptâ carne immortalis reliquit Deus. In fide ergo & charitate Christi, ipso teste Christo, supplicamus vobis, ut exurgatis nobiscum in auxilium Ecclesiæ naufragantis, & authoritate, & prudentia vobis collata occurrite homini huic, cui nullorum successuum copia sufficit, si Ecclesia Dei gaudet libertate. Si nobis aut nostris non creditis, interrogate de moribus hominis Gallicanam, & Turonensem Ecclesiam Aquitanos quoque & Nortmanos, & Romipetas de Regno Anglorum confluentes, & profectò non erit aliquid, in quo de sinceritate causæ nostræ possitis ambigere, nisi sponte obtenebraveritis oculos, ne quod verum est, valeant intueri. Confidimus in vobis abundantiùs, præsertim in causa Dei, & ad vestrum promptisumus obsequium. Et quod nos non possumus, supplebit Deus, remetiens, in qua mensura mensi fueritis, vobis. De nobis autem pro certo tenete, quia satiùs ducimus mortem incurrere temporalem, quàm promereri æternam, & extremas pro Christo subire miserias, quàm miseræ servitutis angustias perpetuare. Nam hujus controversiæ exitus trahetur ad consequentiam temporum futurorum, ut aut perpetuis, quod absit, ærumnis lugeat Ecclesia, aut perenni gaudeat libertate. Nec esset Cardinalis vel cujusquàm hominis necessarius interventus nobis aut nostris, si Regi ab initio voluissemus in his, quas apud Clarendunam statuit, non consuetudinibus, sed pravitatibus consentire, & absque ulla ordinis nostri salvatione apposita simpliciter & absolutè subscribere. Ergo si ille in tantis iniquitatibus statuendis, Romana Ecclesia consentiente aut dissimulante prævaluerit, quis contra eum audebit mutire de cætero? Quis de manu hæredum excutiet, quod tanta non virtute, sed pertinacia Pater obtinuit? Quis alios Principes, æquè nobiles & potentes, prohibebit similia vendicare? Malorum enim exempla citiùs rapiuntur, & posteri relictis majorum vitiis rarissimè ad exercitia virtutis assurgunt. Si vestri laboris & nostri fructus est, ut Principes Ecclesiam subjiciant servituti, & nos conterant, quia ausi sumus zelare legem Dei, visi etiam protestari, & ex adverso adscendere pro domo Israel, rarus admodùm vel nullus de cætero erit, qui non sequatur omninò Principum voluntatem, qui Romanæ Ecclesiæ fidem servet, qui Decreta Sedis Apostolicæ reverentur, qui Summi Pontificis mandatis obediat, qui non ipsam Dei Legem contemnat, ut fabulam, ut verba sine veritate & fructu. Causam itaque Ecclesiæ vobis specialiter committimus, quos columnas Ecclesiæ stabiles esse confidimus. Ad eorum enim auxilia in necessitate recurrendum est, qui & authoritatem justitiæ & voluntatem miserationis implendæ à Domino acceperunt. Nec ignorare vos credimus, quoniam eorum, quæ contra Deum vel secundùm Deum feceritis, mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & superefluentem refundet justus judex in sinus vestros. Amen.

## EPISTOLA LXXVII.

*Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Gratianus Romanæ Ecclesiæ Subdiaconus.*

QUOD de mea sinceritate, sicut ex litteris & Nunciis vestris intelligo, indubitatam spem & fiduciam tenetis, gratum habeo modis omnibus & acceptum, vestræque Paternitatis ex hoc ipso devotior ac fidelior persevero. In proposito siquidem meæ ad vos devotionis ac fidei, & causæ vestræ defensione constanti eædem, quæ induxerunt, causæ me retinent: timor videlicet Dei, amor honesti, zelus & fervor Ecclesiasticæ libertatis. Accedit ad hæc personæ vestræ virtus & gratia, quæ me jam in eo, quod antè probaveram, stimulo quodam sollicitudinis urget arctiùs & instigat, concurrentibus ad idem & virtutis studio, & amoris ac diligentiæ filialis officio. Confidite igitur de me, sicut facitis, & sperate, quia spes ista vos, Deo propitio, nec frustrabit, nec mea unquàm fides aut charitas in vestro poterit refrigescere negotio vel tepere. Puto autem quod & res ipsa fidem faciet his, quæ dico, & in hujus rei testimonium cum amicis vestris inimici conveniant. Et quidem in hoc, si venisset homo, contra quem devotionem meam sollicitudo vestra præmonuit, non discordaret à cæteris ejusdem malitiæ satellitibus, & præambulis Anti-Christi. Verùm cùm ille non venerit, in eo quod reliquum erat, & expedire putavi, mea sollicitudo non tepuit, & quotidiana apud Dominum Papam instantia non quievit, donec litteras, quas cum his, Deo dante, videbitis, per Domini Papæ gratiam indultas obtinui. Quas quidem credo, credetis autem & vos, ni fallor, efficaces ad rem, & negotio utiles affuturas. Agite itaque confidenter, & quod ad vos pertinet, causam nostram Domino commendate, qui non deserit sperantes in se, per quem diligentibus eum omnia cooperantur in bonum. Ego autem quod amici & fidelis est, cùm res postulaverit, exequi non cessabo. De cætero, quod in litteris vestris misericordia consuevit exilio copulari, discretionem vestram, ut audacter salva reverentia loquar, emendare voluerim: cùm sicut arbitror, miseros vocari non deceat,





deceat, qui à Domino Beati dicuntur, juxta illud Evangelii: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam*. Det vobis Dominus pacem in proximo, & in futuro consortium & gloriam Beatorum.

## EPISTOLA LXXVIII.

*Alexandro Papæ Senonensis Archi-Episcopus.*

ADHUC, Pater, pietati vestræ pro venerabili viro Domino Cantuariensi, immò potius pro Ecclesia & causa Dei, pro qua animam suam exposuit, cogimur supplicare. Ut cum eo pro tuenda Ecclesiæ libertate & Sedis Apostolicæ privilegiis Beati Petri gladium potenter exeratis. Jam enim, si placet, tempus est miserendi ejus, & animadvertendi in illos, qui jam per Orbem coruscante Evangelii veritate, tempore Apostolatus vestri laborant confessoribus Christi excutere Divini honoris mentionem. Ipse autem, ut animam suam liberet coram Deo, & sui partes officii fideliter exequatur, licèt adhuc erroris capiti parcendum duxerit, exspectans ut in pœna membrorum erudiatur ad pœnitentiam, incentores schismatis Episcopum Londoniensem, Saresberiensem, Randulphum de Broc cum aliis, quorum nomina vobis expressa sunt, anathematis vinculo innodavit. Orat devotus filius vester Christianissimus Rex Franciæ, sicut ex litteris ejus potestis advertere, ut quod Archi-Episcopus in condemnationem temeritatis & malitiæ egit, approbetis. Et nos, quanta possumus, devotione supplicamus, ut etiam auxilium Apostolicæ Majestatis adjiciatis, quia spes est quod Ecclesia facilè liberabitur, si severitas vestra compresserit & perdomuerit istos. Alioquin timemus, ne præfatus filius vester Dominus Rex, & totum Regnum Franciæ non minori scandalo afficiatur, quàm fuerit illud, quod Joannes de Oxeneford excitavit in reditu suo.

## EPISTOLA LXXIX.

*Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Hostiensi Episcopo Humbaldo.*

SÆPE quidem cogimur in vestræ Sanctitatis auribus ærumnas nostræ miseriæ deplorare: quia ille supra numerum & modum multiplicatæ sunt. Et præter vos nullus est, vel admodum rarus, qui nos consoletur in tanta tribulatione, aut spem solatii repromittat. Taceantur ad præsens, quæ sustinuimus, funera propinquorum, Sacerdotum Christi cædes & vincula, feralis edicti atrocitas, quo sævitia Herodiana sine miseratione conditionis, ordinis, ætatis, & sexus exterminavit & proscripsit omnes, qui ex quacumque causa venerant in suspicionem, quod ad nos essent habituri charitatem, aut servaturi Deo & Ecclesiæ ejus fidem. Et ut diuturnitate cruciatus citra cuoris invidiam Herodis vinceretur immanitas, vagientium cunas relegavit, à matrum seu nutricum finibus avulsit parvulos lactentes & surgentes ubera. Nam quo magis protrahitur, acerbior est vis doloris, & quantalibet pœna in momentum contracta mansuescit. Sufficere debuerat persecutori nostro, quod hactenùs impunè torsit Ecclesiam, quod nos & nostros sic afflixit exilio & proscriptione quinquennii, exspectantes ut eum patientia nostra ad pœnitentiam provocaret. Antiquæ, si placet, revolvantur historiæ, veterum tyrannorum recenseantur gesta, nascentis Ecclesiæ percurrantur Annales, nec facilè occurret in omnibus persecutoribus ejus, qui sic unum hominem fuerit persecutus, ut tantam innocentium stragem tot exquisitis artibus studuerit adimplere. Cum ergo ipsorum testimonio tam evidens sit propositum ejus, qui licèt, ut dictum est, tanta aviditate sitiat sanguinem nostrum, avidiùs tamen appetit Ecclesiæ perimere libertatem, & authoritatem Apostolicæ Sedis à finibus suis exterminare; mirabile est in oculis omnium Sapientium & timentium Dominum, qua ratione eum tamdiu Romana Ecclesia sustinuerit, qua patientia audierit tot injusta & enormia postulantem, cum illa Divinitùs instituta sit eradicare & disperdere omnem potestatem & altitudinem extollentem se in injuriam & contumeliam Christi. Parcere subjectis, & debellare superbos, fuit Gentilium eminentia Romanorum: & certè Christi doctrina superbos humiliat, & exaltat humiles. *Ecce*, inquit, *constitui te super gentes & Regna, ut evellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes*. Nunquid apud Petri successores, Christi Vicarios, debet esse acceptio personarum? Hæc utique non est apud Deum, qui unicuique tam Principi quàm plebejo respondet ad meritum. Quænam gloria est apud Deum, vel apud homines, pauperioribus jura decernere, & potentioreś à maximis flagitiis & multis nulla juris authoritate coercere? Certè vera justitia potentes potenter punit, & in his qui præsunt, gravissimum exercet judicium. Quis unquàm Romano Pontifice sciente & videntе tanta licentia abusus est Ecclesiarum bonis, quanta nunc abutitur Rex Anglorum? Ecce jam quinquennio possedit Episcopatum nostrum, & omnium nostrorum bona: item Lincoliensem, Bathoniensem, Herefordensem, Eliensem Episcopatus redegit in usus proprios. Landavensis Ecclesiæ possessiones fere omnes distribuit militibus suis. Bangorensem, quæ jam ferè decennio Episcopum non habuit, non patitur ordinari. Quid de Abbatiis dicetur, quas detinet? Nam illarum numerus incertus est. Et hoc quidem se licenter facere gloriatur jure consuetudinum, quas Ecclesia Romana, ut omnium vestrum pace dictum sit, ab initio publicè debuerat condemnasse cum authoribus & observatoribus suis, tamquàm Deo inimicas, & contrarias perpetuæ legi. Si eis, Pater, voluissemus dedisse locum, nihil prorsus dispendii nobis provenisset aut nostris. Et adhuc si cedere voluerimus, ad omnem familiaritatem & gratiam Regis, & totius Regni dominium expeditissima patet via. Sed absit, ut propriæ utilitatis commercio publicam prodamus Ecclesiæ libertatem, Sedis Apostolicæ privilegium convellamus ab Anglia, & pro temporalium compendio subeamus dispendium æternorum. Et quia nolumus Ecclesiam dejicere, dejectionem nostram Rex quærit à nobis. Quia legem Dei transferre nolumus, ut ei succedat iniquitas tyrannorum, quærit ut nos citra necessitatem, præter utilitatem, contra authoritatem ad aliam Ecclesiam transferamur. Quia verò vocantem ad iniquitatis consortium sequi nolumus, petit nos

tit nos evocari à vobis, ut in transitu possit nostri sanguinis cum iniquitatis suæ consortibus qualecumque exercere commercium. Quid enim aliud sibi vult, quod Mediolanenses, Cremonenses, & Parmenses in exterminium nostrum mercede corruptos sollicitat? Quid Papiensibus aut aliis Italiæ civitatibus nocuimus unquàm, ut nostrum exilium procurarent? In quo læsimus sapientes Bononiæ, qui verò sollicitati precibus & promissis, perniciei caussæ nostræ, quam audierant, noluerunt dare consensum? Certè nos Robertum de Bassevilla non proscripseramus, & tamen sollicitationibus inductus est, ut nostram apud vos perpetuaret proscriptionem. Dolo tamen postea cognito, pœnitentia ductus rogavit, ne ipsius injusta petitio audiretur. Richardus Syracusanus Electus, corruptus accepta spe Lincoliensis Episcopatus, persecutores nostros juvit opibus, armavit consilio, viribus roboravit. Nam & ipsi Regi Siculo, intra cujus fines modò consistit is, ut eum caperent in perniciem Ecclesiæ & nostram, filiam Regis Angliæ copulandam in matrimonium promiserunt. Nonne Frangentes panem, & familiam Leoninam, & gentem Latronum, & alios Romanos Potentissimos, quasi Castra conductitia adduxerunt, ut non tam flecterent, quàm frangerent Ecclesiam Romanam? Sed & pacem Imperatoris & Saxonum repromittunt. Et quod omnes Romanos Beata Pecunia inducent, ut faciant fidelitatem Domino Papæ, dummodò in nostra dejectione Regis Angliæ satisfaciat voluntati. Patet quàm securum transitum, quàm jucundum commeatum nobis diligentia hominis præparabat. Profectò non satis curabat, unde satisfieret creditoribus nostris, undè sociis, si quis tamen inveniri posset, ad procinctum itineris necessaria ministrarentur, undè sumptus itineris procederent, & solatia proscriptæ multitudinis, quæ post quinquenne exilium egens & afflicta erat in tantis calamitatibus deferenda. Eadem sanè diligentia procurantium hæc, quoniam Regis nomen in hanc suspicionem deducendum esse non credimus, poterant hospitum utensilia toxicari, & difficile est vitam servare incolumem, cui insidiatur is, qui jus habet in familiam totam. Et ne in hac parte schedula protrahatur & verba, quoad vita comes fuerit, nos pro nulla unquàm vocatione tot & tantis periculis ingeremus. Nam si quis ex quacumque causa mortem non detrectat, vitam faciliùs poterit ferro vel laqueo terminare. Nuper autem misit idem Rex Nuncios suos, Episcopum videlicet Sagiensem, & Gaufredum Cantuariensem Archi-Diaconum, ad Christianissimum Regem, sollicitans eum precibus & promissis, ut nos ejiceret de terra sua. Sed vir Deo plenus respondit se hoc jus hæreditarium ab Antecessoribus contraxisse, & semper fuisse consuetudinis Regni Francorum, ut omnes pro justitia exulantes benignè recipiat, & eis debitæ humanitatis solatia impendat. Et dixit se nunquam tam laudabilem hæreditatem, & Deo gratam ex causa qualibet deserturum. Adjecit etiam, quod nos receperat de manu Domini Papæ, quem solum in terris habet Dominum, & ideo nec pro Imperatore, nec pro Rege, nec pro aliqua mundi potestate dimissurum, quin foveat nos & causam nostram, quamdiu necesse fuerit: quoniam Deus nobiscum est, & pro tuenda lege ipsius tot injurias & damna sustinemus. Hoc responso confusos dimisit, & quod ei Deus retribuat, solito benignior & liberalior est, licèt benignus & liberalis semper exstiterit. Dicit autem se probaturum in causa nostra sinceritatem & vigorem Ecclesiæ Romanæ, & veritatem Domini Papæ, cujus fidem & constantiam in eo commendat plurimùm, quod Regem Angliæ in petitionibus injustis ab eo gaudet esse repulsum. Si tamen vera sunt, quæ audivit à rumigerulis, & Dominus Papa perseveraverit in eo, quod ei promisit de nobis. Sunt in parte adversa, qui nos ablatorum restitutionem petere dissuadeant, & si fortè de pace agendum fuerit, omnia perfunctoriè pertransire, non attendentes quàm periculosum esset exemplo, cùm lucro succensa cupiditas hinc animari possit, ut pro libitu releget & proscribat omnes, & tandem in gratiam Ecclesiæ redeat, si quacumque jactura illius qualemcumque fecerit pacem. Nam hujusmodi dissimulatio cupidas incendit potestates, & perversis hominibus præstat audaciam delinquendi. Meliusque nobis esset non fuisse natos, quàm in Ecclesiam induxisse pestem tam perniciosi exempli: præsertim cùm illi facile sit damna rerum immunitatibus, privilegiis, & possessionibus incultis, & aliis beneficiis nostro præeunte consilio ex parte maxima compensare. Neque hoc, si Dominus Papa adstiterit, difficile est extorqueri. Quia licèt prætendat minas, totus terrore concutitur, ex quo contumaces Episcopos, & alios malitiæ suæ complices, & satellites iniquitatis, Sathanæ tradi vidit in interitum carnis. Nam si isti contriti fuerint, citiùs & faciliùs perdomabitur, & fulgura ejus in pluviam convertentur. Expertis credite, qui novimus hominis mores, qui portavimus pondus diei & æstus, nec adhuc pro Domino & Ecclesiæ libertate formidamus congressum. Credite, inquam, quia ejus ingenii homo est, ut non possit nisi suppliciis emendari. Et quia totius malitiæ ejus incentor Episcopus Londoniensis, qui nuper in tantam prosiliit impudentiam, ut dixerit se Cantuariensi Ecclesiæ, cui professionem fecit, nullam, ex quo translatus est, debere obedientiam, gloriatur etiam, quod Cathedram Archi-Episcopalem ad Ecclesiam Londoniensem transferri faciet, necesse est tantæ iniquitatis caput conteri, ut Anglicana Ecclesia convalescat. Opposuerunt se illi nuper scissuram Ecclesiæ molienti fratres & Coepiscopi nostri, ad quos subvertendos de cismarinis partibus Regis Officiales attraxit, ut per eos affligantur, qui cum ipso recipere characterem bestiæ non acquieverint. Placeat itaque dignationi vestræ, quam in Cantuariensis Ecclesiæ patronatum Dominus suscitavit, hæc ad mentem Domini Papæ reducere, & pro more vestro confirmare in subventione Ecclesiæ, fratres vestros, & impetrare, ut per nostrarum tolerantiam passionum acquirat Apostolica Sedes Anglicanæ Ecclesiæ libertatem. Nam mori prælegimus in exilii acerbitate pro Domino, quàm videre Ecclesiam execrandis tyrannorum traditionibus prophanari, & Divinæ legis evacuari vigorem. Date veniam, quia verba protrahere protracta cogit necessitas, & nonnulla pars solatii est in aure dulcissimi Patris & piissimi Domini proprias effundere calamitates. Siquidem *Dulce loqui miseris, veterescque reducere quæstus*. Et ut hæc sæpius ad memoriam



memoriam reducatis, vestris provoluti pedibus affectuosiùs imploramus. Valeat semper Sanctitas vestra, nostri memor ante Deum.

Hæc sunt nomina Excommunicatorum, qui incorrigibiles & contumaces inventi, denunciati sunt secunda denunciatione.

Gaufredus Cantuariensis Archi-Diaconus, Robertus Vicarius ejus, Ricardus de Welcestre, Richardus de Luci, Wilhelmus Giffard, Adam de Cheringis.

## EPISTOLA LXXX.

*Amicus Amico.*

ACTIONES gratiarum debitas parturit animus, sed ut ait Propheta, *Vires non habet parturiens*. Nam devotionis effectum suspendit hactenùs persecutionis acerbitas. Sed affectum, quin in partum gratulationis erumpere gestiat, nulla vis potest, aut poterit cohibere. Et quod, Deo propitiante, jam in eum calculum Christi & Ecclesiæ suæ causa perducta est, ut de cætero periclitari non possit, eò quod schismatis capita defecerunt, & Anglicanæ Ecclesiæ malleus comprehensus in operibus suis, de cætero cui innitatur, invenire non valet. Ventum erat ad summum, ubi constat habitudines periculosas esse, cum ille, qui sollicitando tam Curiam, quàm schismaticos, Fredericum videlicet & complices suos, videns se hac via non posse proficere adversùs Dominum, & adversùs Christum ejus, transmissa Legatione confugit ad Italiæ civitates, promittens Mediolanensibus tria millia marcarum, & murorum suorum validissimam reparationem, ut cum aliis civitatibus, quas corrumpere moliebatur, impetrarent à Papa & Ecclesia Romana dejectionem vel translationem Cantuariensis Archi-Episcopi. Nam ob eamdem causam Cremonensibus duo millia marcarum promiserat, Parmensibus mille, & totidem Bononiensibus. Domino verò Papæ obtulit, quia data pecunia liberaret eum ab exactionibus omnium Romanorum, & decem millia marcarum adjiceret. Concedens etiam, ut tam in Ecclesia Cantuariensi, quàm in aliis vacantibus in Anglia pastores ordinaret ad libitum. Sed quia fidem multa promissa levabant, & in precibus manifesta continebatur iniquitas, repulsam passus est. Et quod per se impetrare non poterat, Regis Siculi viribus conatus est extorquere. Sed nec ille, licèt ad hoc toto nisu Syracusanus Episcopus, & Robertus Comes de Bassevilla multiplicatis intercessoribus laboraverint, exauditus est pro sua reverentia, vel potentia, vel gratia, quamvis eam in Ecclesia Romana plurimam habeat. Dimissi sunt ergo Nuncii Regis impotes voti, hoc solùm impetrato, ut Dominus Papa mitteret Nuncios, qui pacem procurarent, Gratianum scilicet Subdiaconum, & magistrum Vivianum, urbis veteris Archi-diaconum, qui munere Advocationis fungi solet in Curia. Eos tamen ante præscripta forma pacis, Sacramenti Religione adstrinxit, quod præfinitos terminos non excederent, mandatis quoque adjiciens, ut à Regis sumptibus abstineant, nisi pace Ecclesiæ impetrata. Et ne ultra diem, qui eis præstitutus est, aliquam faciant moram. Forma autem pacis, quæ Archi-Episcopo expressa est, nihil inhonestum continet, vel quod Ecclesiam dedeceat, aut personam, nec authoritatem ejus in aliquo minuit, quin liberè omni occasione & appellatione cessante in ipsum Regem, in Regnum, & personas Regni, severitatem Ecclesiasticam valeat exercere, prout sibi & Ecclesiæ Dei expedire cognoverit. Consilium tamen amicorum, virorumque sapientum est, ut dum pacis verba tractantur, mitiùs agat, & multa dissimulet. Postea si, quod absit, pax non processerit, graviùs quasi resumptis viribus persecutores Ecclesiæ prostraturus. Spera ergo, dilecte mi, & quidquid interim audieris, non movearis, quia Deus in tuto posuit causam suam. Audies fortè superbiam Moab, sed memineris, quod superbia major est, quàm fortitudo ejus. Nam territi sunt in Sion peccatores, possedit timor hypocritas, qui nisi revertantur à pravitate sua, expellentur, & stare non poterunt. Jam enim securis ad radicem eorum posita est, & ventilabrum habet Angelus in manu sua, ut grana discernat à paleis. Præfati Nuncii ad Regem profecti sunt, sed quid apud ipsum invenerint, nondum nobis innotuit. Hoc tamen certum est, quod se Rex verbo & scripto obligavit ad exequendum consilium & mandatum Domini Papæ, scriptumque ejus præ manibus est, à quo si resilierit, facilè convincetur. Sed nec sic credendum censuit Ecclesia, antequàm verborum fidem operum testimonio roboraret. Salutatus à te, plurimùm & affectuosè te resultat Archi-Episcopus, se ad amorem & honorem tuum exponens promptissima devotione.

## EPISTOLA LXXXI.

Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Wilhelmo Papiensi.

*Venerabili Domino & Patri Charissimo Wilhelmo, Dei gratia S. R. E. Presbytero Cardinali, Thomas eadem gratia Cantuariensis Ecclesiæ humilis Minister, salutem, & sinceræ devotionis obsequium.*

NOBIS in aure Sanctitatis vestræ verba multiplicare non expedit, cùm sinceritas vestra prona sit in patrocinium veritatis, & malitia partis adversæ latere nequeat ante oculos sapientis. Et ignominiosum reputet charitas amicum pro libertate Ecclesiæ diutiùs afflictum consolatione debita non recreare. Hæc de vobis est fiducia Christianissimi Regis, hæc nostra, qui per ipsum redivimus in gratiam vestram. Hæc spes fidelium prædicantium gloriam nominis vestri. Hac igitur animati & roborati supplicamus attentiùs; quatenus juxta quod promisistis Domino Regi Francorum, viriliter exurgatis in auxilium Ecclesiæ & nostrum, & Ecclesiasticæ libertatis & Apostolicæ Sedis hostes data Divinitùs sapientia conteratis. Facile enim est, si Romana Ecclesia jam paratam decreverit acceptare victoriam, ut fugiant & dispereant inimici à facie ejus. Nam territi latebras quærunt, & nesci unquò se vertant.

EPI-

## EPISTOLA LXXXII.

*Alexandro Papæ Baldewinus Noviomensis Episcopus.*

FERREUM pectus est aut lapideum, quod ad labores & ærumnas Cantuariensis Ecclesiæ non anxiatur. Et inhumanos habet oculos, qui in tantis Ecclesiæ lachrymis potest à lachrymis abstinere. Omnibus illa bonis flebilis est, sed nulli aut paucis in Regno Francorum flebilior esse debet quàm mihi, qui & gloriam ejus vidi, & beneficia sensi, & familiariùs agnovi devotionem, quam Ecclesiæ Romanæ semper exhibuit. Semper enim, quod aliàs nusquam auditur aut raro, habuit Cantuaria Episcopos Confessores, & qui aut Martyrio coronati sunt pro Fide Christi, aut Exules & proscripti sunt pro justitia & libertate Ecclesiæ. Et quidem ille, qui nunc ei præest, implet mensuram Patrum suorum: & pro honore Dei, sicut jam utrique Regno ex ipsius persecutoris sui publica confessione innotuit, jam quinquenne exilium proscriptus agit. Verùm decessores sui, sicut legitur in historiis, aut viventium tenetur memoria, soli in propriis personis exilium, aut proscriptionis injuriam pertulerunt. Hic autem cum tota domo, cognatis omnibus, Familiaribus, & Amicis, tantò acerbiori dolore relegatus est, quantò iniquiùs, & majoris crudelitatis gravamina erant, quæ à tortoribus Ecclesiæ perferebat. Sed longè graviora sunt, quæ nunc à Fratribus & domesticis sustinet. Horum signifer est Londoniensis ille, qui diu vnlpem ementita ove subornans, latenter in manibus ferebat ignem & gladium, quibus Regis & Officialium suorum animos succenderet adversùs Ecclesiam, & manusarmaret. Et quia eum Cantuariensis Ecclesia sibi in Pontificem non elegit, cœca ductus ambitione, quasi versus in furorem, minatur se Regis viribus facturum, ut Archi-Episcopalis Cathedra Londoniam transferatur. Coepiscopi sui ab Officialibus Regis nuper commoniti, & quatenus potuit ferè compulsi, ut ei communicarent, & Cantuariensi Archi-Episcopo subtraherent obedientiam, eum ratione juris, ut oportuit, confunderunt, non consentientes ulteriùs consilio & machinationibus ejus: quoniam exspectant & ipsi Regnum Dei, & interim consolationem ab Apostolica Sede. Placeat itaque Sanctitati vestræ tam præfatum Episcopum, authorem scilicet & incentorem schismatis hujus, quàm reliquos Ecclesiæ malefactores, quos Dominus Cantuariensis exigentibus culpis anathematis vinculo innodavit, tanta severitate conterere, ut alii eorum exemplo territi non audeant similia attentare.

## EPISTOLA LXXXIII.

*Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Joanni Cardinali Joannis & Pauli.*

AUDIVIT Ecclesia Gallicana vos in causa Ecclesiæ Anglorum mutasse sententiam, ut à patrocinio persecutorum, quos per ignorantiam fovebatis, credendo his, qui spem suam mendacium posuerunt, vestra discretio præ cæteris transiret in consortium illorum, qui patroni fuerant veritatis. Audivit, inquam, & lætata est valdè, quoniam hæc est mutatio dexteræ Excelsi, & Ecclesiæ Dei ad libertatem, & nomini vestro proficiet ad gloriam sempiternam. Sermo gratus in auribus omnium, sed gratissimus nobis & Ecclesiæ Cantuariensi, quæ semper vestro consueverat gaudere patrocinio, & se vestram in gratiam rediisse lætatur. Justum est ergo, ut ad obsequium vestrum revertatur & cultum. Et nos propensiorem operam dabimus & diligentiam, ut vestris devotissimè jussionibus obsequatur. Fuimus enim vestri, & vestri esse desideramus, proni quidem ad obsequium, si Rex Anglorum, quam corde gerimus, officiosam expedierit voluntatem. Nec dubium, quin à persecutorum nostrorum, quo nobis noxiores fuerint, patrocinio desistatis, quoniam iniqui, avari sunt, & fabri mendaciorum: in omnibus negotiis circumvenientes Amicos, & credulos sibi. Et cum eos deceperint aut læserint, solvuntur in risum, & quasi de hostibus triumphantes, de sua sapientia gloriantur. Valeat semper chara nobis in Domino vestra Fraternitas.

## EPISTOLA LXXXIV.

*Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Hugoni Cardinali de Bononia.*

GRATIAS agimus dilectioni vestræ super amore, quem nobis & nostris semper exhibuistis, desiderantes ut devotioni vestræ valeamus, authore Domino, pro meritis respondere. Et quia ex præcedentium exhibitione bonorum de vestra gratia plenam fiduciam obtinemus, rogamus attentiùs, quatenus contra persecutores Ecclesiasticæ libertatis, & Sedis Apostolicæ hostes, qui apud nos Dei auxilio jam ferè consumpti sunt, exurgatis in adjutorium nobis: Quia fidelium spes est, salutem Ecclesiæ esse in januis, si Dominus Papa totius malitiæ incentorem Episcopum Londoniensem & Complices suos, quos exigentibus culpis excommunicavimus, severitatis Apostolicæ corripuerit gladio. Nec oportebit graviorem ulteriùs exercere vindictam, si nos permiserit pestilentium membrorum curare languorem, & putrida, quæ curam non admiserint, resecare. Valete.

## EPISTOLA LXXXV.

*Alexandro Papæ G..... Altisiodorensis Episcopus.*

SI unum patitur membrum, necesse est ut reliqua compatiantur. Et quod fomentis aut cauterio sanari non potest, abscindi expedit, quàm cæteris ab eo maculam irrogari. Sit quamlibet illustre & officiosum in corpore, tamen si scandala germinat, & pestem ingerit, illud abscindi jubet Dominus & propelli. Cum ergò nobile membrum universalis Ecclesiæ, prima Britanniarum Sedes, & fidei Mater in Occidente, Cantuariensis Ecclesia plurimùm patiatur, & diutiùs jam passa sit, eò quòd filii ejus parricidali scelere publicæ potestatis viribus abutentes, in ipsam irruerint, necesse est ut compatiamur & nos, & cum ipsa recurramus ad dispensatorem salutis, ad pastorem & Episcopum animarum nostrarum. Sed quia non facile, nisi causa





si causa præcognita, curatur infirmitas, purgate, si placet, causam, & Anglicana Ecclesia, Deo propitio, facilè convalescet. Et quidem causa præ oculis, cùm ille Londoniensis, quem, si reminisci placet, Senonis, dum sui Regis Legationem gereret, furorem mente conceptum constat aperuisse, nunc perniciosissimum totis viribus & operum testimonio exprimat furio sum. Is enim est author scissuræ hujus, sator discordiæ, scandali fomes, qui bellum, quod cum Deo & Archi-Episcopo suo diu habuit, nunc demum retorsit in fratres & Coepiscopos suos, eò quod sibi excommunicato, sicut per Officiales Regis urgebat, communicare noluerunt, & Archi-Episcopo suo debitam subtrahere obedientiam. Ecce, Pater, quantus lupus hactenus in ove latuit, quàm manifestus Anti-Christi præambulus, & præco iniquitatis, qui Patrem persequitur, & Matrem quærit evertere. Manifestum inobedientiæ crimen, quod idololatriæ & ariolandi flagitio conforme est, committere non veretur, tyrannorum ministerio proscribit & perimit innocentes, pacem nescit, & scindit Ecclesiæ unitatem. Quid, quæso, aliud faciet Anti-Christus? Nonne ad abolitionem tantæ iniquitatis Sanctitatem vestram in Apostolicæ virtutis robore ante faciem suam præmisit Christus in Spiritu & virtute Heliæ? Conterat ergò, si placet, Majestas vestra tam istum, quàm reliquos, quos Dominus Cantuariensis ex justis caussis Sathanæ tradidit, ut qui aliis se formam præbuit delinquendi, tam præsentibus quàm posteris ad gloriam Dei, & honorem vestrum, ad totius Ecclesiæ salutem & pacem, notum relinquatur correctionis exemplum.

## EPISTOLA LXXXVI.

*Alexandro Papæ Mauricius Parisiensis Episcopus.*

PARIT & alit culpas licentia delinquendi. Et in augmenta facinorum profilitur, dum secura impunitate peccatur. Latuit aliquandiu Londoniensis Episcopus, ne dicam lupus Anti-Christi præambulus, in pellibus agninis. Et quia in prima depopulatione ovilis Christi cum Principe suo, cujus viribus abusus est, non est ejus repulsa malitia, nunc impatiens disciplinæ unitatem Ecclesiæ Anglicanæ scindere machinatur. Ex quo enim culpis exigentibus Sathanæ traditus est in interitum carnis, discordias seminavit, sparsit scandala, scissuras & seditiones machinatus est, & patenter exercuit opera, quæ solutus Sathanas videri debeat exercere. Conatus per Officiales Regis Episcopos inducere, ut ei communicarent, & Domino Cantuariensi, qui ætate nostra in partibus Occidentalibus se Confessorem veritatis & virtutis exemplar proposuit, obedientiam subtraherent. Sed ei, Deo inspirante, præcipui eorum in faciem restiterunt, eò quod erat reprehensibilis. In tantam ergo prosiliit impudentiam, ut publicè diceret se Cantuariensi Ecclesiæ obedientiam non debere, eò quòd postquàm ad Ecclesiam Londoniensem translatus est, nullam ei de exhibenda obedientia fecit professionem. Ausus est etiam gloriari, quod Archi-Episcopalem Cathedram Londoniam transferri faciet, ut civitas, quam antè tempus Beati Gregorii Anglorum Apostoli Archi-flaminem dicit habuisse, eadem nunc Archi-Episcopum habeat temporibus Christianis. Qui talia, Pater Sanctissime, facit & loquitur, nonne meritò creditur insanire? Utique non est hic homo à Deo, qui obedientiam non custodit, qui fidem nescit, qui schismatis author est & incentor. Placeat itaque Majestati vestræ, quam in longa tempora conservet Deus, Domino Cantuariensi, quem constat pro justitia, pro libertate Ecclesiæ, pro tuendis Apostolicæ Sedis privilegiis jam quinquenne exilium fortiter & alacriter sustinere, opem ferre, & tam præfatum Londoniensem, quàm alios Ecclesiæ malefactores, quos, ut meruerant, seriùs tamen anathemate perculit, allidere & conterere ad Apostolicam Petram, juxta quam absorpti sunt Authores eorum. Alioquin timendum est, ne si, quod absit, tantum scelus remaneat impunitum, citiùs & Anglicanæ & Gallicanæ Ecclesiæ perniciem, & Religionis ruinam operetur.

## EPISTOLA LXXXVII.

Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Rogerio Vigornensi Episcopo.

*Thomas Dei gratia Cantuariensis Archi-Episcopus, & Sedis Apostolicæ Legatus, Venerabili Fratri Rogerio, Vigornensi Episcopo, salutem, & pium in futura prospectum.*

INSPECTIS litteris, quas nuper ab Anglia recepimus, potestis advertere, quàm malitiosè Londoniensis Episcopus, qui nobis ab initio Sedis in insidiis quærebat animam nostram, ut auferat eam, nunc adversùs Matrem suam & nostram, Sanctam Cantuariensem Ecclesiam, calcaneum erigat, & ei primogeniturae fortem, gloriam & nomen præripere moliatur. Restiterunt ei nuper coram Regis Officialibus, quos in persecutionem Ecclesiæ excitabat, laudabiliter fratres nostri, seque ab illius communione suspendentes, per Parochias suas edicto publico præceperunt eum a cunctis fidelibus evitari. Et hoc quidem fecit primus venerabilis frater noster Norwicensis Episcopus in Synodo proximè habita, deindè Cestrensis in Episcopatu suo, & Domini Vintoniensis, & Cicestrensis statim die sequenti, postquàm litteras nostras receperant. Quia Nobilitatem & Religionem vestram decet præ cæteris ornare Ecclesiam, honorificare ministerium vestrum, & pro Matris, quæ vos in Episcoporum consortio generavit, salute stare fortiter usque ad sanguinem, Fraternitatem vestram, quæ nobis ex accepta consecratione tenetur ampliùs, & de qua magis ex conscientia virtutis & sanguinis generositate confidimus, rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, quatenùs vestræ Matri, cujus tam impudenti scelere salus appetitur, in tanta necessitate fideliter assistatis, & alterius Absalon vos opponatis impietati. Provideat etiam sinceritatis vestræ discretio, & charitas in Christo plurimùm amplectenda, ut juxta tenorem præcedentium mandatorum, tam præfatum Episcopum, quàm alios, qui vobis excommunicati esse denunciati sunt evitetis: & sicut fratres & Coepiscopi nostri fecerunt, prout Canonum sancit authoritas, à fidelibus per Episcopatum vestrum faciatis edicto Ecclesiastico evitari. Et quia ad Apostolicam Sedem parricidalis

cidalis hujus sceleris est atrocitas referenda, Domino Papæ scribite, qualiter filium pro salute Matris contra fratrem Ismaelitam & sanguinarium scribere decet; quia licèt cruorem propriis manibus non effundat, tamen nostrum & Christi pauperum sanguinem sitit. Et eum quidem suis consiliis effundit, sed abutens ministerio tyrannorum. Cætera in ore Latoris præsentium polita sunt, quem in his, quæ vobis ex parte nostra dicet, audiatis ut nos. Scribunt pro Cantuariensi Ecclesia Episcopi Gallicani, sicut ex litteris Domini Parisiensis potestis audire, sed vos scribetis expressiùs, qui tenemini arctiùs, & amatis ardentiùs. Hoc autem exprimatur in litteris, quas mittetis ad Dominum Papam, qualiter præfatus Londoniensis receptis litteris Apostolicis, quas ei de reconciliatione nostra Fraternitas vestra transmisit, malignatus est, non modò nullum pro pace Ecclesiæ apud Regem faciens verbum, sed secus faciens, & procurans seditionem, per se & Regis Officiales institit, ut Episcopi, Abbates, & universi Ecclesiarum Prælati, suo & subditorum nomine adversùs mandatum Apostolicum appellarent, cùm tamen nobis indultum sit appellationibus hujusmodi non deferre. Sed Deo providente meliùs, evacuata est malitia ejus, non consentientibus ei viris Religiosis, nec pro metu Officialium, nec pro mandato publicæ potestatis, cujus in inferendo vim prætendebat authoritatem. In hac sui necessitate fidei vestræ experimentum faciet Ecclesia, & eximiæ virtutis Deo & hominibus gratissimum tam præsentibus quàm posteris relinquetis exemplum. Nec vos terreant aut moveant blanditiæ vel minæ seductorum, cùm certum sit, quòd spes impiorum peribit, & pariet confusionem, & qui timet pruinam, irruet super eum nix, Deum verò prætimentibus nihil expedientium deest.

## EPISTOLA LXXXVIII.

*Alexandro Papæ Wilhelmus Senonensis Episcopus.*

SCELERUM mater impunitas, fæcunda criminibus, scidit Anglicanæ Ecclesiæ unitatem, & Gallicanam amarissimo replevit scandalo. Tantorum caput, causa, fomesque malorum est Episcopus ille Londoniensis, qui nunc tandem de dracone conversus in leonem, nequitiam, quam ab ambitione conceperat, patenter exercet, ex quo culpis exigentibus, ferò tamen, sathanæ traditus est in interitum carnis. Cùm enim Author schismatis fuerit & incentor, & in insidiis ageret, ut proscriberet & occideret innocentes, nunc palam loquitur, & proverbium nullum dicit. Sed Matrem suam Cantuariensem Ecclesiam, cui ad obedientiam exhibendam ex professione adstrictus est, Regis sui viribus quærit evertere, glorians quòd Cathedram Archi-Episcopalem Londoniam transferri faciet. Restituerunt ei nuper in faciem laudabiliter fratres sui, quos per Officiales Regis impudenter urgebat, ut ei communicarent, Archi-Episcopo suo debitam subtraherent obedientiam. Nonne manifestus Anti-Christi præambulus est, qui tam patenter scindere nititur Ecclesiæ unitatem, seminat inter fratres discordiam, scandala multiplicat, Ecclesiam torquet, & tyrannorum manibus proscribit & interficit innocentes? Sed unitas de Catholica tollatur Ecclesia, quis aut quid prohibet hæreses pullulare? Quis erit unitati locus, si non virtus obedientiæ membra Christi conglutinet, & charitas ad alterutum consolidet in fide & veritate? Ergò, Pater optime, quoniam comprehensus est in operibus manuum suarum, & toxicati fructus, quos facit arbor infelix, securim Petri provocant, hanc ei, si placet, misericordiam faciatis, ut contrita malitia ejus, & Episcopi dejecto titulo, quoniàm bestiæ characterem portat, de cætero nocere non possit, sed Monachum, quem veste pollicitus est, cogatur moribus exhibere. Satis & ultra sustinuit Dominus Cantuariensis, cui nisi in brachio virtutis Apostolicæ pacem & securitatem reformari feceritis, & satisfieri de ablatis, timendum est, ne Ecclesia jacturam irreparabilem citò contrahat, & tam præsens ætas quàm posteritas ad Ecclesiam conterendam perniciosò provocetur & animetur exemplo. Valeat & vigeat semper Sanctitas vestra.

## EPISTOLA LXXXIX.

*Alexandro Papæ Matthæus Trecensis Episcopus.*

APUD Dominum meum fiducialiùs ago, recolens quanta dignatione tanta Majestas meam semper dilexerit, honoraverit, & extulerit parvitatem. Et quidem gradui, quem habebam, multum accessit honoris, sed multò plus oneris, ut ex necessitate deficiant humeri mei, nisi Dominus suppositerit manum suam, & Clementia vestra adjiciat gratiam. Nam si providentia vestra dignetur circumspectionis suæ oculos in partes nostras dirigere, multis bonis magna videbit adesse tormenta, & pluribus graviora instare certamina. Quæ cùm Episcopus corrigere nequeam, & pro suscepto officio Divini judicii metu non audeam dissimulare, me quisquis in arcto constitutum ambigit, conditionis meæ prorsùs ignarus est. Cæterùm spes mea in Deo & vobis est, ad quem tam meas quàm amicorum angustias, præsertim pro confessione veritatis & justitia laborantium, censeo referendas. Horum unus, & auxilio vestro dignissimus est Dominus Cantuariensis, qui pro honore Dei jam quinquenne apud nos exilium in patientia multa proscriptus peragit. Periclitatus hactenùs sævitia tyrannorum & delatorum insidiis, sed nunc graviùs periclitatur à falsis fratribus. Quorum primus ille Londoniensis, qui sub Episcopi nomine, sicut ex litteris Domini Senonensis pleniùs innotescet, parricidam exprimit furiosum. Placeat itaque Sanctitati vestræ, cujus incolumitatem propitius Ecclesiæ suæ perpetuare dignetur Dominus, tam præfatum Episcopum quàm alios, quos Dominus Cantuariensis exigentibus meritis anathemate condemnavit, tanta severitate conteri, ut à similium ausu reliqui terreantur exemplo vindictæ.

## EPISTOLA XC.

Oddo Monachus Richardo Pictaviensi Archi-Diacono.

*Venerabili Domino & Amico suo Richardo, Pictaviensi Archi-Diacono, Frater Oddo æternam in Christo salutem.*

LICET abjectio paupertatis meæ tanti viri familiaritate judicari possit indigna, prudens tamen Excel-



Excellentia tua spirituales divitias temporalibus anteponens, quàm humiliter mihi in familiaritate per charitatem & orationum gratiam conjungi postulare dignata sit, credo quòd nondùm oblivioni tradiderit. Unde quoniam juxta dignationem voluntatis tuæ, charitatis tibi vinculo teneor, & me tibi in his, quæ Dei sunt, obnoxium esse confiteor, non modicam tibi scribendi habere fiduciam debeo. Nec si pro avertendo Ecclesiæ meæ periculo tibi per litteras supplico, nimis præsumptuosum existimo. Videns igitur in appellatione Episcoporum, cui per justitias Regis consentire compellimur, æternum Ecclesiæ nostræ imminere periculum, & sempiternum opprobrium, in magno pro hoc cum universo Conventu nostro mœrore constitutus, ad pedes pietatis tuæ me corpore & mente prosterno. Et illud tibi Evangelicum cum clamore valido & lachrymis offero: *Domine, si quid potes, adjuva nos.* Utinam hoc quod ibi responsum est, & tu mihi respondeas: *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.* Huic Responso statim subinfero: *Credo Domine.* Nec illud adjicio: *Adjuva incredulitatem meam.* Perfectè etenim credo, & certissimè scio, quia, si volueris, ab imminenti periculo cum omni facilitate liberare nos poteris. Videtur enim mihi rem diligenter consideranti, quod sententia ista ex ore Domini Regis minimè processit, quæ nos adversùs Archi-Episcopum nostrum, contra æquum & bonum, appellationem facere compellit. Si enim ore ipsius dictata fuisset, hoc nimirum ordine procederet, ut primùm Episcopi omnes, deinde Abbates omnes, posteà Priores, quicumque alicujus authoritatis sunt, omnes, Archi-Diaconi quoque & Decani omnes ad hoc faciendum vocarentur, quorum interest jura Ecclesiastica defendere, & pro eis appellationes facere. Ad postremum verò, si necesse esset, Monachi Claustrales, præsertim hi qui Abbate & Priore carent, ad appellationis supplementum humiliter rogarentur, non violenter compellerentur: maximè cum ad eos hujusmodi negotia minimè pertinere noscantur. Nunc verò transitis Abbatibus multis, Prioribus etiam tam Monachorum quàm Canonicorum, magnæ authoritatis viris præteritis universis, Archi-Diaconis quoque & Decanis cum suis Synodis & Capitulis plerisque dimissis, quid est quod Monachi simpliciter Claustrales, Abbate & Priore carentes, ad hanc quietis nostræ perturbationem specialiter præ cæteris evocamur, & ad rem nobis tam illicitam, tam periculosam, & in omnibus post futuris sæculis cum maximo nobis opprobrio semper objiciendam, tam violenter compellimur? Quid dico, violenter? Immo cum tanto & cum tam inevitabili periculo hoc facere compellimur, ut si periculum, quod ab ira Regia nobis imminet, si ei inobedientes fuerimus, per consensum appellationis declinare tentemus, majus hinc periculum statim incurramus, quod imminet nobis à Deo in damnationem, à Domino Papa, & ab Archi-Episcopo præsertim in excommunicationem, vel certè in ordinis nostri destructionem, ab omnibus Archi-Episcopis futuris in æternam odii & depressionis occasionem, ab universo mundo, ubicumque hoc auditum fuerit, in sempiterni opprobrii confusionem. O angustia! O violentia undique periculosa! Absit hoc, absit à Domini nostri Regis pietate atque prudentia, ut tam periculosè contra nos dictaverit, qui nos ab omni humano solatio destitutos in sua cura suscepit. Qui nobis loco Archi-Episcopi & loco Prioris se futurum fideliter proposuit. Et hactenus misericorditer fuit. Quem solùm post Deum & Sanctos ejus in terra patronum habemus, & à quo solo solatium, consilium, & auxilium speramus. Certus sum quod sententia ista à Domino nostro Rege contra nos filios suos, sibi semper & ubique fidelissimos, minimè processit, sed justitias ejus excommunicatorum calliditas circumvenit, ut nos, qui in capite Regni sumus, secum appellationem facere cogant, per quam & causam Archi-Episcopi maximè deprimendam, & suam è contrario plurimùm roborandam fore existimant. Sed utrùm ex appellatione nostra aliquis profectus illis subvenire possit, ambiguum est. Nobis autem tam à Deo, quàm ab hominibus inde maximum imminere periculum, certissimum est. Sed neque apud Dominum nostrum Regem tutum nobis esse potest, ut vel absque speciali ejus mandato, vel proprii oris imperio hoc faciamus, præsertim cùm in ipsius consilio ex toto positi simus. Scio neque ipsum neque suos in aliquo vel modicum dubitare de nobis, quo necesse sit hujusmodi rem periculosam à nobis exigere. Sciat enim dilectio tua, sciat tecum sociorum tuorum, id est, justitiarum Regis prudentia, sciat vobiscum universa terra, quod Dominum nostrum Regem præ omnibus hominibus, qui sunt in terra, in veritate diligimus, & honorem ipsius in omnibus, & per omnia pro modulo nostro servamus, & servare volumus. Hujus veritatis testes sunt orationes nostræ, quas Deo pro salute ipsius & hæredum ejus, & pro incolumitate totius Regni, specialiùs quàm pro ullo hominum, die ac nocte affectuosa charitate offerimus. Quod ut quietè, sicut hactenùs fecimus, semper facere possimus, si verè & Ecclesiæ nostræ & Regis Amicus es, immò verò, quia es, nobis ad imminens evadendum periculum, in quantum potes, providere, & socios tuos, Regis justitias & Amicos ad similiter providendum omnibus modis allicere debes. Ut igitur Christum, cui in Ecclesia ipsius devotè servimus, in maxima necessitate tua non aversum à te, sicut in visione vidisti, sed ad te conversum, sicut iterùm vidisti, tibique propitium invenias, & ut Beatum Dunstanum, omnesque Sanctos, quorum Reliquiæ in nostra continentur Ecclesia, non contra te coram Deo accusatores, sed pro te apud Deum semper intercessores efficias, ecce ego, o Domine venerabilis, & Amice charissime, in persona totius Conventus ad pedes Pietatis tuæ supplex & humilis jaceo, gemitibus & lachrymis insitam tibi bonitatem postulans, ut nobis, de tuo consilio & auxilio plurimùm confidentibus, in hac periculosa necessitate subvenias: & ita nos ab hac angustia secundùm datam tibi à Deo potestatem atque sapientiam absolutè liberes, ut nec Domini Regis indignationem, appellationem subterfugientes, incurramus, nec appellationem facientes universo mundo sempiternum opprobrium efficiamur. Credo in Christo, & de tua bonitate confido, quod in hac necessitate nostra illud proverbium in te verum experiemur: *In necessitate probatur Amicus.* Puta ipsum Christum pro hac necessitate Ecclesiæ suæ supplicare, & omnes Sanctos, quorum in ea Reliquiæ continentur, tuum pro loco sepulturæ suæ

suæ patrocinium postulare. Vale Domine mi & Amice charissime, pro certo sciens, quod si nos ab imminenti periculo liberaveris, totam Ecclesiam nostram in perpetua charitatis servitute tibi semper obnoxiam habebis. Adjuvet Dominus Jesus Christus in liberatione Ecclesiæ suæ. Amen.

## EPISTOLA XCI.

*Henricus Vigornensis Episcopus Capitulo Cantuariensi.*

ACTA nostrorum paucis Dilectioni vestræ perstringo. Siquidem nostrates metu interdicti in partibus nostris divulgati, deliberatione habita, & Episcopis nostris accitis, concione contracta scisciti sunt à singulis, utrùm personas suas, & Ecclesias sibi commissas sub illa vellent appellatione includi, quæ dudùm ab Episcopis nostris in initio Quadragesimæ, scilicet ad terminum Purificationis, facta fuit: quam & communi consilio proposuerant in Octava Pentecostes innovare. Requisitus ergò Dunelmensis Episcopus, sicut sedebat primus, respondit quod illi appellationi non interfuerat, neque mandatum commonitorium indè aliquod in scriptis audierat, deliberaturum se cum Metropolitano suo super hoc, & quidquid liceret, salvo ordine Dei & suo, se consultè facturum. Meruit autem tali delusione favorem audientium, & dilationem. Post hæc Exoniensis requisitus, quid indè censeret, respondit eo inconsulto Coepiscopos suos facilè ad illam appellationem convolasse, non posse pariter & illa appellatione inniti, & excommunicatorum consortium declinare, periculum autem imminere, si Summi Pontificis sententia interdictum illud corroboret, cui discrimini nulla se vellet ratione committere. Si tamen Ecclesiæ Dei consulerent expedire, & prosecutionem ei Regius favor indulgerèt, ut mox Regno posset excedere, de novo appellaret à gravamine, non illato, sed formidato, licèt impetrari posset adversùs omnem appellationem speciale subsidium: quod si ei innotesceret, & pastoris sui sententia illum percelleret, obedienter illam susciperet. Hoc dicto Londoniensis Religionem ejus ridiculam fecit, & Exoniensis deinceps extra Synagogam fuit. Accitus est Dominus Vintoniensis per responsales suos, ut apud Northamtunam super illa quæstione Coepiscopis suis proposita responderet. Rescripsit itaque Dominus Vintoniensis sic: *Lex Divina præscribit, quod appellatus ad majorem judicem, ad inferiorem appellare non potest. Quilibet autem, qui appellat, appellationi prosequendæ sese ex necessitate adstringit. Indè est, quod quia morbo senioque fatigatus à Domino appellor, sæculari & forensi appellationi faciendæ idoneus non existo. Undè dilectionem vestram exortam esse volo, quatenùs me in illas appellationis angustias parcatis intrudere, ubi maledictionis jaculum debeam formidare.* Hanc verò responsionis formam, licèt auditores suspicionis arguerint, maluit Dominus Vintoniensis offensas hominum mereri, quàm offendere legem Dei. Quod & palam fecit, quando denunciationem excomunicationis sibi insinuatæ publicavit, & exinde consortium excommunicatorum attentiùs evitavit. Suggeritur autem nobis, quod Reginaldus Archi-Diaconus Wiltesire Patri suo reconciliationem impetraverit, & quod Dominus Papa sententiæ latæ prorsùs ignarus exstiterit. Unde & fingitur, quod Londoniensi & Saresberiensi causæ cujusdam cognitionem cum Apostolica Benedictione deleget, estque data rescripti post diem latæ sententiæ. Super hoc cavillantur malitiosi, quod excommunicatos illos Dominus Papa reputet absolutos. Super his omnibus, quæ Dilectioni vestræ scribere studui, cum in Scholis vestris, Caussidicorum more, themata inde elicueritis, & juxta Oratoriam vel Legitimam institutionem Quintilianum vel Papinianum fueritis in argumentis & allegationibus imitati, merita causarum, ex incude & malleis vestris exilientium, nobis tanquam desideratum antidotum renunciate, recepturi postmodùm gratiora, & quæ vestram plurimùm debeant spem alere, & fiduciam exigere, ut ex illis vobis fides fiat, quia vicistis mundum.

## EPISTOLA XCII.

*Alexandro Papæ Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus.*

ECCLESIÆ pacem, quam jugi sollicitudine pietas vestra procurat, illi præ cæteris magis impediunt, quos oportebat tum pro debito officii sui, tum pro mandati vestri reverentia, in reformatione ejus ampliùs laborare. Luget ergo Ecclesia, quod decoloratur & denigratur à filiis; & quia spolia ejus diripiunt, qui custodes illius fuerant instituti. Nam si Gaufredus Archi-Diabolus noster, & Reginaldus Saresberiensis, & Joannes de Oxeneford, nomine & quæstu Decanus quondam in Christo excellentis Ecclesiæ, ministerio autem & cultu Satellites Curiæ, itemque complices eorum, Regis animum non pervertissent, Ecclesiæ pax, ut creditur, jam esset ad Nunciorum vestrorum adventum reformata. Nam qui ministrant arma iniquitati, ferè omnes apud nos Clerici sunt, quorum aliqui de vestra familiaritate & Sedis Apostolicæ privilegio gloriantur, ut dicant se quidquid fecerint, nulli nisi Romano Pontifici responsuros. Quæ gloriatio, si si vera est, & Ecclesiæ Romanæ decolorabit famam, & totius Ecclesiæ, quod absit, in brevi subvertetur honestas, dum omnes ad omnia privilegiatorum provocabuntur exemplis. His facile est sumptibus ex rapinis ministratis frequentes iterare discursus, & ut sibi, cum ignoti & inopes ante fuissent, faciant nomen & quæstum, crebra Curiarum sollicitatione procurantes, quantum in eis est, ut Ecclesia nunquàm habeat pacem. Qua de causa nunc ad vos properare dicuntur Reginaldus de Saresberia, & Ricardus Barre, qui cujus fidei & modestiæ sint, authore Domino, Nunciis vestris referentibus audietis in brevi. Interim certum habet vestra Paternitas, quod nominatim excommunicatis scienter communicaverunt, adeò ut præfatus Richardus se contulerit ad Gaufredum Archi-Diaconum nostrum, quem excommunicatum noverat, ut illius patrocinetur errori, & illi & aliis excommunicatis passim communicet. Quocirca supplicamus Sanctitati vestræ, ut cum ad vos venerint, sic eos tractetis ut participes anathematis, nec eorum sollicitationes admittatis ante reditum Nunciorum vestrorum. Nam si delusores istos vel hac vice duriùs tractaveritis, pacem, Deo propitio, pro voto facietis.





## EPISTOLA XCIII.

Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Henrico Vintoniensi Episcopo.

*Venerabili Domino, & tum provectione ætatis & morum sanctitate, tum Consecrationis munere Charissimo Patri, Henrico Dei gratia Vintoniensi Episcopo, Thomas ejusdem miseratione Cantuariensis Archi-Episcopus, & Sedis Apostolicæ Legatus, salutem, & beati certaminis cursum feliciter consummare.*

SINCERITATI vestræ, Pater amande, quantas pro tempore licet, gratiarum referimus actiones super honesto & pleno sapientiæ, maturitatis, & Divini timoris consilio, quod nobis in Spiritu fortitudinis vestra Charitas per præsentium Latorem nuper exhibuit. Et super solatio, quod necessitatibus nostris vestra sæpiùs Pietas ministravit. Sic, Pater, decet virum sanguine generosum, & clarum Atavis Regibus, sed cultu virtutis & Religionis exhibitione clarissimum, generis exornare Nobilitatem. Sic debet Christi Sacerdos & Pontifex vitam consummare, ut vivens honorificet ministerium suum, & Ecclesiam Christi post fata ædificet, & relicto probitatis exemplo posteris, sua vel perfectiores faciat imitari vestigia. Memoria talium perpetua benedictione vigebit in generationibus sæculorum, & claritas eorum ut firmamenti splendor, in æternitatem fulgebit. Quia ergo talentum consilii & fortitudinis, præ cæteris conterraneis & coætaneis, vobis inter innumera Charismatum dona contulit Spiritus Sanctus, Paternitatem vestram, quanta possumus affectione, exoramus, ut confirmare meminerit fratres nostros, & eos animare & roborare studeat, tam exhortationibus quam exemplis. Nam juxta Salomonem: *Frater qui adjuvatur à fratre, quasi civitas fortis & inexpugnabilis.* Et certè opera vestra de cætero debent esse fortium armatura. Et justum est, ut quod alii laudabiliter egerint, vestris, Pater, titulis adscribatur. Quid enim poterunt operari, nisi quod provectiorem sapientia, ætate, & gratia videbunt operantem? Et quidem quod quidam eorum jam erecti sunt, & ut audivimus & speramus, contra membra Sathanæ vobiscum stare disponunt, vestris imputant meritis, qui quod nuper actum est, audierunt. Nec est quod vos in diebus istis vereri oporteat, cum vestram conditionem nobilitas, prudentia, copia rerum & Amicorum, & ætatis reverentia à læsione, quæ potest in dissimili statu manentes infestare, defendant. Siquidem nonnulli fortasse, qui vobis crederent non esse parcendum, vestris, quos in hac tempestate verentur offendere, procul dubio parcent in vobis, & à Domo vestra flagellum suspendet impius, ne quod promeruit propinquorum vestrorum ministerio veniat super eum. Cætera non exaranda litteris Latoris præsentium fidei commissa sunt, vestris dumtaxat auribus intimanda. Quem, si placet, ut probatæ veritatis fratrem admittetis & audietis. Valeat Sanctitas vestra, Pater amande, & creationem suam, nostram parvitatem loquimur, in orationibus suis Deo commendare meminerit.

## EPISTOLA XCIV.

*Idem eidem.*

AD Sanctorum gloriam, & reproborum damnationem necesse est scandala provenire, ut tribulationibus probentur Electi, qui probati per patientiam, coronam gloriæ adquirunt sibi, & aliis proficiunt per exemplum. Sed væ illi, per quem scandalum venit. Quia ergo Londoniensis Episcopus non parcit à scandalis, & inter cætera patentis malitiæ opera, postquàm Sathanæ traditus est, etiam contra Matrem suam & vestram, S. Cantuariensem Ecclesiam, tam impudenti audacia & parricidali impietate calcaneum erexit, ut dicere ausus sit se ei, ex quo translatus est, nullam debere subjectionem aut obedientiam exhibere, & ad cumulum damnationis suæ adjecit, quod Cathedram Archi-Episcopalem Londoniam transferri faciet, Fraternitatem vestram, de qua plenè confidimus, quanta possumus affectione rogamus, quatenus pro Matre vestra defensionis clypeum opponatis filio Belial, qui præ cæteris Allophylis tanquàm alter Goliath de Geth solus, authore Domino, de castris incircumcisorum progredi non erubuit, nec timuit universitatem filiorum Cantuariensis Ecclesiæ provocare ad certamen, dum Matris eorum sanguinem sitit, & Catholicæ pacis deserit unitatem. Scripserat Domino Papæ pro fratre nostro Eboracensi Archi-Episcopo, sollicitans eum etiam attestatione mendaci & mendosa, ut eum pateretur Crucem deferre per provinciam nostram, nescio quid emolumenti sibi suspicans eventurum, si odio personæ nostræ Ecclesiam, cui ex professione fidem & obedientiam debet, quocumque læsisset modo. Sed Christus, qui Cantuariensem à prima fundatione inter turbines varios & magnas multasque procellas rexit & fovit Ecclesiam, misericorditer operatus est, ut in pleno consistorio per testes omni exceptione majores revelaretur falsitas & iniquitas ejus. Deo autem in primis gratias agimus, deinde vobis, & cæteris fratribus nostris, qui nos, ut oportuit, ex quo eum constitit anathemate condemnatum, ab illius participatione suspendistis, & tam illum quàm cæteros excommunicatos nostros per Episcopatum vestrum Edicto publico jussistis evitari. Claruit hic fides vestra, constantia virtutis effulsit, quæ publicæ potestatis & Officialium minas, æquè ut blanditias, mandatis Dei censuit postponendas. Liberastis conscientias vestras, famam purgastis, dum tam verbo veritatis quàm fortitudinis exemplo docuistis, quod Deo potiùs quàm hominibus oportet obedire. Certum itaque habeat sinceritas vestra, quandoquidem tanta charitas Dei per Spiritum Sanctum diffusa in cordibus vestris testimonio clari operis processit in publicum, servili timore depulso & excluso, quod Deus citò Sathanam conteret sub pedibus vestris, & de certamine proventum educet gloriosum. Et quidem tantò citiùs & gloriosiùs, quantò ferventiùs & constantiùs in incepta perseverabitis veritate. Unde vos oramus & obsecramus in charitate Dei, & obtestamur per fidem, per obedientiam, per sinceritatis affectionem, quam Matri vestræ Cantuariensi Ecclesiæ debetis, quatenus ad tuendam Dignitatem & jura

& jura Cantuariensis Ecclesiæ, cui professionem exhibuistis, contra præfatum Episcopum exsurgatis in adjutorium nobis, Domino Papæ scribatis & Curiæ testimonium veritatis, quale filios pro Matris justitia reddere decet. Nam qui illud subtraheret in articulo tanti discriminis, procul dubio infidelis habendus esset, & infideli deterior, in quem jus exigeret usque ad internecionem omnes fideles irruere. Nec tamen res ista quidquam potest habere periculi, cum veritas perspicua sit, & ut dici solet, lippis & tonsoribus patens. Sed quia maledictus est, qui gladium revocat à cruore, & pestilens flagellandus est, ut erudiatur sapiens ad salutem, seipsum legis subjicit maledicto, quicumque parricidæ cum lapide non occurit & gladio. Videtur namque præstare consensum, qui cum possit, non arguit aut impedit talia committentem. Et ne à nobis districtiùs exigatur, si eorum qui Ecclesiam persequuntur, & quos ut pœnitentiam agerent, in multa patientia jam ferè toto quinquennio supportavimus, magnas & manifestas ulteriùs dissimulaverimus injurias, noveris nos publicè excommunicasse Gaufredum Cantuariensem Archi-Diaconum, & Robertum Vicarium ejus, Richardum de Welcestre, Wilhelmum Giffard, Richardum de Luci, Adam de Cheringis, & item eos qui officia vel beneficia Ecclesiastica contra Sacrorum Canonum institutionem de manu Laica acceperunt, vel ea usurpaverunt propria temeritate. Similiter & illos, qui Domini Papæ Nuncios aut nostros, ne Ecclesiæ necessitates prosequantur, impediunt. Vobis ergo authoritate Domini Papæ & nostra mandamus, quatenus eos tales habeatis, & in Episcopatu vestro haberi faciatis, quales haberi debere solemniter Excommunicatos sacrorum canonum disciplina præscribit. Valete.

## EPISTOLA XCV.

Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Gileberto Londoniensi Episcopo.

*Thomas Dei gratia Cantuariensis Archi-Episcopus & Apostolicæ Sedis Legatus, Gileberto Londoniensi Episcopo, utinam vero fratri, resipiscere à malo, & Deo potiùs quàm hominibus obedire.*

LICET studia vestra, quibus ex proposito perniciem Ecclesiæ & nostram pro viribus hactenùs procurastis, fidelium communionem demeruerint, & salutationis alloquium, nos tamen, quæ ad salutem vestram, quam Deo teste cupimus, indubitanter credimus pertinere, vobis pro debito Officii nostri sollicita charitate proponimus, reducentes ad animum, quod qui terram Austri inhabitant, cum panibus etiam fugienti monentur occurrere. Et quod Christus, qui Pastor & forma Pastorum est, non justos venit, sed peccatores per pœnitentiam reformare, quam sicut ille nunquàm reprobat veram, sic semper adspernatur & damnat fictam, utramque examinans ex contritione cordis, & convincens ab operibus suis. Nam arbor ex fructu cognoscitur, & opera cujusque testimonium perhibent de eo. Sicut ergò inobedientiam vestram & contumaciam, ut cætera parcentes interim taceamus, ulteriùs præterire non potuimus nec debuimus impunitam, sic conversionem vestram & condignos obedientiæ fructus charitate promptissima acceptabimus, omnium quæ contra nos commisistis, ampliùs non recordaturi, si de pœnitentiæ sinceritate & condigna satisfactione constiterit. Ad quam vos affectione paterna revocantes, monemus & exhortamur in Domino, ut ponatis cor super vias vestras, & opera digna Episcopo de cætero faciatis, ne nos in executione vindictæ pro contumacia compellamur ad ulteriora procedere. Ad hæc vobis in virtute obedientiæ, in periculo gradus & Ordinis præcipiendo mandamus, quatenùs nobis sine dilatione remittatis litteras Domini Papæ super Legatione nostra, quas vobis misimus, per vos fratribus & Coepiscopis nostris communicandas. Et si eas, ut oportuit, communicastis, benè fecistis. Sin autem, procul dubio noveritis, quoniàm & illarum suppressio districtiùs requiretur à nobis. Cor pœniteus vobis Divina misericordia largiatur. Si resipueritis, & ad satisfactionem festinaveritis, parcat vobis Deus, & celeriùs convertat.

## EPISTOLA XCVI.

*Alexandro Papæ Philippus Comes Flandriæ.*

MULTAS Sanctitati vestræ fero gratias, quòd pro venerabili viro, & Deo, sicut creditur, amabili, Thoma Cantuariensi Archi-Episcopo, tam benigno & tam paterno affectu mihi scripsistis. Hinc enim spero, quòd contra Ecclesiæ inimicos ipsius eritis per omnia adjutor & protector. Undè & ego nunc versa vice Paternitati vestræ, quantas valeo, preces porrigo, quatenùs jam dictum Cantuariensem, omni gratia, metuve terreno postposito, diligatis & foveatis. Alioquin nobis & universo mundo grande fieret scandalum, & exemplum perniciosum, vestra etiam admodum lederetur opinio. Sed exsurgatis in ira vestra, & inimicos Ecclesiæ debellate, & sic erit Deus vobiscum. Et moveat vos, quod jam dictus Archi-Episcopus, cùm adhuc militans sæculo in domibus Regum esset nutritus, pastorales tamen sudores non recusavit, immò propter justitiam & Romanæ Ecclesiæ fidem exulare ubique prædicatur. Accedit etiam malorum cumulo, quod fratres sui ab ipso divisi sunt, sicut jam undique divulgatur, & pugnam suam instituentes, ipsum jam præ paupertatis angustia in sollicitudine latitantem ad vestram præsentiam appellaverunt. Sed vestrum est, Pater Sancte, considerare diligenter & attendere, qualis sit appellatio hæc, quæ ob aliud non videtur facta, nisi ut opprimatur justitia, & finem non habet Ecclesiæ pressura. Nos verò omnes, & Regni Francorum Principes exspectamus & desideramus, ut isti, qui propter honorem Dei & vestri nominis exulat, dignum, prout meruit, tribuatis auxilium, & Ecclesiæ inimicos, qui dolis & circumventionibus, minis etiam quærunt justitiam subvertere, & vestram deludere prudentiam, sicut justum est, repellatis. Id etiam affectuosè vestræ Paternitati supplicans, ut Cantuariensem Ecclesiam intuitu præsentis laboris sui ad pristinas & debitas dignitates reformetis. Valeat Sanctitas vestra, Pater.

EPI-



## EPISTOLA XCVII.

Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Stephano Meldensi Episcopo.

*Salutem, & modicum id quod devotio potest exulis & proscripti.*

DILECTIONI vestræ super consolatione, quam nobis & nostris semper exhibuistis, non sufficimus reddere gratiarum debitas actiones. Reddet autem, qui potest, pro cujus honore persecutionem patimur, Christus. Et nos, si quid unquàm potuerimus, ad vestrum & vestrorum, ut justissimum est, prompti sumus obsequium. Poterimus autem, propitiante Deo, qui Ecclesiæ suæ justitiam semper illustrat, & nunc, sicut à venerabili Patre Domino Senonensi, & magistro Petro Carnotensi Archi-Diacono potestis audire, malitiam & duritiam Regis Angliæ manifestissimè denudavit: Filio gratiæ Gratiano secundùm fidem suam, & in ea sinceritate, qua causam tractavit Ecclesiæ, respondeat Deus. Quia apud eum acceptio personarum vel munerum nihil potuit, sed fideliter & prudenter ad honorem Dei & Ecclesiæ Romanæ usquequaque versatus est. Agite ei, si placet, gratias, & merita partium ab ipso diligenter audite. Nuncios nostros ad Clementiam Serenitatis vestræ dirigimus, quos si placet in causa Christi audite, ut nos ipsos, & date operam ut Dominus Papa miseriam nostram ad gloriam Dei & honorem suum celeriùs consoletur. Oramus instanter, quatenus potest devotio miseri peccatoris, ut Deus prosperum faciat iter vestrum, & felices vobis ad optanda largiatur successus.

## EPISTOLA XCVIII.

*Alexandro Papæ Stephanus Meldensis Episcopus.*

LICET non sit discipulus super magistrum, judiciaque Pastorum Ovibus veneranda sint, non retractanda, non tamen erit incongruum, si Patri filius in causa pietatis supplicet, & bonum Dominum pro bono pacis humilis servus instanter interpellet. Novit non solùm Romana, sed & omnis Catholica Ecclesia, quàm injustè Dominus Cantuariensis exulet, quàm iniquè vapulet, de quàm bono opere lapidetur. Et quòd dum Ecclesiæ verus nititur esse filius, hostibus Ecclesiæ factus est hostis publicus. Et ea causa in exilium est depulsus, qua fuerat ab exilio dignissimè revocandus. Nondum tamen iniquitas oppilavit os suum, nec obstructum est os loquentium iniqua, sed quasi quosdam cineres mortuos persequitur, & in capite judicii nititur eruere oculos veritatis, quæ jam in quibusdam obliquavit pedes rectitudinis. Filiali igitur devotione & omnimodis obnixa supplicatione postulamus, ut erga Dominum Cantuariensem indefessam & solidam, solitamque geratis circumspectionem. Et dum Anglorum vobis pecuniosæ insidiantur versutiæ, Papalis nihil diminuatur constantiæ, sed immotam & ineradicabilem servando perseverantiam, & Domini Regis, & totius Ecclesiæ Gallicanæ vobis & conservetis benevolentiam, & augeatis amicitiam.

FINIS LIBRI TERTII.

LIBER

# LIBER QUARTUS
# A LEGATIONE
## SIMONIS DE MONTE DEI,
## ET
## BERNARDI DE CORILO.

### EPISTOLA PRIMA

*Alexander Papa Simoni Priori de Monte Dei, & Bernardo de Corilo.*

AD vestræ dilectionis notitiam volumus pervenire, quod nos charissimum in Christo filium nostrum Henricum illustrem Anglorum Regem, per Nuncios & litteras benignè ac paternè sæpè & sæpè commonuimus, ut venerabilem fratrem nostrum Thomam Cantuariensem Archi-Episcopum in gratiam & amorem suum reciperet, & ipsum ad Sedem suam & commissam sibi Ecclesiam revocaret. Quem utique sub spe & fiducia, quod animum & voluntatem suam circa jam dictum Archi-Episcopum mitigare deberet, hactenùs sustinuimus. Verùm quoniàm apud eum in his huc usque proficere minimè potuimus, undè tristes sumus & dolentes effecti, eundem adhuc per vos, quos magis Deum quàm faciem hominis & credimus & novimus revereri, sicut filium, cujus correctionem toto cordis affectu optamus, paternè duximus admonendum. Indè siquidem est, quod dilectioni vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, & in virtute obedientiæ injungimus, quatenùs pariter in unum convenientes, ad præfatum Regem infra duos menses post harum susceptionem, si citra mare fuerit, omni excusatione & contradictione cessante, insimul accedatis, & eundem commonere diligentiùs, & instantiùs exhortari curetis, & ipsi etiam ex parte Dei & nostra, in omnium delictorum suorum veniam injungatis, quod memoratum sibi Archi Episcopum reconciliet, & omni indignatione & rancore semoto eundem in gratiam & amorem suum recipiat, & illum ad commissam sibi Ecclesiam non differat revocare, considerans diligentiùs & attendens, quàm periculosum sit, & tam animæ quam corpori perniciosum, contra Deum & Ecclesiam suam pugnare, sicut in universalis Ecclesiæ inimicis poterit evidenter agnoscere, si qualiter eos Omnipotens Dominus justo suo judicio humiliaverit, & vires ipsorum, in quibus maximè confidebant, hoc anno enervare curaverit, ad animum voluerit sollicitè revocare. Non enim sibi ad ignominiam vel infamiam debet aliquam reputare, si suam in hac parte vinci voluntatem & animum patiatur, & se Deo ac Creatori suo humiliet, qui eum, si hoc fecerit, procul dubio exaltabit. Hæc siquidem sibi & alia, quæ magis expedire noveritis, studiosiùs & sæpiùs sine dubitatione aliqua proponentes, litteras nostras commonitorias eidem tradatis, & commonitionem vestram in Spiritu fortitudinis & lenitatis adjungere studeatis. Quod si vos nec sic audire voluerit, sed in sua potiùs duritia & obstinatione duxerit persistendum, eidem litteras nostras comminatorias porrigatis, & ex parte nostra constanter addentes, quod nos prænominato Archi-Episcopo os de cætero nulla ratione claudemus, nec ipsi, nisi idem Rex ante initium proximæ Quadragesimæ, quæ jam quasi instare videtur, ea quæ superiùs diximus adimplere voluerit, ulteriùs inhibitionem aliquam faciemus, quin suas & Ecclesiæ sibi commissæ, necnon & suorum injurias Ecclesiasticæ severitatis gladio pro sui officii debito graviùs ulciscatur. Non enim credere debet aut in mente habere, quin dormiens Dominus aliquando excitetur: & quòd Beati Petri gladium ita rubigo consumpserit, quin educi valeat, & vindictam debitam exercere. Volumus autem, ut hæc, sicut prædiximus, diligentiùs exequamini, nisi venerabilis frater noster Bellicensis Episcopus, & dilectus filius Prior Carthusiensis, ea, prout illis mandavimus, exequantur. Datum Beneventi, octavo Kalendas Junii.

### EPISTOLA II.

*Alexander Papa Henrico Regi Angliæ.*

A Regiæ sublimitatis memoria non credimus excidisse, quantum tibi super negotio venerabilis fratris Thomæ Cantuariensis Archi-Episcopi, utinam non contra justitiam, detulerimus. Et quomodò nos ei os sæpè clauserimus, ne in te, aut in Regnum tuum, vel personas tui Regni aliquam posset sententiam ferre, aut vos in modico aggravare, Celsitudini tuæ incognitum non existit. Nunc autem sub ea spe & fiducia, quod omnipotens Dominus animum tuum circa jam dictum Archi-Episcopum mitigare debeat, & immensa sua clementia serenare, licèt contra rigorem Ecclesiasticum & justitiam etiam sustinuerimus, Serenitatem tuam per Apostolica scripta rogamus, mandamus, & exhortamur in Domino, & tibi in remissionem omnium peccatorum tuorum injungimus, ut animum & voluntatem tuam vinci à Domino patiaris, nec contra Deum & salutem tuam pugnare velis, & suam adversùs te indignationem, quod absit, meritò commovere. Si autem præfati Archi-Episcopi personam, aut nostram etiam, qui licèt immeriti in majori sumus officio constituti, diligentiùs considerare



siderare volueris, & ad tuam Nobilitatem & Magnificentiam comparare, non tibi guerram aut indignationem istam ad laudem & gloriam, sed ad dedecus potiùs poteris reputare, cùm nullam ei reverentiam vel honorem propter nobilitatem vel magnitudinem suam, sed solummodò propter Deum exhibeas, & in eo ipsum Deum procul dubio venereris, eodem dicente: *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit*. Quare si tuam in hac parte vinci duritiam & Propositum patiaris, ad augmentum tibi & exaltationem proveniet. Et Deus, cui te humiliaveris, personam tuam sinè dubitatione aliqua exaltabit. Et tam spiritualiter quàm temporaliter patientiam & humilitatem tuam remunerare curabit, sicut tibi per venerabilem fratrem nostrum Bellicensem Episcopum, & dilectum filium Priorem Carthusiensem, latores præsentium, viros siquidem Religiosos, & Deum timentes, hæc & alia viva voce pleniùs significamus, volentes animi tui indignationem & motum blandis & lenibus à suo proposito revocare.

### EPISTOLA III.

*Alexander Papa Henrico Regi Angliæ.*

EXCELLENTIÆ tuæ Nuncios, dilectos scilicet filios nostros, Clarembaldum Electum S. Augustini, Reginaldum Archi-Diaconum Saresberiensem, Simonem de Carcere, Henricum de Northamthune, & Regiæ sublimitatis litteras per eosdem nobis transmissas, ea qua decuit benignitate admisimùs, & illius ferventissimæ charitatis ardorem, quem circa nos & Ecclesiam Dei à nostro promotionis exordio magnificentia tua tam constanter exhibuit, ad animum sollicitè revocantes, his quæ jam dicti Nuncii nobis ex parte Celsitudinis tuæ discretè satis, & cum omni diligentia intimarunt, licèt nimis ardua & difficilia essent, aurem benevolam curavimus adhibere, & illius siquidem honoris & reverentiæ, quàm Regia Serenitas nobis instante necessitatis tempore, sicut excellentiæ tuæ nos sæpè nunciasse meminimus, tota, prout major pars Christianitatis cognovit, devotione impendit, non immemores existentes, ad petitionum tuarum, in quibus cum Deo possumus, promotionem vehementer accendimur, nec aliquid nobis unquàm honoris vel gratiæ esse videbitur, quin Celsitudini tuæ indulgere possimus. Verumtamen attendentes quod tu, cui omnipotens Dominus inter filios hominum tot divitiis abundare, tanta prudentia & discretione pollere concessit, contra eum, cui servire regnare est, non velis, nec ejus resistere voluntati, præsertim cum Strenuitati tuæ toties contulerit de hoste triumphum, de immensa bonitate illius confidimus omnimodis & speramus, quod animum & voluntatem tuam circa Ecclesiam & ejus negotia mitiorem efficiet, & ad id cor tuum, quod beneplaciti sui fuerit, inclinabit, licèt memorati Nuncii constanter assererent te tanta turbatione esse commotum, quod venerabilem fratrem nostrum Cantuariensem Archi-Episcopum nullo modo reciperes, nec circa eum poterat tuus animus mitigari. Nos autem, qui Paternæ circa personam suam affectionis non possumus oblivisci, sed sicut Catholicum Principem & Regem Christianissimum in omnibus, quantum honestas permittit, honorare & exaudire optamus, credentes firmiter & sperantes, quod discreta providentia tua in his, quæ Dei sunt, & ad Ecclesiæ negotia spectant, gloriosius esse suam vinci, quàm vincere voluntatem, nequaquam ignoret, præfato Archi-Episcopo sub spe & fiducia, quod ille, in cujus manu corda Regum consistunt, animum tuum mitigare dignabitur, dedimus in Mandatis, & omnimodis inhibuimus, ne in te, aut in terram tuam, vel in personas Regni tui, interdicti seu excommunicationis sententiam, donec ipsum in gratiam tuam recipias, & tibi reconcilietur, proferre ulla ratione attentet, aut in aliquo gravare præsumat. Et quoniam litteras illas, quas magnificentiæ tuæ anno præterito per Nuncios tuos ultimò destinavimus, viribus de cætero constat carere, si prædictus Archi-Episcopus interim te, aut terram tuam, vel personas Regni tui, in aliquo gravare præsumpserit, præsentes litteras potestis in argumentum nostræ vuluntatis ostendere, & te & tuos à suis gravaminibus immunes demonstrare. Quod autem in scriptis nostris vel legatis varietatem invenisti, nullatenus mireris, cum & beatus Paulus Propositum suum sæpiùs mutasse legatur, licèt in hac parte nostrum mutasse Propositum minimè recolamus: cùm & nobis, etsi non ex parte tua, pro certo fuerit intimatum, & quasi certa spes & fiducia facta, quod prænominatus Archi-Episcopus illis mediantibus tibi deberet reconciliari. Quod etiam ex quibusdam scriptis, quæ nobis ostensa fuerunt, visi sumus pleniùs concepisse. Unde contigit quod eosdem legatos hac de causa juxta verbum Nunciorum tuorum ad Regiam sublimitatem transmisimus, quibus cum fiducia ista coram quibusdam fratribus nostris, dum adhuc coram nobis præsentes essent, injunximus, ut cognitioni causarum inter te & Archi-Episcopum ordine judiciario nulla ratione præsiderent, præsertim cum de reconciliatione, sicut diximus, quasi certi essemus. Et ideò prudentia tua, si aliter scripsimus & mandavimus, in nullam debet admirationem deduci, nec alicui mutabilitati, quod ob honorem tuum & sub spe tali fecimus, imputare, præsertim cum homines simus, & in multis decipi aut circumveniri possimus.

### EPISTOLA IV.

*Alexander Papa Henrico Regi Angliæ.*

QUAM paternè & quàm benignè Regiam sæpiùs excellentiam conveniremus, & per litteras ac Nuncios exhortati fuerimus, ut venerabilem fratrem nostrum Thomam Cantuariensem Archi-Episcopum reconciliare tibi deberes, & sibi ac suis Ecclesias cum cæteris ablatis restituere, sublimitatis tuæ prudentia non ignorat, cùm id ferè toti Christianitati publicum ac manifestum existat. Undè quoniàm in hoc hucusque minimè proficere potuimus, nec animi tui motum blandis & lenibus emollire, tristes & dolentes efficimur. Et nos spe fiducia nostra frustrari dolemus, præsertim cùm te, sicut filium charissimum, sinceriùs diligamus in Domino, cui in hoc grave periculum imminere vide-

videmus. Et quoniam ſcriptum eſt: *Clama ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo ſcelera eorum*. Et alibi: *Niſi annunciaveris impio impietatem ſuam, ſanguinem ipſius de manu tua requiram.* Et aliàs per Salomonem: *Piger homo de ſtercore boum lapidari jubetur*. Duritiam tuam, ſicut hactenus, contra juſtitiam & ſalutem noſtram non duximus ulteriùs ſupportandam. Nec præfato Archi-Epiſcopo os de cætero aliqua ratione claudemus, quin officii ſui debitum proſequatur liberè, & ſuam & Eccleſiæ ſibi commiſſæ injuriam Eccleſiaſticæ ſeveritatis gladio ulciſcatur. Quæ autem in litteris tam de his, quàm de aliis minùs contineri noſcuntur, dilecti filii noſtri, Prior de Monte Dei, & frater Bernardus de Corilo, Viri ſiquidem plùs Domini quàm hominis faciem reverentes, Serenitati tuæ latiùs proponent, quorum admonitioni ille, cui ſervire regnare eſt, & in cujus manu corda Regum conſiſtunt, animum tuum & voluntatem inclinet, ut flecti potiùs velis, quàm contra Deum & ſalutem tuam in tantę obſtinationis propoſito diutiùs permanere. Quod ſi nos in illis nec ſic audire volueris, ea quæ tibi ex parte noſtra propoſuerint, procul dubio ventura poteris formidare. Datum Beneventi, undecimo Kalendas Junii.

## EPISTOLA V.

*Thomas Cantuarienſis Archi-Epiſcopus Henrico Regi Angliæ.*

REGIA poteſt meminiſſe Nobilitas, quoniam vobis obtuli in præſentia Domini Regis Francorum, & plurimorum qui aderant, quod ad honorem Dei & veſtrum paratus eram me ponere omninò in miſericordia Dei & veſtra, ut ſic pacem & gratiam veſtram promererer. Non placuit vobis, Domine; hæc forma verborum, niſi promitterem obſervationem conſuetudinum, quas anteceſſores noſtri obſervaverant veſtris. Conceſſi ergò quòd ea ſervarem, quatenùs poſſem ſalvo ordine meo, & ſi ampliùs vel expreſſiùs promittere ſcirem in Domino, paratus fui, & ſum adhuc pro recuperanda gratia veſtra. Et quod vobis nunquàm libentiùs ſervivi, quàm adhuc facere paratus ſum. Et quia nondum placuit vobis iſta recipere, ſupplico Majeſtati veſtræ, ut memineritis obſequiorum meorum, & beneficiorum, quæ mihi contuliſtis: quia ego memor ſum me debere ex juramento ſervare vobis vitam & membra, & omnem honorem terrenum, & quidquid potero ſecundùm Deum pro vobis, ſicut pro chariſſimo Domino, facere paratus ſum. Et Deus ſcit, quod nunquàm vobis libentiùs ſervivi, quàm facturus ſum, ſi placuerit vobis. Valeat ſemper Dominus meus.

## EPISTOLA VI.

*Alexandro Papæ Thomas Cantuarienſis Archi-Epiſcopus.*

LONGANIMITATIS veſtræ divitias, immò & Divinæ copiam bonitatis contempſit hactenùs Rex Angliæ, ignorans aut diſſimulans, quod eum patientia veſtra ſtuduit ad pœnitentiam revocare. Ad preces & commonitiones obſurduit, gloriatus ad ignominiam Sedis Apoſtolicæ, & in contumeliam beati nominis veſtri, quod ei privilegium indulſiſtis, quo quamdiu voluerit, tutus erit adverſùm nos, & Eccleſiam Cantuarienſem, licèt illam & nos atrociùs perſequatur, & ut faciliùs rem falſam & incredibilem perſuadeat univerſis, reſcripta litterarum, quas ei contra nos, & utinam non contra vos, indulſiſtis, per Alemanniam, Franciam, Angliam, & diverſas Provincias adjacentes ventilari facit. Sic veſtram remunerat benevolentiam, has manſuetudini rependit gratias, ut fiant ſemper noviſſima ejus atrociora prioribus. Sed authore Deo, quod utinam ab initio credidiſſetis, nunc in conſpectu omnium declarata eſt juſtitia noſtra, & cauſa exilii & proſcriptionis, & quo tota ipſius vergat intentio. Nuper enim in ſecundo colloquio, audientibus Chriſtianiſſimo Rege & cunctis qui hinc indè aderant, confeſſus eſt poſt comminatorias veſtras, quas ſæpiùs refutaverat, vix tandem recepit, quod nihil aliud à nobis quærit, niſi obſervantiam conſuetudinum ſuarum, quas ſicut vidiſtis, & adhuc poteſtis intueri, Divinæ Legi conſtat & ſacris Canonibus penitùs adverſati. Ad inſtantiam verò Chriſtianiſſimi Regis, & Religioſorum quos miſeratis, adhibitis multis interceſſoribus, ut taceret conſuetudines, mutavit quidem verbum, ſed non mutavit Propoſitum. Exegit enim, ut profiteamur in verbo veritatis ſimpliciter & abſolutè nos facturos, quod fecerunt anteceſſores noſtri, & hac ſola via, ut dicebat, poterimus habere Eccleſiam noſtram & pacem in Regno, ſed nondùm tamen gratiam ejus. Quod quidem ideò adjicit, quia nos authoritate reſcripti veſtri putat Officii debiti poteſtate eſſe privatos, donec velit nos in ſuam gratiam revocare. Cùm verò nobis Religioſi Viri, Simon Prior de Monte Dei, & frater Bernardus hanc ejus petitionem propoſuiſſent, reſpondimus non eſſe plenè in conſcientia noſtra, quid fecerint anteceſſores noſtri, licèt aliquos eorum ex ſcriptis authenticis pro cauſa ſimili noverimus exulaſſe, & tandem obtinuiſſe, ut ſicut Reges, quæ ſibi crediderant competere, jura vendicabant, ita quæ Dei erant, Domino redderentur. Nos autem paratos eſſe ad omne obſequium ejus, etiam ultrà quàm fecerint anteceſſores, ſalvo ordine noſtro. Cæterùm novas, & præter formam Eccleſiæ, quæ à nullo anteceſſorum noſtrorum præſtitæ ſunt, inire obligationes, nobis eſſe illicitum: tum quia perniciosum eſſet exemplo, tum quia vos ipſe, quando in urbe Senonenſi nos ab illarum Deo & Eccleſiæ odibilium conſuetudinum obſervantia & obligatione per vim & metum extorta abſolviſtis, ſpecialiter, increpatione gravi præmiſſa, & quæ authore Deo ab animo noſtro nunquàm excidet, inhibuiſtis, ne unquàm ulteriùs nos alicui in cauſa ſimili obligemus, niſi ſalvo honore Dei & ordine noſtro. Adjeciſtis etiam, ſi placet reminiſci, quod nec pro capite, niſi ſalvo honore Dei & Ordine ſuo, ſe debeat Epiſcopus obligare. Promiſimus itaque Viris Religioſis, quod ſi Rex Mandatum veſtrum impleret, reſtituendo nobis gratiam ſuam & pacem, & Eccleſiam cum his, quæ nobis & noſtris abſtulit, ei & liberis ſuis, ſalvo honore Dei & ordine noſtro, totis viribus ſtudebimus inſervire; ſed ſine authoritate veſtra nobis illicitum eſſe diximus mutare formam Eccleſiaſticam, quam Occidentalis tota tenet Eccleſia, & quæ



& quæ etiam in reprobis illis conſuetudinibus, quæ ſunt noſtri cauſa exilii, patenter expreſſa eſt. Ibi ſiquidem continetur, quod Electi debent antè conſecrationem Regi jurare, quod ei fideles erunt, circa vitam, membra, & honorem terrenum, ſalvo ordine ſuo. Ut quid ergò nos ſoli in captioſa obligatione, quæ à nobis exigitur, honorem Dei & indemnitatem ordinis cogimur reticere? Quis enim Chriſtianus unquàm hoc à Chriſtiano exegit? Religioſorum inſtantiam reſponſionum varietate deluſit: & modò aiens, modò negans, dimiſit querulos, quod eis opera perierat & impenſa. Simulavit tamen Epiſcopos Angliæ ſe evocaturum, ut eos conſulat. Sed in veritate Nunciorum, quos ad vos deſtinavit, præſtolatur adventum. Nam ut ab eis, quibus oportet haberi fidem, verè didicimus, gloriati ſunt, quod ſicut fecerunt alia vice, promiſſis aut minis, quod Rex deſiderat, contra nos à vobis impetrabunt. Incredibile tamen eſt, quòd Apoſtolica Sedes compellat aliquem reticere honorem Dei, aut prohibeat ſalvandi ordinis facere mentionem. Et profectò ſi Nuncios ejus confuſos, ut juſtum eſt, remiſeritis, liberabitis Eccleſiam Dei, & Sedis Apoſtolicæ famam. Agatis ergò, ſi placet, viriliter, quia ſi terrere volueritis impium, indubitanter credimus, quod Eccleſiæ pacem, & pereuntem animam Deo reddetis. Experti eſtis, quid apud eum manſuetudo profecerit. Nunc alia aggredimini via, & procul dubio in rigore juſtitiæ citiſſimè triumphabitis. Exigite quod nobis ablatum eſt uſque ad noviſſimum quadrantem, ne tantæ rapinæ impunitas apud Coætaneos & poſteros divulgata tam illi, quàm ſucceſſoribus præſtet audaciam ſimiliter delinquendi. Nam ſi cognoverimus pœnitentem, ut viam ſatisfaciendi velit ingredi, veſtro præeunte conſilio, juris poterimus temperare rigorem, prout Eccleſiæ Dei, noſtris & futuris temporibus viderimus expedire. Alioquin perſeverans in crimine, & tantùm in Eccleſia faciens ſcandalum, quo jure abſolvetur? Deo ſiquidem vinculis impœnitentiæ ligatus eſt, & Lazaro deteriùs & acriùs compeditus. Nam ſi res ablata reddi poteſt, & non redditur, non agitur pœnitentia, ſed fingitur. Unum eſt quod plurimùm affectat, & in quo, propitiante Deo, mentitur iniquitas ſibi: quia ſi luctum, quod Deus avertat, Eccleſiæ Catholicæ videret, incunctanter Eccleſiam Anglicanam, ſed & omnem, quæ in ejus poteſtate eſt, ſubjiceret legibus ſuis. Hoc autem vobis certum ſit, quòd ea quæ à nobis exigit, ſervare non poſſumus, & Apoſtolicæ Sedi fidem & debitam obedientiam. Hæc enim ſibi invicem adverſantur. Hoc etiam rogamus attentiùs, ne malefactores & excommunicatos noſtros, ſi fortè ad vos venerint aut miſerint, in præjudicium noſtrum faciatis abſolvi: quia ſi alia vice non eſſet factum, Eccleſia jam pace debita frueretur. Sanè ſi nos compulerit, quod Deo propitiante, nec pro temporali vita facturus eſt, ad hanc obligationem, non enim excidit à memoria noſtra, quid vobis & Eccleſiæ Romanæ in receptione Pallii juraverimus, non modò Epiſcopos, ſed & Clerum univerſum ſimiliter obligabit tanto fretus exemplo. Et quidem facile eſt, ut impunitam ejus audaciam alii Principes imitentur. Quod autem à nobis exigit, nec à militibus, nec à ruſticis exigitur in terra noſtra.

## EPISTOLA VII.

Alexandro Papæ Wilhelmus Senonenſis Archi-Epiſcopus.

*Domino Papæ Archi-Epiſcopus Senonenſis ſalutem, & omnem cum ſumma devotione obedientiam.*

QUALITER in ſecundo Regum colloquio nuper proceſſerit cauſa Domini Cantuarienſis, tantò fideliùs poſſumus atteſtari, quantò familiariùs ad omnia, quæ ibi geſta ſunt, admiſſi ſumus, & operam & diligentiam adhibuimus, ut Rex Angliæ veſtris obtemperaret monitis, & obediret mandatis. Sed ille poſtquàm vix recepit comminatorias veſtras, & Religioſorum, quos miſeratis, inſtantiam varietate reſponſionum ſibi non cohærentium diu deluſit, tandem nobis & illis acriùs inſiſtentibus dedit pro voluntate reſponſum. Ait enim ſe Dominum Cantuarienſem non expuliſſe de Regno ſuo. Et tamen ſi redire voluerit, & ſervare quod ſervaverunt anteceſſores ſui, & quod ipſe promiſit, redire poterit, & ibi habere pacem. Et niſi hoc ſimpliciter & abſolutè promiſerit, ulteriùs in Angliam non revertetur. Et quia reſponſa ejus ſibi frequenter adverſabantur, ut Nuncii veſtri prorsùs ignorarent, quo nodo ſuum poſſent tenere prothea, faciem toties immutantem, conſuluimus eis, ut peterent ab eo ſibi literis patentibus reſponderi, quid ad petitionem veſtram facturus eſſet, quòd vobis poſſent ſecurè & fideliter nunciare. Quam eorum petitionem, licèt adhibitis interceſſoribus vehementer inſiſterent, Rex penitùs reprobavit. Deindè à multis rogatus eſt, ut ſaltem innocentes, quos proſcripſerat, ad propria redire pateretur. At ille nulla ratione vel perſuaſione induci potuit, ut eis aliquid conſolationis impenderet. Cùm verò hæc Archi-Epiſcopo relata eſſent, reſpondit ſe paratum eſſe facere pro gratia ejus, & gratia Eccleſiæ recuperanda, quidquid debet, quidquid poterit, quidquid anteceſſores ſui fecerunt, ſalvo in omnibus ordine ſuo. Sed novam obligationis formam inire, & promittere ſe alicujus exempla ſecuturum, niſi ſalvo ordine ſuo, ſibi dixit eſſe illicitum, præſertim ſine authoritate Sedis Apoſtolicæ: tum quia novam obligationis formam ingerere Viris Eccleſiaſticis perniciosum eſſet exemplo, tum quia, ut aſſerit, quandò eum obligatione ſervandarum conſuetudinum, quam invitus & coactus præſtitit, abſolviſtis, ſpecialiter à vobis, & multis audientibus, præcedente gravi & juſta increpatione, inhibitus eſt, ne ſe ulteriùs obliget, præſertim & in his, quæ poſſunt aliquid captionis habere, quin exprimat *ſalvum fore honorem Dei, & ordinem ſuum*. Videtur enim renunciare Paſtoris Officio, quicumque ſubditis illicitarum rerum conſuetudinem vel licentiam pollicetur. Si enim Epiſcopus aſſenſu vel diſſimulatione rigaverit plantaria vitiorum, ut eis invaleſcentibus inane ſit, aut prorsùs pereat verbum Dei, quis de Eccleſia ſpinas eradicabit & tribulos? Tenentur enim Paſtores Eccleſiarum perverſas exterminare conſuetudines, & ipſe nunc exigitur & compellitur in earum verba jurare. Adjecit etiam, quòd Eccleſiæ Romanæ debitam fidem ſervare non poterit, & conſue-

consuetudines quæ ab eo exiguntur: quia Legem Dei & Sedis Apostolicæ privilegium patenter impugnant. Et quia noster aut Religiosorum sermo non capiebat in Rege, nec authoritas Majestatis vestræ fructus obedientiæ reperit, infecta pace Domini Cantuariensis tristes ab eo discessimus. Et ille, sicut pro certo accepimus, exspectat reditum Nunciorum suorum, quos si, ut justum est, & speratur à fidelibus vestris, confusos remiseritis, credimus quòd Ecclesia Cantuariensis citò habebit pacem, & Ecclesiæ Romanæ in Gallicana Ecclesia & toto occidente redintegrabitur fama. Et hoc quidem non aliquo rancore mentis proponimus contra Regem, qui nuper in gratiam nostram rediit, & nos cum eo veram fecimus pacem. Sed quod vidimus, & audivimus, & tractavimus manibus nostris, hoc testamur pro veritate justitiæ, pro Ecclesiæ honestate, pro fide & reverentia, quam debemus Apostolicæ Sedi. Supplicamus itaque Paternitati vestræ, quatenùs rigorem justitiæ, quem urgente duritia hominis laudabiliter tandem arripuistis, viriliter exerceatis. Quia si perseverantiam vestram viderit, facilè cessurus creditur, nec coætaneis aut successuris Principibus præsumptionis relinquet exemplum, quod timetur.

## EPISTOLA VIII.

*Alexandro Papæ Simon Prior de Monte Dei, & Engelbertus Prior de Valle S. Petri.*

AD illustrem Regem Angliæ cum fratre Bernardo de Corilo nuper profecti sumus, ut authoritate Mandati vestri inter ipsum & Dominum Cantuariensem pax & concordia reformaretur. Et quò faciliùs tractaretur hoc verbum, Dominum Cantuariensem traximus ad locum, ubi Reges authore Deo reconciliati sunt. Traditis autem commonitoriis vestris Regi Angliæ, & adhibita diligentia, quam apud eum credidimus expedire, monuimus & consuluimus Domino Cantuariensi, ut se coram Rege humiliaret, & rigorem ejus humilitate precum & sedulitate obsequii studeret emollire. Hoc ipsum Christianissimus Rex Franciæ, Archi-Episcopi, Episcopi, & magni Viri qui aderant, unanimiter suadebant. Arctatus Regis consilio, & omnium Archi-Episcoporum, Episcoporum, & Baronum, acquievit Archi-Episcopus, & coram omnibus accessit ad Regem Angliæ, & genibus flexis posuit se in Deo & Rege ad honorem Dei & Regis, utens hac forma verborum, ut sic posset pacem & gratiam ejus promereri. Rex autem propter hoc verbum, *ad honorem Dei*, noluit eum recipere, coram omnibus dicens publicè, ne videretur quòd Archi-Episcopus honorem Dei vellet servare, & Rex minimè, sed post multa, quæ utinam siluisset, dixit quòd ab Archi-Episcopo nihil aliud quærebat, nisi ut ei tanquàm presbyter & Episcopus coram omnibus promitteret in verbo veritatis, se sine omni ingenio servaturum consuetudines, quas Sancti Archi-Episcopi Cantuariensis observaverant Regibus suis, & quas ipse Archi-Episcopus sibi alia vice promiserat. Archi-Episcopus autem respondit, quod Regi fecerat fidelitatem, qua ei præstito juramento tenebatur servare vitam, membra, & honorem terrenum, salvo ordine suo. Et hoc fidelissimè paratus erat implere. Nec ab aliquo antecessorum suorum aliquid ulteriùs exactum est, vel ab aliquo exigendum. Et cùm Rex super hoc articulo plurimùm institisset, Dominus Cantuariensis adjecit, licèt nullus antecessorum hoc fecisset vel promisisset, nec ipse ullatenùs hoc de jure facere deberet, tamen dixit quòd pro pace Ecclesiæ & gratia ejus promitteret se consuetudines illas, quas sancti Antecessores sui Regibus suis servaverant, *salvo ordine suo* ei servaturum, quatenùs secundùm Deum posset. Et faceret pro amore ejus recuperando, quidquid posset *salvo honore Dei*: asserens quòd nunquàm ei libentiùs servivit, quàm adhuc faceret, si ei placeret. Noluit autem Rex hoc recipere, nisi præcisè & absolutè sub juramento ei promitteret observantiam consuetudinum: quia nihil ulteriùs ab eo exigebat. Quod quia Archi-Episcopus, licèt multi instarent, facere noluit, Rex discessit pace infecta. Cùm verò Regem exhortaremur, ut juxta Mandatum vestrum revocaret Archi-Episcopum in gratiam suam, & ei pacem & Ecclesiam suam restitueret, respondit quod fortassè consilium Amicorum erit, ut Ecclesiam quandoque restituat, sed dixit se gratiam non restituturum, quia tunc evacuaret privilegium, quod ei dedistis, & quo potestatem Archi-Episcopi suspendistis, donec redeat in gratiam ejus. Et quia præceperatis eum primò conveniri in spiritu lenitatis per comminatorias vestras, comminatorias vestras in aliud tempus ei dare distulimus. Interim Deum oraturi, in cujus manu corda sunt Regum, ut animum ejus emolliat, & ad honorem suum & Ecclesiæ utilitam pacem faciat reformari. Quod verò de Mandato vestro reliquum est, accepto tempore, per gratiam Dei cum omni diligentia exequemur, & exitum negotii, quem Deus dederit, Majestati vestræ significare curabimus. Rogatus Frater Bernardus, sicut nos, ut negotii hujus seriem vobis scriberet, respondit quod in ordine suo inhibitum est, ne quis factum pro aliquo negotio vobis vel alii scribat, sed dicturum se spopondit coram Nuncio vestro magistro Lombardo, qui ei litteras vestras tradidit, & qui vobis rem gestam, sicut is qui præsens interfuit, fideliter significabit.

## EPISTOLA IX.

*Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Simoni Priori de Monte Dei, & Bernardo de Corilo.*

MANDATUM Domini Papæ dilectio vestra suscepit, quatenùs Regem conveniretis, ut nobis Ecclesiam nostram & gratiam restituat, nos autem parati fuimus, sicut præsentes vidistis, ponere nos omninò ad honorem Dei & suum in misericordia Dei & sua. Non placuit hæc forma, nisi nos obligaremus ad observationem consuetudinum, quas antecessores nostri suis servaverant. Promisimus ergo quòd eas libenter servaremus, quatenùs possemus *salvo ordine nostro*: & quòd quidquid secundùm Deum poterimus, pro recuperanda gratia ejus devotissimè faceremus. Noluit acquiescere nisi absolutè promitteremus nos illas consuetudines servaturos. Quod quidem omninò non licuit, quia aliquæ earum à Sede Apostolica condemnatæ sunt. Paratí verò sumus, si placuerit illi, juxta Mandatum Apostolicum recipere Ecclesiam & Sedem nostram cum gratia sua. Et recolite quod Dominus Papa, qui vobis in virtute obedientiæ Mandati sui executionem injunxit, non præcepit nos aliquibus promissionibus obligari. Supplicamus ergo sanctitati vestræ, ut obedientiam Domini Papæ exequi non gravemini, sed eam, sicut sanctos viros decet, studeatis implere.



## EPISTOLA X.

*Alexandro Papæ Simon Prior de Monte Dei, & Engelbertus Prior de Valle S. Petri.*

JUXTA Mandatum sanctitatis vestræ Commonitoria vestras illustri Regi Angliæ porreximus, operam & diligentiam pro viribus adhibentes, ut juxta commonitionem vestram Dominum Cantuariensem in gratiam revocaret, & ei Sedem suam restitueret & pacem, & Ecclesiæ suæ liberam dispositionem habere permitteret. Exspectavimus diu sperantes & orantes, ut Deus emolliret animum ejus. Sed cùm non proficeremus, exspectantes urgente Mandato vestro in colloquio Regum secundo, ei comminatorias vestras præsentavimus, quas cùm ille tandem vix recepisset, ad instantiam nostram, & magnorum Virorum qui aderant, hoc post multa, quæ referre longum est, nobis responsum dedit: ego Dominum Cantuariensem de Regno non expuli, & tamen pro reverentia Domini Papæ, si voluerit mihi facere quod debet, & servare mihi quod antecessores sui meis observaverunt, & ea quæ ipse promisit, redire poterit in Angliam, & habere ibi pacem. Et post varietates responsionum, tandem se evocaturum Episcopos Angliæ, & usurum consilio eorum, sed nec diem aliquem præfixit, nec aliquid ab eo reportavimus, unde possimus de pace Domini Cantuariensis, & Mandati vestri executione certiorari. Et quia responsa frequenter mutabat, interrogavimus eum, an liceret Archi-Episcopo redire ad Sedem suam, & frui pace sua. Ille verò respondit, quod Archi-Episcopus numquàm ingredietur terram, antequàm faciat ei quod debet, & promittat se servaturum quod alii servaverunt, & quod ipse promisit. Deinde rogavimus eum, ut scriberet & signaret patentibus litteris responsum suum, quia oportebat nobis rem certam vobis referre, quam nondum habebamus, quia tam frequenter responsa variabat. Ille verò noluit adquiescere. Archi-Episcopus verò respondit, cum hoc ei retulissemus, se paratum esse facere Regi quidquid debet, & servare quod ab antecessoribus suis servatum est, quatenus poterit *salvo ordine suo*. Sed novas inire obligationes, quæ à decessoribus suis præstitæ non sunt, & promittere aliquid hujusmodi, nisi *salvo ordine suo*, sibi esse illicitum sine authoritate Domini Papæ. Tum quia novam formam in Ecclesiam inducere perniciosum esset, tum quia à vobis inhibitus est, ne aliquid unquàm tale promittat, nisi *salvo honore Dei & ordine suo*. Et adjecit quod eum increpando dixistis, quòd nec pro capite suo debuisset se ad talium consuetudinum observantiam obligasse, nisi *salvo ordine suo*. Sed si Rex, prout mandatis, ei gratiam suam, & pacem, & Ecclesiam, & ablata sibi & suis restituat, quidquid secundùm Deum & *salvo ordine suo* poterit, libenter faciet ad voluntatem ejus, & ei diligentissimè & devotissimè totis viribus servire studebit. Placeat itaque sanctitati vestræ opem ferre Ecclesiæ laboranti, & perseverare in eo, quod laudabiliter cœpistis: quia sicut à multis audivimus, & credimus, si perseveraveritis, Ecclesiæ pax & salus in januis est. Et quia fratrum Grandi-montis consuetudo non est, ut scribant alicui, hæc de conscientia & voluntate fratris Bernardi socii nostri vobis scripsimus, quæ gessimus cum eodem fratre Bernardo, qui veritatem in audientia multorum testificatus est, rogans eos, quibus scribere licet, ut vobis ab eo audita scriberent.

## EPISTOLA XI.

*Alberto Cardinali Simon Prior de Monte Dei.*

DESIDERIO desideravimus ego & fratres nostri aliquid audire de vobis, sed Divinitùs à multo tempore nobis subtracta est consolatio ista. Erit autem maximi instar muneris, si placuerit ut sollicitudinem nostram de statu vestro certificetis. Admodùm namque desideravimus prosperum eventum vestræ legationis audire. Noster autem est, qualem consuevistis audire. Peccatores enim sumus, & utinam condignos fructus pœnitentiæ Deo per gratiam ejus potiùs, quàm per merita nostra valeamus offerre. De cætero dilectioni vestræ supplicamus attentiùs, quatenùs Domino Cantuariensi, quem constat pro justitia exulare, auxilium & consilium impendatis. Quia sicut præsente Domino Rege Francorum, & omnibus qui colloquio interfuerunt, Rex Angliæ confessus est, quòd hæc sola causa est exilii & proscriptionis ejus, quòd consuetudines noluit absolutè promittere, quas justitiæ Dei & Ecclesiæ libertati constat esse contrarias. Pretereà gloriatur idem Rex se privilegium habere à Domino Papa, quo potestas Domini Cantuariensis suspensa est, quàmdiu Rex ei voluerit subtrahere gratiam suam. Valete.

## EPISTOLA XII.

*Alexandro papæ Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus.*

SI causam nostri, Pater Sancte, malitia Adversariorum apud vos non denigrasset exilii, credimus indubitanter, quod Rex Angliæ tamdiu, & tam impunè non abuteretur patientia vestra. Sed ecce, Deo propitiante, ipsius persecutoris nostri testimonio veritas declarata est. Nuper enim, cum ad pedes ejus in omni humilitate imploraremus coram Rege Christianissimo, Archi-Episcopis, Episcopis, Comitibus, Proceribus, & omnibus qui aderant, professus est se nihil aliud à me quærere, nisi ut consuetudines Regni sui, quas Antecessores nostri suis Principibus servaverunt, conservarem, & hoc tanquàm Sacerdos & Episcopus absolutè & præcisè, sicut Nuncii nostri vobis fideliter exponent, repromitterem in verbo veritatis. Placeat itaque sanctitati vestræ participes, qui omnibus interfuerunt, clementer audire, & Anglicanæ Ecclesiæ jam in extremis agenti, nisi dextera Dei & vestra subveniat, celerem conferre medicinam. Po-

ſuimus enim verba noſtra in ore eorum. Gloriatur autem Rex Angliæ, quod ei privilegium contuliſtis, quod licèt in Sedem noſtram redierimus, omnis poteſtas noſtra evacuata eſt, donec eam nobis reſtitui velit. A ſæculo inauditum eſt apud nos, quòd aliquis Epiſcopus ſe Principi ſæculari obligare cogatur ulteriùs, quàm ad conſervationem eorum, quæ continentur in forma fidelitatis. Veremur ergo, ne ſi, quod abſit, & Deo authore ſemper aberit, à nobis ulterior cœperit obligatio, pernicies exempli alios inficiat Principes, & non modò Coætaneos noſtros, ſed ſucceſſores noſtros involvat. Et quidem planum eſt, quod ſi petitæ conſuetudines prævaluerint, authoritas Apoſtolicæ Sedis in Anglia penitùs evaneſcet, aut erit minima. Quod ſicut ex majorum ſcriptis & relationibus Seniorum publicè notum eſt, pridem contigiſſet, niſi Cantuarienſis Eccleſia ſe Principibus pro fide Sedis Apoſtolicæ, & Eccleſiæ libertate ſtuduiſſet opponere. Rarus enim illi Eccleſiæ præfuit, qui non aut gladium ſubierit pro juſtitia, aut pertulerit moleſtias exilii, aut proſcriptionis injuriam. Unde mirum eſt, & omni ſtupore dignum, quod Apoſtolicæ Majeſtatis potiùs, quàm noſtri nominis perſecutor ſe in cauſa tali plures apud vos gloriatur inveniſſe & habere fautores. Nec vos oportet de cætero vereri, ne tranſeat ad Schiſmaticos, quia ſic eum Chriſtus in manu famuli ſui Regis Francorum ſubegit, ut ab obſequio ejus non poſſit ampliùs ſeparari.

## EPISTOLA XIII.

*Alexandro Papæ Thomas Cantuarienſis Archi-Epiſcopus.*

ECCLESIÆ Perſecutor & noſter abutitur patientia veſtra, neſciens aut diſſimulans, quod eum veſtra benignitas in multa manſuetudine ſuſtinet, ut habeat ſpatium pœnitendi. Et ſi, quod abſit, in furore perſtiterit, veſtra, qua condemnabitur, juſtitia manifeſta ſit in conſpectu omnium nationum. Nam quoties Nuncii ejus à veſtra redeunt ſanctitate, fit inſolentior, & in Eccleſiam Dei crudeliùs ſævit, & ab impunitate, qua diu elatus eſt, majorem concipit audaciam delinquendi, quaſi non manifeſta ſint opera ejus provocantia judicium inexorabile in caput ſuum. Siquidem Joannes de Oxeneford, quaſi non ſatis inſaniret homo, eum in reditu ſuo ampliùs inſtigavit, nobiſque ſubtraxit obedientiam & reverentiam Provinciæ noſtræ, excommunicatos ſine juramento & ſatisfactione fecit abſolvi. Qua juſtitia, viderit Deus & judicet. Secutus eum Joannes Cumin ſe majora gloriatus eſt impetraſſe. Et ut Chriſtianiſſimum Regem & Optimates Regni Francorum à noſtra & Coexulantium nobis ſubventione retraheret, peragrans Franciam, & in Burgundiam irrumpens, in Eccleſiis & Nobilium domibus diſſeminabat ſe certum eſſe de noſtra cita dejectione, dicens tamen ſe tempus & modum reticere, quia revelare ſecretum Sedis Apoſtolicæ non audebat. Qui verò nunc noviſſimè redierunt, jactitant indultam Regi dilationem, & poteſtatem noſtram à vobis eſſe ſuſpenſam, ut nec in ipſum, nec in aliquam perſonam terræ ſuæ juſtitiæ manum ex quacumque cauſa poſſimus extendere. Abbas etiam S. Auguſtini gloriatus eſt, quod benedictionis munus ſuſcepiſſet à vobis, ſi votum fuiſſet, ut conderetur. Et utinam, quod in vicinia ſua nondum creditum, benedictione fieret dignus. Nec reticent ſe, niſi petitiones eorum promoverentur, inimicitias Eccleſiæ Catholicæ denunciaſſe, & à Curia receſſiſſe cum indignatione, ſed fratrum veſtrorum, qui columnæ videntur Eccleſiæ, ſedulitate & diligentia ad Curiam fuiſſe revocatos. Hæc in compitis prædicant, ut eorum magnanimitas innoteſcat. Et fortaſſe ut Nationum Principes ad ſimilia provocentur. Et quidem, Pater Sancte, Officii noſtri poteſtas facilè ſuſpendi poterit. Sed dextera Dei, quæ jam capita deprimit Tyrannorum, cohiberi non poteſt. Timent fideles veſtri, ne dum exercendæ juſtitiæ meliora tempora exſpectatis, optima elabantur. Nam in arcto poſiti ſunt. Et qui terret, plus ipſe timet. *Confortare*, inquit Dominus, *& eſto robuſtus, ne timeas à facie eorum, quia tecum ſum.* Jactitationibus Nunciorum Regis non crederetur, niſi quia Cardinalis in eadem opinione eſt, & nos verbo & litteris feciſſet certiores. Miſimus ergo dilectiſſimum filium veſtrum, fideliſſimum vobis, & per omnia nobis probatum, participem tribulationis noſtræ, magiſtrum Lombardum, qui miſerias noſtras, & partis adverſæ malitiam pleniſſimè novit, & ea quæ in Eccleſia Gallicana dicuntur de his, quæ contra nos fiunt, fideliſſimè referet. Si placet, ipſum, ſicut nos ipſos, audite: quia fidelior vobis & Eccleſiæ, nobiſque commodior non potuit inveniri. Audite ergo, ſi placet, hunc conſcientiæ noſtræ teſtem, miſeriarum Eccleſiæ inſpectorem, aſſertorem veritatis, amatorem juſtitiæ, & Apoſtolicæ Sedis affectu & devotione filium probatiſſimum, quem mittimus, ut ſaltem per eum ſolatium conferatur Eccleſiæ Anglicanæ, quæ ſic attenuata eſt, ut de cætero neceſſitates ſuas Nunciorum diſcurſibus exponere nequeat, ſed Deo ſoli cogatur exponere, & committere cauſam ſuam. Perſecutores Eccleſiæ exſpectant & deſiderant, quod eis Divina ſubtrahat miſeratio, videre fidelium lugentium in tranſitu veſtro dolorem, ut poſt dies veſtros Eccleſiam ſubjiciant ſervituti, nemine contradicente. Eò enim tendunt, quas contra Deum & juſtitiam implorant dilationes. Sed Divina diſcretio veſtra, Pater ſanctiſſime, ſtudioſiùs providebit, ut ante exitum vitæ tantas puniat enormitates, ne de injuriæ Dei diſſimulatione cogatur in die judicii reddere rationem.

## EPISTOLA XIV.

*Alexandro Papæ Thomas Cantuarienſis Archi-Epiſcopus.*

ANIMA mea, Pater, in amaritudine eſt, qui cum miſeris Coexulibus meis, ex quo per litteras veſtras, quibus nos, ut placuit, ſuſpendiſtis, opprobrium hominum factum ſum, & abjectio plebis. Et quod acerbiùs urit animam meam, Eccleſia Dei iniquorum eſt expoſita voluntati. Magnis Viris, Flandrorum Comiti, & aliis Regni Summatibus Perſecutor Eccleſiæ & noſter certam pacis noſtræ ſpem dederat, ſed in reditu Nunciorum ſuorum veſtra fretus authoritate nobis omnem reconciliationis preclusit viam. Illi ergo, & alii amici noſtri quid facerent, ſic facto veſtro quaſi clava Herculea percuſſi & repulſi? Utinam quæ ſuper hoc Epiſcopi, & Proceres, & Plebes utriuſque Regni loquuntur, audiret auris veſtra, & oculos videret ſcandalum, quo repleta eſt Eccleſia Gallicana. Quid de cætero non ſperabit homo ille, qui per homines ſolis criminibus, non aliis maculis inſignes ſic circumvenit habentes clavem ſcientiæ, & diſpenſatores æquitatis ſubvertit, & vanis territat comminationibus, & impellit Sedis Apoſtolicæ Majeſtatem? Non eſt enim dubium, quin vos Joannes de Oxeneford deceperit, impunè tamen. Et certè primò decipi, præſertim in re tanta, incommodum eſt. Quod licèt diſſimuletur, tota ætate noſtra cum dolore ſentiet Eccleſia Anglicana. At ille Venerabilis Abbas S. Auguſtini, qui quondam Monachus fugitivus, & ſuis excommunicatus meritis, Eccleſiam, cui nunc præeſt, dilapidat & incæſtat, & alii Nuncii Regis nunc veſtram longè deteriùs deceperunt ſanctitatem. Ecce enim Rex ille, qui nihil aliud niſi mortem veſtram deſiderat aut noſtram, voti compos effectus eſt, ſperans, quod Deus avertat, ſub hujus dilationis tractu horum alterum eventurum. Sed monetis, ut interim patientiam habeamus. Non attenditis, Pater, hoc *interim*, quàm ſit diſpendioſum Eccleſiæ, & quantum veſtræ detrahat honeſtati. Interim Epiſcopatus & Abbatias vacantes in proprios abuſus redigit, nec in illis patitur ordinari Paſtores. Interim in omnes Parochias, Eccleſias, & loca venerabilia, & totum Clerum irrevocabili furore debacchatur. Interim tam ipſe, quàm alii perſecutores Eccleſiæ licitum coæquant libito. Quis interim Ovium Chriſti curam geret, & eas excutiet à faucibus luporum, qui jam non circumeunt, ſed caulas ipſas ingreſſi mordent, lacerant, & occidunt nemine reclamante? Cui enim Paſtorum non præripuiſtis vocem? Quis Epiſcoporum non eſt in noſtra ſuſpenſione ſuſpenſus? Nam ſicut ſine exemplo, ita & ſine merito facta eſt, & tam illi, quàm aliis Principibus, & veſtro tempore, & poſt dies veſtros præbebit audaciam conculcandi Eccleſiam, proſcribendi innocentes, denunciandi inimicitias Eccleſiæ Romanæ, niſi connivendo vel diſſimulando communicet, & authoritatem præſtet iniquitatibus eorum. Ecce præ manibus habent veſtræ diſpenſationis exemplum, nec dubium eſt, quin tam ab ipſo, quàm à Poſteris ejus, niſi citiùs occurrat dextera veſtra, trahatur ad conſequentiam, & quaſi in privilegium redigatur, ut pro quocumque ſcelere nec in Regem, nec in perſonas Regni, nec in terram liceat excommunicationis aut interdicti ſine authoritate Sedis Apoſtolicæ promulgare ſententiam. Et profectò ſic proceſſu temporis poterit ab hoc exemplo malitia convaleſcere, ut nec ipſe Romanus Pontifex in toto Regno inveniat, qui ei contra Regem aut Principes velit aut audeat obedire. Hoc eſt enim quod agitur ab illis, hoc eſt quod noſtro cauſam dedit exilio. Nec enim eſt, ſicut quoſdam Dominos noſtros, fratres veſtros audio ſuſurrare, quod mihi imputari debeat viſitationes Angliæ, quæ deceſſorum veſtrorum tempore ſolebant fieri, vobis eſſe ſubtractas. Mihi potiùs, & Chriſti pauperibus, & Coexulibus meis fuerat imputandum, quod vobis aliquid reſervatum eſt in terra illa. Legatur, ſi placet, libellus reprobatarum conſuetudinum, quas contra Eccleſiam vendicat, & noſtri exilii cauſa ſunt, & planè videbitis, quomodò antequàm proclamaremus, appellantium ad vos ora præcluſerit, quomodò ſine juratoria cautione Perſonas Eccleſiaſticas transfretare prohibuerit, quomodò ſuffocaverit electionum jura, quomodò omnia judicia, tam Eccleſiaſtica quàm mundana, traxerit ad examen Curiæ ſuæ, quomodò in eiſdem conſuetudinibus omnem Eccleſiaſticam jugulaverit libertatem. Quis veſtro aut deceſſorum veſtrorum tempore appellans ad Eccleſiam Romanam prece, vel pretio, vel jure contra eum juſtitiam potuit obtinere? Appellationem deceſſoris ſui luit adhuc Exonienſis Epiſcopus, Eccleſiam de Boſeham ſuæ Eccleſiæ contra omnem juſtitiam ſubtractam dolens. Saresberienſis Epiſcopus, cui ſe nunc favere diſſimulat propter violentiæ crimen, Caſtrum de Diviſes & alias poſſeſſiones Eccleſiæ ſuæ multas amittit, quia ipſum ad faciendam reſtitutionem juramenti Religione arctatum Deceſſorum veſtrorum Anaſtaſii & Adriani litteris auſus eſt convenire. Non ſufficiet dies, ſi voluero ſimilia, quæ contra ſingulas Eccleſias Regni præſumpta ſunt, percurrere, cum aliis hoc modo poſſeſſiones ablatæ ſint, & omnibus in commune perempta libertas, ut nec ſpes liberationis alicui relicta ſit. Legatur, inquam, Deo reprobus ille libellus, & videant Domini noſtri fautores Regis, quid privilegii, quæ prærogativa reſervetur eis in terra ejus. Sed dicunt fortaſsè odio nominis mei confectum eſſe libellum. At certè ab initio ſuſceptæ poteſtatis libertatem Eccleſiæ quaſi jure hæreditario perſequitur. Nunquid eram Epiſcopus, quandò Pater ejus Nuncios beati Eugenii terram ſuam intrare prohibuit? Nunquid eram Archi-Epiſcopus, quandò Gregorius S. Angeli Diaconus Cardinalis, tyrannidem hujus previdens, perſuaſit Domino Eugenio, ut Euſtachium filium Regis Stephani coronari non permitteret, dicens faciliùs poſſe teneri arietem per cornua, quàm cauda leonem? Hæc vobis hiſtoria nota eſt. Et quas litteras impetraverit tunc, qui nunc Eboracenſis eſt, & Eccleſiam perſequens cum Rege illo nomen meum, immò Eccleſiaſticam libertatem conatur extinguere. Nunquid eram Archi-Epiſcopus, quandò Rex ob injuriam appellationis Eccleſiam de Boſeham in Epiſcopum Lexovienſem tranſtulit, qui eam Grammatica ſua & arte placitandi contra juſtitiam Exonienſis Eccleſiæ tueretur? Sed & Ciceſtrenſis Epiſcopus quid profecit adversùs Abbatem de Bello, qui privilegiis Apoſtolicis fretus, cùm ea nominaſſet in Curia, & Abbatem denunciaſſet excommunicatum, eidem in continenti coram omnibus communicare compulſus eſt ſine omni abſolutione, & eum recipere in oſculo pacis? Sic enim placuit Regi & Curiæ, quæ ei in nullo contradicere audebat. Et hoc, ſanctiſſime Pater, contigit tempore deceſſoris veſtri & noſtri. Qui verò odio mei mala hæc omnia contigiſſe loquuntur, dicant ſi noverint, quis in Regno ejus tempore ſuo ſit de eo, vel de his, quibus patrocinari voluit, authoritate Sedis Apoſtolicæ juſtitiam conſecutus? Certè, quod meminerim, nec unum proferent, multoſque poterunt nominari, qui odio Romani nominis ſub eo periclitati ſunt. Achardus Abbas S. Victoris, electus in Epiſcopum Sagienſem, quare non permiſſus eſt ordinari? Quia electionem ejus confirmaverat Summus Pontifex Adrianus. Quare permiſit Rex, ut idem poſt modum fieret Epiſcopus Abricenſis? Planè quia nulla voluntate ejus præceſſit electio. Similiter et Frogerius in Eccleſia Sa-

Sagiensem non electus, sed intrusus est, & ego nondum promotus eram. Nec ambigo, quin jam inter nos super libertate Ecclesiæ fuisset extincta contentio, nisi in Ecclesia Romana voluntatis suæ, ne perversitatis dicam, Patronos reperisset. Retribuat illis Deus, prout Ecclesiæ suæ & illis expedit, & dijudicet inter nos potentissimus & æquissimus Judex. Utique non esset mihi necessarium patrocinium illorum, si Ecclesiam Dei voluissem exponere, & acquiescere voluntati ejus. Siquidem florere potueram, & Regni divitiis & deliciis abundare, timeri, coli, & honorari ab omnibus, & meis in voluptate & gloria mundi providere pro libitu. Sed quia me indignum & miserrimum peccatorem, florentem tamen in sæculo præ cunctis conterraneis meis, ad Ecclesiæ suæ Regimen vocavit Dominus, ipsius gratia præeunte & cooperante, elegi abjectus esse in domo ejus, & exilium, & proscriptionem, & extremam miseriam finire cum vita, quàm facere dispendium Ecclesiasticæ libertatis: & traditiones hominum, præsertim iniquas, præferre Legi Dei. Faciant hoc, qui sibi longos dies pollicentur, & de suorum conscientia meritorum præstolantur tempora meliora. Ego enim certus sum, quoniam breves dies mei sunt, & si tacuero impio iniquitatem suam, sanguis ejus requiretur de manu mea ab illo, cui non suffragante hominis patrocinio de commissis & omissis rationem redditurus sum. Ibi aurum & argentum non proderit, nec munera, quæ excœcant etiam oculos Sapientum. Adstabimus in brevi ante Tribunal Christi, per cujus Majestatem & tremendum Judicium vos, sicut Patrem, & Dominum, & summum in terra Judicem obtestor, ut Ecclesiæ suæ & mihi justitiam exhibeatis de his, qui quærunt animam ejus, ut auferant eam. Nec patiamini diutiùs eam conculcari pedibus impiorum. Adeò attenuatus sum & afflictus, ut qui aliena quadra & Christianissimi Regis sustentor alimonia, non possim de cætero vobis instare per Nuncios, quibus quid porrigam, omninò non habeo. Placeat itaque Majestati vestræ, Cantuariensis Ecclesiæ finire miseriam, & quæ nuper in utroque Regno emerserunt, & pullulant, & malignantibus præbent audaciam delinquendi, tollere scandala, sanctitatis vestræ puerum absolvendo, & scribendo Christianissimo Regi, & Ecclesiæ Gallicanæ, quod nisi Rex Angliæ commonitiones vestras audierit, & nobis pacem & ablata cum Ecclesiæ libertate restituerit, ex tunc nos in eum & terram suam nostri officii potestatem exercere concedatis, & sententiam, quam Domino authore feremus, velitis ab omnibus Episcopis inviolabiliter observari.

## EPISTOLA XV.

Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Conrado Moguntino Archi-Diacono.

*Animæ suæ plusquàm dimidio Thomas Cantuariensis Ecclesiæ miserabilis exul, salutem, & se totum, deducta miseria, cujus semper expertes amicos esse desidero.*

CONSOLETUR vos Dominus in omnibus angustiis vestris, qui vicem meam & coexulantiùs mihi doluistis ut vestram. Et quod rerum experientia didici, proscriptionis & multimodæ miseriæ stimulos studuistis ab Ecclesia Dei, & pauperculæ domo nostra totis viribus propulsare. Suspensionem nostram in utriusque Regni compitis quasi voce præconia jactitat Rex Angliæ, & in testimonium confusionis meæ, quo me reddat magis onerosum & odiosum hominibus, litteras Apostolicas profert. Gloriatur & terminum sibi datum, donec me recipere velit in gratiam, quod, si licuerit, facturus est ad Kalendas Græcas, id est, numquam. Monetis ut interim patienter feram, virtutem patientiæ magnis laudibus prædicatis, & non cogitatis non deesse, qui de latere illud Comicum ingerat: *Omnes cum valemus, recta consilia ægrotis damus.* Tu autem si hic sis, aliter sentias. Quis enim jugulatur doloris expers; nisi stupidus & insensatus? Sed & hoc, quoniam ita necesse est, quamdiu Domino visum fuerit, fortem animum tolerare jubebo: non autem ego, sed gratia Dei mecum. Sinceritatem quoque, & amicitias, & diligentiam Dominorum Cardinalium commendatis: & ego quidem de quibusdam eorum non diffido, præsertim in causa Dei, & Ecclesiæ Romanæ, potiùs quam mea vel meorum. Retribuat illis Deus bona, quæ faciunt & facturi sunt proscriptis exulibus Christi. Alios autem revocet, ut sentiant id ipsum in Domino, nec ad subversionem justitiæ, & ignominiam Sedis Apostolicæ, & suam damnationem munera captent, facientes calumnia quæstum, & sequantur retributiones. Sed illi se mihi & meis compati scribunt. Ethicus verò subridens ex adverso respondet: *Omnes compatiuntur, nemo succurrit.* Et quidem rectè. Opera enim, quæ faciunt, testimonium perhibent de eis. Consulitis ut modis omnibus elaborem mihi pacem reformare Tyranni, persecutoris & tortoris Ecclesiæ. Sed viam pacis præclusit mihi Ecclesia Romana, & quidam Cardinalium, quorum ille, sicut jactitat, consiliis agitur. Nuper enim, data spe pacis, me per Comitem Flandrensem jam secundò fecerat ad colloquium evocari, cum sui & Cardinalium suorum Nuncii à Domino Papa redeuntes, & suspensionis meæ litteras porrigentes, ei dederunt cornua, quibus possit, quoad voluerit, & pacem rejicere, & interim Ecclesiam Dei tanquàm authoritate Sedis Apostolicæ ventilare. Scribitis quod in dispendium Ecclesiæ Romanæ laborat fortuna rescindere potentissimarum civitatum Italiæ unitatem. Quare hoc, Anime mi, credis accidisse, nisi quia Deo liberatori vestro non condignas agitis gratias, sed quæritis quæ vestra sunt, quasi manus vestra excelsa, & non Dominus anni præteriti magnalia gesserit? Nec pro nobis hoc dixerim & aliis, qui certa gradiuntur via, sed pro his, qui Ecclesiam Dei exponunt, & lucra sectantur. Et quia Cantuariensis Ecclesia ferè destructa est, & ego & coexules mei attenuati & afflicti supra modum, precor attentiùs, ut adhibitis amicis impetretis à Domino Papa, ut in solatium miseriæ reformet Primatum Ecclesiæ Cantuariensis, &c.

## EPISTOLA XVI.

*Alexander Papa Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo.*

AD discretionis tuæ notitiam credimus jam pervenisse, qualiter Henricus illustris Rex Anglo-



Anglorum nobis Nuncios direxerit, & quàm dura & aspera, & quæ vestrum animum plurimùm affligebant, per eos à nobis petierit, terribiles minas prætendens, nisi voluntati ejus condescenderemus. Nos verò, quia nondum Ecclesiæ persecutio cessavit, nec temporis serenitas adhuc vobis, sicut expediret, arrisit, impetum & ictum animi sui, etsi non exaudierimus petitiones suas, mitigare curavimus, & temperare, illo nempe timore perculsi, ne ad impediendam & disturbandam pacem Ecclesiæ se, prout olim fecit, illi Tyranno & flagitioso inimico Ecclesiæ aliquo fœdere societatis adjungeret, vel materiam haberet ab Ecclesia & nostra devotione recedendi. Inde est quod nos temporis malitiam attendentes, de communi fratrum nostrorum consilio, fraternitati tuæ sub certa quasi spe & fiducia, quod te in gratiam suam recipiat, & Cantuariensem Ecclesiam in tua libera dispositione dimittat, per Apostolica scripta mandamus, ut nec in ipsum, nec in personas Regni, aut in Regnum interdicti seu excommunicationis, vel suspensionis sententiam debeas promulgare, nisi alias nostras litteras reciperes, in quibus, si idem Rex nollet tibi gratiam suam reddere, facultatem habeas in eum & suos officium tuum exercendi. Quapropter quia tibi tanquam fratri charissimo, & Ecclesiæ tuæ proprium honorem & libertatem cupimus omnibus modis conservare, nisi, quod speramus, & ei proposuimus, usque ad initium proximæ Quadragesimæ effectui mancipaverit, sed in sua fuerit obstinatione induratus, tibi ex tunc authoritatem tuam restituimus, ut tam in personas, quàm etiam in Regnum, & in ipsum Regem, si tibi & Ecclesiæ tuæ congruere & expedire cognoveris, facultatem habeas debitum officii tui, cessante omni appellationis obstaculo, exercendi, gravitate ac maturitate Pontificali adhibita, quam convenit adhiberi.

## EPISTOLA XVII.

*Alexander Papa Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo.*

EX litteris tuis te vehementer commotum & turbatum esse accepimus, eò quòd, sicut deceret & velles, non assistamus, & quod illustris Rex Anglorum tibi occasione litterarum, quas ei transmisimus, incessanter insultet, & à tua se glorietur jurisdictione subtractum. Verùm si tenorem litterarum à principio usque ad finem legi fecisset, nihil profectò in eis reperiret, unde nobis aut tibi posset meritò insultare. Quoniam igitur Ecclesia Romana in consuetudine habet, potiùs in observanda maturitate incommodum plerumque perferre, quàm in quibuslibet negotiis præcipitanter procedere, quòd eundem Regem tam longa exspectatione sustinuimus, ipsum Nunciis & litteris à proposito suo paternè & benignè revocare volentes, & ejus in patientia & mansuetudinis dulcedine duritiam emollire, non turbetur nec moveatur fraternitas tua, quia fervor charitatis & dilectionis, quam circa personam tuam habuimus, in nullo tepuit vel exstat remissus, sed de die in diem magis ac magis accrescit. Semper enim in proposito habemus honorem, & dignitatem, & jura tua, & Ecclesiæ, cui Deo authore præsides, diligenti sollicitudine manutenere & conservare. Et quod tibi concessimus, nullatenùs mutavimus, nec Deo præstante mutabimus, & in die tibi concessa potestatem tuam liberè sine appellationis remedio exercere tibi plenam concedimus facultatem. Volumus autem ab illis Religiosis, per quos præfatum Regem litteris nostris monuimus, responsum recipere.

## EPISTOLA XVIII.

*Alexandro Papæ Ludovicus Rex Franciæ.*

TENEMUS firmiter & recolimus, quia D. Cantuariensem, Virum probatum, pro Ecclesia Dei exilium ferentem, nobis per manum tradidistis: & nos eum sicut commendatum vestrum habemus, & non quantum volumus ipsi proficimus, sed libenter & ex devoto corde eum honoramus. Recordamur etiam, quia ipsum in discessu vestro commendavimus vobis, & cum magna precum instantia petebamus, ut eum foveretis, ut eum exulem vestrum misericorditer respiceretis. Sed sicut dicitur, & nostram commendationem & exilium ejus postposuit sollicitudo vestra. Sciatis autem quòd nimis turbato animo portaremus ea, quæ dicuntur facta esse, sicut in Nortmannia, & Anglia, & etiam in Francia prædicatur, nisi eadem emendare satageret vestra sinceritas. Sciatis etiam quia multi scandalizantur, & in eo quod factum esse dicitur, paternitatem vestram culpare & notare non dubitant. Nos ipsi admodùm indignantes miramur, & magis mirabimur, nisi integritas vestra ea, quæ dicuntur, falsa esse ostenderit. Et pro ipsius personæ calamitate tam longa, & pro tollenda infamia ista expediret vobis & Curiæ, in brevi quidpiam & super hoc facere ex novo & virili consilio. Loqui prolixiùs, & edocere sapientiam vestram nobis imputabitur ad præsumptionem, quia in paucis constat, satis esse dictum sapienti.

## EPISTOLA XIX.

Alexandro Papæ A..... Regina Francorum.

*Sanctissimo Domino & Patri charissimo Alexandro, Dei gratia Summo Pontifici, humilis & devota filia ejus A..... Regina Francorum, salutem, & cum sinceritate cordis devotum obsequium.*

VERBIS sicut Patri loquar & Domino, cujus honorem Dominus meus Rex, & ego, & totum Regnum nostrum desideramus ut proprium: quia vester honor noster est, & confusio vestra, quam Deus avertat, nostra. Qui vos in patrem suscepimus & Dominum, & in circuitu nostro frementium Regum, & animam vestram quærentium, pro Deo & vobis contempsimus inimicitias. Audite ergò, si placet, filiam vestram, & in eo quod dictura sum, non sexum contemnatis femineum, sed amantis attendatis affectum. Anno præterito gravissimum in Ecclesia Gallicana scandalum fecit Joannes de Oxeneford, qui suo perjurio de Romana tam facilè triumphavit Ecclesia. Secuti sunt eum Cardinales, quorum bona opera nondùm audita sunt in terra nostra, & utinam mala silentio tegerentur. Undè & scandala multiplicata sunt. Nunc autem per novissimos suos Nuncios obtinuit Rex Angliæ

Angliæ litteras, si tamen adulteratæ non sunt, patentes, quibus statuistis, ut Cantuariensis Archi-Episcopus, qui jam quadriennio pro justitia exulavit, sententiam ferre non possit in eum, vel in terram ejus, nec gravamen inferre alicui personæ de terra sua, donec in ipsius gratiam restituatur. Nonne, Pater, ex his litteris habere videtur authoritatem impunè peccandi, & Archi-Episcopum perpetuò proscribendi. Nam de cætero in arbitrio ejus erit eum recipere. Hinc adeò scandalizata est apud nos tota Ecclesia, ut magis turbari non possit: quia malum exemplum omnibus Principibus datum est. Dominus meus Rex, cui Archi-Episcopum tradidistis, turbatur plurimùm, quod inter manus ejus, si tamen in hac sententia persteriteritis, innocens jugulatur. Dolet Regnum totum, quòd apud vos prævalent hostes nostri. Exspectat adhuc Dominus meus Rex exitum promissionis vestræ, quam nisi citiùs viderit adimpleri, quid de Romana Ecclesia sperare debeat, edocebitur, & posteri sui. Valete charissime & sanctissime Pater, & Cantuariensi Archi-Episcopo, si placet, subvenite.

## EPISTOLA XX.

*Alexandro Papæ Stephanus Meldensis Episcopus.*

CREBRESCUNT, Pater, scandala temporibus nostris. Sed væ illi, per quem scandalum venit. Si enim præcipitio & mola asinaria dignus est & profundo, qui unum de Christi Parvulis scandalizat, quod meretur judicium, quas in se provocat pœnas, qui totam Ecclesiam Dei scandalo replet, sanctorum corda percellit, ut, si fieri posset, à fidelitate & devotione Sedis Apostolicæ moveantur Electi? Et quidem Joannes de Oxeneford anno præterito gravi scandalo collisit Ecclesiam, qui Domini Cantuariensis excommunicatos, persistentes in scelere suo, quod omnibus notum est, sine omni non dico satisfactione, sed etiam sine satisfactionis imagine fecit absolvi. Et quod sine dolore & confusione non eloquor, adhuc Ecclesiarum possessionibus incubant, spoliant Clericos, pauperum Christi bona diripiunt, impunè se tam Romanæ Ecclesiæ authoritate, quàm Regis sui iniquitate tutos esse gloriantes. Cæterùm scandalum illud, licèt maximum fuerit, jocus erat præ his, quæ Regis Angliæ Nuncii nuper attulerunt, & quod omnium fidelium vestrorum corda magis exulcerat, in colloquio Regum novissimo publicata sunt. Lectæ enim sunt litteræ, quibus Dominus Cantuariensis, vir litterarum eruditione & morum honestate, sed magis pro causa Domini & libertate Ecclesiæ, cujus assertor est, venerandus, potestate debita coercendi subditos privatus est, donec redeat in gratiam Regis illius, cui gratus esse non poterit, nisi Deo ingratus sit, & infidelis Apostolicæ Sedi, & toti perniciosus Ecclesiæ. Confusus est Christianissimus Rex in verbo isto, stupuit Ecclesia Gallicana, Principes doluerunt, quod tantùm prævaluit apud vos manifestus hostis Regni Francorum, universalis Ecclesiæ persecutor, incentor schismatis quoad potuit, & fautor hæreticorum. Sed nunc, authore Deo, in eo calculo constitutus est, ut licèt minari audeat, in hac parte non possit nocere. Nam qui terret, plus ipse timet, & Deo propitiante promptior est ad fugam, quàm ut hostem audeat exspectare. Nusquàm enim tutus est, & non tam extraneos, quàm domesticos veretur hostes. Dominus noster Rex quantùm motus sit, quòd tantùm acquievistis Ecclesiæ persecutori & hosti suo, non facilè dixerim, ne referenti vestra sanctitas indignetur, sed certum est hoc scandalum sedari non posse, nisi citam adhibueritis medicinam. Nec desunt qui suadeant, ut de cetero non desistat pro reverentia suam & Regni procurare utilitatem, contrahendo cum his, qui oderunt nomen vestrum. Placeat itaque Majestati vestræ in consolationem Domini Cantuariensis, immò in sublevationem Ecclesiæ mitigare animum ejus, & Ecclesiam Gallicanam à tanto scandalo liberare. Quod utique fieri posse non arbitror, nisi absolvatur innocens, & impius vinciatur, cujus potestatem jam coarctavit Altissimus, ut de cetero non oporteat vereri minas ejus. Verendum est, ne alii Principes in destitutione Ecclesiæ hoc exemplo similia præsumant, & quoties à Christi Sacerdotibus corripiuntur, ora eorum nitantur obcludere, & ministerii detrahere potestatem. Valeat semper & vigeat sanctitas vestra.

## EPISTOLA XXI.

*Alexandro Papæ N. ..... Senonensis Thesaurarius.*

OMNIS quidem fidelis anima necessitate juris subjicitur Apostolicæ Majestati, sed ego vobis speciali devotione familiariùs teneor, & de his, quæ ad Apostolatum vestrum pertinent, magis quàm de propriæ sortis conditione, charitatis & necessitatis debito concurrente, cogor esse sollicitus. Loquar ergò ad Dominum meum, fiducialiter agens in his, quæ magis ad honorem & utilitatem vestram, si verba pueri vestri vultis audire, qui occasione Mandati vestri periclitor, quàm ad meam, propitiante Deo, proficient liberationem. Præcepistis, Pater, si reminisci placeat, ut Domino nostro Christianissimo Regi consilii vestri verba proferrem, & erigerem mentem ejus data spe relevationis Domini Cantuariensis, ne moveretur, si fortè audiret Nuncios Regis Angliæ grave aliquid contra eundem Archi-Episcopum à vobis impetrasse. Conservetis enim causam ejus illæsam in sinu vestro. Ei soli, Pater, exposui verba vestra, qui uberrimas referens gratias, sanctitatis vestræ gloriam prosecutus est immensis laudibus. Deus novit, quod nec ipsi Archi-Episcopo mysterium consilii vestri, nec ulli mortalium ausus sum aperire. Sed ecce occasione litterarum, quas Rex Angliæ nuper fecit in Episcoporum colloquio publicari, & audita jactatione Nunciorum, qui se præfatum Archi-Episcopum prostravisse, & irreparabiliter protrivisse gloriati sunt, attestante eis vestrarum rescripto litterarum, adeò confusus & turbatus est, ut me in vestra promissione mendacem dicat, & quod de operibus Ecclesiæ Romanæ nihil boni sperabit ampliùs, nisi quatenùs fides persuaserit oculata. Nec, ut ait, molestè ferret, si iniquas fortè preces porrigens repelleretur à vobis, sed dolet, miratur, & stupet, quod plus valent apud vos manifesti persecutoris Ecclesiæ, & hostis Regni per vilissimas personas contra Deum porrectæ preces aut minæ, quàm fides & obsequium ejus & Regni sui. Et



Et pro Deo & secundùm Deum, omni legi & æquitati consonæ, si ab ipso porrigantur & toto Regno. Intulit ergò verbum, quod in auribus fidelium vestrorum acerbissimè sonat, quod de cætero pro Romana Ecclesia non dimittet, ubi viderit expedire, suam & Regni procurare utilitatem. Creditur enim pro certo, quòd adquiescere velit consilio eorum, qui suadent, ut diu petitam confœderationem Imperatoris admittat, contracto Matrimonio inter liberos eorum. Res autem adhuc quidem dilata erat, sed procurantium spes nunc roborata est. Precor ergò, & consulo in ea fide, quæ Patri debetur & Domino, quatenùs promissionem, quam ei per me fecistis, citiùs adimplendo in sublevatione Domini Cantuariensis mitigetis animum ejus, ostendentes quòd iniquitatem Regis Angliæ, qui ipsius, & Regni Francorum, & Ecclesiæ Dei publicus hostis est, non vultis diutiùs supportare. Nec timeri oportet minas ejus, quia sicut Theutonicum Tyrannum civitates Italiæ Divino præeunte miraculo ejecerunt, ita Pictavorum & Britonum proceres, Domino Regi confœderati, ei texuerunt inextricabilem labyrinthum. Jam enim sic arctatus est, ut nemo videat, qua via possit evadere. Et Dei præeunte & succurente gratia non evadet. Ad hæc in arcto constituta est Ecclesia Senonensis. Hinc ad instantiam Domini Antisiodorensis, vestro nos urgente mandato, ut præbendam Archi-Episcopi nostri assignemus cuidam Clerico, cujus faciem adhuc, ut ex conscientia loquar, ignoramus & nomen; hinc obsistente consuetudine & lege Ecclesiæ nostræ, quam sine perjurio frangere non valemus: ad eam namque servandam juramenti necessitate quisquis in Ecclesia nostra Canonicus est, arctatur, & Sedis Apostolicæ privilegiis, quibus obviare non licet, roborata est. Non licet, aut unquàm licuit Capitulo præbendam dare non implorato consensu Archi-Episcopi, nec Archi-Episcopo sine nobis. Nec esset nobis tutum Archi-Episcopo præjudicium facere, & contra juramentum versari, damnabile est. Placeat itaque dignationi vestræ, tanto Ecclesiæ periculo providere, quia cùm Archi-Episcopum, Domino præstante, creaveritis, quòd Sanctitati vestræ visum fuerit expedire, commodiùs disponetis,

## EPISTOLA XXII.

*Ludovicus Rex Franciæ Hostiensi Episcopo.*

DILECTIONI vestræ uberes gratias referimus pro Archi-Episcopo Cantuariensi, cujus negotium tam piè ac perseveranter, amore Dei & nostro fovistis. Quod si finem debitum ministerii ac patrocinii vestri obsequio consecutum non fuerit, non minùs tamen laudis, non minùs gratiæ sollicitus diligentiæ vestræ favor promeruit. In Regno nostro propalatus est sermo scandalum generans, subortum est murmur, quod de facile sedari non potest. Recolitur ubique cum admiratione, quod Dominus Papa contra Dominum Cantuariensem litteras patentes Regi Angliæ, inanis gloriæ cupido, nuper indulsit, in quibus os & manus Cantuariensis suspenditur, in quibus ei potestas omnimoda tam in Regnum Angliæ, quàm in Regni personas inhibita est, donec gratiam Regis ad plenum fuerit consecutus. Non habemus Papam accusare vel in manifesto arguere, quia Dominus est; sed quæ ipsius opinionem denigrant, omninò silere non possumus. Et quid Imperatori, aut aliis schismaticis, qui vobis insultant, sufficienter habeamus respondere, nisi nos vestra vel Domini Papæ discretio super hoc instruxerit, invenire non valemus.

## EPISTOLA XXIII.

*Alexandro Papæ Canonici Remenses.*

INVALESCUNT, Pater, scandala temporibus vestris, ut in Authoribus eorum compescendis & conterendis virtus vestra clariùs elucescat. Confidimus enim, quòd Sathanam conteret sub pedibus vestris, qui in membra ejus, capita schismatis loquimur, condignam & gloriosam exercuit ultionem. Exerat ergò, si placet, quoniàm tempus est, in incentores schismatis, & tortores Ecclesiæ gladium Petri dextera vestra, & venerabilem Dominum Cantuariensem, qui pro justitia jam quinquennio dignoscitur exulare, saltem nunc tandem miseratione debita consoletur. Siquidem justitia ejus nunc manifesta est, sicut advertere potest vestra Paternitas ex litteris Sanctissimi viri Simonis, Prioris de Monte Dei, qui quod vidit & audivit in executione mandati vestri, hoc testatur. Vir utique plenus authoritate fidei, cujus verba apud nos & reliquos, qui hominem noverunt, multorum præponderant juramentis. Quis unquàm præter Cantuariensem à Christiano in quacumque obligatione coactus est vel exactus honorem Dei reticere? In vos omnium oculi diriguntur, studiosiùs exspectantes, quam consolationem præstabitis Confessori, quem exitum causæ Dei, qua severitate tantam compescetis audaciam. Vestris itaque pedibus provoluti supplicamus attentiùs, ut prospiciatis honori vestro & Ecclesiæ libertati: quia sublevatio unius erit indubitata consolatio plurimorum. Si enim tam sincera causa in conspectu vestro periclitatur, quis audebit de cætero sæculi potestatibus, quamlibet malitiam attentantibus, obviare? Valeat semper Sanctitas vestra.

## EPISTOLA XXIV.

*Alexandro Papæ Remensis Episcopus.*

VENERABILIS Frater & Amicus noster, Dominus Cantuariensis, apud nos pro honore Dei & libertate Ecclesiæ, pro Sedis Apostolicæ privilegiis, jam quintum annum exilii proscriptus agit. Si placet, Domine, jam satis est, quòd huc usque sustinuit. Jam tempus est miserendi, propter multa: tum ne alii Ecclesiarum Prælati ab Officii sui executione ipsius terreantur exemplo, tum ne quod hactenùs adversùs eum impunè ab uno præsumptum est, ab aliis sæculi potestatibus in oppressione Ecclesiarum trahatur ad consequentiam mali. Supplicamus itaque Paternitati vestræ, in quam omnium oculi conjecti sunt, præstolantes quem exitum causa Dei sub vestro examine sortietur, quatenùs tanto exuli, immò tam sinceræ causæ subveniatis, & vestro prospiciatis honori, & Ecclesiæ libertati pariter & saluti. Si enim assertor honoris Dei torquetur in patibulo, quid spei cæteris Divini no-

ni nominis Confessoribus relinquetur? Qualiter autem nuper processerit causa ejus, ex testimonio viri celeberrimæ opinionis apud nos, Simonis Prioris de monte Dei, innotescere pleniùs poterit, utpotè scribentis quæ vidit & audivit, dum mandatum vestrum exequeretur. Est enim vir admodùm probatæ Religionis, & quem nulla ratione credimus ad hoc induci posse, ut aliquid contra conscientiam dicat. Valeat, &c.

## EPISTOLA XXV.

*Alexandro Papæ Prior Sancti Victoris & R..... Abbas quondam S. Augustini.*

SANCTIS viris, Simone Priore de monte Dei, & Fratre Bernardo de Grandi Monte, veraciter referentibus, aliisque personis Religiosis & honoratis adsistentibus, & nos ipsi præsentes ipso auris auditu percepimus, quæ responsa Rex Angliæ Domino Cantuariensi super negotio pacis Ecclesiasticæ reddiderit. Referebant & inter referendum mirabantur, quàm sæpè Rex Angliæ animum Domini Cantuariensis, suorumque, & nostros in spem recuperandæ Ecclesiasticæ libertatis & pacis erexerit, quàm sæpiùs in desperationem ejusdem recuperationis à conceptu antehabitæ spei dejecerit. Tandem post multas & varias, nec inter se cohærentes, immò sibi contrarias responsiones, post tumidam de præsumpta præsentatione litterarum vestrarum animi indignationem, nihil certi reportare potuerunt. Opùs est igitur, post tam longam exspectationem, & tam diu suspensam animadversionem ex authoritate Apostolica gladium Petri in Adversarium S. Ecclesiæ, & Contemptorem Sedis Apostolicæ jam jamque exercere, manu utique tantò validiore, quantò fortiorem, & si potest, insuperabilem, ad resistendum, immò ad prævalendum se præmunit inimicus. Quod si incunctanter & districtè feceritis, prout ipsi à Collateralibus Regis se didicisse memorabant, ad portum tranquillæ securitatis & gaudium quæsitæ libertatis Ecclesia Dei in brevi est perventura. Jamque olim, si districtiùs egissetis, pervenisset. Si verò in hac suprema necessitate adhuc dissimulatis, procul dubio multò majore injuria & depressione conculcanda est, quàm fuerit, & futura sunt ejus novissima multò pejora prioribus. Illud etiam vos non lateat, quod priores litteræ vestræ, assensum petitionum Regis Angliæ, ut videbatur, continentes, sed magis rei veritate prudentiam benevolæ vestræ intentionis erga Dominum Cantuariensem occultantes, animum Domini Regis Francorum, multorumque aliorum multùm scandalizaverunt. Novissimæ verò, quæ & comminatoriæ, eundem gloriosum Regem nostrum, cunctis quidem bonis hominibus, sed maximè D. Cantuariensi benevolum & devotum, multùm exhilaraverunt, multosque alios in gratiarum actionem & vocem laudis, misericordiam & judicium vobis decantantes, excitaverunt. Misericordiam, quia innocentis causam defensandam suscepistis; & judicium, quia violenti injuriam, quantùm in vobis est, propellitis.

## EPISTOLA XXVI.

*Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Wilhelmo Papiensi.*

VERITAS obumbrari quidem, sed extingui non potest, & lux post tenebrarum molestias gratiùs acceptatur. Utinam & vobis ab initio constitisset, quod nunc ex ipsius persecutoris nostri testimonio omnibus notum est. Nuper enim coram Rege Christianissimo, Archi-Episcopis, Episcopis, Comitibus, Proceribus, & omnibus qui aderant, publicè professus est hanc solam esse causam exilii & proscriptionis nostræ, quod nolebamus ei consuetudines observare, quas antecessores nostri consueverant decessoribus ejus. Adjecit etiam, quod nihil aliud quidquam quærebat à nobis; nisi ut hoc simpliciter & absolutè promitteremus ei in verbo veritatis, ita scilicet, ut non adjiceremus, *Salvo Ordine nostro, vel honore Dei*, vel aliquid eorum, quæ honestatis & conscientiæ possent incolumitatem tueri. Et quia noluimus absolutè promittere consuetudines, quarum aliquæ Sedis Apostolicæ authoritatem evacuant, & Ecclesiæ perimunt libertatem, discessit Rex pace infecta. Supplicamus itaque dilectioni vestræ, quatenùs patrocinium Cantuariensis Ecclesiæ, immò justitiæ indefatigatè suscipiatis. Et sicut nobis Benignitas vestra promisit in discessu vestro, pro libertate Ecclesiæ & persona nostra, qui ad obsequium prompti sumus, stare, ut decet honestatem vestram, non gravemini, sed opponatis vos his, quos veritati & justitiæ constat hactenùs fuisse oppositos, & Nunciis nostris in his, quæ vobis ex parte nostra proposuerint, indubitanter credatis.

## EPISTOLA XXVII.

*Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Bernardus Portuensis Episcopus.*

QUONIAM sub uno Capite Christo sumus invicem membra, non debet vestra dilectio ambigere, quin vestra tanquàm propria negotia nostra curemus, maximè cum in vestra causa res nostræ profectò agantur. Undè si aliquid aliquandò nos agere contingat, quòd actum in parte vobis fortasse displiceat, redire sub rationem displicentiæ debent, ut minùs molestè feratis, quod pro nobis ad modicum temporis dispensamus, eò nimirùm quia vobis totum militat, quidquid est quod in vestro negotio vobis etiam contraire videtur. In hoc siquidem, quod Dominus Papa quasi contra suum propositum Regi Angliæ scribit, hoc agit, ut si fortè resipiscat à super se lata sententia. Eapropter vestram Fraternitatem, quantùm possumus, in Domino exhortamur, ut sicut cœpistis, & hactenùs laudabiliter perseveratis, sitis & fortis & patiens, scientes quod si modò non se correxerit, nequaquàm ampliùs manus suas Mater Ecclesia continebit, sed eò fortiùs eum feriet, quò ipsum in majori patientia sustinuit. Nam jam adeò in aperto contra Ecclesiam ejus malitia se erexit, ut jam non inveniatur, qui ejus dolos feriri non velit. Valete semper in Domino, & Spiritus consilii & fortitudinis maneat semper cum omnibus nobis. Amen.

EPI-



## EPISTOLA XXVIII.

*Thomas Cantuariensis Magistro Lombardo.*

MITTIMUS ad vos Latorem præsentium, pauperem Clericum, qui de quadam paupere domo est Monialium in Anglia Deo servientium, qui vobis diligentiùs viva voce miserias & mala sua exponet, quæ vos volumus Domino Papæ pariter cum malis & damnis nostris Ecclesiæ Cantuariensis, quantò sollicitiùs poteritis, exponere. Qualiter autem Rex Angliæ, dum apud nos fuissetis, Ecclesiam Anglicanam, & præcipuè Cantuariensem bonis suis & possessionibus spoliaverit, & eam funditùs destruere conatus sit, benè novit vestra discretio. Nunc autem de novo in ignominiam nostram, & ad nostræ confusionis augmentum, per Sedem nostram, & per omnes Ecclesias Regni sui, tam magnas quàm etiam parvissimas, fieri præcepit: scilicet interventu Episcoporum concessit eis pariter & Abbatibus, & minoribus Clericis per singulas Ecclesias hanc fieri per se ipsos exactionem, ut ea facta, quidquid exindè perciperent, eidem Regi & suis omninò assignarent. Prætereà nemora, & villas, & omnes possessiones Cantuariensis Ecclesiæ omninò destruit, alienat, & confundit. Ad hæc autem litteras suspensionis nostræ, quas Dominus Papa, sicut ei placuit, quamvis non promeruerimus, illi Regi transmisit, per totum Regnum suum, nec non specialiter per omnes Ecclesias, tam parvissimas, quàm magnas, publicè ad confusionem nostram divulgavit. Hoc quidem vobis veraciter dicimus, quod & Domino Papæ, quanta poteritis sollicitudine, & amicis nostris intimetis. Latoris præsentium negotium, quantùm justitia patitur, amore Dei & nostro promoveatis.

## EPISTOLA XXIX.

Joannes Saresberiensis Simoni Priori de Monte Dei, & Engelberto Priori de Valle S. Petri.

*Venerabilibus Dominis & Amicis, Simoni Priori de Monte Dei, & Engelberto de Valle S. Petri, suus Joannes de Saresberia, salutem, & in causa Dei prosperari.*

POTEST vestra meminisse discretio, quòd nunquàm D. Cantuariensi placuit, ut Apostolici mandati fines exequi differretis. Acquievit tamen Fratri Bernardo successus feliciores promittenti, si usque in aliud colloquium deliberandi spatium indulgeretur. Pollicebatur enim ferocitatem hominis interim in mansuetudinem convertendam. Sed ecce ex litteris quas nuper accepi, luce clariùs patet, quia & Legatio Domini Pictavensis procurata est in fraudem Ecclesiæ & vestram, & utinam ipsa dilectio non habuerit dolum. Nam hoc rei exitus declarabit. Dum nos promissam exspectamus mansuetudinem, ille sollicitus agit, quomodò honorem Dei subruat, & totam subvertat Ecclesiæ libertatem. Quidni faceret? Exploraverat vires nostras, & iniquitate sua non dico meruerat, quoniam falsum est, sed subripuerat favorem omnium. Et ille, qui solus in tantæ difficultatis articulo honorem Dei ausus est protestari, omnibus in derisum & sibilum datus est, & quasi ab universis conputus abscessit. Nonnè de cætero facilem poterit iniquitas armata consiliis & favore sperare triumphum? Institi, ut consuluistis, apud Dominum Remensem, ut Fratri Bernardo scriberet, sed non adquievit, dicens litteras suas non profuturas, quia credit eum favere parti adversæ. Frequens enim est, ut qui nihil habere prædicantur, aut rem aut gloriam plurimùm concupiscant. Non placet D. Cantuariensi, me aut aliquem suorum interesse præter Magistrum Lombardum Romanæ Ecclesiæ Subdiaconum, quem invenietis in familia Domini Senensis. Vos autem illuc perducat Dominus in Spiritu & virtute Heliæ, & gladium Phinees cum zelo, quem habetis, dirigat & roboret in manibus vestris. Ne timeatis à facie vel multitudine hominum, quia plures & fortiores nobiscum sunt, quàm cum illis. Scribit Remensis Archi-Episcopus pro causa nostra Domino Papæ, præcipiens litteras suas ad meum formari arbitrium, promittens etiam se necessitatibus nostris, quàmdiu res exegerit, adfuturum. Viriliter agite quæso dilectissimi Domini, & dilationis periculum executionis officiositate & diligentia compensate, ut per vos innotescat, quoniam quidquid ultra quam obtulit, à Cantuariensi exigitur, non modò potestatis excessus est, sed plenæ & planæ infidelitatis indicium: ubi sunt quidam, ut scitis, in excusationem erronei consilii, prætextu Sanctitatis vestræ, sed nunc pateat ex professione veritatis & libertate spiritus, quod nunquàm illi consensistis errori. Ubi enim Spiritus Dei, ibi libertas est. Et nos procul dubio veritas liberabit. Valeat semper & prosperetur in Domino Sanctitas vestra. Nostri memor jugiter apud Deum, & quatenùs honestati expedit, apud homines.

## EPISTOLA XXX.

*Alexander Papa universis Episcopis Angliæ.*

AD audientiam nostram communi fama referente, & multorum etiam relatione pervenit, quod post instantem turbationem, quæ inter charissimum in Christo filium nostrum Henricum Illustrem Anglorum Regem, & venerabilem Fratrem nostrum Thomam Cantuariensem Archi-Episcopum, exigentibus peccatis, emersit, quædam prava consuetudo in illis partibus inolevit, scilicet quòd laici Ecclesias, & Ecclesiastica beneficia soleant passim in Regno Anglorum quibus vellent conferre, & authoritate sua Clericos investire. Undè quoniam id Sanctorum Patrum institutionibus adeò cognoscitur contraire, ut danti & accipienti de manu Laica sit anathema, & hoc in Ecclesiasticæ libertatis perniciem non est dubium graviter redundare, nos universas donationes à Laicis de Ecclesiis quibuslibet hoc turbationis tempore quibuscumque factas authoritate Beati Petri ac nostra omninò cassamus, & irritas esse decernimus. Quapropter Universitati vestræ per Apostolica Scripta præcipiendo mandamus, & in virtute obedientiæ injungimus, quatenùs universos illos, qui Ecclesias, præbendas, vel alia Ecclesiastica Beneficia ubicumque per Angliam de manu Laica, & maximè hujus turbationis tempore susceperunt, diligentiùs moneatis, & instantiùs exhortari curetis, quod

Eccle-

Ecclesias ipsas, præbendas, vel beneficia cum fructibus indè perceptis in manus vestras omni contradictione & appellatione cessante resignent, & eis ad quorum resignationem jure Ecclesiastico spectant, disponendas relinquant. Quod si ad commonitionem nostram infra quadraginta dies post harum susceptionem non fecerint, vos eos authoritate nostra, sublato appellationis remedio, cujuslibet timore, gratia, & prohibitione postposita, excommunicationis sententia feriatis, & ab omnibus faciatis per Parochias vestras sicut excommunicatos vitari, donec Ecclesias præscriptas & alia beneficia Ecclesiastica liberè resignaverint illis, ad quorum donationem & ordinationem spectant, & in pace dimiserint, & de fructibus inde perceptis dignam Ecclesiæ exhibuerint satisfactionem. Si autem in his exequendis negligentes fueritis aut remissi, nos omnes illos, qui Ecclesias vel cætera beneficia Ecclesiastica præter assensum Episcoporum, ad quos eorum donatio spectat, de manu Laica, prout superiùs dictum est, suscepisse noscuntur, nisi præceptis nostris infra terminum præscriptum paruerint, excommunicationis sententiæ authoritate, qua fungimur, decernimus subjacere: & eos sicut à nobis excommunicatos, præcipimus ab omnibus evitari. Datum Beneventi, decimo quarto Kalendas Junii.

## EPISTOLA XXXI.

*Alexander Papa Joanni Cumin.*

MIRABILE gerimus, & grave plurimùm ac omninò molestum habemus, quòd tu, sicut jampridem nobis innotuit, Bathoniensem Archi-Diaconatum Laicali authoritate tibi vendicare præsumpsisti, & eum venerabili Fratri nostro Vigornensi Episcopo, in magistro Baldwino, cui ipsum, Roberto quondam Bathoniensi Episcopo adhuc vivente, Scripti nostri munimine confirmavimus, non timuisti auferre. Undè quoniam excessum hujusmodi, sicut non debemus, sub silentio nolumus præterire, dilectioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, & in virtute obedientiæ injungimus, quatenùs memorato Episcopo præscriptum Archi-Diaconatum cum universis inde perceptis, omni appellatione & contradictione cessante, resignes, & ipsum eundem in pace permittas & quiete habere, & ei super hoc nullam molestiam, vel per te vel per alium inferas, aut ejus possessionem impedire præsumas. Si autem nostrum in hac parte præceptum infra viginti dies post harum susceptionem adimplere neglexeris, noveris nos præfato Episcopo in mandatis dedisse, ut te sublato appellationis remedio denunciet excommunicatum. Quod si hoc fortè nollet efficere, venerabili fratri nostro Cantuariensi Archi-Episcopo mandavimus, ut personam tuam nullius appellatione admissa excommunicationis sententiæ denunciet esse subjectam, & ab omnibus faciat usque ad condignam satisfactionem sicut excommunicatum vitari. Nos etiam te ab omnibus Episcopis Angliæ pro excommunicato præcipiemus haberi.

## EPISTOLA XXXII.

*Idem Vigornensi Episcopo.*

OMNINO nobis placeret, & tuæ saluti omnimodis expediret, ut ad commissam tibi Ecclesiam remeares, si ibidem Officium tuum liberè poteris exercere. Verùm si te ibidem ad pravas illas consuetudines, quas Deus, & Ecclesia, & nos omninò damnavimus, observandas, vel ad aliud te cogendum inconveniens formidas, nulla ratione consulimus, ut pedem in compedem ponas, aut te in carcerem aliquo modo intrudas. Nos autem, sicut novisti, Regem in patientia, sicut decuit, & in humilitate vincere cupientes, ei hactenùs multùm detulimus, de misericordia Christi sperantes, quòd ille, in cujus manu corda sunt Regum, voluntatem & animum ejus mitigare deberet, & ad suum placitum inclinare. Unde quoniam nobis in his huc usque aliter, quàm credebamus, evenit, nos eum hac vice per Nuncios nostros duximus sollicitandum, sicut ex aliis litteris, quas tibi transmisimus, cognitioni tuæ pleniùs innotescet. Quod si nos hac vice audire noluerit, pro certo cognoscas, quòd nos eum de cætero non sustinebimus, nec venerabili fratri nostro clausimus vel claudemus, aut ei aliquo modo potestatem suam adimemus, quominùs Officium suum liberè valeat exercere. Scire namque te volumus, & certa cognitione tenere, quòd nos ei in Ecclesiæ suæ libertate & justitia manutenenda, quàmdiu vitalis spiritus in corpore nostro mansionem habuerit, nulla ratione deerimus. Sed ei potiùs in his consilium & auxilium, in quibus honestè poterimus, efficaciter ministrabimus. Et si ipse negligens, aut remissus existeret, nos authoritatem Beati Petri & nostram procul dubio apponeremus. Quare constanter & viriliter agas, & non modicùm in Domino conforteris, certò certiùs habens, quod ex quo misericors & miserator Dominus universalis Ecclesiæ negotium in tantùm solita clementia jam respexit, quod schismaticus jam ferè nullus remansit, in ipsius Ecclesiæ membris diu non poterunt scandala permanere.

## EPISTOLA XXXIII.

*Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Episcopis suis, & Dunelmensi Episcopo.*

GRATIAS ago Deo meo, cui nunc servio in vinculis meis, quod obedientia vestra jam Dei Ecclesiarum Orbe divulgata est. Hæc est nunc gloria mea, quod nunc habitamus in unum rejecto illo infelicissimo Juda, velut putridissimo membro amputato, per quem in nostro corpore tantum scandalum venit, qui velut jumentum inquietum in junctura non trahebat, sed unitatis nostræ turbabat jucundum. Unde gloriam illi dantes, qui virtute sua Catholicæ suæ columnas confirmavit, rogamus vos, fratres amantissimi, per adventum Domini nostri Jesu Christi, & nostræ Congregationis in ipsum, ut non citò moveamini à nostro sensu, neque terreamini, neque per ipsum, neque per sermonem, neque per epistolam tanquàm ab Ecclesia missam. Hæc ideò dixerim, quia multi venient, & certè scio neque dubito, quod aliqui jam venerunt, qui velut pestilens ventus adducti mendaciorum aurugine terram corrumpunt. Sunt enim isti Prophetæ Baal, missi ut decipiant populum, & ut Religiosa mendacia dictorum faciliùs fidem inducant. A Prophetis Hierusalem ista egreditur pollutio supra terram. Ecce enim professionis nostræ sunt, qui persequendo nos movent pedes suos, & non quiescunt, qui epistolas mendacio plenas in Orbem dirigunt, aures audiendientium polluunt, & linguis suis nos toto Orbe consectantur. Facti enim divitiarum servi, ad Dominorum nutum, à quibus se sperant accepturos, Comicorum instar servorum, modò ajunt omnia, modò negant. Verùm dolorem id temperat, quod jam pridem Mater nostra interiorem hanc viscerum passionem sustineat. Unde & Dominus ipse hujusmodi Prophetis, qui etiam sub statu veteris legis pauci non erant, comminatur in Propheta: *Ecce*, inquit, *cibabo eos absynthio, & potabo felle*. A Prophetis enim Hierusalem egressa est pollutio super terram, neque ab ista ægritudine penitùs sanabitur, donec is venerit, qui sanabit omnes languores, & renovabit ut aquilæ juventutem suam. Vos quidem, fratres, nolite audire Prophetas istos. Radulphus verò Landavensis qualisqualis Archi-Diaconus, & Ricardus Barre dicuntur Principes Prophetiæ. Nolite, inquam, credere. Propheta quippe vaticinii sine monstrabitur. Et scietis indubiè, quod in brevi, nec in longos profectò dies, Domino faciente, sermones vani in tempore visitationis peribunt. Cum enim particularis discessio venerit, & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, de instansia Dominici diei nulla quæstio est. Vos autem state, & confortamini in Domino, ne dies ille tanquàm fur vos comprehendat. Ecce enim dedit vos Deus hodie in civitatem munitam, & columnam ferream, & in murum æneum super omnem terram, Regi terræ, & Principibus ejus, & populo terræ. Si bellaverint adversùs vos, non prævalebunt, quia Dominus erit vobiscum. Unde nos de obedientia vestra non minimùm confidentes, firmiter vobis injungimus, & in virtute obedientiæ præcepti nostri authoritate inhibemus, ne in novas obligationes juramenti, seu etiam pollicitationis à nobis exactæ declinetis. Alioquin vos, quod Deus avertat, in inobedientiæ reatum prolapsos adducet Dominus cum operantibus iniquitatem. De cætero fratres orate, ut rumoribus falsiloquorum oppressis, & multiplicis fraudulentiæ dolis, veritas Dei currat, & clarificetur per nos, & liberemur ab importunis & malis hominibus, qui jamdiu veritatem Dei in mendacio detinuerunt. Et Deum patientiæ & solatii det vobis id sapere in alterutrum, secundùm Jesum Christum, ut onera nostra invicem portantes, unanimes, & uno ore honorificemus Patrem Domini nostri Jesu Christi, & Sponsam ejus Matrem nostram, Sanctam & Apostolicam Ecclesiam.

## EPISTOLA XXXIV.

*Joannis Saresberiensis Conventui Cantuariensi.*

VESTRAM sæpiùs, si reminisci placet, commonui charitatem, quatenùs Patri vestro & Domino, pro libertate Ecclesiæ agonem in sextum annum, quod hactenùs exegit necessitas, protrahenti, fideliter, ut oportebat, assisteretis, & ut communicaretis necessitatibus eorum, qui acerbitates exilii, proscriptionis injurias, contumelias detrahentium, persecutorum molestias, ne furorem dixerim, pro verbo Domini pertulerunt. Et utinam salutaria & honesta monentem audissetis vel audiatis adhuc, ne vos, quod absit, nimis serò pœniteat incredulitatis & duritiæ vestræ. Nam ego hactenùs vobis, ut Cassandra Trojanis semper vera pronuncians, videor insanire. Et ab incredulis dicitur: *Homo ille de corde suo prophetat.* Et ut simpliciores inducat in erroris & infortunii sui consortium, vanis terret oraculis, & nunc rectum sapientibus intentat adversa, nunc adquiescentibus prospera pollicetur. Sed ecce in cervices inimicorum Ecclesiæ Petri gladius potenter exertus est, & Malcho, nisi declinet ictum, amputabit auriculam dexteram. Quid Malchus Latino sonet eloquio, nosstis. Loquor enim scientibus, tenentibus, diligentibus, & amplectentibus legem. Non credebatur, quod Episcopus Londoniensis, & Authores alii schismatis & incentores essent anathematis gladio percellendi, sed illos jam à corpore suo rejecit & exclusit Ecclesia. Non credebatur, quod condemnationem eorum Romanus Pontifex approbaturus esset, sed ex eo constat ratam esse sententiam, quod Nuncii ab Apostolica Sede missi sunt, qui eos præstito juramento secundùm morem Ecclesiæ sub ea conditione absolverent, si Rex cum Ecclesia, secundùm quod Dominus Papa præscripserat, faceret pacem. Cujus spe data, Cantuariensis Archi-Diaconus, & alii qui erant in partibus cismarinis, absoluti sunt præmissa juratoria cautione. Et quia pax infra Festum Beati Michaelis, ut conditum fuerat, secuta non est, in eandem sententiam anathematis juxta conditum reducti sunt. Liquet ergo quàm periculosa sit participatio eorum: reverà excommunicati erant, quos oportebat absolvi. Superest ut animadversio procedat ulteriùs, quia hæreditas Domini de manu hostium liberari non potest, nisi in manu forti. In quo conflictu patenter agnoscet Dominus, qui sunt ejus, & qui pluris faciunt ollas Ægyptias pane Cœlesti: verbo scilicet Dei, quod dat vitam Mundo. Quicumque verò fuerint hi, sortem damnationis suæ recipient cum his, quos terra vivos absorbit. Nam qui peccatis communicat alienis, communicabit & morti. Exite ergo, quæso, de medio eorum, ponite corda vestra super vias vestras, & qui ex magna parte, quod cum rubore & dolore confusus eloquor, privigni fuistis hactenùs, vel nunc tandem transeatis in sortem filiorum, communicando Paternis necessitatibus, fructus pœnitentiæ & obedientiæ exequendo, & infamiam ab Ecclesia propellendo, quæ, quod Deus avertat, nisi præcaveritis, vestra duritia promerente perpetuabitur in sempiternum. Monuerat hoc, immò præceperat Dominus Papa, sed nec ipse pro sua reverentia exauditus est. Nunquid vos infidelium more dicturi estis, Christo iterùm pro Ecclesia patiente: *Nos non habemus Pontificem aut Papam, nisi Cæsarem?* Nunquid adeò timetis illum, qui accepta Divinitùs potestate corpora vexare potest, non perdere, ut illum contemnatis, qui totum corpus potest & animam perdere in gehennam?

nam? Is certè præcepit, ut Prælatis obediatur, ut filii parentes honorent, eorumque necessitates excipiant promptissima charitate. Quam profectò non habere convincitur, qui fratrem in tribulatione positum pro facultate sibi data non consolatur. Affectum namque mentis validissimè convincit exhibitio operis. Valeat semper Sanctitas vestra, & in his, quæ monui, verbum Dei potiùs consulat, quàm vicinos.

## EPISTOLA XXXV.

Joannes Saresberiensis Wilhelmo Suppriori Cantuariæ.

*Suo Britoni suus Joannes salutem.*

EX his, quæ Universitati vestræ scripta sunt, colligere poteris, quid te oporteat facere. Nec est qui nugatorias, ut hactenùs, prætendas excusationes: quia tempus est, ut Ecclesia vestra patiatur, aut compatiatur. Si enim communicaverit necessitatibus Patris, & in consolationibus, quas indubitanter Deo propitio speramus, in brevi reflorescet. Et quidem à centum annis tempus exstitisse non arbitror, quò tam facilè posset ad reparanda omnia antiqua privilegia respirare, si Patri in his sollicito viriliter & efficaciter vellet assistere, & necessariis participare sumptibus. Sed nescio quo pacto regnare vultis sine onere & sollicitudine, cùm certum sit, *Non nisi supremo magna labore peti*. In his autem eatenùs jam profecit per Dei gratiam industria pauperis & proscripti, ut in his emerendis duo millia marcarum Antecessorem suum, si data esset occasio, expensurum fuisse non dubitem. Dicitur quòd candelabra alienastis in usus varios, fortassè non sine conscientia sacrilegii: & adeò tenaces estis in Ecclesiæ necessitatibus, & honoribus reformandis. Circa hæc sollicita fratres tuos, & si illi contemnendo desipiunt, tu Ecclesiæ & tibi providere memineris. Si Episcopus Londoniensis iter arripuerit ad Curiam, procura, sicut tibi injunctum est, ut duo Monachi sufficienter instruantur, ei, cùm vocati fuerint, occursuri.

## EPISTOLA XXXVI.

Idem Conventui Cantuariæ.

*Dilectissimis Fratribus, & Amicis charissimis, qui in S. Cantuariensi Ecclesia congregati sunt, & piam sapiunt unitatem, proscriptorum minimus Joannes de Saresberia, semper coram facie sua feliciter ambulare.*

ÆQUUM est, dilectissimi, de vestris gaudere profectibus, anxiari periculis, damnis & injuriis compati, & quantum Christiano licet, si fortè, quod absit, immineat, examinari defectu. Lugere siquidem parum est, quod etiam in hostium occasu justos piè fecisse recolimus, cum charitatis virtus extincta Spiritus Sancti protestetur occasum. Cujus funus perfunctoriis lachrymis non est aut dolore momentaneo prosequendum, sed vita per pœnitentiam & fructum bonorum operum instantiùs reparanda. Nec moveat, si Spiritum Sanctum, qui procul dubio immortalis est, & Beata vita justorum, dictum est in aliquibus interire, cum Paulum audieritis dicentem: *Spiritum nolite extinguere, Prophetias nolite spernere*. Et utinam efficaciter audissetis, quod, ut sapiens meminit, *Non auditores verbi, sed factores justi sunt apud Deum*. Neque hæc in sugillationem omnium vestrum dicta credantur, quia Spiritus Sanctus est testis, quod ex charitate potiùs, quàm ille solus inspirat, qui charitas est, prolata sunt, quàm in alterius injuriam Christiani, licèt aliquos de numero vestrum pro injuria Spiritus, & fraternæ charitatis exterminio, jure & merito, ne pereant, sed salubriter confundantur, crediderim arguendos. Evolvat unusquisque & relegat propriæ conscientiæ librum. In ambiguis, si qua sunt, interpretem quærat, & invocet Spiritum Sanctum, qui docet hominem scientiam, & absconditam revelat veritatem, ut eo docente, sibi fideliùs & familiariùs innotescat, & ut arbitror, planè & plenè deprehendet, quid ab accensa vel incensa, quid à tepida vel remissa, quid ab extincta vel fugata, & perdita sibi provenerit charitate. Absit tamen ut per blasphemiam, aut obstinationem, aut desperationem, aut impœnitentiam, peccatum irremissibile commiserit in vobis. Quia licèt in ramis debilitata & confracta sit charitas, spes tamen est quod maneat in radice, & rigata & perfusa Cœlestis gratiæ imbribus revirescere possit, & veræ compassionis & justitiæ facere fructus, si cor posuerit anima super vias suas, si pœnituerit, si culpam fateatur, si pro facultate satisfaciendo redimat quod commisit. Sed fortassè dicetis: tu quis es? Aut quæ est domus Patris tui in Israel, ut Religiosos arguas viros, præsertim in Ecclesiarum Britanniæ cardine constitutos, aut nos quid commisimus, undè charitatem probes extinctam aut remissam? Ego quidem pro me respondeo quod præmisi: quia proscriptorum Christi minimus sum, & quod ex conscientia loquor, quem zelus Domus Dei, ut alterius parcam judicio vel errori, jam multo tempore fecit exulare proscriptum, & quasi ut propriam fatear insipientiam, scandala fratrum animo patienti sine scrupulo nequeo tolerare. An non licet mihi, præsertim Apostolo docente, propriam ustionem deplorare in scandalis? Non licet coægrotantes, quibus coinfirmor, invitare ut pariter curramus ad Medicum? Profectò cuilibet Discipulo Christi & minimo liberum est ipso inspirante dare testimonium veritati, quam quisquis ex Deo est, non modò patienter, sed libenter audit. Audite ergò & vos animo patienti, & quam ego reputem culpam vestram, quod dispendium charitatis. Quod quæso ubi apparuerit, nolite vanis verborum foliis adumbrare, sed opere potiùs expurgetur & veritate. Sex anni ferè evoluti sunt, ex quo pro justitia exulat Pater vester, multis & magnis arctatus angustiis, multis utriusque sexus, & cujusque ætatis coexulibus, Christi scilicet pauperibus oneratus, & quid ei vel coexulantibus sibi tanto tempore impenderitis, si quid tamen, à memoria vestra elapsum esse non arbitror. Ubi interim quæso charitas, ubi amor, ubi affectio filialis? Nam ut ait per organum suum Spiritus Sanctus, *Probatio dilectionis, exhibitio est operis*. Et eodem constat authore, amorem non posse otiari. Sed prætenditis publicæ potestatis vires, satellitum insidias, & metum justum, ne locum perderetis & gentem. Planè magnæ sunt, & uti-



& utinam magnæ sint semper in Domino vires Regiæ potestatis, sed non tantæ, ut omnes vestras cohibeant impensas, quas ubi sæpiùs fecerint, qui poterant, quisquis diffiteatur, veritas novit, & fortassè etiam ante diem Domini quandoque saltem pro parte revelabitur. Hoc indubitanter dixerim Christum nunquàm puniturum, nec homines culpaturos, si aliquid subtraxissetis necessitati vestræ, nedùm de liciis, quod possit Christi pauperibus, pro justitia & libertate Ecclesiæ exulantibus, erogari, nisi fortè quispiam credat Deum in extremo examine glorificaturum illos, qui duplicibus induti sunt, & epulantur quotidiè splendidè. Sathanas votivo pietatis affectui satellitum ministerio multas prætendit insidias, sed eas aliquorum fides & diligentia, licèt paucorum, evasit. Quod vos faciliùs potuisse conjicio, si quandoque fuisset attentatum. Utinam pietatem vestram saltem voluisse, cujusque operis testimonio convinci potuisset. Superest ut de timore vobis Apostolus Christi respondeat: *Quoniam timor iste non est in charitate*. Judæi ne locum perderent & gentem, Christum, ut recolitis, occiderunt, & eo ipso quod maximè volebant evitari, demeritò amiserunt locum & gentem. Nam ferè quoties ex aliqua causa consultò Deus offenditur, res in contrarium voto pergit eventum. Si tamen illi longo tempore exspectati pœnitentiam egissent, potuerant loci & gentis retinuisse primatum, qui illis induratis genti traditus est facienti fructus ejus. Vos itaque, dilectissimi, quoniam adhuc tempus est propitiationis & meriti, accelerate ad veniam per dignos pœnitentiæ fructus, & præoccupate faciem judicis in confessione, & satisfactionis diligentia redimite moram, & lapsam erigite charitatem. Facilis & gloriosa, si vera sunt quæ dicuntur, apud vos satisfaciendi, & redimendi famam, vobis offertur occasio, cùm Dominus Rex, ut ajunt, in injuriam Ecclesiæ vestræ filium suum per manum Archi-Episcopi Eboracensis, aut alterius Episcopi velit inungi & consecrari in Regem. Prohibet hoc Dominus Papa mandato iterato, & sunt prohibitoriæ ejus in Regno. Quas si porrigere cessaverint alii, & ad vos pervenerint, induantur quæso aliqui vestrum virtute ex alto, ut eas porrigant, Dei & Summi Pontificis authoritate prohibentes, etiam interposita appellatione, si opus fuerit, ne tantum præjudicium Sanctæ Cantuariensi Ecclesiæ paratus sit hoc implere. Nihilominùs si eas in fraudem Ecclesiæ suppresserit aliquis, ut ad vos pervenire non valeant, vos tamen de Divina misericordia confidentes, prohibitionem & appellationem ad propulsandam injuriam imminentem interponere non differatis, & omnibus Ecclesiæ vestræ Suffraganeis authoritate Sedis Apostolicæ præcipere, ut præsentiam huic operi subtrahant, & præjudicio Matris suæ nulla prorsùs ratione communicent. Quod si vobis tacentibus præsumptum fuerit, cui de cætero poterit persuaderi zelum non periisse, & charitatem non esse extinctam? Sic non est in vobis aliquis, qui non faciat preciosiorem momentaneam vitam, quàm salutem Ecclesiæ suæ, & coronam justitiæ? Non enim nunc à vobis vestra quæruntur, sed ut vos doceatis Dei esse cultores, & Ecclesiæ filios. Hac virtute præcedentes redimetis offensas, & tam perspicua charitas multitudinem, quæ præcesserunt, operiet peccatorum. Eis tamen, qui inspirante Christo Armaturam zeli assumpserint, induti pro thorace justitiam, & pro gulea judicium certum, Dux & Custos aderit fidelis Deus, qui eos suprà vires tentari non patietur, sed ea, quæ nunc videntur imminere, pericula in veram pacem, plenam securitatem, & perpetuam gloriam commutabit. Nam Dominus Rex, quidquid loquantur homines, si se meminerit esse Christum Domini, & pro debito Officii, pro generis nobilitate, pro clarissimi virtute animi, non modò justa petentibus non irrogabit injuriam, sed alios ne irrogent cohibebit. Scit enim quia Regis honor judicium diligit. Videor mihi videre plures in vobis, qui præclari hujus meriti coronam affectent, & dicant singuli cum Propheta in auribus Ecclesiæ, *Ecce ego, mitte me*, conantes cæteris præripere titulum, quò fama redimetur universitatis, & privilegium Ecclesiæ stabili vigore perpetuabitur.

## EPISTOLA XXXVII.

*Alexandro Papæ Bernardus Noviomensis & Mauricius Parisiensis Episcopi.*

NOS Sanctitati vestræ pro Ecclesia Anglicana & venerabili viro Cantuariensi Archi-Episcopo preces sæpiùs porrexisse meminimus, nec potuerit, Deo propitio, nostra instantia cohiberi, donec ei misericordiam impendatis, & Apostolicæ Majestatis dextera malitiam reprimatis eorum, qui Christum in illo conantur extinguere, & totius Ecclesiæ perimere libertatem. Gravia quidem sunt & multa damna, quæ diu fortiterque sustinuit, atroces nimis exemplo in se & suis patienter excepit injurias, sed Divina cooperante gratia, ad magnum jam Ecclesiæ profectum, ut indubitanter credimus, pervenerunt. Nam apud illum Anglorum Regem, cui non satis est indebita servitute torquere subjectos, gratis affligere innocentes, contrahentes decipere, vicinis insidiari, fraudare Dominos, nisi contra fas & jura conculcet Ecclesiam, jam de consuetudinibus & dignitatibus nec mentio est, hoc eo petente dumtaxat, ut ei faciat præfatus Cantuariensis, quod Archi-Episcopus Regi debet, & ipse vicissim illi, quod Rex debet Archi-Episcopo. Nuper autem ad hanc ejus pollicitationem spe reconciliationis pleniori suscepta, idem Cantuariensis in omni humilitate & devotione usque ad Pontisaram accessit, confidens se Regis colloquium habiturum, sicut venerabiles viri D. Rothomagensis, & Episcopus Sagiensis promiserant per litteras suas, & præter hos Cistercienſis Abbas, & Frater Gaufredus Antisiodorensis, quos præfatus Rex Senonas ad sæpedictum Archi-Episcopum miserat, ut hoc colloquium procurarent. Sed idem Rex in reditu Nunciorum suorum, scilicet magistri Richardi Barre, & Radulphi Landaviensis Archi-Diaconi, redeuntium à Sanctitate vestra, more suo resiliit à pactis, dicens se cum festinatione iturum in Anglia, ut filium suum in læsionem & injuriam Cantuariensis Ecclesiæ, per manum Domini Eboracensis, vel alterius Episcopi faceret coronari. Et sicut apud nostrates celebre est, præfati Nuncii ejus gloriati sunt se & hanc novi Regis coronationem obtinuisse à vobis, & absolutionem eorum, quos Dominus Cantuariensis pro merito anathemate condemnavit. Rediit itaque infecto negotio toties me-

moratus Cantuariensis, condolente sibi Christianissimo Rege, & regno compatiente, mirantibus cunctis, si etiam nunc in tam conspicua causa circumveniri potuerit Apostolica Sedes. Quis enim, & pro qua causa condemnabitur, si tanta & tam evidens Christi injuria, & Ecclesiæ læsio, & contemptus, ab illo Rege non requiruntur? Quis innocens de manu Calumniatoris liberabitur, si non subvenitur Domino Cantuariensi & coexulibus suis? Hæc enim quæ Nuncii ejus jactitant evacuasse, ad coercitionem hominis, aut potiùs iniquitatis videbantur esse præcipua. Et jam in pœna aliorum didicerat, quid adversùs malitiam potestatum valeat Ecclesiasticus vigor. Pax Ecclesiæ credebatur adesse præ foribus, ipseque Rex ferocitate seposita eam in veritate ad honorem Dei expetere etiam à familiarissimis putabatur. Sed si hæc ei etiam post injuriam, quam vobis in imitatore Beati Petri, & vestro Domino Gratiano, & aliis Nunciis intulit, indulta sunt, idem est ac si omnis via pacis & spes Ecclesiæ prærupta sit Anglicanæ. Sed absit à Sanctitate vestri Pontificatus, ut tam patens injuria Christi Confessoribus irrogetur, & perniciosò exemplo tyrannorum adversùs Ecclesiam armetur & roboretur iniquitas. Sperabatur enim ab omnibus, quòd vestram non posset ulteriùs circumvenire prudentiam, aut illudere Sanctitati, aut justæ severitatis manus evadere. Ecclesiæ miseria, & innocentium infinita afflictio, quam videmus, nos verba protendere coegerunt. Sed summa desiderii nostri est & totius Ecclesiæ Gallicanæ, ut tantum scandalum celeri subventione de medio tollatis, & præfatum Regem his, quæ Christiano Regi competunt, faciatis esse contentum, & Regi regum sua privilegia illibata relinquere.

## EPISTOLA XXXVIII.

*Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Gaufredo Antisiodorensi Episcopo.*

SECUTUS fidem vestram potiùs quàm rationem meam, non sine labore mei & meorum, quos de diversis locis evocaveram, accessi usque Pontisaram, cum omni humilitate reformandæ pacis, quæ sperabatur, acceptans occasionem. Ubi receptis litteris vestris, quibus me & meos innotuit esse delusos, persuasus sum, ne de cætero credam omni spiritui, & ne tam facilè coexules meos, Christi pauperes & proscriptos, affligam ampliùs discursibus vanis, & sumptibus magnis. Et si mihi credidissetis vera dicenti, utrique nostrum utiliùs esset prospectum. Nunc autem insipiens factus sum: quis me coegerit, quis induxerit, pleniùs scitis. Nec hoc dico, quòd vobis impensæ Deo sollicitudinis non habeam gratiam, sed ut uterque nostrum de cætero cautiùs negotietur, & verba meminerit esse verba. Si ergò aliud audieritis, ne miremini. Et quia fidem vestram secutus sum, offerens me ad omnem conditionem pacis in Domino, precor ut qualiter mecum actum sit & agatur, per vos innotescat Domino Cistertiensi, qui reconciliationis hujus, ne deluſionis dicam, vobiscum est institutus procurator. Expedit enim honestati vestræ & illius, ut veritas pluribus innotescat. Valete.

## EPISTOLA XXXIX.

*Joannes Saresberiensis Magistro Gaufredo.*

MOLESTE tulit D. Archi-Episcopus, quod vos, qui clavem habetis scientiæ, & in lege Domini, quam publicè docetis, jugiter occupamini adeò ut mundanis disciplinis penitùs rejectis solius veritatis & justitiæ sacra profiteamini, Cantuariensi Archi-Diacono, quem publicè excommunicatum esse non ambigitis, communicare præsumpsistis, exemplo pernicioso, & quod sicut vestram conscientiam lædit, sic non modicè denigrat & famam. Nam nec in minimis perito tantus facilis esset excessus, nedùm in illo, cujus non modò doctrina, sed & vita debet Auditoribus esse virtutis exemplar. Sed quia credibilius est vos de humana infirmitate, quàm de malitiæ pervesitate, licèt & grave nimis sit quod admisistis, peccasse, de mandato ipsius litteris vestris respondeo quæ sequuntur, mittoque Rescriptum litterarum, quas ad excusationem sui Domino Sagiensi transmisit, qui monuerat, ut ei Parisiùs occurreret in incertum. Sed ut scitis, nec equitaturas, nec expensas, nec socios, qui per Regnum dispersi sunt, ad tam crebros & inutiles discursus potest subito præparare. Quod & sapientes, qui eum tam facilè evocant, oportuerat præmetiri. Vos autem diligentior exstitistis, qui ei uno dumtaxat interposito die, certum præstituistis diem. Ut diplomate incedens, Episcopo Sagiensi & Archi-Diacono, Cantuariensi occurreret. Sed quatenùs Episcopum verba & litteræ obligent, meliùs nostis. Et ipse recolit, qualiter ejusdem litteris, & aliorum consilio nuper delusus sit, ut socios convocaret, & varias inutiliter procuraret expensas. Nam ad iter accinctus erat, & fatigaverat multos, cum ipsum fama vulgante didicit in Normanniam rediisse. Incertum an dignus haberetur, qui litteris deberet aut Nuncio præmoneri. Fortasse Ecclesiæ negotium adeò humile est, ut non nisi de latere, & ex incidenti tractari debeat, & à transcurrentibus tangi potiùs, quàm expleri. Sed quicumque personas, quæ plurimùm læsæ sunt, despicit, causam meminerit esse Christi qui comprimit elationes maris, & pro arbitrio suo potestatum dispensat habenas. Ipse Cantuariensis Ecclesiæ Patronus est, & inspirabit animo Domini Regis, ut Divinitùs indultam sibi licentiam moderetur, nec eam, quæ satis, & supra, & contra modum gratis afflicta est, & tam ipsum quàm antecessores suos tanquàm pia Mater promovit, aluit, & protexit, affligat ampliùs. Sapientior enim est, quàm ut salutis suæ dispendium, & filii sui perniciem procuret. Neque nos ignari sumus, quid Nuncii quæsierint ab Apostolica Sede, vel obtinuerint. Cessent in me, quoniam Ecclesia Dei per misericordiam ejus in portu navigat, nec est à strata publica, quam Christus ostendit, recedendum, præsertim his, qui in tanta acerbitate exilii tam patenter experti sunt clementiam Dei. Oscula promittitis & amplexus, si morem geramus homini: & is qui forma Christianorum est, audivit à tentatore; *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me*. Ipse judicet causam suam, & D. Regem perducat ad veniam, qui malignantium consiliis impulsus innatæ benignitatis, quam habere consueverat, nimis oblitus est:





est: & dum inimicis Ecclesiæ vehementiùs cessit, speciem induit inimici. Nec dubito, quin ipse sibi, dum hæc ageret, displiceret, sed quasi invitus insipientium clamoribus agitabatur, & trahebatur funiculis impiorum. Adjicitis ut Dominus Cantuariensis occurrat nominato superiùs Episcopo, & Archi-Diacono Cantuariensi: quasi illum recepturus sit, nedum ei occursurus, quem ipse solemni anathemate condemnavit, sententiamque in eum latam confirmavit Apostolica Sedes: Utique mirum ducit, quod ei præfatus Sagiensis, & alii venerabiles viri, Prælati Ecclesiarum, citra absolutionem communicant: quod à se sciunt in districto examine requirendum. Et fortasse in Ecclesia præsenti non dabitur oblivioni. Certò tamen certius est, quòd tam Episcopum Londoniensem, quam antenominatum Archi-Diaconum Dominus Cantuariensis paterna pietate recipiet, & consolabitur, ex quo se filios exhibuerint: & omnes excommunicatos, quos absolvi licitum est, viam fidei ingredientes sinceræ charitatis brachiis amplexabitur. Quid multa? Nihil est, dummodò conditio Ecclesiæ non lædatur, quòd non sit ad voluntatem Domini Regis paratus implere, si gratiam ejus sibi & suis plenè senserit reformatam. Vos autem de cætero negotiamini cautiùs, & absolutione quæsita diligentiùs, excommunicatorum participationem studiosiùs evitetis, nisi ab Ecclesia velitis excludi citiùs, & cum eis anathematis recipere portionem. Sanè præcedens ruina vos cautiores reddidisse debuerat, eritque sequentis gravior reparatio, si, quod absit, post commonitiones & pericula toties instructa discretio non declinaverit casum. Optata salute vos impertiar, cùm licuerit.

## EPISTOLA XL.

Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Roberto Vigornensi Episcopo.

*Thomas Dei gratia Cantuariensis Archi-Episcopus, & Apostolicæ Sedis Legatus, venerabili Fratri & Amico, Roberto Vigornensi Episcopo, salutem, & perseverantem in fidei zelo, & sinceræ charitatis fervore profectum.*

VIR illustris Robertus Comes Gloucestriæ, Pater vester, cùm plures haberet filios, vos ampliori præ cæteris affectu traditur dilexisse, eò quòd vos in senectute genuerit, & totum, prout indoles pollicebatur, prudentiæ suæ & virtutum fomitem Dei cooperante gratia transfudit in sobolem, quam utpotè pretiosissimam ab ineunte ætate Domino consecravit. Intuemini, quàm prudens, quàm fidelis, quàm magnanimus, quàm constans fuerit ille, qui florentis, pugnacis, gratiosi, generosi Regis, & opulenti, ejusdemque Normannorum Ducis, & Boloniæ Comitis vires aggressus oppressit. Et non modò Regno privatum, sed & captivum conjecit in vincula, adeòque fortunam indignantem habita fidei & virtutis ratione contempsit, ut pro reparandi Sacramenti Religione nulla exhorruerit subire pericula. Et tandem captus incarcerari maluerit, quàm soror ejus & Domina juris sui dispendium pateretur. Qui licèt invidia fortunæ captus fuerit, vinculatus tamen judicio Sapientium tantus habitus est, ut liberationem ejus commutandam & emendam censuerint Rege & Regno. Contemplatio viri clarissimi vobis adjiciat animos, & eum qui vos generosi sanguinis titulo illustravit, Coætaneis & posteris repræsentate moribus & virtute. Huc accedit colendæ virtutis nobilior titulus, Pontificalis apex qui sicut Episcopale officium fideliter adimplentes, ampliori gloria & honore coruscantes illustrat, sic timidos & ignavos abjectiori vilitate reddit inglorios. Sal enim infatuatum ad nihilum utile est, sed tanta abjectione vilescit, ut nec stercoribus comparetur, quibus agrorum infæcunditas propulsatur. Nam ut ait Martyr Cyprianus, *Episcopus si timidus est, actum est de eo. Actum*, inquit, quia cùm ipsum timor mundanus effœtum redddiderit, superest ut ad omnia salubriter agenda inutilis sit. Charitas ergo timorem hunc expellat, ut populi Ducem expediat, quia deficientis timore Dueis exhortatio nequaquàm militum potest animos ad fortia roborare. Et quidem nutu Divino credimus accidisse, ut vos ad propulsandam Matris vestræ, sanctæ scilicet Cantuariensis Ecclesiæ, injuriam diebus his contingit transfretare, quo præsentialiter resistere possitis eis, sicut nobis promisistis, qui eam gratis diutiùs afflixerunt, & adhuc sine causa quærunt animam ejus, ut auferant eam. Quod ut Dei præeunte gratia commodiùs facere valeatis, vos litteris Domini Papæ, tanquàm armis bellicis, præmuniendos esse decrevimus, ut fratrum nostrorum corda possitis efficaciùs in Domino confirmare. Rogamus itaque & obsecramus in Domino Jesu Christo, & in virtute obedientiæ, & in periculo Officii, honoris, & Beneficii præcipimus, quatenùs litteras Apostolicas, quas vobis mittimus, ostendatis venerabili Fratri nostro Rogerio Eboracensi Archi-Episcopo, & aliis Fratribus & Coepiscopis nostris, & inhibeatis authoritate Domini Papæ, ne præfatus Eboracensis filio Domini Regis consecrationis munus dare, aut coronam, si hoc ab eo petitum fuerit, præsumat imponere. Sub eadem interminatione præcipimus, ut similiter hoc inhibeatis Episcopis Londoniensi & Saresberiensi, & cæteris, si quis hoc ausus fuerit attentare. Hoc autem, Deo teste & judice, non in Domini Regis, aut filii sui, aut cujuscumque vel Ecclesiæ vel personæ ex conscientia nostra mandamus injuriam, sed ex necessitate, qua cogimur Ecclesiæ Cantuariensis jura pro viribus conservare. Parati enim sumus, si Domino Regi placuerit, filium suum coronare pro debito Officii nostri, & utique honorem debitum & reverentiam exhibere. Non vacillet in his implendis, frater charissime, fides vestra, quia fidelis est Deus, qui vos supra vires tentari non patietur. Confidite ergo in ipso, qui vicit mundum, & memineritis, quoniam qui timet pruinam, irruet super eum nix, & qui declinat arma ferrea, frequenter incidit in arcum æneum. Degeneres animos timor arguet, & fortiter ausos juvabit gratia, gloria coronabit. Quidquid agant alii, nobis persuasum est, quòd constantiam vestram nullius turbinis impetus franget, quod quæ de ore vestro processerunt, & tam vestro quàm Episcopi Lexoviensis scripto continentur, & sub utriusque charactere impressa sunt & expressa, non erunt irrita. Absit enim, ut generosus sanguis sit animæ degenerantis habitaculum, ut per vos tituli patrum obliterentur,

ut quæcumque trepidatio mentis aut ignavia operis evincat Patris, qui vos omnibus liberis prætulit, errasse judicium, & antiquæ charitatis excludat affectum. Nam ut piè creditur à fidelibus, ille feliciùs in Deo, quàm in liberis vivit, & studiosis operibus aut reprobis gratiam ejus promereri potestis aut demereri.

## EPISTOLA XLI.

*Alexander Papa Rogerio Eboracensi Archi-Episcopo, & omnibus Episcopis Angliæ.*

QUANTÆ authoritatis prærogativa Cantuariensis Ecclesia ab antiquo fuerit decorata, & quomodò nos ei velimus dignitates & jura sua, juxta Officii nostri debitum conservare, Fraternitas vestra certis potest indiciis cognoscere. Quapropter vobis per Apostolica scripta mandamus, & mandando præcipimus, quatenùs contra authoritatem & dignitatem ipsius Ecclesiæ nihil unquàm facere quomodolibet attentetis, aut contra ipsum venire ausu temerario præsumatis. Quod si feceritis, grave nobis existet, neque poterimus id æquo animo tolerare.

## EPISTOLA XLII.

*Alexander Papa Rogerio Eboracensi, Dunelmensi, & omnibus Episcopis Angliæ.*

QUONIAM ad audientiam nostram multorum jam pridem relatione pervenit, quòd Coronatio Regum Angliæ & Inunctio ad Cantuariensem Archi-Episcopum de antiqua Ecclesiæ suæ consuetudine & dignitate pertineat, Fraternitati vestræ præsentibus litteris authoritate Apostolica districtiùs inhibemus, ut si illustris Rex Anglorum filium suum, dum Venerabilis Frater noster Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus in exilio fuerit, coronari voluerit, & in Regem inungi, nullus vestrum ei manum imponere præsumat, aut se exindè aliquatenùs intromittere audeat. Quod si quis vestrùm attentare præsumpserit, id in periculum Officii & Ordinis sui noveritis procul dubio graviter redundare. In his verò appellationis remedium quibuslibet volumus denegari, & omnem malignandi occasionem excludi. Datum apud quarto Calendas Martii.

## EPISTOLA XLIII.

*Alexander Papa Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo, & omnibus Episcopis Angliæ.*

EX commissi nobis Officii debito sollicitudini nostræ incumbit Ecclesiis Dei & jura sua servare, & ne ab aliquibus opprimi valeant aut deleri, studium tenemur & diligentiam adhibere. Hac siquidem ratione inducti, & Ecclesiæ Cantuariensi suam volentes Dignitatem & justitiam conservare, Fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, nec non & in virtute obedientiæ injungimus, quatenùs si Henricus illustris Anglorum Rex filium suum coronari voluerit, & in Regem inungi, tu Frater Cantuariensis, ad cujus Officium de antiqua Ecclesiæ dignitate tuæ spectare audivimus, ei manum nequaquàm imponas, nec ab alio quolibet imponi permittas, nisi priùs illud juramentum exhibeat, quod alii Reges ejus prædecessores Ecclesiæ Dei, & specialiter Cantuariensi, impendere consueverunt: & nisi universos ab observatione consuetudinum suarum, & à sacramentis illis, quæ ultimò ab hominibus Angliæ extorta fuerunt, prorsùs absolvat. Vobis autem, Fratres Episcopi, authoritate Apostolica districtiùs inhibemus, ne illius Coronationi, nisi juramentum præstiterit, præsumatis aliquatenùs interesse. Sed vos potiùs absentetis, & inde nullius contradictione vel prohibitione obstante celeriùs recedatis.

## EPISTOLA XLIV.

Thomas Cantuariensis omnibus Episcopis Angliæ.

*Thomas Dei gratia Cantuariensis Archi-Episcopus, & Sedis Apostolicæ Legatus, Venerabilibus Fratribus & Amicis in Christo charissimis, omnibus Episcopis per Angliam & Gualliam constitutis, salutem, & in his quæ Dei sunt, felici perseverare proposito.*

AD nos iteratò perlatum est verbum abscondi-tum, scilicet quod nobiscum de pace cum Domino nostro Rege tractetur, & in injuriam Sanctæ Cantuariensi Ecclesiæ & nostram suadeatur ei, ut per manum Venerabilis Fratris nostri Eboracensis Archi-Episcopi filium suum faciat coronari. Nos quidem ex conscientia nostra ad reformationem pacis in Domino nos semper obtulimus, parati etiam nunc Domino Regi & filio suo debitum honorem & reverentiam in Christo per omnia exhibere: & si Domino Regi placuerit, pro debito Officii nostri inungere & coronare in Regem, sicut Antecessor noster ipsum Dominum nostrum, cujus incolumitatem Deus ad honorem suum & utilitatem Cleri & populi in omni prosperitate per longa tempora tueatur, dignoscitur consecrasse. Undè major & evidentior injuria Matri nostræ Cantuariensi Ecclesiæ irrogaretur & nobis, si hoc alius cujuscumque instinctu usurpare præsumeret. Prohibet hoc authoritate, qua cunctis præeminet, summus Pontifex, sicut ex litteris ejus, quas vobis mittimus, potestis advertere, & ei qui hoc attentare præsumpserit, si quis tamen est, periculum honoris, officii, & beneficii patenter imminere denunciat. Nos etiam ipsius authoritate freti Universitati vestræ in virtute obedientiæ, in periculo honoris & Beneficii sub anathemate præcipiendo mandamus, ut hoc nullus vestrum attentet, nec attentanti assistat, sed Apostolica authoritate quilibet vestrum exquisita diligentiùs opportunitate inhibeat præsumtori, ne hoc usurpet, & à communione illius abstineat. Valete semper dilectissimi fratres in Christo.

## EPISTOLA XLV.

*Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Vintoniensi Episcopo.*

UT aliquid simile loquamur Apostolo, gratias agimus Deo, qui odorem notitiæ suæ per vos manifestat in omni loco. Quoniàm sicut fama vulgante didicimus, fides vestra in articulo tempestatis hujus



hujus enituit, & charitas abundantiùs effulsit, in columna virtutis ostensa, & exhibita authoritate Pontificis. Nam adversùs filios diffidentiæ, viros Belial, in quibus Sathanas mysterium iniquitatis patentiùs operatur, cùm nuper Ecclesiam scindere voluissent, & extortis juramentis attentarent obedientiæ & fidei virtutem extinguere, vos ex adverso adscendentes oppositistis murum pro Domo Israel, & audaciam eorum repressistis in Spiritu & virtute Heliæ, & corda eorum, qui pavebant, in Clero viriliter, ut oportuit, erexistis, ut Deum hominibus prætimerent, & vestigia Patrum sequerentur in Christo. Ille vobis in his adjutor adstitit, qui perseverantiam vestram coronabit in cœlo, & hic in brevi consolabitur, subjiciens eos pedibus vestris, qui adversùs Dominum de permissa sibi momentanea potestatis indulgentia fallaciter gloriantur. State ergò in eo quod cœpistis, & quam jam promeruisti coronam fidei intermissione nolite rejicere, quibus anchora per gratiam Dei firmiter hæret in portu consolationis & pacis. Providete, ne vos interim circumveniat inimicus, ne adversùs Apostolicam Sedem, vel Matrem vestram S. Cantuariensem Ecclesiam vobis consentientibus præsumatur, quod illi laborem, & vobis jacturam & pœnitentiam valeat imposterùm generare. Accepimus enim, quod quidam malitiosi homines Domino Regi persuadere nituntur, ut in injuriam Matris vestræ Cantuariensis Ecclesiæ, & læsionem nostram, filium suum, quem Deus & ab hoc infortunio & ab omnibus malis liberet, per manum venerabilis fratris nostri Eboracensis Archi-Episcopi in Regem faciat coronari. Quod quia contra dignitatem Cantuariensis Ecclesiæ esse dignoscitur, Dominus Papa litteris suis, quas vobis & aliis fratribus nostris transmittimus, tam præfato Archi-Episcopo quàm omnibus Episcopis Angliæ interdicit. Et nos si aliud, quod absit, idem Archi-Episcopus aut alius attentare præsumpserit, ne vos aut aliquis de fratribus nostris, aut his qui nobis, sivè ex Officio Legationis, sivè jure Metropolitico subjecti sunt, adsistere audeat, Apostolica & nostra authoritate in virtute obedientiæ, & sub anathemate penitùs inhibemus, appellantes adversùs omnem animam, quæ se tantæ præsumptioni attentaverit immiscere, diemque præfigimus Purificationem Sanctæ Mariæ.

## EPISTOLA XLVI.

Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Rogerio Eboracensi Archi-Episcopo. Similiter omnibus Episcopis Angliæ.

*Thomas Dei gratia Cantuariensis Ecclesiæ Minister humilis, & Sedis Apostolicæ Legatus, Venerabili Fratri Rogerio Eboracensi Archi-Episcopo, & Sedis Apostolicæ Legato, salutem & utriusque vitæ successus.*

DISCRETIO vestra pleniùs novit, quòd Deus in eos vindex est, qui acceptæ gratiæ immemores retribuunt mala pro bonis, & eos, quos exigentibus meritis, colere & venerari debuerant, accepta occasione nocendi, lædere non formidant. Quot autem & quanta bona à S. Cantuariensi Ecclesia acceperitis, & qualiter illa vos promoverit ad summum Sacerdotii gradum, in auribus Reverentiæ vestræ non necesse est replicare: tum quia ferè omnibus nota, tum quia incredibile est quòd hæc à pietatis vestræ memoria possint excidere. Et quidem adhuc eadem Mater vestra parata est, quamdiu vestræ visum fuerit Sanctitati, amoris & reverentiæ cultu prosequi, quod cœpit in vobis, optans & orans sibi ab Eminentia vestra rependi vicissitudinem pietatis. Nec stabit per nos, quin solliciti simus servare vobiscum unitatem Spiritus in vinculo pacis. Et licèt simus Exules & proscripti pro Domino, speramus quia, illo propitiante pro quo patimur, vobis poterimus obsequii vicem referre in Domino. Percipimus autem sursurrii venas, quod sinceritatem vestram quidam in injuriam S. Cantuariensis Ecclesiæ animare & armare nituntur, ut filio Domini Regis, cujus vias Deus dirigat in Beneplacito suo, diadema imponatis, & ipsum contra fas promoveatis in Regem. Quod quia contra dignitatem Cantuariensis Ecclesiæ, si fortè, quod absit, præsumeretur, esse manifestissimè constat, hoc tam vobis quàm omnibus Episcopis Angliæ Dominus Papa, sicut ex litteris ejus, quas vobis transmittimus, perspicuum est, interdicit: & nos, ne ab aliquo attentetur, authoritate Apostolica prohibemus, super hoc adversùs omnem animam hoc molientem appellantes, diemque præfigimus Purificationem S. Mariæ. Et ne quis eorum, qui jurisdictioni nostræ Metropolitico aut Legationis jure subjecti sunt, huic temeritati adsistat, in virtute obedientiæ, & sub anathemate penitùs inhibemus.

## EPISTOLA XLVII.

*Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus omnibus in Anglia constitutis, qui contra Dominum Papam Alexandrum juraverunt.*

SCIATIS charissimi, quod ex multa tribulatione & angustia cordis scripsimus, non quidem ut vos contristemus, sed ut intelligatis, quam charitatem habeamus abundantiùs in vobis. Testis enim mihi est Deus, quomodò cupiam vos in visceribus Christi Jesu. Unde cognitis, quæ tam corporis proximè, quàm animæ vestræ periculo, & ad ipsius quidem Dei injuriam vestris inaudita temporibus gesta sunt, non modicùm contristamur, & confundimur propter vos. Patet siquidem fama vulgante, qualiter Dominum Papam, qui ipsius Christi Imaginem gerit, & me pariter, qui licèt indignus, Pater tamen & Episcopus animarum vestrarum sum constitutus, abjuraveritis. Hoc & præ cæteris, qui in exemplum justi judicii Dei jam pluribus annis sustinuimus, nobis ad incredibile pressuræ nostræ augmentum accessit. Illud quippè tam detestabile, tam flagitiosum juramentum, quantum generat scandalum mundo, offensam Deo, vobis culpam, nobis afflictionem? Præpositos siquidem à Deo abjurare, ipsius qui Præpositos constituit injuria est, & nostra, qui præficimur, sed potiùs ejus, qui præfecit, inhonoratur potestas, & evacuatur obedientia. Quod profectò vitium, vobis confidenter dico, sed lachrymabiliter propter vos, idololatriæ par & simile est, ut ait Propheta: *Quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle adquiescere.* Unde & Statuto veteris legis tales tanquàm veri idololatræ corporalis mortis reportabant

bant sententiam. Vos autem fecisse videmini, quod deterius est, qui non solùm repugnatis, sed etiam repugnaturos vos juramento firmatis. Illud denique quale est, Oves Pastores abjicere? Profectò qui Pastores deserunt, jam Lupus invasit. Et nisi Pastor, quem abjuraverunt, nunc protegat, depascet eas in finem, multa scripturarum testimonia & sanctorum exempla in vestri detestationem delicti possent induci. Verè tanti excessus enormitas etiam extremæ intelligentiæ hominibus claret. Si tamen non spontanei, sed inviti accessistis, in parte quidem excusatur peccatum, sed non excusatur omninò. Satius enim fuisset corpus ipsum perdere, quàm juramentum tam execrabile perpetrasse. Unde filii mortis universi vos, quia juxta quod Propheta ait de Populo suo: *Et vos plaga inimici percussi estis, castigatione crudeli*. Verùm ad manifestandam sollicitudinem, quam pro vobis habemus ad Deum, vulneri tam sævo fomentum, quod solùm nunc superest, adhibere curavimus, & de tam illicito juramento pœnitentes, illos præsertim qui non spontanei, sed coacti juraverunt, vice Beati Petri, Apostolorum Principis, & Romani Pontificis, & nostra absolvimus. Venerabilibus fratribus nostris Diœcesanis Episcopis, & etiam minoribus Sacerdotibus, ubi Sedes Episcopales vacare contigerit, vices nostras in exteriori satisfactione jam dictis pœnitentibus injungenda committentes, omnes id scire volentes, vos tali juramento nequaquàm esse obnoxios, nec ut pareatis obligari, ne instar Herodis sub prætextu pietatis efficiamini impii, & juramento excusetis scelus ipso deterius, juxta quod quidam ait: *Non est observandum juramentum, quo malum incautè promittitur*. Et item: *In malis promissis rescinde fidem. In turpi voto muta Decretum. Quod incautè vovisti ne facias*. Et multa, quibus nunc supersedeo, his consonantia sunt. In fine autem obsecro vos ego vinctus in Domino: obsecro quidem vos tanquàm filios mihi semper in Christo amplectendos, ut dignè ambuletis vocatione, qua vocati estis, ut ipsius Christi primò fidem tenentes, posteà ipsius obediatis Præpositis, subjacentes eis: *Ipsi enim pro vobis vigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri*. Scire autem volo vos fratres, quia & juramenta illicita, & cætera enormia multa, quæ pravis suggestionibus in oppressione justitiæ & veritatis circa nos facta sunt, ipsa favente veritate magis evenient ad ipsius profectum. Veritas enim claudi & ligari potest, vinci verò non potest, quæ & suorum paucitate contenta est, & multitudine hostium non teretur. Spiritus autem consilii & sapientiæ det vobis id ipsum sapere in alterutrum, ut unanimes uno ore honorificetis Pastores & Episcopos animarum vestrarum, quos constituit ille magnus Pastor Ovium in sanguine æterni Testamenti Jesus-Christus, & per charitatem Spiritus Sancti, ut Patri vestro jam naufraganti orationis vestræ manus porrigatis, ut liberer ab infidelibus, prohibentibus etiam, ne in Ecclesia pro me in carcere fiat oratio, quæ tamen commune fidelium & infidelium suffragium est. Gratia Domini nostri Jesu Christi sit cum omnibus vobis, quià malè præstito juramento resipueritis, & condignè & humiliter pœnitueritis. Cæteros verò Deus aut citò convertat, aut temporaliter affligat, quousque resipuerint, & condignam pœnitentiam egerint.

## EPISTOLA XLVIII.

*Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo quidam Amicus.*

LICET vestræ discretionis Paternitatem litterarum solatio sæpiùs non visitaverim, vos inde mirari nullatenùs decet, cum vix aliquis aut ferè nullus ad vos à Curia processum habeat, cui secreta litterarum committi possint. Et cum vobis plures litteras destinaverim, quæ ad præsentiam vestram, sicut pro certo didici, nunquàm pervenerunt. Sciatis quippe me circa negotia vestra sollicitum & vigilantem pro possibilitatis meæ viribus exstitisse, & ad eorum promotionem diligenter intendisse, præcipuè per magistrum Waltherum, qui præ omnibus specialiter pro eisdem negotiis promovendis apud Dominum Papam efficaciter laboravit, & ipsa conscribendo ad desideratum finem, Deo volente, perduxit. Sicut enim in litteris & transcriptis sub Bulla clausis, quæ à Domino Papa vobis diriguntur, evidentiùs videre potestis, petitiones vestræ debitum sortitæ sunt effectum. Cæterum Londoniensi firmiter injunctum est à Domino Papa, ut sententiam quam in eum dedistis, firmam & inconcussam observet. Nec à Rothomagensi & Lexoviensi, quibus super hoc iteratò scribit Dominus Papa, nisi fortè ab eisdem post susceptionem priorum litterarum ipsius, quas inde susceperunt, præstito secundùm Ecclesiæ formam juramento sit absolutus, absque Domini Papæ Mandato nullatenùs absolvatur. Confortamini ergo & constanter agatis, & tanquàm supra firmam petram fundatus ad quorumlibet ventorum exsufflationes nolite moveri, aut aliquo modo terreri vel turbari, nec ut moris vestri est, quoslibet per vos transeuntes secretorum vestrorum interpretes constituatis, ut magis de justitia, quàm de multitudine confidere videamini. Quia ubi multitudo, & præcipuè in talibus, creberrimæ solent confusiones emergere, & impedimenta plurima provenire. Secretum sit apud vos quod scribo de Londoniensi, cum nihil de illo vobis scriptum sit. Propter malignantes dico: ne dicar secreta revelare. Cum verò Deus vos in statum pristinum reduxerit, quod in proximo spero adfuturum, estote memor magistri Waltheri & mei, si placet, ne pro multitudine ad vos respicientium à vestra memoria elabamur, quia tunc fortè præsentes non erimus.

## EPISTOLA XLIX.

*Joannes Saresberiensis magistro Hereberto.*

VESTRA redolet pagina charitatem & quas ad præsens reddere nequeo gratias, diligentia studiosa promeruit. Reddet autem qui potens est, & qui cordi vestro gratiam inspiravit, ut desolatis solatium, & Christi Confessoribus veritatis testimonium perhiberet. Siquidem nobis, ut Coexulantium vota dictionis pluralitate concipiam, gaudium est & exultatio, cùm Ecclesiæ columnas adversùs impetus malignantium, qui nos in aliud Evangelium transferre moliuntur, videmus immobiles, ut fidei sinceritatem gratiæ & potestatui præferant, & traditiones hominum Divinæ Legi



Legi subjiciendas patenter & potenter evincant. Resistentibus enim facillimè cedunt, qui fugientes instantissimè persequuntur. Et tanquàm prævisi lupi nullam appropinquantibus adferunt læsionem, si fraus eorum reveletur à fidelibus, & arguatur à lumine. Quid enim dedit ab initio cornua peccatori, nisi quod omnes in fugam versi disparuerunt à facie tribulantis, & Ecclesiam laborantem contra ea, quæ sub prætextu juris inveterati, & antiquarum vel antiquandarum consuetudinum præsumpta sunt, non erat qui adjuvaret? Sed pro certo qui tunc præ cæteris placere hominibus, immò furentibus affectabant, confusi sunt, comprehensi in operibus manuum suarum, & Divina præeunte & adjuvante Clementia, ampliùs confundentur, quoniam Deus dum taliter in specie Religionis versati fuerint, spernit illos. Salus autem electorum videtur stare præ foribus, & Deo propitio gloriam eorum citò contemplabuntur oculi vestri, & aliorum qui decreverunt Deo potiùs quàm hominibus obedire. Unde Domino meo Episcopo Vintoniensi, quanta possum mentis alacritate, congratulor, qui conventus à Judicibus & Senioribus terræ Christo dignum responsum dedit, & rescriptum emisit congruum ætati, professioni, honori, & generi, & quod ad virtutem poterat, sicut & fecisse creditur, Compresbyteros animare. Nam & illi tendiculas insidiantium laudabiliter eluserunt. Alia vice, si conventi fuerint, locuturi verbum fidei & veritatis cum fiducia: planè docentes, quod Dominus Rex hactenùs abutens pernicioso consilio abductus est in invium, & non in viam, & suadebunt, utinam persuadeant, ut ad viam redeat, extra quam salvari non potest, nec diu Principis sui gloria, nisi cum Ecclesia Dei faciat pacem. Nec vos moveat inanis gloriatio eorum, qui jactitant, quod Dominus Papa illos, quos Archi-Episcopus excommunicaverat, habeat absolutos, inde solatium quærentes miseriæ suæ, quod eis cum benedictione causam dicitur delegasse, & hoc postquàm anathematis condemnati sunt. Nam Dominum Papam excusat ignorantia, cui nondùm innotuerat in eos excommunicationis latam esse sententiam, nec tamen prece vel pretio induci potuit, ut aliquem eorum à manu D. Cantuariensis eximeret, quin pro modo culpæ eos percelleret severitate vindictæ. Hoc autem certum teneat vestra dilectio, quod Dominus Cantuariensis prælegit in exilio mori, quàm sine Ecclesiæ liberatione redire, nec, authore Deo, pacem facturus est, nisi utilem posteris, & honestam præsentibus & futuris. Si verò persecutores Ecclesiæ perdurare in malitia decreverint, ipse quoniàm plenam accepit potestatem, progredietur ulteriùs, & contra Deum in exercenda justitia nulli omninò parcet. Valete.

## EPISTOLA L.

*Alexandro Papæ Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus.*

QUOT angustias ac tribulationes, multas & malas, pro libertate Sanctæ Dei Ecclesiæ tuenda in diuturno cum copiosa & innumera Christi pauperum multitudine exilio, jam ferè per septennium laborantes miserabiliter sustinuerimus, vestra, Pater sanctissime, pleniùs noscere debet prudens discretio, à cujus animo de facili non possumus credere, quod sustinuerimus, elabi. Sed vestra potiùs, Pater charissime, scilicet quod cum Rege Anglorum ferè usque ad mortem in agone contenderimus, vestra pleniùs novit experientia, qui, sicut & nos, ipsius versutias & deceptiones rerum experientia didicistis. De nostris quidem vel de alienis, qui pro Ecclesiæ nostræ & nostris ad vos de cætero velit transire negotiis, in diuturno exilio adeò extenuati vix aliquem, immò veraciter nullum reperimus. Unde Domine & Pater charissime, sanctitati vestræ provolutis genibus, pro Ecclesia Anglicana, pro nobis, & pro vita nostra temporali supplicamus, quatenùs & Ecclesiæ Occidentali, & vitæ nostræ, ne turpiter à tyranno prostrati corruamus, in petitionibus, quas sanctitati vestræ per magistrum Lombardum & Nuncios nostros, quos ad eum & ad Paternitatem vestram direximus, nos benignè & plenariè in eis exaudiatis, & ad subsidium Ecclesiæ Dei, & vitæ nostræ imposterùm nobis quantociùs mittere dignemini. Præsentium siquidem latorem, Virum honestum & Religiosum, sanctitati vestræ destinavimus, supplicantes & rogantes attentiùs, quatenùs eum vice nostri benignè suscipiatis, & ea, quæ vestræ Paternitati per eum communicanda Domino Ostiensi & magistro Lombardo significamus, sicut Dei Ecclesiæ Occidentali, & præcipuè Cantuariensi, cupitis esse prospectum pariter & vitæ nostræ, prout petimus, omninò & plenariè exaudientes, citiùs adimpleta nobis remittere per nostrum Nuncium vestra Paternitas dignetur. Si magister Lombardus præsens fuerit, penes eum litteræ istæ remaneant: sin autem, apud Dominum & Patrem nostrum Dominum Ostiensem, vel filium gratiæ Gratianum. Valeat sanctitas vestra, Pater sanctissime, in tempora longiora.

## EPISTOLA LI.

*Alexander Papa Lodovico Regi Francorum.*

REGIÆ Serenitatis Clementiam motam admodùm & turbatam esse accepimus, eò quòd Venerabili fratri nostro Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo juxta votum & desiderium suum, & prout necessitas exigit, non adsistamus, & quod illustris Rex Anglorum illi, occasione litterarum, quas illi transmisimus, incessanter insultans, ab ejus glorietur se jurisdictione subtractum. Verùm si tenor ipsarum litterarum à principio usque ad finem diligenter in audientia proborum recitaretur, nihil profectò in eis quis posset deprehendere, quòd insultandi materiam vel occasionem præstaret. Cæterùm si petitioni prædicti Regis quandoque annuimus, & ejus visi sumus voluntati favere, more periti Medici fecimus, qui ægro, de cujus salute desperat, contraria, quæcumque appetit, tribuit, tentans ipsum, qualitercumque potest, ad sanitatem revocare. Ægro verò, quem se posse curare confidit, & quem affectuosiùs diligit, omnia nociva instan-

instantissimè postulanti ministrare recusat. Quapropter cùm consuetudinis sit Romanæ Ecclesiæ potiùs in servanda maturitate plerumque damnum & jacturam incurrere, quàm in præcipitatione peccare, tua non miretur, nec moveatur Serenitas, quod prædictum Regem tam longa exspectatione sustinuimus, volentes eum in benignitatis & mansuetudinis dulcedine à suo revocare Proposito, & ejus duriciam emollire. Non enim fervor charitatis & dilectionis, quam circa eundem Archi-Episcopum habuimus, in aliquo tepuit vel exstat remissus, sed de die in diem magis ac magis accrescit. Et semper in proposito & voluntate habemus ei honorem & dignitatem, & jura sua & Ecclesiæ sibi commissæ manutenere propensiùs, & diligenti sollicitudine pro nostri officii debito conservare. Nec etiam quod sibi concessimus, in quoquam mutavimus, nec authore Domino mutabimus, quin immò in die sibi concessa ei liberam potestatem concedimus officium suum absque appellationis remedio & contradictionis obstaculo exercendi. Volumus tamen ut ab illis Religiosis, per quos præfatum Regem nostris litteris commonere curavimus, responsum recipiamus.

FINIS LIBRI QUARTI.

LIBER



# LIBER QUINTUS,
# A LEGATIONE ROTHOMAGENSIS EPISCOPI ET NIVERNENSIS.

## EPISTOLA PRIMA

*Alexander Papa Henrico Regi Angliæ.*

DILECTI Filii nostri, Joannes de Saresberia, Decanus, Ægidius Rothomagensis, Joannes Sagiensis, Archi-Diaconi, Nuncii tui, ad nostram præsentiam accedentes nobis Regiæ Celsitudinis litteras detulerunt, ex quarum tenore cognovimus, quòd eis super his, quæ nobis ex parte tua dicerent, tanquàm tibi ipsi credere deberemus. Qui utique unà cum Archi-Diacono Saresberiensi Reginaldo coram nobis & fratribus nostris præsentes quædam instanter & sollicitè proposuerunt, quibus sicut nec debuimus, non duximus aliquatenùs adquiescendum. Tandem verò cum his, quæ nobis in principio fuerant intimata, aures, sicut non decebat, nullatenùs inclinaremus, nobis diligentiùs proposuerunt: quod tu, sicut in Commentario vidimus, Venerabili Fratri nostro Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo concesseras, ut pro amore Dei & nostro, nec non & Ecclesiæ Romanæ, ad Ecclesiam suam securè veniret, & eam atque possessiones suas omnes, sicut habuit antequàm exiret, dum in gratia tua esset, in pace teneret atque haberet, & sui similiter qui pro eo exierunt. Quod siquidem gratum plurimùm, & omninò acceptum habemus, de misericordia Christi sperantes, quod ille qui incepit hoc, meliori fine concludet, & à te ad illius quod deest consummationem inducet. Quare hoc ejus, à quo bona cuncta procedunt, immensæ & superabundanti clementiæ adscribimus, & munificentiæ tuæ super hoc multiplices exsolvimus gratiarum actiones. Cùm autem prædictos Nuncios de forma securitatis, & maximè super osculo præstando non modicum sollicitaremus, responsum nobis dederunt, quod graviter provocatus firmaveras te præfatum Archi-Episcopum in osculo pacis nullatenùs recepturum, cui tamen primogenitus filius tuus pro amore Dei & nostro vice tua osculum exhiberet. Unde quoniàm alter Nunciorum nostrorum, magister Vivianus scilicet, ad præsentiam nostram reversus nobis diligentiùs intimavit, quod prælibato Archi-Episcopo, sicut in colloquio apud Montem Martyrum habito intellexerat, gratiam & amorem tuum concedens, & ipsum possessiones suas, sicut prædecessor ejus, eas unquàm meliùs habuerat, faceres obtinere, nec non & mille marcas ei pro apparatu suo ad præsens conferres, nos de Regiæ Celsitudinis clementia omninò confisi, de osculo præstando tibi preces & exhortationes nostras apud excellentiam tuam, prænominatis Nunciis tuis plus justo etiam renitentibus, duximus interponendas. Et quoniàm Regiæ congruit dignitati & honori, atque saluti tuæ noscitur plurimùm expedire, ut quod cordi tuo super his est Divinitùs inspiratum, ad optatum & Deo gratum perducas effectum, ita quod ab eo propter hoc mercedem plenam & perfectam recipere merearis, Serenitatem tuam per Apostolica scripta rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, nec non à juramenti firmatione, si quando calore iracundiæ ductus fecisti, authoritate Beati Petri & nostra penitùs absolventes, in remissionem peccatorum tibi injungimus, quatenùs prænominatum Archi-Episcopum ob Divinæ reverentiam Majestatis, & obtentu Beati Petri & nostro, nec non & pro salute & honore tuo, in osculo pacis recipias, & ei pacem & securitatem tuam, nec non & universas possessiones suas, sicut eas ullo tempore meliùs habuit, clementer restituas, & ita nos in hac parte, immò Deum in nobis exaudias, qui tibi propter hoc perenne præmium largiatur in cœlis, & in terris laudem & gloriam conferens copiosam, te atque tuos hæredes suos faciat cohæredes. Si qua verò alia inter vos per charissimum filium nostrum in Christo Ludovicum Francorum Regem, & per Venerabiles Fratres nostros Rothomagensem Archi-Episcopum, & Suessionensem Episcopum, vel per alios majora tractantur, aut si aliqua magis accepta prænominato Archi-Episcopo postmodùm promisisti, ea in remissionem delictorum tuorum adimpleas, & pleniùs & diligentiùs exequaris. Nos enim jam dictum Rothomagensem, & Venerabilem Fratrem nostrum Bernardum Nivernensem Episcopum, ad præsentiam tuam pro supradictæ pacis executione transmittimus, per quos tibi voluntatem nostram, & quæ Regiæ saluti & honori expedire cognoscimus, significamus, sublimitatem tuam rogantes attentiùs & monentes, ut si quid addendum fuerit vel mutandum, hoc ad commonitionem illorum pro amore Dei & nostro ita corrigas & emendes, & ea quæ tibi ex parte nostra proponent, tali modo exaudias, & aurem benevolam adhibens ita efficaciter digneris implere, quòd omnipotens Dominus & misericors veram tibi & hæredibus tuis pacem concedat, & honor inde Regius multimodis adaugeatur, ac tu indeficiens propter hoc à Deo præmium, & in conspectu hominum laudem & gloriam non modicam debeas reportare. Prædicti siquidem Archi-Episcopus &

pus & Episcopus, certa spe de pace & reconciliatione concepta, illos, qui fuerint absolvendi, excommunicatos absolvent, ita quidem quod si pax Domino faciente sequatur, nullum honoris, ordinis, aut officii periculum, sivè aliquam infamiæ notam pro eo quod excommunicati fuerant, debeant sustinere. Archi-Episcopum enim ad pacem suscipiendam inducent ex parte nostra, & si in aliquo justum metum prætenderit, te ad eum tollendum sollicitiùs admonere, & multimodis ex parte Dei & nostra ad ea, quæ tibi per nos significamus, implenda inclinare debebunt. Verùm si pax, quod Deus avertat, subsecuta non fuerit, & illi qui se appellasse proponunt, appellationem duxerint prosequendam, nos eorum rationes super hoc diligentiùs audiemus, & causa cognita secundùm quod Deus nobis administraverit, judicabimus. Qui utique in proximis octavis Beati Michaelis, sivè in proximo Festo Sancti Lucæ appellationem suam prosequantur, ita tamen quòd prorogatio ista non debeat alterutrius partis justitiæ in aliquo præjudicare.

## EPISTOLA II.

*Alexander Papa Rotrodo Rothomagensi Archi-Episcopo.*

QUONIAM de persona tua præ cæteris Coepiscopis tuis & aliis personis Ecclesiasticis, quæ in terra illustris Anglorum Regis consistunt, specialem fiduciam obtinemus, & te nobis & Ecclesiæ Romanæ sincerissima novimus devotione adstrictum, tibi negotium Venerabilis Fratris nostri Thomæ Cantuariensis Archi-Episcopi de pace & reconciliatione sua commisimus exequendum. Inde siquidem est, quod Fraternitati tuæ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, necnon & in virtute obedientiæ injungimus, quatenùs in præscripto negotio ita te constantem & diligentem omni timore & dubitatione remota exhibeas, quod præfatus Rex Pontificalem in te maturitatem & constantiam inveniat, & te Deum & officii tui debitum magis quàm hominem revereri cognoscat. Nos quoque spe illa, quam de tua persona jam pridem concepimus, & sæpiùs experti sumus, nequaquàm frustremur, nec te ad præscripti negotii executionem præ cæteris personis, quæ in terra memorati Regis esse noscuntur, specialiter elegisse debeamus meritò pœnitere, sed tuam potiùs super hoc sollicitudinem & diligentiam teneamur multipliciter commendare.

## EPISTOLA III.

*Alexander Papa Rotrodo Rothomagensi, & Bernardo Nivernensi Episcopo.*

CHARISSIMUS in Christo filius noster Henricus illustris Anglorum Rex, nobis per litteras & Nuncios significavit, quòd ipse Venerabili Fratri nostro Thomæ Archi-Episcopo Cantuariensi concesserat, ut pro amore Dei & nostro, necnon & Ecclesiæ Romanæ, ad Ecclesiam suam securè veniret, & eam atque omnes possessiones suas, sicut habuit antequàm exiret, dum in gratia sua esset, in pace teneret atque haberet: & sui similiter qui exierant eo. Verùm jam dicti Nuncii nobis inter cætera proposuerunt, quod præfatus Rex graviter provocatus firmaverat se memoratum Archi-Episcopum in osculo nullatenùs recepturum, cui tamen primogenitus filius suus pro amore Dei & nostro vice sua osculum exhiberet. Magister quoque Vivianus ad præsentiam nostram reversus nobis diligentiùs intimavit, quod jam dicto Archi-Episcopo, sicut in Colloquio apud montem Martyrum habito intellexerat, gratiam & amorem suum concederet; & ipsum possessiones suas, sicut prædecessor eas unquàm meliùs habuerat, faceret obtinere, necnon & mille marcas ei pro apparatu suo ad præsens conferret. Inde siquidem est, quod nos de prudentia, discretione quoquè vestra & honestate plenam in omnibus spem fiduciamque tenentes, & quod nobis & Ecclesiæ Romanæ sincerissima estis devotione adstricti, nihilominùs attendentes, vos ad prænominatum Regem & Archi-Episcopum pro hujus pacis executione duximus transmittendos. Quocirca Fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus atque præcipimus, necnon & in virtute obedientiæ injungimus, quatenùs in unum convenientes ad eundem Regem infra mensem post harum susceptionem litterarum iter accipiatis, & eum ex parte Dei & nostra diligentiùs ac sollicitiùs moneatis & multimodis inclinare curetis, quod sæpedicto Archi-Episcopo pacem & securitatem suam concedat, & eum ob Divinæ Majestatis reverentiam & pro honore Beati Petri ac nostro, necnon & pro salute sua in osculo pacis recipiat, & ipsi ac suis universas possessiones eorum, sicut unquàm eas meliùs habuerit, quemadmodum per plerosque Nuncios nostros, & maximè per dilectum filium nostrum Wilhelmum tituli Sancti Petri ad Vincula Presbyterum Cardinalem, atque præscriptum Vivianum ipsum facturum promisisse accepimus, clementer restituat, & illum ad Ecclesiam suam faciat securè redire, & ibidem in pace manere. Archi-Episcopum etiam ad illam pacem suscipiendam ex parte nostra, & eum ut erga Regem quantum salva libertate Ecclesiæ & absque periculo suo ac suorum potest, se humiliet, instantiùs moneatis. Veruntamen si Rex ad solutionem mille marcarum, de quibus supra fecimus mentionem, inclinari non possit, nolumus ut pax propter hoc aliquatenus impediatur, si alia Rex velit complere. Quod si ea quæ nobis promisit, & maximè de integra possessionum ablatarum restitutione, & illa etiam quæ sibi de osculo filii velit esse contentus, infra quadraginta dies post commonitionem nostram noluerit adimplere, vos totam terram ejus Cismarinam authoritate Beati Petri & nostra, omni contradictione & appellatione remota, interdicti sententiæ subjiciatis, & in ea omnia Divina, præter baptisma parvulorum, & pœnitentias morientium, prohibeatis officia celebrari, nisi fortè vobis omninò constaret, quod sæpè fatus Rex Henricus in brevi post quadraginta dies elapsos adimpleret, aut Archi-Episcopus osculum filii pro suo velit suscipere. Si autem pax fuerit cooperante Domino consummata, vos eundem Regem non statim pace facta, sed post aliquantulum intervallum secundùm discretionem vestram interpositum, ex parte Dei & commonitione vestra curetis, & ei in delictorum suorum veniam injungatis, quod consuetudines pravas, et illas maximè quas ipse de novo



novo adjecit, et quæ contra salutem suam et libertatem Ecclesiæ fuerint, deleat penitùs & condemnet: & Episcopos atque alias personas Regni ab earum observatione absolvat, ac fructus perceptorum redditum Archi-Episcopo & suis restituat. Quod si vestræ in hac parte commonitioni non adquieverit, vos quæ de consuetudinibus illis fuerint abolenda nobis unà cum ipso Archi-Episcopo, necnon & quod Rex de perceptorum fructuum restitutione facere velit, vestris litteris quantò celeriùs poteritis, pleniùs intimare curetis. Verùm si certam spem de pace & reconciliatione facienda conceperitis, vos universos excommunicatos, qui absolvendi fuerint, absolvatis, ita quidem quod nisi pax fuerit subsecuta, ipsas in priorem excommunicationem nullius contradictione vel appellatione obstante continuò reducatis. Præterea si Rex ad osculum præstandum nullatenùs poterit induci, vos Archi-Episcopum inducere laboretis, quod si id absque periculo personæ suæ & suorum fieri posse cognoverit & in consilio suo invenire potuerit, osculo filii contentus existat. Quod si uterque vestrum his exequendis interesse non poterit vel noluerit, quod tamen non credimus, alter non minùs ea quæ prædicta sunt, non differat adimplere. Ad hæc vobis præcipimus ut sæpedictum Regem super eo, quod dilectum filium nostrum P..... Archi-Diaconum Papiensem, ad eum à dilecto filio nostro Gratiano Subdiacono & Notario, & magistro Viviano transmissum, quidam sui ad nutum illius, ut dicitur, & de Mandato ejus cepérunt, & quibusdam rebus ejus privatum inhonestè tractaverunt, duriùs increpetis, & eos quos in eundem P..... & illius Socios Clericos violentas manus injecisse constiterit, appellatione remota excommunicatos publicè nuncietis, & ab omnibus præcipiatis sicut excommunicatos vitari, donec ablata restituant, injuriam passis congruè satisfaciant, & ad nos cum vestris litteris satisfacturi accedant. Illud quoque Regi diligentiùs intimetis, quod jam dictus Gratianus non aliud quàm fecit, salvo Mandato nostro, facere potuisset. Quod si attentasset, nos id procul dubio irritaremus. Si quis autem quod ipse vel ejus socius aliud quàm secundùm Mandatum nostrum potuisset fecisse, Regi proposuisset, verum nequaquàm suggessit. Datum Beneventi decimo quarto Kalendas Februarii.

## EPISTOLA IV.

*Alexander Papa Rothomagensi & Nivernensi Episcopis.*

QUONIAM de vestræ devotionis ac sinceritatis fervore, discretione quoque, maturitate & prudentia vestra plenam in omnibus spem fiduciamque tenemus, vos ad executionem pacis Venerabilis Fratris nostri Thomæ Cantuariensis Archi-Episcopi, præ cæteris Regni Francorum personis elegimus, & ad charissimum in Christo filium nostrum Henricum illustrem Anglorum Regem, sicut per alias vobis litteras significavimus, propter hoc duximus transmittendos. Unde quoniam eundem Regem postmodùm in Angliam audivimus transfretasse, ne fortè prædicti Archi-Episcopi negotium propter hoc possit quomodolibet impediri sivè protendi, fraternitati vestræ per iterata scripta mandamus, & in virtute obedientiæ injungimus, quatenùs sicut gratiam beati Petri ac nostram charam habetis, & nos Ecclesiam Romanam de honestate ac constantia vestra volueritis aliqua de cætero ratione confidere, in unum pariter convenientes ad memoratum Regem eundi infra viginti dies post harum susceptionem litterarum, omni excusatione postposita, nisi id jam fortè feceritis, iter arripiatis, & ad eum festinare curetis. Cùm autem ejus præsentiam habueritis, vos ipsi ea, quæ in aliis litteris nostris vobis expressimus, sicut viros Pontificalis constantiæ decet, omni dubitatione & timore remoto instantissimè proponatis, & eundem ad illorum executionem ex parte nostra studeatis modis omnibus invitare. Quod si Rex ea quæ nobis promisit, & maximè de integra possessionum ablatarum restitutione, & plena pace Archi-Episcopo ac suis reddenda, necnon & super osculo eidem præstando, nisi fortè osculo filii velit esse contentus, infra quadraginta dies post commonitionem vestram adimplere noluerit, aut arte aliqua, sivè ingenio per se vel per suos effecerit, quominùs ad eum juxta præceptum nostrum possitis accedere & ipsi ea quæ à vobis super his vestræ sollicitudini sunt injuncta, ex omni libertate & securitate proponere, vos in totam terram ejus Cismarinam authoritate beati Petri & nostra, omni contradictione & appellatione remota, interdicti sententiam proferatis, & in ea omnia Divina præter baptisma parvulorum & pœnitentias morientium prohibeatis officia celebrari, quemadmodùm in aliis litteris, quas vobis inde direximus, constat expressum fuisse. Litteras quoque nostras, quas super observatione interdicti Archi-Episcopis & Episcopis terræ suæ, quæ citra Mare consistit, transmittimus, eis omni excusatione postposita destinetis, & ipsis ex parte nostra firmiter injungatis, quod interdictum nostrum nullius timore, prohibitione, vel appellatione obstante, per suas Parochias irrefragabiliter servent, nec contra hoc aliquo modo venire præsumant. Quod si aliquis Archi-Episcopus, vel Episcopus, aut alia quælibet persona interdictum vestrum observare contempserit, vos eum ab officii sui executione sublato appellationis remedio suspendatis. Et si nec sic resipuerit, in eum excommunicationis sententiam promulgetis. Sæpedicto verò Regi præter ea quæ scripta sunt, viva voce vel litteris vestris constantissimè proponatis: quod si nec sic resipuerit, personæ suæ, sicut nec Frederico dicto Imperatori fecimus, nequaquàm parcemus, sed in eum potiùs excommunicationis sententiam absque dubio proferemus. Volumus autem & sub obtentu gratiæ Dei & nostræ districtè injungimus, ut in his quæ prædiximus exequendis omnem, quam convenit & oportet diligentiam & studium adhibeatis. Et si uterque vestrum adesse non poterit vel noluerit, quod tamen non credimus, nec conveniens nec tolerabile esset, alter non minùs ea quæ prædicta sunt, omni dubitatione & timore sublato adimpleat.

## EPISTOLA V.

*Idem eisdem.*

QUONIAM in aliis litteris, quas vobis super negotio venerabilis fratris nostri Thome Cantuariensis

tuariensis Archi-Episcopi destinavimus, de excommunicatis suis expressum discretioni vestræ Mandatum nos dedisse recolimus, ut eos certa spe pacis concepta deberetis absolvere, fraternitati vestræ per iterata scripta mandamus atque præcipimus, quatenùs si eos per vos absolvi contigerit, ipsos secundum Ecclesiæ Romanæ formam & consuetudinem absolvatis. Illis autem qui præfati Archi-Episcopi, aut commissæ sibi Ecclesiæ possessiones, sivè Clericorum suorum beneficia detinuerunt, & fructus etiam perceperunt, vel adhuc detinent sivè percipiunt, Maximè Gaufredo Archi-Diacono Cantuariensi, si ipsum Ecclesiam de Occeford per manum laicam, sicut audivimus, cepisse & tenere constiterit, nulla ratione absolutionis beneficium indulgeatis, nisi priùs cautionem sufficientem exhibeant, quòd memorato Archi-Episcopo beneficia, quæ detinent, sine dilatione restituant, & fructus inde perceptos absque diminutione persolvant. Quod si post cautionem exhibitam & absolutionem acceptam adimplere noluerint, vos illos in priorem excommunicationis sententiam, omni excusatione & appellatione postposita, reducatis, & ab omnibus faciatis authoritate nostra sicut excommunicatos usque ad condignam satisfactionem vitari.

## EPISTOLA VI.

*Alexander Papa Bernardo Nivernensi Episcopo.*

QUONIAM de prudentia, & honestate, & constantia tua fiduciam plenam concepimus, & certum super his in multis experimentum habuimus, te in executione pacis venerabilis fratris nostri Thomæ Cantuariensis Archi-Episcopi Rothomagensi Archi-Episcopo duximus adjungendum. Illum autem quod de terra illustris Anglorum Regis dignoscitur, executorem unà tecum constituimus, ne idem Rex aliquam adversùm nos querelandi occasionem videretur habere, eò quòd negotium illud personis extraneis, & extra terram suam manentibus commisissemus. Et quoniam, sicut diximus, te Virum Pontificalis maturitatis & constantiæ esse cognoscimus, & honestate ac litteratura inter cæteros Coepiscopos tuos pollere, Fraternitati tuæ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, & in virtute obedientiæ injungimus, quatenùs si præfatus Rothomagensis in his, quæ vobis injungimus unà tecum procedere nollet, sivè non posset, tu in præscripto, omni timore & dubitatione semota, secundùm tenorem litterarum nostrarum incunctanter procedas, & te in hoc ita sollicitum & diligentem exhibeas, quòd à Deo dignum exindè præmium merearis recipere, & coram hominibus laudem & gloriam non modicam propterea valeas reportare: nos quoque sollicitudinem tuam teneamur multipliciter commendare, & devotionem de constantia tua, quam in aliis expertam habemus, possimus in hac parte, sicut desideravimus, pleniùs comprobare.

## EPISTOLA VII.

*Alexander Papa omnibus Episcopis Cantiæ.*

NOVERIT industria vestra quòd nos Venerabiles Fratres nostros Rothomagensem Archi-Episcopum, & Nivernensem Episcopum ad Regem Anglorum pro pace & reconciliatione Venerabilis Fratris nostri Thomæ Cantuariensis Archi-Episcopi destinavimus, eis dantes in Mandatis & firmiter præcipientes, quod nisi idem Rex ad pacem & concordiam, secundùm quod nobis per litteras & Nuncios suos promisit, ad commonitionem illorum inclinari potuerit, totam terram ejus, quæ citra mare consistit, omni contradictione & appellatione remota subjiciant interdicto, & in ea omnia Divina, præter baptisma parvulorum & pœnitentias morientium, prohibeant officia celebrari. Inde siquidem est, quod universitati vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, & sub pœna ordinis & officii, in virtute obedientiæ vobis injungimus, ut supradictorum Archi-Episcopi, vel Episcopi, vel alterius eorum, si uterque adesse non potuerit vel noluerit, in hac parte sententiam, si quam ab eis contigerit inde proferri, nullius timore, gratia, vel prohibitione obstante, per vestras Parochias omni excusatione & appellatione remota firmiter observetis, & ab omnibus faciatis, quantùm in vobis est, irrefragabiliter observari. Datum Beneventi duodecimo Kalendas Martii.

## EPISTOLA VIII.

Alexander Papa Eboracensi, Dunelmensi, & Clero eorum.

*Eboracensi Archi-Episcopo, & Apostolicæ Sedis Legato, & Dunelmensi Episcopo, & dilectis filiis aliis Ecclesiarum Prælatis per Eboracensem Archi-Episcopatum constitutis.*

NOVERIT industria vestra quòd nos Venerabiles Fratres nostros Rotrodum Rothomagensem Archi-Episcopum, & Bernardum Nivernensem Episcopum ad illustrem Anglorum Regem pro pace & reconciliatione Venerabilis Fratris nostri Thomæ Cantuariensis Archi-Episcopi destinavimus, eis dantes in Mandatis & firmiter præcipientes, quòd nisi Rex ad pacem & concordiam, secundùm quod nobis per litteras & Nuncios suos promisit, ad commonitionem eorum inclinari potuerit, totam terram ejus quæ in Regno Francorum consistit, omni contradictione & appellatione remota subjiciant interdicto, & in ea omnia Divina, præter Baptisma parvulorum & pœnitentias morientium, prohibeant celebrari. Inde siquidem est quod universitati vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, & sub pœna ordinis & officii in virtute obedientiæ vobis injungimus, quòd sententiam quam prænominatus Cantuariensis in Provinciam suam propter hoc tulerit, nullius timore, gratia, vel prohibitione obstante per vestras Parochias, omni excusatione & appellatione remota, firmiter observetis, & ab omnibus faciatis, quantùm in vobis est, irrefragabiliter observari. Datum Beneventi duodecimo Kalendas Martii.





## EPISTOLA IX.

Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Pictavensi Episcopo.

*Venerabili Fratri, & Amicorum suorum in Christo charissimo, Thomas Dei gratia Cantuariensis Ecclesiæ Minister humilis, salutem, & se totum charissimo.*

UT quid fecistis nobis sic? Ut quid nos & vos strangulastis? Ecce dedistis homini illi occasionem detrahendi, & nobis & vobis malignandi adversùm nos. Ecce animal cupidum gloriæ & nimis pronum in perniciem Ecclesiæ divulgari faciet & proclamari per plateas & in facie Ecclesiæ, quod nos absolutè & præcisè consilio suo submiserimus tacita omni conditione, nulla vel honoris Dei vel ordinis nostri habita mentione, quæ tunc procul dubio nulla ratione tacenda sunt, cùm id potissimùm agatur, ac id prorsùs intendatur, ut in ignominiam & confusionem Ecclesiæ taceantur: quod apostatandi genus est plusquàm manifestum. Non autem hoc modo vel sub hac forma à nobis à Stampis recessistis, si benè recolitis. Scitis, si placet, quia diximus vobis in discessu mutuo, quòd huic dumtaxat articulo insisteretis, quatenùs homo ille juxta Mandatum Domini Papæ nobis gratiam suam & pacem restitueret, & Ecclesiam nostram in libera nostra dispositione nobis dimitteret. Et cùm quærens à nobis, utrùm vellemus recipere diem colloquii cum eo, si vellet nobiscum loqui, respondimus quia nullum diem loquendi cum ipso reciperemus, priusquàm Mandato Domini Papæ respondisset, ac etiam satisfecisset. Verùm posteà libenter veniremus ad diem, & faceremus quidquid, *salvo honore Dei & ordine nostro*, facere possemus. Hoc modo charissime, ab invicem discessimus. In his, si placeret, finibus stetisse debuissetis, cùm sciatis optimè, nemo meliùs, quia ulteriùs nulla ratione procedere audeamus, nihil ampliùs secundùm Deum facere possimus vel debeamus. Unde & vos, dimidium animæ nostræ, scire volumus, quia non est nobis consilium, sed nec quidem videtur tutum, vel diem recipere vel ad colloquium ejus venire, quousque Mandatum Domini receperit, & etiam si ei visum fuerit, idem effectui mancipaverit, ne fortè, quod absit, nobis dantibus occasionem frustratoriæ dilationis, meritò etiam imputari possit & nobis, quominùs ipsius Papæ Mandatum mandetur executioni, quod nullatenùs nobis dignoscitur expedire. Benè semper valete.

## EPISTOLA X.

*Alexander Papa Turonensi Archi-Episcopo, & suffraganeis, & Clero.*

TURONENSI Episcopo, & suffraganeis ejus, nec non & dilectis filiis aliarum Ecclesiarum Turonensis Provinciæ constitutis. Noverit industria vestra, &c. ut supra. Usque ad inclinari potuerit, aut arte aliqua sivè ingenio per se vel per suos effecerit, quominùs ad eum juxta præceptum nostrum accedere, & ipsi ea, quæ sibi super his sunt à nobis injuncta cum omni libertate & securitate proponere possint, totam terram ejus, quæ in Regno Francorum consistit omni contradictione & appellatione, &c.

In eundem modum Bituricensi Archi-Episcopo & suffraganeis ejus, nec non & aliis Ecclesiarum Prælatis.

In eundem modum Auxitano Archi-Episcopo & suffraganeis ejus.

In eundem modum universis Episcopis, & cæteris Ecclesiarum Prælatis per Rothomagensem Provinciam constitutis.

## EPISTOLA XI.

*Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo quidam Amicus.*

REX prima Dominica die Londoniis debet esse, eòque Archi-Episcopum Eboracensem, omnesque Angliæ Episcopos, & Barones ad diem illam ex omnibus terræ partibus convocavit. Sanè ea die coronabit filium Regis Eboracensis, uxore ejus, filia scilicet Regis Francorum, apud Cadomum derelicta, & quasi repudiata in contumeliam Patris & contemptum. Coronabitur certè puer ille, quem diximus, & quando diximus, nisi Dominus Mare clauserit navigare volenti, vel manus contraxerit Eboracensi, vel nisi Rex Francorum aliquo prohibitionis modo inhibuerit. Puer enim properat ad Mare, & à Patre exspectatur in adverso littore. Et de Mandato Regis, Bajocensis & Sagiensis cum puero vadunt. Richardus de Humet non ibit. Regina Cadomi morabitur, donec gaudii hujus certitudinem acceperit. Litteræ ergò Domini Papæ super prohibitione consecrationis hujus, diu est, quod Mare transierunt, sed inutiles prorsùs effectæ: in manu illius, cui traditæ sunt, perierunt, nec alicui ostensæ, nec ullatenùs propalatæ. Quid igitur prosunt, quæ sic occultantur, per quos nec instans coronæ impositio, nec personæ unctio cessabit? Certissimè enim sciatis hoc sine dilatione futurum. Etsi non audiret Eboracensis, manus cruentas apponeret Carnifex Sagiensis. Hoc autem fit contra vos, ut nec diutiùs liceat etiam sperare de pace, cui non solùm pax differtur. Dixit enim nobis Richardus de Welcestre, qui pro accelerando transitum pueri venit altera die, usque Cadomum, & statim reversus est cum illo. Dixit, inquam, ille quod pacem vestram omnibus modis differret, & si aliter non posset, non solùm Domino Papæ, sed etiam ipsi Deo inobediens Rex ante usque ad mortem existeret, quàm vobiscum pacem haberet. Nolite ergò sperare in iniquitate, nec Templariis illis credite, qui non ambulant in simplicitate, sed Regis potiùs, quàm vestram voluntatem exequi cupientes, vobis nihil aliud quàm mendacia de Rege & Patre mendacii adferunt, ut decipiant. Quidquid enim Rex agit vobiscum, dolus est & nequitia. Sed ut pace vestra loquar, stultum decipit verbis inanibus, ut interim sibi magis provideat, & de tractu temporis contra vos majores insidias paret, & laqueos præparet fortiores. Quid igitur facies, hominum miserrime, si tibi fuerit sub temporis brevitate subtractum, ad quod tantis temporibus suspirasti? Si per alium Rex fuerit effectus, qui non nisi per te regnare debuerat? Immò quid facies, si inimicus tuus

Regem tibi consecravit inimicum, ut contra te in Patriæ auxilium quantò junior, tantò fortior manus insurgat? Verùm quid faciet Rex ipse Francorum, cujus ita filia contemnitur, cui Regnum auferetur, cujus speranda posteritas condemnatur? Cur enim ejus filius, qui adhuc ei fortasse nascetur, Regni gloriam consequeretur, si ipsa modò coronæ indigna judicatur? Forsitan non movebitur Rex ille nimiùm justus, nec suum, filiæque contemptum vindicabit. Sed magis in sua justitia peribit. Moderatè loquor in Christum Domini, sed tamen pro nihilo ei coronam Franciæ deseret, qui coronam Angliæ tam facilè auferet. Unicum ergò & singulare ei & vobis remedium est, ut sine omni dilatione ad Reginam & ad Richardum de Humet Nuncios mittat, qui ex sua parte prohibeant ne fiat, & si factum fuerit, ab utroque cum diffidentia separentur. Sic enim territi Richardus & Regina mittent ad Regem, & Regis impedietur voluntas. Nuncius enim Regis Francorum vel vester, nullus posset ad Regem nostrum accedere. Et si litteras Domini Papæ deferret, mitteretur in carcerem; si Regis Franciæ teneretur honestè, sed non procederet, donec negotium ad aures Regis perveniret. Currite ergò statim ad Regem, & advocate Senonensem, ut aliquod opponatur obstaculum huic operi, quod in Personæ Regis contemptum, & in causæ vestræ præjudicium noscitur agitari. De cætero sciatis Thomam, novum Archi-Diaconum Bathonensem, nuper à Rege ad Archi-Episcopum Rothomagensem venisse, & à Nivernensi Episcopo transeundi inducias impetrasse usque ad sequentem Dominicam. Publicè enim Thomas ille clamavit, & multi alii quotidiè clamant Regem in proximo esse venturum: quod penitùs est falsissimum. Per Episcopatus ergò, & Abbatias, & per domos Regias, usque ad Montem S. Michaelis formicino gradu Nivernensis incedit, & qui in terra sua quindecim esset contentus, triginta sex equitaturas adducit. Dicitur ergò, quod magis sitit pecuniam Regis, quàm pacem Regni; magis lucrum suum, quàm commodum vestrum. Et res satis manifestis indiciis declaratur. Sexta enim feria post octavam Pentecostes venit Cadomum, unde tunc filius Regis exierat, cum quo Nivernensis optimè, si vellet, transire potuisset. Sed dicitur ei Regem citò esse venturum, aut Navem Regiam venturam propter ipsum. Et sic homo ille, mores gentis vestræ penitùs ignorans, fallaciis capitur, nec in manu ejus verbum Domini prosperatur. Verùm, si astutias istas intelligeret, si concito gradu ad Mare properaret, oporteret Archi-Episcopum præire, & istum Regis responsum exspectare. Et si omninò vellet transire, navem quidem & instrumenta navis inveniret, sed gubernator nullus appareret. Singuli enim fugerent, vel se nihil scire dicerent, vel ventum penitùs esse adversum jurarent. Stultus ergò fuit, qui veniendi per vos voluntatem habuit, qui per Flandriam ire disposuit. Statim ergò litteras Regis, & litteras Senonensis, & Nuncium vestrum ad Nivernensem dirigite, ut cum omni celeritate Reginam Cadomi morantem conveniat, quatenùs ei transitum paret. Quæ si noluerit ob manifestam impossibilitatem, idem Episcopus ad vos revertatur, facturus citiùs quod facturus est. Nolite enim de cætero parcere, sed totum spiritum effundite, totum gladium evaginate, quoniam non respiciet vos oculus Regis usque in sempiternum. Respiciat autem super vos & super Oves pascuæ suæ oculus pietatis Divinæ, & magis de Principibus victoriæ gloriam, quàm Principum pacem non veram, Ecclesiæ suæ conferre dignetur. Valete. Et si adversitas increbuerit, nolite timere, quia Dominus supponit manum suam.

## EPISTOLA XII.

*Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Nivernensi Episcopo: sub alterius nomine propter insidias.*

DIRIGAT Dominus gressus vestros, ut in causa Ecclesiæ, cujus executio vobis pro parte commissa est, non declinetis ad dexteram vel sinistram, sed via Regia incedatis, ut nec sollicitationibus, nec minis, nec exquisitis dolis prævaleat adversùs prudentiam & sinceritatem vestram, cujus tendiculas nullus unquàm evasit, qui cum ipso contraxerit. Et nisi fallor, vobis pugnandum erit ad bestias, cùm ipse Episcopos, Abbates, & Viros discretos perducturus sit, ut per eos expugnet constantiam vestram, si præsenserit quod vos promissis & blandiloquio circumvenire non possit. Quia ergò multiplices illius prodigii fucos non est facile deprehendere, quidquid dixerit, quamcumque figuram inducat, tamquàm omnia ejus vobis suspecta sint, & fallaciæ plena esse credantur, nisi quorum fidem manifesti operis exhibitio comprobabit. Si verò senserit quòd vos aut promissis corrumpere valeat, aut minis deterrere, ut aliquid obtineat contra honestatem vestram & causæ indemnitatem, illicò apud eum prorsùs vestra evanescet authoritas, & eritis tam illi, quàm suis in contemptum, in fabulam, in derisum. Sin autem viderit quod vos à proposito flectere nequeat, furorem simulabit in primis, jurabit & dejerabit, Protheum imitabitur, & tandem revertetur in se, & nisi per vos steterit, exindè semper eritis in Deum Pharaoni. Homo inter cætera quibus innotuit, familiaribus & vicinis, in eo maximè gloriatur, quod explorator morum est, bonorum insidiator, delusor & derisor, ut si fortè verbum incautiùs alicui elabatur, statim adhibitis testibus quasi sub prætextu injuriæ suæ vel erroris alieni, fugam paret, ut rectè recedere videatur. Cùm ergo convenietur, erit in omni re adhibenda modestia, à multiloquio abstinendum. Articuli causæ summatim colligantur, insistendum diligentiùs, ut respondeat ad proposita, quoniam ex consuetudine dyscolus est. Super omnia fugiendæ dilationes, quas ille semper consuevit inducere, & vos, urgente Mandato Apostolico, admittere non potestis: nec expedit ut consilium nostrum alicui innotescat, quia scorpiones sunt, qui faciem præferunt amicorum. Commodissimum verò videtur exordium à litteris, quas eis Dominus Papa transmisit, quibus testatur sibi per litteras & Nuncios Regis significatum esse, quòd Rex Archi-Episcopo Cantuariensi concesserat, ut ad Ecclesiam suam in omni securitate redeat, & sui omnes ad sua, habituri possessiones suas omnes, sicut eas meliùs habuerunt, dum in gratia Regis essent. Secundus articulus est, ut eundem Archi-Episcopum in osculo



osculo pacis recipiat: quæ forma solemnis est in omni Gente & in omni Religione, & citra quam nusquàm pax anteà diffidentium confirmatur. Nec tam Vicario filii Regis osculo videretur Archi-Episcopus pacem recepisse à Rege, quàm in filii ejus gratiam rediisse. Quod verbum, si semel audiretur in turba, patens est, quàm facilis malignandi adversùs pacem initam daretur occasio. Et si Archi-Episcopo, quod absit, secùs accideret, Rex sub prætextu negati osculi crederetur exemptus infamiæ. Redeat in mentem Robertus de Sylliaco, & alii qui per manum Christianissimi Regis cum eo pacem fecerunt, quibus si nec osculum publicè datum, nec tanti mediatoris reverentia veram contulit pacem, non mirabimini, cur memoratus Archi-Episcopus publicæ Religionis solemnem exigat cautionem. Cuicumque præmissorum articulorum Rex nolit acquiescere, vos, si vultis, ut vobis in causa succedat, accipite licentiam incontinenti, & nisi Mandato Domini Papæ adquiescens vos revocaverit, redire non differatis. Si autem acquieverit, exprimite nomina possessionum, sicut vobis in chartula exprimuntur, nec admittatis delusiones & fabulas ejus, quibus Ecclesiam conabitur mutilare bonis suis: qui dum passum pedis auferet, pacem cum Archi-Episcopo inire non poterit. Mavult enim proscribi perpetuò, quàm eo consentiente vel in minimo proscribatur Ecclesia. Quod si & hic detrectaverit, & vos oblatam redeundi occasionem accipiatis. Tertius articulus earundem litterarum est, ut mille marcas per Vivianum promissas Archi-Episcopo incontinenti restituat, ut habeat undè possit apparatui suo & suorum necessaria providere. Quas si se promisisse inficiatur, reducite ei ad memoriam, quod eas similiter apud Montem Martyrum promisit Episcopus Sagiensis, qui nullo modo Mandati fines excederet. Si pertinaciùs detrectat hanc pecuniam reddere, frontem vestram sentiat, sua, quamvis nimis attrita sit, duriorem. Et antequàm ab hoc desistatis articulo, reditum tanta procuretis instantia, ut omnes vos indubitanter credant transfretaturos. Si tamen demum apparuerit quòd nullo modo possit evinci, vos quasi Regi condescendentes, hac petitione dilata & pecunia nulla ratione remissa, formam pacis, quæ in prioribus articulis præmissa est, recipiatis. Scitis enim ex litteris, quas vobis Dominus Papa transmisit, quòd nullam remittendæ pecuniæ habetis authoritatem, qui etiam pace facta tenemini ipsum convenire super integra restitutione ablatorum, & pravis consuetudinibus abolendis. Nam ut in litteris ad Regem missis expressum est, vos ad executionem pacis misit Dominus Papa, & ut per vos melioretur conditio Ecclesiæ, & Archi-Episcopus & sui in nullo lædantur. Nullam enim in hac parte habetis potestatem. Quartus articulus est de absolutione excommunicatorum, in qua vobis duplex cautela necessaria est. Primò, ut nulla ratione id faciatis, nisi, certa spe pacis & reconciliationis accepta. Secundò, ut nullum, nisi juramento solemniter & publicè præstito, juxta Mandatum Apostolicum, absolvatis. Nec enim aliter eos potestis absolvere. Sed quomodò certam concipietis spem ab homine lubrico, cujus verba & juramenta eandem vim habent, & pari sunt lance pensanda. Difficile quidem est, si tamen induci posset, ut aliqui Magnatum Regni plures, aut saltem unus, Mandato ejus jurarent, quòd formam pacis fideliter & sine malo ingenio Rex exequeretur, & Episcopi fidejussores existerent, posset hæc aliqua imago certitudinis interim credi. Verumtamen si ei persuaderi non potest, ut jam dictas præstari faciat cautiones, exigatur, ut patentibus litteris sigillo suo munitis hoc scribat Archi-Episcopo, & item aliis: in eundem modum Domino Papæ, & vobis similiter tertiis: ne quid ex contingentibus omisisse videamini, & nimia facilitate certi fuisse de promissione hominis, cui vix unquàm sine periculo creditur. Præterea possessiones Ecclesiæ tradat vobis, amotis satellitibus suis, & per vos Ministris Archi-Episcopi. Hæc enim, licèt securitas pacis non sint satis certa indicia, quia & contra scripta sua facilè venire consuevit, & Ministros Archi-Episcopi eadem qua solitus est, injuria posset ejicere, tamen quia spem firmioris obligationis obtinent, utcumque certam spem videntur polliceri: & diligentiam vestram, si impetrata fuerint, quidquid exindè contingat, à vitio levitatis poterunt excusare. Quod si Rex ista, scilicet attestationem scriptorum, & possessionum cessionem facere noluerit, restat, ut vos certam spem concipere non debeatis, nec ad absolutionem excommunicatorum procedere. Nam etiamsi absoluti essent, tenemini ex Mandato Apostolico reponere eos in anteriorem sententiam, si pax, quod absit, secuta non fuerit. Et si hominem rectè novimus, ab istorum absolutione exordietur, dicetque se neminem auditurum, nihil boni facturum, antequàm absolvantur familiares sui. Dum hoc obtineat, fortasse modestiam simulabit, promittet grandia, & quasi sub specie Religionis, quò innocentior credatur, peccata confitebitur, aliquas conscientiæ maculas deteget, quas tamen emendicatis aut ementitis virtutibus continuò diluere possit. Ex quo verò obtinuerit, inveteratam duritiam induet, & qui humiliter orabat, exindè nulla humanitate poterit exorari. Hæc ita esse persuadeant Gratianus & Vivianus, quibus se fide corporaliter præstita obligavit, quod illorum consilium de pace cum Archi-Episcopo facienda sequeretur, si excommunicatos absolverent. Quibus absolutis ita ab universis, quæ promisit, resiliit, ac si nec verbum cum eis habuisset. Quocircà & qui absoluti fuerant, in priorem excommunicationem reducti sunt, eò quidem justiùs, quò nequiùs pacem, cujus spe fuerant absoluti, studuerunt modis omnibus impedire. Præcaveatis itaque, ne prosiliatis ad absolutionem, nisi certi de pace secutura, & ut cum eam feceritis, si tamen facturi estis, juramentum, secundùm quod vobis præscriptum est, recipiatis ab absolvendis, denunciantes eis, quod nisi exhibitam consecutione operum impleverint cautionem, omni excusatione & appellatione postposita in pristinam excommunicationis sententiam reducentur. Interim autem communionem eorum sollicitiùs evitetis, ne quod offendiculum detis infirmis, & vituperari faciatis ministerium vestrum, & impiis animatis ad contemptum Ecclesiasticæ disciplinæ, causæ Dei non mediocre dispendium generetis. Si fortè exegerit Rex, ut Archi-Episcopus in terram suam redeat, possessiones & pacis osculum præsentialiter susceptures, procurate, ut quod in absentia ejus

ejus fieri potest, domos & possessiones suas Ecclesiæ Ministri recipiant, qui possint redeunti necessaria præparare. Et ut aliqui de Magnatibus terræ, quod Episcopos quosdam libenter facturos esse non ambigo, veniant ad Archi-Episcopum ex Mandato Regis, qui ei conductum & securitatem præstent, ut sine impedimento possit inter eos reconciliatio, prout ipsam anteà formaveritis, adimpleri. Alioquin Archi-Episcopus, nisi causa cognita & securitate accepta, nullum ejus inibit colloquium. Etsi, quod de prudentia & constantia vestra credi non debet, Rex vos circumvenerit aut compulerit, ut in læsionem Ecclesiæ aut proscriptorum Christi Mandatum Apostolicum excedatis, vobis certò certius sit, quod Archi-Episcopus nihil eorum, quæ sic gesseritis, ratum habebit, nec contra conscientiam suam alicujus mortalium consilio adquiescet. Comitem Hugonem vobis nulla ratione licet absolvere, quia nihil ei cum causa ista. Ad hæc cavete, ne vos dilationibus protrahat ultra Mandatum Domini Papæ, quia nullæ sunt hic partes vestræ. Cùm vobis fuerit transfretandum, litteras originales, quas recepistis, non deferatis vobiscum; sed transcripta, quia insidias in littore posuit & exploratores gravissimos, qui litteras hujusmodi præripere consueverunt. Vos enim originalia recepistis, & ipsi Regi denunciavit Dominus Papa, quod vos missurus erat: nec tenemini, sed nec expedit, ut ei tam citò innotescat, quidquid vobis datum est in Mandatis. Et quia incertum est, an metu sententiæ imminentis vobis aliquod citò redeundi paraturus sit impedimentum, necesse est, si placet, & si vultis, ut oportet, causæ prospicere, quatenùs scribatis Episcopis Cismarinis juxta conceptionem litterarum Domini Papæ, præcipiendo, ut per Parochias suas Divina prohibeant celebrari, ex quo terminus Regi indultus elapsus fuerit, easdemque litteras vestras committatis Domino Senonensi, qui, cùm res exegerit, procurabit, ut vestrum Mandatum publicetur. Hoc etiam apud Regem plurimùm valere poterit, si sibi persuasum fuerit, quòd necessitas imminet Cismarinis Episcopis, Mandatum Apostolicum, quidquid vobis accidat, exequendi. Sanè quotiescumque vobis cum præfato Rege ex quacumque causa fuerit contrahendum, redeant in memoriam vestram Fratres Templi & Xenodochii Hierosolymitani, Cardinales & Nuncii Domini Papæ, Carthusienses & Grandimontani, Cistercienses & Episcopi terræ suæ, quos omnes in variis contractibus, dum propriæ voluntatis quocumque modo malitiam adimpleret, etsi hoc plerùmque non meruerint, notari fecit infamia. Si quæsierit, an de rebus ablatis & illatis injuriis pacem sit perpetuo habiturus, si Archi-Episcopum, ut dictum est, revocaverit, intimate ei, ut nec vobis nec alii credat se citra pœnitentiam ab aliquo hominum posse absolvi, aut veniam promereri. Nam in Evangelio secundùm Lucam ait Dominus: *Attendite vobis, si peccaverit in te Frater tuus, increpa illum, & si pœnitentiam egerit, dimitte illi. Etsi septies in die conversus fuerit ad te, dicens pœnitet me, dimitte illi.* Pœniteat ergò, si vestrò vel alieno fructuosam desiderat pacem: quia, ut ait Apostolus, *nulli contra veritatem aliquid licet.* Nec omninò dimittitur peccatum, nisi, cùm facultas adsit, restituatur ablatum. Aut enim verba Christi superfluunt, aut conversio, pœnitentia, vera confessio, necessaria sunt ad veniam promerendam.

## EPISTOLA XIII.

*Joannes Saresberiensis cuidam Amico.*

DEVOTIONEM, quam habetis ad me, Nuncius vester diligenter exposuit, & me non mediocriter ad referendas gratias, quantùm verbis potuit, obligavit. Cùm enim me tanto exilii tempore veteres Amici prorsùs omiserint & contempserint, illi qui saltem bona verba sub hac tempestate proscriptis communicant his, quos alii contempserunt, præsertim cùm facultas non supperat, ut eos opere consolentur, amicitiam prout possunt, videntur colere, & ulteriorem gratiam promereri. Siquidem ratio non minùs animorum, quàm rerum pensat impendia, censetque præponderare lancem, quæ solidata charitate repletur, & quæ rerum levitatem præfert, & fictæ dilectionis umbratiles ostentat imagines, suspendit in auras. Perseverate ergò in eo quod fideliter incepistis, & devotionem, quàm Patri vestro debetis & Ecclesiæ laboranti, continua charitatis exhibitione, quoties fuerit opportunum, proferte in lucem, ut tam à Deo, quàm ab ipso Archi-Episcopo vobis in retributione uberi respondeatur pro meritis. Quod Deo propitiante futurum speratur in brevi, quia non creditur apud nos, quod pax Ecclesiæ diu differri possit; sed & hanc ad honorem Dei & Ecclesiæ utilitatem creditur proventuram, non ut quidam mentiti sunt in confusionem D. Cantuariensis, & eorum qui pro justitia decrevere ponere, si opus fuerit, animas suas. Nec doleatis si Archi-Episcopus Rothomagensis & Episcopus Nivernensis in Angliam venerint, quos sicut pro Ecclesia plurimùm, ita contra eam vel D. Cantuariensem aut suos, nihil omninò posse certissimum est. Sed nec eos velle nocere credimus, quin potiùs quòd honestam pacem & utilem totis viribus laborabunt. Hæc scripsi, ne Nuncii vestri videar contempsisse sermonem, qui ad obsequium vestrum, ubi facultas adfuerit, sum paratus in Domino.

## EPISTOLA XIV.

*Rex Angliæ Rothomagensi Archi-Episcopo.*

DE vestro, aliorumque fidelium Baronum meorum consilio, pacis reformandæ inter me & Archi-Episcopum Cantuariensem susceptam, formam Domino Papæ, Nunciis & litteris meis insinuavi. Ipse, sicut per suas mihi litteras significavit, eam cum tenore, quo à vestro prodiit consilio, eique ex parte vestra fuerat significata, suscepit cum gratiarum actione, palàm mandans, monens, supplicans, & suadens attentiùs, ut illam exequar mediatione vestra & Nivernensis Episcopi. Illam itaque vobis mediantibus plenè & libenter complebo, nullatenus declinaturus formam vestro consilio propositam, teste Richardo de Luci, apud Westmonasterium.

EPI-



## EPISTOLA XV.

*Alexander Papa Rothomagensi & Nivernensi Episcopis.*

NOVERIT discretio vestra nos Gileberto Londoniensi Episcopo per nostras litteras significasse, ut si à sententia, quam Venerabilis frater noster Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus in eum protulit, absolvi voluerit, ad præsentiam vestram vel alterius, si uterque adesse non potest, accedat, & à vobis præstito juramento, quod nostro debeat parere Mandato, absolutionem recipiat. Inde siquidem est, quod vos ei, sicut viro Religioso, litterato, provido, & discreto, in omnibus, quantùm cum Deo & justitia possumus, cupientes deferre, & dilecti filii nostri magistri David Londoniensis Ecclesiæ Canonici postulatione inducti, fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenùs si memoratus Episcopus ad vos pro absolutionis receptione accesserit, vos ipsum accepto ab eo juramento, quod nostro de præscripta sententia parebit Mandato, sublato appellationis remedio absolvatis, ita quidem quod nullum propter hoc dignitatis, ordinis, aut officii periculum debeat sustinere, aut aliquam infamiæ notam incurrere. Absolutione autem facta id prænominato Archi-Episcopo per litteras vestras significetis, & ei ex parte nostra firmiter præcipiatis, & in virtute obedientiæ injungatis, quod absolutionem ejus occultam habeat & omninò secretam, donec absque ipsius Episcopi periculo valeat propalari. Quod si uterque vestrum his exequendis interesse non poterit, alter non minùs ea, pro ut diximus, exequatur. Valete.

## EPISTOLA XVI.

*Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Rothomagensis Archi-Episcopus.*

SCIMUS prudentiæ vestræ notum esse, quod melior est obedientia, quàm victimæ, & quod idololatriæ scelus est nolle acquiescere: ei præsertim, cui debetur omnis obedientia in Ecclesia præsenti. Et qui cogendi habet potestatem Dominus Papa, nobis & Venerabili fratri nostro Nivernensi Episcopo certam præscripsit formam, juxta quam absolveremus Venerabilem fratrem nostrum Londoniensem Episcopum. Et Mandato additum est, quod si uterque nostrum adesse non posset, alter nihilominus ab eo requisitus eum absolveret. Nos itaque requisiti ab eo die Paschæ, juxta formam Mandati eum absolvimus, authoritate Domini Papæ vobis injungentes, quatenùs hoc ita penes vos secretum observetur, sicut ex rescripto litterarum Domini Papæ, quod vobis mittimus, discretioni vestræ manifestiùs apparebit. Valete.

## EPISTOLA VII.

*Alexander Papa Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo.*

PER Venerabilem Fratrem nostrum Senonensem Archi-Episcopum, Apostolicæ Sedis Legatum, & per alias litteras nostras discretioni tuæ nos significasse meminimus, quod illustris Anglorum Rex nobis de pace tua Nuncios & transcripta transmisit. Et nos Venerabilibus Fratribus nostris Rothomagensi Archi-Episcopo, & Nivernensi Episcopo de illius pacis executione litteras nostras destinavimus, sicut jam dictus Senonensis prudentiæ tuæ viva voce pleniùs potuit enarrare. Unde quoniam dilecti filii nostri A..... & V..... Nuncii pro quibusdam negotiis tuis post præfati Archi-Episcopi discessum moram facere voluerunt, nos tibi per eundem Archi-Episcopum voluntatem & consilium nostrum secretiùs & celeriùs duximus intimandum, Fraternitatem tuam per Apostolica scripta rogantes attentius & monentes, ut prædictorum Senonensis & Rothomagensis Archi-Episcoporum, & Nivernensis Episcopi consilio & admonitioni, sicut per alias tibi litteras significavimus, adquiescas.

## EPISTOLA XVIII.

*Bartholomæo Exoniensi Archi-Diacono Joannes de Saresberia.*

MITTO tibi litteras, quas Domino Cantuariensi Nuncii sui à Curia nuper miserunt, ex quibus cautior esse poteris, ut non facilè omni spiritui adquiescas. Nam à fautoribus utriusque partis in alteram multa dicuntur, & quilibet earum in assensum suum quos potest, & quibus modis valet, conatur inducere. Sedis Apostolicæ gratiam utrimque quærunt, & ut arbitror, qui eam minùs meruerunt aut assecuti sunt, ampliùs gloriantur se voti compotes exstitisse. Jactitant se hæc & illa obtinuisse. Sed scio quod eis, præsertim in his, quæ contra jus videntur elicita, nullus sapiens habebit fidem, nisi scripta authentica & originalia proferant. Unum scio, & mundo reclamante indubitanter & liberè assero, quia qui Christo adhæserit, in finem non pœnitebit. Momentaneum est gaudium impiorum, & instar puncti, quibus in brevi tinea substernetur, & operimentum erunt vermes, & electos suos consolabitur Dominus, nec patietur, ut eos affligat duplex tribulatio. Pacem universi desiderant, nec alios excipiendos esse crediderim, nisi quos scelerum conscientia torquet, convincens eos propriæ damnationis meruisse sententiam. Nam & ipse Imperator jam Exaugustus patenter expertus est, se in Augustalem non posse redire dignitatem, nisi pacem cum Ecclesia fecerit, nec detrectat jam conditionibus æquis fœdus inire cum Italis, accitique Consules civitatum cum Nunciis ejus, ineundæ pacis in Curia librant & formant articulos, & valituras imposterùm componunt cautiones. Hujus rei exitum præstolabitur Dominus Senonensis, qui tamen Paschalem solemnitatem Domi suæ creditur & speratur acturus. Revertentur cum eo, vita comite, Cantuariensis Ecclesiæ Procuratores, qui Domino suo scripserunt petitiones suas benigniùs, quàm speraverant, exauditas, licèt de fide & constantia Domini Papæ anteà viderentur esse certissimi. Prevenerant eos Nuncii Domini Regis, Reginaldus Archi-Diaconus Saresberiensis, magister Richardus Barre, & Radulphus Landavensis Archi-Diaconus: sed nulla instantia potuerunt efficere, ut eos nisi confusos dimitteret Dominus Papa, antequàm suum reciperet Gratianum. In cujus adventu cornua eorum repressa sunt & retru-

& retrusa, & Ecclesiæ causa revelata pleniùs veritate magis & magis invaluit. Nam & conjuratio, quæ ad instar schismatis fieri cogebatur in Anglia, Ecclesiæ, contra quam parabatur profectibus, militabat. Secuti sunt alii Nuncii ex parte Regis, Ægidius scilicet Rothomagensis Archi-Diaconus, & Joannes Sagiensis Archi-Diaconus, & famosus jurator ille Saresberiensis, retractantes priorum petitiones, & dicentes Dominum Regem, causam, quæ inter ipsum & Dominum Cantuariensem Archi-Episcopum vertitur, & formam pacis inter eos reformandæ, prorsùs in Domini Papæ conferre arbitrium, & super hoc ipsius Regis Bullatas litteras protulerunt. Quod Dominus Papa benigniùs audiens, gratulatorias scripsit litteras, quarum tibi rescriptum mitto. Interim Rex cum alio Rege, mediante Turonensi Archi-Episcopo de tollenda cruce tractabat, eique persuaserat interpositis cautionibus, quas exprimi pro personæ reverentia non oportet, quòd à proximò Pascha, navium arripiendo itineri accingetur. Et quidem sub eo prætextu Christianissimum Principem in componendis finibus suis habebat adjutorem, donec collusio inita cum Herveo de Monte, mirabili illum ex causa fecit esse suspectum. Suspectiorem verò, quod colloquium & concordiam Regis Franciæ & Comitis Flandriæ studuit impedire. Ut tamen devotionem tollendæ crucis probabiliùs adstrueret, per Viros magnos & Religiosos, & per familiares suos, ut ex litteris eorum videbis, cum Ecclesia de pace tractabat, utens Domini Turonensis officio in hac causa, cui etiam præsentibus Archi-Episcopis, Episcopis, Abbatibus, & multis Proceribus convocatis, primò Deum, & ut dici solet, Christianitatem suam obsidem dabat, deinde Patruum suum Regem Hierosolymorum, & omnes qui convenerant, constituebat fidejussores, quod ex animo, in fide, & sinceritate, Cantuariensi Archi-Episcopo remiserat omnes querelas, & iram, & animi rancorem, & omnibus suis, petens ut redirent, sua omnia in pace & securitate recepturi, nec aliquid exigebat, nisi ut ei faciat Archi-Episcopus quod Regi debetur, & ipse vicissim illi, quod Rex debet Archi-Episcopo. Misit autem Abbatem Cisterciensem, & Fratrem G..... Fuloherii, magistrum Templi, & G..... Antisiodorensem Senonas, ut præfatum Cantuariensem ad ipsum cùm Episcopo Sagiensi in hæc verba adducerent. Sed cùm fidem eorum secutus Archi-Episcopus Pontisaram venisset, denunciavit ei Dominus Rothomagensis, ne procederet, quia Rex erat in Angliam transiturus sub omni celeritate, pace infecta. Receperat autem duos de Nunciis suis, magistrum Richardum Barre, & Landavensem Archi-Diaconum, in quorum reditu pax impedita est, machinatione, ut ajunt, Gaufredi Cantuariensis Archi-Diaconi, cui Deus quandòque respondebit ad merita. Jactitabatur tunc Regis Nuncios, absolutionem Episcopi Londoniensis, & omnium aliorum obtinuisse, & quod Archi-Episcopo subtracta erat potestas animadvertendi in Regem & terram suam, sivè Regni personas. Sed mendacia illicò detecta sunt supervenientibus litteris Domini Papæ, etiam antequàm Londoniensis Episcopus ad Curiam iter arriperet, qui procul dubio labori pepercisset & sumptibus, si, ut quidam mentiti sunt, sine tanta difficultate absolvi potuisset. Fama celebris est, quod memoratus Cantuariensis Archi-Diaconus Regi persuasit in Angliam transfretare, ut Episcopos torqueat & Clerum, qui contra Dominum Papam, & Matrem suam Cantuariensem Ecclesiam jurare noluerunt. Undique metus, & angustiæ undique longæ: necessitate, inquam, derelinquere Legem Dei. Alterum enim semper gehennam ingerit, alterum via est ad coronam, & perpetuat gloriam. Nam qui persecutionem patiuntur propter justitiam, beati sunt: quoniàm quos pugna purgat, probat, & illustrat, finis pugnæ sine fine coronat. Sathanas autem ampliùs sævit, cùm exterminium suum videt accelerari, & illa pars hyemis tetrior est, quæ Veris imminentis præcedit amœnitatem. Historias replica, Tyrannorum gesta revolve, & planè reperies in pressuris dilatatam esse Ecclesiam, & quod persecutio quantò atrocior erat, tantò citiùs sedabatur. Regi autem tam ab Amicis, quàm ab aliis Nunciis, qui præmiserunt istos, ut præmuniretur indubitanter, significatum est, quòd nisi citiùs cum Ecclesia pacem fecerit, secundùm quod ad petitionem suam Dominus Papa præscripsit, & hoc infra Kalendas Maii, ex tunc nulla ratione differri poterit, quin in personam ejus, & terram Cismarinam, & Transmarinam Ecclesiastica severitas exerceatur. Et hoc quidem arbitror huic exacerbationi, quam Deus maturè, prout Ecclesiæ novit expedire, compescat, dedisse originem, procurantibus fomitem ardoris, & incendii causas jugiter subrogantibus his, qui oderunt pacem, & sciunt se cum perpetuæ nota infamiæ futuros detestandum Schismatis & Apostasiæ exemplum. Lator præsentium, si tibi visum fuerit, ut eum admittas, plura supplebit. Cùm redierint, quorum in brevi speratur adventus, referenda quæ emerserint, tibi, Deo propitio, scribere non pigritabor. Et utinam me de statu tuo, quem Deus successibus impleat, maturè certiorari contingat.

## EPISTOLA XIX.

*Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Rothomagensi Archi-Episcopo.*

GRATIAS agimus dilectioni vestræ, quæ nostri curam gerit; sed utinam vestra sollicitudo in illa, quam dicitis, Episcopi Londoniensis absolutione Mandatum Domini Papæ non excessisset! Scitis enim, quid vobis in communi negotio sinè Collega licuerit: præsertim cùm ille nondùm conventus fuerit, nec constabat quòd ille, si conveniretur, non posset adesse, qui nec conventus est, cùm tunc demùm alteri vestrum aliquid in hac causa licuerit, si alter adesse non posset. Hanc enim conditionem Dominus Papa inserit, quam constat non exstitisse, ut exindè fortassè constet sapientibus, an aliquid actum sit deficiente conditione. Sed quid ista protrahimus? Vos scitis quid egeritis, & nos Deo authore, quid vobis competat, non ignoramus. Quod autem præcipitis esse secretum, quomodò secretum esse valeat? Procurent qui possunt: si qui tamen. Quia antequàm Mandatum vestrum reciperemus, apud vos cantabatur in compitis, & apud nos ipsius Londoniensis diligentia divulgatum est, qui in civitate nostra & in Ecclesia solemniter Divina celebravit.

EPI-



## EPISTOLA XX.

*Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Alberto Cardinali.*

UTINAM, dilecte mi, aures vestræ sint ad ora nostratum, & audiant illa, quæ in ignominiam Ecclesiæ Romanæ cantitantur in compitis Ascalonis! Aliquid consolationis novissimi Nuncii nostri videbantur à Sede Apostolica retulisse in litteris Domini Papæ, sed earum authoritas evacuata est missis à latere litteris, ut in perniciem Ecclesiæ Sathanas absolveretur. Soluti sunt enim Apostolico mandato Londoniensis & Saresberiensis Episcopi, quorum alter incentor schismatis, & totius malitiæ artifex, ab initio dignoscitur exstitisse, & tam Saresberiensem, quàm omnes, quos potuit, in crimen inobedientiæ impegisse. Nescio quo pacto pars Domini semper mactatur in Curia, ut Barrabbas evadat, & Christus occidatur. Authoritate Curiæ jam in finem sexti anni proscriptio nostra, & Ecclesiæ calamitas protracta est. Condemnantur apud vos miseri, exules, innocentes, nec ob aliud, ut ex conscientia loquar, nisi quia pauperes Christi sunt & imbecilles, & à justitia Dei recedere noluerunt: absolvuntur è regione sacrilegi, & homicidæ, raptores, impœnitentes, quos mundo reclamante, nec à Petro, si præsideret, apud Deum absolvi posse, libera voce, Christo authore, pronuncio. Ait enim in Evangelio secundùm Lucam: *Si peccaverit in te Frater tuus, increpa illum; & si pœnitentiam egerit, dimitte illi. Et si septies in die peccaverit in te, & septies in die conversus fuerit ad te, dicens, Pœnitet me, dimitte illi.* Nunquid otiosa sunt verba Christi, quibus ait: *Si pœnitentiam egerit, si conversus confiteatur*, dicens, *pœnitet me?* Nequaquàm de otiositate verbi redditurus est in die judicii rationem, sed potiùs eos damnaturus, qui contra formam, quam dedit, iniquos sine confessione & pœnitentia vanis absolutionibus justificare præsumunt, & vivificare animas, quæ non vivunt. Certè si res ablata reddi potest, & non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur. Profectò Spiritus Sanctus, ut scriptum est, effugiet fictum: quoniam ipse veritas est, & non figmentum. Obliget se, qui audet, nec venturi judicis formidet sententiam. Raptores, sacrilegos, homicidas, perjuros, sanguinarios, & schismaticos impœnitentes absolvat; ergo quæ Ecclesiæ Dei ablata sunt, impœnitenti nunquàm remittam. Nonnè nostra, aut potiùs Ecclesiæ spolia sunt, quæ Nuncii Regis Cardinalibus & Curialibus largiuntur & promittunt? Quæ iniquitas manifesta est, si illa, quæ in Ecclesiam Dei apud nos exercetur, occulta est. Nos Ecclesiæ libertatem tueri non possumus, quia Sedes Apostolica proscriptionem nostram jam in finem sexti anni protraxit. Viderit Deus, & judicet. Sed pro ea mori parati sumus. Insurgant qui voluerint Cardinales, arment non modò Regem Angliæ, sed totum, si possunt, Orbem in perniciem nostram, ego Deo propitiante nec in vita, nec in morte ab Ecclesiæ fidelitate recedam. Causam suam de cætero committo Deo, pro quo exulo proscriptus: ille medeatur, ut novit expedire. Non est mihi ulteriùs propositum vexandi Curiam, eam adeant, qui prævalent in iniquitatibus suis, & triumphata justitia, & innocentia captivata, in confusionem Ecclesiæ redeunt gloriosi. Utinam via Romana non gratis peremisset tot miseros innocentes. Quis de cætero audebit illi Regi resistere, quem Ecclesia Romana tot triumphis animavit, & armavit exemplo pernitioso manante ad posteros? Valeat semper Sanctitas vestra, nostri memor ante Deum.

## EPISTOLA XXI.

*Idem Gratiano.*

NULLUS præter vos Ecclesia Romana pro causa Ecclesiæ missus est ad Regem Anglorum, qui eam non læserit, & cornua non dederit peccatori. Vos autem illam erexeratis, ut pax in brevi necessariò sequeretur, nisi resumptis à Curia viribus convaluisset iniquitas. Videbamur quidem nuper aliquid solatii recepisse in litteris Domini Papæ, sed authoritas earum, antequàm porrigerentur, evanuit, missis è regione litteris, quibus Sathanas solutus est, ut liberiùs sæviat in Ecclesiam Dei. Absolutis enim, de mandato Domini Papæ, Londoniensi & Saresberiensi Episcopis, omnes animati sunt, ut Regis sequantur voluntatem, qui ita fautores suos, quamlibet criminosos, expedit, qui de Sede Apostolica sic triumphat, Nuncii contra Deum & justitiam ejus semper redeunt gloriosi. Bonorum contra consternantur corda, cùm tam patentem & tantam iniquitatem videant in viis suis jugiter prosperari. Ecce quomodò punita est injuria vobis illata, & Nunciis Domini Papæ: ecce quomodò fidelitas vestra remunerata est, & Ecclesiæ Dei repressa calamitas. Ecce quomodò vindicatum est, quòd Angliam nuper extortis juramentis ab obedientia Domini Papæ conatus est separare. Dei quidem miseratio est, quod non potuit, quia malitia ejus ex contingentibus nihil omisit. Exilium & proscriptionem nostram jam per sex annos protraxit Curia, innocentes, miseri, pro libertate Ecclesiæ gratis in itinere perierunt, & persecutores Ecclesiæ spolia nostra Cardinalibus & Curialibus promittunt & largiuntur, & nunc Barabbas dimittitur, & crucifigitur Christus. Creditores exhausti sunt, & si quos movebat miseratio exilii nostri, visis his quæ fiunt à Domino Papa, mittuntur in disperationem. Sed & hæc in monte Dominus videbit, & judicabit fines terræ majestas illa terribilis, quæ aufert spiritum principum. Nos per gratiam ejus, sivè vivi, sivè mortui, ipsius sumus & erimus, parati pro libertate Ecclesiæ exilium, proscriptionem, & omnia mundi incommoda, quamdiu ipsi visum fuerit, sustinere. Utinam inveniamur digni, qui persecutionem pro justitia patiamur. Certè ob hanc causam non modò Cardinalibus, qui Ecclesiæ authoritate Ecclesiam impugnant, nos, ut Domino placuerit, torquendos exponimus. Sed etsi totus mundus, quod absit, insurgat, ab Ecclesiæ fidelitate, quam professi sumus, Deo miserante, non recedemus. Cui de cætero curæ sit & nostri misereri, & Ecclesiæ, quam Apostolica Sedes exponit, tueri libertatem. Nos ex proposito Curiam non vexabimus, sed causam cedemus illis, quorum ibi acceptatur iniquitas, & qui venalitatem ejus prædicant, & cantitant in plateis. Parcentes autem reticemus

cemus quid, quibus ex causa mercimonii hujus donatum est, quid promissum. Nec dubium, quin aliqui eorum, qui triumphatores redierunt, se non triumphasse maluerint. Vos autem qui Ecclesiæ patrocinium in tanto periculo suscepistis, in bono perseverate proposito, non nostri, qui nihil posse permittimur, contemplatione, sed illius, qui vestrum procul dubio in retributione uberi remunerabit obsequium, & nobis dabit, ut secundùm quod volumus & debemus, dilectioni vestræ condignam officii vicem rependere valeamus. Interim vestri memores erimus ante Deum, & vos, si placet affectione simili, memineritis nostri.

## EPISTOLA XXII.

Alberto Cardinali Coexules Beati Thomæ Martyris.

*Sanctissimo Domino, & Patri Charissimo Alberto, Dei gratia S. R. E. Presbytero Cardinali, miseri Cantuarienses totum id modicum quod relictum est Exulibus & Proscriptis, sinceræ fidei & veræ dilectionis effectum.*

QUANTUM sit innocentis conscientiæ bonum, nesciunt qui sinceritatem conscientiæ perdiderunt. Nec veretur alienam funestis infestare consiliis, qui semel relicta verecundia, in turpitudinis suæ defensionem præclaros viros desiderat habere consortes erroris. Utinam hæc Domini Papæ Sanctitas, cum Ecclesiæ confusione, & infamia Curiæ, non esset in nostris experta periculis, eorumque saluti pariter & honestati repugnantia consilia sapientiæ & authoritatis, qua cunctis præeminet, vigore ab initio reprobasset. Qui persuadere ausi sunt, ut innocentium proscriptionem per sex annos derisoriis dilationibus protelaret. Certè quisquis & quantuscumque fuerit ille consultor, illicò audisse debuerat: *Vade retrò Sathana, quia non sapis ea quæ Dei sunt.* Nec persuadebitur mundo, quòd suasores isti Deum saperent, sed potiùs pecuniam, quàm immoderato avaritiæ ardore sitiunt, elfecerunt, ideoque prædonibus & sacrilegis adhærentes consensu, consiliis instruentes, armantes patrociniis, insurrexerunt in pauperes Christi, acceptantes munera, secuti retributiones. Nec possunt illorum latere nomina, quæ tum evidentia operis manifestat, tum relatio Nunciorum partis adversæ, tum attestatio litterarum, quibus gloriantur apud Regem Anglorum, se pro eo stetisse viriliter, & quod illis tacentibus erat credibile, persuasisse Domino Papæ, ut præfati Regis immanitatem in tanta patientia sustineret. In quo timendum est, ne seductus Sanctus erraverit nimis, adeò ut quod Ecclesiam Dei deliquit, etiam cùm voluerit, nequeat emendare. Sic solet Deus talia plerumque punire delicta, ut qui Divinitùs oblata gerendorum opportunitate non utitur, eadem illi in perpetuum auferatur. Scrutanti legem loquimur & scienti, qui quod dicitur, sibi familiaribus clarum habet exemplis. Etsi tamen ut culpam suam, quam sic magis auget, purgare Curia videatur, in Nuncios nostros retorquet, quod Ecclesiæ Dei, de tam manifestis injuriis & damnis justitia non sit exhibita. Ergo quasi re benè gesta consulunt, ut sapientiores mittamus, ac si per se non sit patens injuria, damna sint vel pauca vel modica, sæpè non sit prædo commonitus, Nunciis nostris illatæ non sint atrociores injuriæ, diù, immò nimis & ultra omnem modum, & contra æquitatem non sit expectata correctio. Non sunt in nobis, Pater, sapientes illi, quos quærunt, non potentes aut divites, quos semper contra Ecclesiam Dei & nos habere locum videmus in Curia, ut assiduè redeant cùm triumpho. Vix sustentamur aliena stipe, & ferè, nisi nos gratia conservaret, ab Ecclesia Romana attriti, qui soli in Orbe Occiduo pro illa dimicamus, deserere cogimur causam Christi, & Ecclesiæ contemnere libertatem. Potuit ab initio in solum Regem Anglorum, & nostræ proscriptionis, & deprædationis Ecclesiæ culpa refundi, qui per se, & satellites suos, sinè miseratione ætatis & sexus, sinè reverentia Dignitatis aut ordinis, circiter quadringentos innocentes addixit exilio, Cantuariensem cum omnibus possessionibus & bonis suis confiscavit Ecclesiam, bona vacantium sedium occupans, non permisit in eis Episcopos & Abbates regulariter ordinari. Dici non potest, quot animæ sinè confirmationis Sacramento excesserint, quot causæ cum Ecclesiarum & injustè oppressorum dispendio expiraverint, quanta injustitia totam possederit Angliam, quanta perditionis animarum janua Sathanæ sit aperta, Pastoribus ovium Christi aut in exilium actis, aut coactis obmutescere & silere à bonis, aut illectis ut præberent sub prætextu Religionis & dispensationis arma iniquitatis peccato, & ipsos Serpentes & antiqui Serpentis membra perniciosis consiliis toxicarent. Tantas & tam patentes Christi injurias sæpè, immò continuè per sex annos prosecuti sumus in auditoriis vestris, parati in ipsa malorum novitate, cùm adhuc essetis Senonis, & Nuncii Regis adessent, appellationes prosequi, quæ vel à nobis vel contra nos fuerant instituræ. Non placuit ut audiremur tunc, quando nobis adhuc aliquid, etsi modicum, suberat facultatis, & Amicis & adjutoribus non nihil spei. Longum erit, & vobis, ut timemus, tædiosum, si retexamus quoties nos obtulerimus ad agendum, nec placuit, ut audiremur, & adversariis nostris, oppressoribus Ecclesiæ, facta est, ut scitis, non prosequendæ appellationis indulgentia. Interim si Pater noster, Dominus Cantuariensis vellet ablata remittere, & perniciosum compositionis ineundæ Coætaneis & posteris præbere exemplum, pacem facere, vobis non interponentibus partes vestras, cum Rege potuerat, & redire in gratiam familiaritatis antiquæ. Sed absit hæc lues à mentibus nostris, ut pro quolibet temporali emolumento jugulemus animas nostras, insanabili plaga conscientias vulneremus, & nefando voluptatis aut avaritiæ mercimonio vendamus Ecclesiæ libertatem, & posteros pravo corrumpamus exemplo. Faciant hoc, si volunt, alii, aut potiùs nullus faciat, quia nos non ita instituti sumus à Sanctis Patribus, qui Cantuariensem Ecclesiam rexerunt in laboribus multis, & tandem mercedem laborum receperunt à Domino. Idem, qui author propositi, conscientiæ nostræ testis est Deus quòd Dominus Cantuariensis prælegit in exilio mori, quàm perniciosam Ecclesiæ vel probrosam inire concordiam. Et si hæc, quod absit, attentaret, rarus est inter nos, si quis tamen, qui deinceps illius posset Dominium aut consortium sustinere. Nobiscum de pace Ecclesiæ, mediantibus Amicis, tracta-



tractabatur, cum Joannes de Oxeneford Romam proficiscens, & manifesto, multis justificatus, perjurio rediit triumphator, & ab Apostolica Sede, furenti, quasi per se non satis insaniret, cornua attulit peccatori. Ab ea die proscriptio nostra, quæ anteà soli Regi & suis poterat imputari, Ecclesiam Romanam dissimulatione vel consensu authorem habit, cùm persecutori, in malitia perduranti, sit indulta dilatio, & quodammodò licentia præstita incubandi Ecclesiis, & torquendi innocentes. Et nobis, si quid solatii videbatur esse porrectum, statim è Latere Nunciis aut litteris impediebatur, ne votivum aut debitum sortiretur effectum. Nobis etiam tacentibus, rerum eventus ita esse convincit. Ecce enim cum pax nostra, sicut multi noverunt, esset in januis, & Ecclesia solatium, ut putabamus, efficax à Sanctissimo Patre Romano Pontifice accepisset, supervenientes Nuncii Regis abstulerunt pacem, & absolutis excommunicatis nostris, etiam spem reconciliationis visi sunt præclusisse. Siquidem denunciaverunt eis, & aliis adversariis Ecclesiæ, ut si libuerit, sex annorum appellationes, quas toties prosecuti sumus, & interdum obtinuimus, prosequantur in Festo Beati Lucæ, scituri quod nullum eis honoris, Officii, Beneficii, aut famæ dispendium generabitur ex hoc, quòd tanto tempore excommunicati fuerunt. Undè in eo, maximè apud nostrates, justitia viget Ecclesiastica, quòd qui per annum excommunicationem sustinent, notari solent infamia. Sed ecce ab hujus novitatis exemplo, & quasi Apostolico privilegio, quod continetur in litteris, solutus est Ecclesiasticus vigor. Quid ergo superest, nisi ut nullius momenti sit apud Provinciales sententia, quam sinè omni pœna vident tam facilè posse dissolvi? Juraverunt tamen, ut dicitur, se staturos mandato Domini Papæ, sed præcipitur esse absconditum. Deus bone! Quid rei est, quòd quæ contra Ecclesiam fiunt, licenter prædicantur in foro, ut trahi possint ad consequentiam; & si quid pro Ecclesia fit, cujus exemplum possit esse laudabile, & prodesse in posterum, illud Apostolica Sedes jubet abscondi? Cum ergo sic apud vos, prævalentibus fautoribus Regis aut potius malitiæ, aut pecuniæ amatoribus, causa Christi tractetur, cur à nobis exigitur, ut mittamus Nuncios sapientes, quasi vos ipsi non debueritis tam justam causam, tam manifestam defendere, etiam tacentibus universis? At enim estis in mundi Cardine constituti, ut liberetis pauperem à potente, ut justitiam decernatis & faciatis inter filios hominum. Nos sanè viros honestos & litteratos credebamus, quos via Romana absorbuit. Quæ tamen nobis utilitas in sanguine eorum? Numquid mittemus plures ut ipsi moriantur, ut innocentium minuatur numerus vel annulletur, & tyrannus, illis extinctis, licenter dominetur Ecclesiæ nullo contradicente? Si appellationes prosequendæ sunt, quare cùm nascebantur, aut nondum expiraverant, non sunt examinatæ? Satiùs enim fuerat nobis eas tunc expediri, aut saltem denunciari nobis, ut aliquid aliud negotii ageremus, quo vitam nostram possemus utcumque transigere, & causam suam Deo committeremus expediendam? Spoliati & nudi sumus. Satis hactenùs delusionibus hujusmodi fatigatis consultius esse credimus, ut vitam in orationibus, quàm in litibus finiamus, domesticis exemplis edocti, ne de cætero non modò opera & impensa nobis periclitetur, sed & anima: Christus, cui eam committimus, Ecclesiæ suæ sit patronus, & causæ. Sed fortassè dicet aliquis, quoniam pro bono pacis, & quæ præmisimus gesta sunt, & toties indulta dilatio, & dispensandi ratio admissa est. Utique si pax exspectatur à Deo, peccatis, & his quæ contra Legem fiunt, procuranda non est. Si à Deo futura non est, nec est Ecclesiæ necessaria, nec alicui utilis. Bonorum nostrorum non indiget Deus, sed certè peccatorum nostrorum minùs, ad expediendam justitiam & misericordiam suam, & fortassè tamdiu dilata est pax: quia non via Domini, sed humana procurabatur astutia. Excessimus modum, sed urget nos necessitas, quæ nec modo, nec regulæ necessitate arctatur. Et Spiritus Sanctus, qui in vobis est, persuadebit, ut necessariò excedentibus indulgeatis & compatiamini. In summa pietatis vestræ genibus provoluti supplicamus attentiùs, ut hæc omnia intimetis Domino Papæ, & persuadeatis ei, ne de cætero circumventoribus credat, qui amore sordium allecti ipsum conantur inducere, ut in læsione nostra animam suam perdat, & causam Christi.

## EPISTOLA XXIII.

*Gratiano Romanæ Ecclesiæ Subdiacono Coexules Beati Thomæ Martyris.*

EI consultissimè vulneris deteguntur incommoda, qui compatitur aut medetur: nec in necessitate quisquam potiùs adeundus est eo, qui ipsam consuevit fideliter expedire. Et quidem Anglicanæ Ecclesiæ gravissima necessitas est, & à multis diebus jam ferè insanabilis plaga, cui medelam plurimi promiserunt, sed jam ferè sex annorum prorsùs elapso curriculo, præter vos non fuit ab Ecclesia Romana descendens, qui adjuvaret. Quærebant alii fortasse quæ sua sunt, & Christi postposuerunt gloriam, & Ecclesiæ honestatem. Sed vos ab homine illo, qui corruptili auro, & argento, & variis lenociniis mundanæ supellectilis contrahentes corrumpere consuevit, nihil præter sinceritatem conscientiæ retulistis. Nec vos pœniteat hunc Ecclesiæ Dei gratis præstitisse laborem, nec vos arbitremini modicam suscepisse mercedem, cui duplex virtutis fructus redditus est: in conscientia alter, alter in gloria. Sed utrumque perseverantia multiplicabit, & dum Anglicana in Christo spirabit Ecclesia meritò recolet se vobis esse obnoxiam. Scitis quàm miserabiliter lacerata & conculcata sit hactenus, quàm variis delusionibus, & quoties ipsius sit impedita justitia, quàm sæpè solaria debita, quæ sibi collata videbantur, ab Apostolica Sede missis è Regione litteris aut Nunciis, & indultis adversæ parti dilationibus subtracta sint: quomodò quidam de DD. Cardinalibus, & de Curialibus Amicis, afflictæ vulneribus vulnera influxerunt, ut jam non sit dolor, sicut dolor ejus. Poterant hæc ab initio Regi Anglorum imputari & complicibus suis, qui horum omnium in injuriam Dei causa & artifex est, cui si antequàm Curia justificasset illum, qui schismatis conciliator fuerat, vellemus ablata remittere, & in læsionem Ecclesiæ perniciosum compositionis dare exemplum, pacem mediantibus Amicis, cessante opera Sedis Apostolicæ eramus habituri. Sed absit, ut pro

ut pro Deo cœpta, sic contra Deum finiatur causa, ut pro quocumque emolumento Christi titulum distrahamus & Ecclesiæ libertatem. Testis est inspector cordium, quòd Dominus & Pater noster mori mallet, & nos ei consepeliri, tantùm morientes in Domino. A diebus autem Joannis de Oxeneford, non modò à præfato Rege, sed & ab Ecclesia Romana vim patimur, quæ usque in finem sexti anni datis dilationibus protraxit exilium nostrum, & persecutores Ecclesiæ, qui spoliis nostris corrupti sunt, & alios corrumpunt, cum triumpho remittunt & gloria. Illi autem redeuntes Regem, quasi per se non satis insaniret, instigant, & illos qui Ecclesiæ decreverant adhærere, minis & terroribus, & exquisitis dolis transire faciunt in adversam figuram. Experti sumus hoc tum sæpè, tùm maximè modò, quando novissimi Nuncii redierunt, quia Regem pronum ad concordiam ab ipso revocaverunt introitu pacis, suadentes ut suos prosequi patiatur appellationes in festo Beati Lucæ, quæ variis subterfugiis interpositæ sunt, etiam post inhibitionem à Domino Papa factam: quia contra voluntatem suam, si perseveraverit, nihil facere compelletur. Interim absoluti sunt, qui excommunicari meruerant hujus schismatis incentores, & spoliatores nostri, indulto sibi privilegio, ne quod dispendium honoris, officii, beneficii, aut famæ contrahant ex hoc, quod anathematis vinculo tamdiu innodati fuerunt. Quod quàm rectè & salubriter Ecclesiæ factum sit, viderit Deus & judicet. Sed dicitur eos jurasse, quòd stabunt mandato Domini Papæ, idque præcipitur occultari, ne fortè innotescat aliquid pro Ecclesia gestum, quod ad ipsius pertineat honestatem, cùm è contra publice prædicetur in foro, si quid in perniciem ejus præsumptum est aut indultum. Cùm ergo pars nostra ab initio prosecuta sit appellationes omnes, & se singulis annis obtulit diffugiente parte adversa, & illa plus profecerit in malitia sua, quàm nos in innocentia & justitia nostra, quis sani capitis audebit suadere, ut hæc ulteriùs præstigia consectemur? Quæ est utilitas in tot laboribus, & expensis, & sanguine innocentium, qui pro Testamento Dei animas posuerunt? Utique non est nobis tantis delusionibus vexari in Curia sinè fructu, ut nos qui residui sumus, velimus sinè causa morientium esse consortes, sed Deo causam suam potiùs committimus dirigendam. Si quis enim nostrum conventus fuerit, ut ad Curiam iter arripiat, olim quod vulpes ægroto cauta Leoni respondit: *Quia me vestigia terrent omnia te adversùm spectantia, nulla retrorsùm*. Et iter hoc, donec spes profectus aliundè luceat, detestabitur. Vestris itaque pedibus provoluti supplicamus attentiùs quatenùs Sanctissimo Patri & Pastori Ecclesiæ, Domino Papæ per vos omnia hæc innotescant, & persuadeatis ei, ne se deinceps circumveniri tam facilè patiatur: & si eum oculus vel pes aut manus ulteriùs appetat scandalo, quicumque ille sit, à consilii sui corpore ipsum resecare non pigritetur. Quia melius est, ut amputato authore scandali sinè eo vitam promereatur æternam, quàm ab eo se patiatur pertrahi, quod absit, in gehennam.

## EPISTOLA XXIV.

*Alexandro Papæ Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus.*

TESTATUR vir eloquentissimus Oratoris in eo maximè promoveri successus, si prænoverit judicis, auditorumque personas, & pro qualitate eorum sermonis moderetur Officium. Hanc sententiam ad multa alia probabiliter arbitror dilatandam, præsertim cùm nemo debeat ignarus esse conditionis ejus, cùm quo contrahit. Et sibi maximè, si secùs spem aut opinionem acciderit, imputare debeat, qui commune negotium de proprio maluit arbitrio committere fortunæ manibus, quàm vires ejus & eventum prometiri, inspectis tum aliis circumstantiis, tum præcipuè qualitate consortis. Quod Pater, si vestra discretio in causa Ecclesiæ & Regis Anglorum ab initio attendisset, nequaquàm in tantas calamitates incidisset Anglicana Ecclesia, nec Gallicana, quod sinè dolore non loquimur, tam pernicioso attentaretur aut opprimeretur exemplo. Præmonuerunt tamen vos multi fideles nostri, quòd Rex Anglorum expugnari quidem austeritate faciliùs potest, sed nulla mansuetudine, nullis obsequiis aut Beneficii emolliri. Blanditur his quos timet, hos colit obsequiis quos rebus aut moribus, aut honestioris famæ titulo privare desiderat. Si monentibus tunc credere noluistis, si publica omnium attestatio vera non movit, saltem ipsa experientia vel nunc persuadeat & compellat mutare sententiam, ut persecutori Ecclesiæ respondeatis pro merito, & qui Divinam & Apostolicam contemnit authoritatem, sentiat Prophetam esse in Israel, & zelum Petri nondùm à Sede Apostolica exulasse. Nam si Ecclesiæ inimicus est, & schismatis incentor, debet puniri & conteri. Si Amicus, propter obsequia castigari & emendari oportet. Sed proverbium est, *Timeri Danaos & dona ferentes*. Utique Nuncii Regis Anglorum quodammodò Danai sunt, & si non consortio generis, arte tamen & imitatione Sinonis. Hi vobis satisfactionem promiserunt, ut Ecclesiæ Dei calamitatem protenderent, & exilium nostrum. Impetraverunt ut adhuc Rex ille per Archi-Episcopum Rothomagensem, & Episcopum Nivernensem conveniretur, quasi jam satis conventus non fuisset, & malitia ejus non provocasset Judicium. Clamant enim contra illum Cœli & terra, & soli, qui lateribus vestris adsident, non audiunt Cardinales. Sed certè quisquis obsurdescit hic, audiet in judicio verbum asperum: *Item maledicti in ignem æternum*. Præfatus autem Archi-Episcopus & Episcopus mandati vestri formam excedentes, dilationes indulgent, Regis obtemperant voluntati, & sivè errore sivè dolo, sicut ex litteris quas vobis mittimus, potestis advertere, perpetuant Ecclesiæ calamitatem. Londoniensis Episcopus, quem pro voluntate vestra præcepistis absolvi, & qui sicut contra justitiam, ita & contra formam, quam expressistis, absolutus est, Ecclesiæ pacem & nostram impedit, & prævio Eboracensi Archi-Episcopo, & assistentibus sibi Clericis Regis, quos benigniùs recipere & efficaciùs consuevistis audire, molitur contra professionem suam, ut Coronato contra Deum per manum jam dicti Eboracensis Filio Regis, Cantuariensis Ecclesia nunquàm habeat pacem. Inhibueratis quidem, ne fieret, sed illi è contrario gloriantur se obtinuisse à vobis, ut fiat, sivè manu Eboracensis Archi-Episcopi, sivè cujuscumque Episcopi ministerio Rex voluerit. Et quia hoc detrectant Episcopi Provinciæ nostræ, Sagiensis Episcopus, signifer eorum, qui Deum non verentur, se hoc, si alii defuerint, de familiari mandato vestro gloriatur esse facturum. Jam ex hac causa transfretavit. Spinis sepiat, quoniam aliunde non est auxilium, Dominus vias ejus. Cætera posuimus in ore Latoris præsentium, in quo vobis, quanta possumus, affectione supplicamus, ut in negotiis nostris ei fidem habeatis, & petitiones, quas Sanctitatis vestræ per eum mittimus, celeriùs, quoniam id Ecclesiæ necessitas & nostra postulat, jubeatis effectui mancipari. Neque mors, neque vita, nec præsentia, nec futura, per gratiam Dei separabunt nos à charitate, obedientia, & obsequio vestro: quia indubitanter scimus, quòd spiritus vester non requiescit in eis, qui ab acceptione personarum & munerum, favore suo patrocinantur injuriis, & ponunt cum impiis portionem, sacrilegum videntes, & currentes cum eo. Nomen vestrum sit benedictum in sæcula, & Ecclesiam, pro qua vos oportebit reddere rationem, celeriùs & efficaciùs consoletur.



## EPISTOLA XXV.

*Alexandro Papæ Wilhelmus Senonensis Archi-Episcopus.*

AUDIAT, Sanctissime Pater, excellentia vestra patienter quod loquimur, quia in amaritudine moratur anima nostra. Et tam devotus filius vester Christianissimus Rex Francorum, quàm tota Gallicana Ecclesia turbatur è scandalis, quæ in diebus Apostolatus vestri manant ab Apostolica Sede. Siquidem ut nostrates ajunt, ibi solvitur Sathanas in perniciem totius Ecclesiæ, iteratò crucifigitur Christus, & qui manifestus sacrilegus est & homicida, dimittitur. Procuravimus apud vos causam Ecclesiæ Anglicanæ, & in discessu nostro ei credebamus aliquatenùs esse subventum. Verùm ubi Londoniensem Episcopum nobis ignorantibus fecistis absolvi, res in contrarium lapsa est, & cornua data sunt peccatori. Ecce enim Rex ille, cui nimis fuisti propitius, Filium suum consecrari fecit in Regem, si tamen consecratio est, quæ ab excommunicatis, & Spiritus Sancti inimicis, & Ecclesiæ impugnatoribus datur, & hoc in injuriam Cantuariensis Ecclesiæ, & Domini Regis Franciæ, cujus filiam noluit Rex ille Deo & hominibus inimicus consecrationis hujus esse participem. Hanc consecrationem, vel potiùs execrationem fecit ille Eboracensis, vestra, ut dicunt, authoritate, adsistentibus sibi Londoniensi, & quibusdam aliis nomine-tenus Episcopis, quorum memoria in maledictione est. Vos ergo, Pater, de cætero providete Ecclesiæ illi, quæ periit in manibus vestris, ne sanguis ejus requiratur à vobis. Quod aliter fieri posse non credimus ad redimendam famam & conscientiam vestram, nisi præfatos malefactores virtute Apostolica conteratis.

## EPISTOLA XXVI.

*Alexander Papa Wilhelmo Senonensi Archi-Episcopo.*

LITTERAS, quas nobis super negotio venerabilis Fratris nostri Thomæ Cantuariensis Archi-Episcopi devotio tua transmisit, gratanter admisimus, & eas diligenter curavimus ac studiosè audire. Verùm quoniam Londoniensis ad nos nequaquàm accessit, nihil de causa sua statuimus, sed, si ad nos venisset, nos jam dicto Archi-Episcopo quantum salva conscientia nostra fieri posset, suam justitiam studeremus conservare. Qualiter autem in causa ista processimus, ei jam ex parte, necnon & charissimo in Christo Filio nostro Ludovico illustri Francorum Regi, sicut tibi viva voce injunximus, satis credimus innotuisse. Nos enim nihil inde post discessum tuum mutavimus, nec imposterùm duximus immutandum, licèt præfatus Rex Anglorum nos exinde per Consules Lombardiæ, qui unà cum Nuncio ejus coram nobis præsentes erant, magna eis promissione facta, necnon & per Nuncios charissimi in Christo Filii nostri Manuelis illustris Constantinopolitani Imperatoris instantissimè sollicitarent, ut ei tempus deberemus aliquantulùm prolongare. Et quoniam ipsius Archi-Episcopi causam, nostram & Ecclesiæ reputamus, Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus venerabiles Fratres nostros, Rothomagensem Archi-Episcopum & Nivernensem Episcopum, super diligenti ac festinanti executione præcepti nostri studiosè commoneas, & viva voce vel litteris, si utrumque non poteris præsentem habere, instantiùs exhorteris. Quòd si adhuc in negotio illo nullatenùs processerunt, tu ipsos ex parte nostra duriùs increpes, & graviùs redarguere non omittas. Si autem eos in præfati Regis terram, sententiam interdicti juxta præceptum nostrum proferre contigerit, tu eam per ejusdem Regis terram, quam in tua Provincia habere dignoscitur, omni excusatione & appellatione remota firmam & inconcussam observes, & ab omnibus facias, quantum in te est, irrefragabiliter observari.

## EPISTOLA XXVII.

*Alexander Papa Ludovico Regi Francorum.*

SALUTI Regum & Principum principaliter expedire dignoscitur, ut quantò majori potentia, & dignitate munere Divinæ gratiæ sunt decorati, tantò ea, quæ ad opera pietatis & justitiæ pertinent, studiosiùs & devotiùs exequi, & Ecclesias & Ecclesiasticas personas, in quibus Deus maximè honoratur, reverentia pariter & honore debeant prævenire, & Sanctorum Patrum Statuta devotiori mente & puriori corde servare. Quantùm verò iniquum sit & detestabile, & quomodò ab Ecclesia & Sanctis Patribus prohibitum excommunicatis scienter communicare, & suæ pravitatis malitiam confovere, Regiæ discretioni non credimus esse incognitum: præsertim cum se damnationis eorum participes faciant, qui eis, quos propria culpa & flagitia maculant, scienter favorem ministrant. Excommunicatio enim ad modum lepræ, quæ tetum

tum corpus corrumpit, totum hominem contaminat & deturpat. Leprosi namque, sicut in Testamento veteri legitur, extra Castra abjiciebantur. Ad quorum similitudinem excommunicati à consortio & communione Dei Fidelium debent omninò arceri. Ne autem tantæ corruptionis sorde in modico Regia contaminetur Serenitas, aut occasione tua Ecclesiasticæ censuræ imminuatur authoritas, discretionis tuæ prudentiam rogamus, monemus, consulimus, & exhortamur, & in remissionem tibi peccatorum injungimus, quatenus eos, quos tibi à Prælatis Ecclesiarum constiterit excommunicatos, & ab Ecclesiæ communione alienatos, nulla ratione, præsertim in cibo & potu, vel oratione, seu osculo, amore personæ, vel obtentu alicujus legationis, quam ad te gerat, scienter communices, aut gratiæ vel familiaritatis favorem ministres. Et sententias Archi-Episcoporum, & Episcoporum, & aliorum, Ecclesiarum Prælatorum firmiter & devotè observes, ita quòd exinde ab omnipotenti Domino præmium merearis perenne recipere, & turpitudo & iniquitas malorum tuæ sinceritatis non valeant maculare virtutem.

## EPISTOLA XXVIII.

*Alexander Papa Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo.*

SI enormitates & scelera iniquorum impunita relinquerentur, virtus bonorum facilè posset succumbere, & vitia viderentur virtutibus ordine postposito prævalere. Cæterùm ab ipso Conditore Mundi statutum est & ordinatum, ut virtutes præemineant, & locum semper obtineant & ordinem superiorem. Sanè venerabilibus Fratribus nostris, Rothomagensi Archi-Episcopo & Nivernensi Episcopo, per scripta nostra præcipimus, ut postquàm de pace inter te, Frater Archi-Episcope, & charissimum in Christo Filium nostrum illustrem Anglorum Regem reformanda certi existerent, eos qui à te fuerant excommunicati secundùm formam sibi præfixam absolverent. Verùm quoniam dubitamus, utrùm illi, quos excommunicatio tua involverat, secundùm mandati nostri formam satisfecissent, ne illi de malitia sua valeant gloriari, & inaniter sibi applaudere, Fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, & in virtute obedientiæ injungimus, quatenùs nisi illi, qui excommunicati fuerunt per memoratum Archi-Episcopum, & Episcopum, vel per aliquem de mandato ipsorum absolutionis beneficium secundùm formam nostram promeruerunt, & Ecclesias & possessiones Cantuariensis Ecclesiæ & omnium suorum, & omnes fructus inde perceptos infra viginti dies post commonitionem tuam & tuorum resignaverint, eos infra quindecim dies postquàm litteræ nostræ de hac causa ad prædictum Archi-Episcopum & Episcopum pervenerint, in eandem sententiam reductos, omni occasione & appellatione remota, tanquàm excommunicatos vitetis, & ab omnibus per Parochias vestras faciatis sicut publicè excommunicatos vitari, donec ab ipsis supradicta omnia compleantur. Si verò Clerici aliqui ex illis præsumserint celebrare Divina vel Divinorum interesse celebrationi, vel aliquem Sacerdotem ad celebrandum coegerint, ipsos omni officio & Beneficio privatos denuncietis, & per totam terram Regis faciatis privatos denunciari. Si verò Laici fuerint, excepto Rege & Filio suo, qui talia præsumserint, eis duram comminationem faciatis, & eis formidinem incutiatis & terrorem quod nisi destiterint, graviori pœna plectentur, & quousque satisfaciant à ferendo testimonio repellantur. Datum Anaginæ septimo Idus Octobris.

## EPISTOLA XXIX.

*Alexander Papa Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo.*

ANXIETATE cordis & amaritudine premimur, cùm angustias, onera, & gravamina, quæ zelo justitiæ, & pro libertate Ecclesiæ manutenenda, æquo animo & invicta fortitudine toleraſti, ad memoriam nostram reducimus, & sedula meditatione cogitamus. Verumtamen quod in te virtutis perfectionem adimpleres, non potuisti frangi adversis, nec à tuæ constantiæ proposito moveri, tuam super hoc commendamus admirandam virtutem, & tibi super tanta patientia plurimùm in Domino congaudemus. Cæterùm quoniam charissimum in Christo Filium nostrum Henricum, illustrem Anglorum Regem, diutiùs in patientia & benignitate exspectavimus, & blandis & dulcibus verbis, & interdùm duris & asperis, ut ad se ipsum rediret, sæpè monuimus, si pacem, quam tecum fecit, executione operis non adimpleverit, & tibi ac tuis, & Ecclesiæ tuæ possessiones & honores ablatos non restituerit, tibi plenam authoritatem concedimus, ut in personas & loca, quæ ad tuam Legationem pertinent, excepta persona Regis, uxoris quoque, & Filiorum, Ecclesiasticam justitiam secundùm officii tui debitum nullius obstante appellationis obstaculo exercendi. Providentia tamen & circumspectione adhibita, quam modestia Sacerdotalis requiret. Datum Signini tertio Idus Octobris.

## EPISTOLA XXX.

Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Rogerio Eboracensi Archi-Episcopo.

*Thomas Dei gratia Cantuariensis Archi-Episcopus, & Apostolicæ Sedis Legatus, venerabili Fratri & Amico Rogerio, Dei gratia Eboracensi Archi-Episcopo, & Sedis Apostolicæ Legato salutem, & Pastorales excubias feliciter adimplere.*

QUANTIS calamitatibus diutiùs afflicta sit Mater nostra, à cujus uberibus coaluimus, & quæ utrumque nostrum authore Deo in id quod est, promovit, sancta Cantuariensis Ecclesia, Fraternitatem vestram latere non potest, præsertim, cùm totus fere Latinus Orbis contritiones ejus hactenus contra fas & æquum, supra omnem modum invaluisse cognoverit. Exspectaveramus correctionem Domini Regis, quem clementia Summi Pontificis & patientia nostra, & Divini judicii, quod maximè fidelis anima reveretur, timor, debuerant ad pœnitentiam provocasse. Sed ille Dei misericordia & hominum patientia quoad causam hanc semper abutens, damna damnis indefinenter adjecit, & atrocissimas injurias gravioribus cumulavit injuriis. Ne ergo



Ne ergo sanguinem ejus in compereuntis Ecclesiæ ob nimiam patientiam & injustam dissimulationem de manibus nostris requirat Dominus, Fraternitati vestræ litteras Apostolicas destinamus, rogantes & obsecrantes in Domino Jesu Christo, & unitate Charitatis, & fœdere pacis Ecclesiasticæ, & authoritate Domini Papæ, per fidelitatem, quam Sedi Apostolicæ debetis, denunciantes, quatenus infra quindecim dies à susceptione præsentium per totam Provinciam vestram, quæ in potestate præfati Regis est, omnia divina, præter Baptisma parvulorum & pœnitentias morientium, prohibeatis Officia celebrari, & ab omnibus subditis vestris interdicti sententiam, quantum in vobis est, faciatis inviolabiliter observari. Ne vos, quod absit, cum his qui in scelere suo perituri sunt pœna damnationis involvat. Portitori verò istarum prospicite, sicut vobis & ordini vestro cupitis esse prospectum. Fraternitatem vestram per vias rectas deducat Altissimus, & faciat participem illorum, quibus in Evangelio promissum est Regnum cœlorum.

## EPISTOLA XXXI.

*Alexander Papa Senonensi & Rothomagensi Archi-Episcopis.*

MOLESTIAS & angustias, & anxietates, onera & gravamina, quæ venerabilis Frater noster Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus pro honore & libertate Ecclesiæ invicta fortitudine sustinuit, & æquo animo toleravit, quoties ad memoriam nostram reducimus, toties super ejus admirandæ virtutis & patientiæ constantia noster animus hilarescit. Et circà eum de die in diem magis ac magis nostræ dilectionis affectus excrescit. Inde est, quod nos ei, tanquàm Fratri charissimo, & præcipuo membro Ecclesiæ super variis molestiis & pressuris dignæ consolationis remedium providere volentes, & charissimi in Christo Filii nostri Henrici illustris Anglorum Regis, qui quantò eidem Archi-Episcopo majores persecutiones & molestias intulit, & ampliùs Christum gravavit, tantò magis deliquit, nec potest tantum expiare delictum, nisi restituatur ablatum, consultiùs prospicere cupientes saluti, Fraternitati vestræ per Apostolica scripta precipiendo mandamus, & in virtute obedientiæ præcipimus, quatenus infrà viginti dies post harum susceptionem eundem Regem ex parte nostra diligenter conveniatis, commonere propensiùs & exhortari curetis, ut pacem quam cum eodem Archi-Episcopo verbotenùs fecit, executione operis compleat. Nihilominus etiam eidem Regi suggeratis, ut postmodùm omnia ablata restituat, damna data resarciat, pravas & execrabiles consuetudines omninò præcidat. Si autem infrà triginta dies post commonitionem vestram, pacem, quam statuit & promisit, consummare noluerit, in tota terra ejus Cismarina omnia divina, præter Baptisma parvulorum & pœnitentias morientium, remoto appellationis obstaculo, prohibeatis Officia celebrari: & sententiam ipsam usque ad condignam satisfactionem faciatis inviolabiliter observari. Quod si alteruter vestrum, aliqua necessitate obstante, hujus rei executioni non potuerit aut noluerit interesse, quod tamen nollemus, nec expediret, alter non minùs id, quod dictum est, exequatur. Datum Anaginæ septimo Idus Octobris.

## EPISTOLA XXXII.

*Alexander Papa omnibus Prælatis per Terram Regis Cismarinam.*

CURA Pastoralis officii, quam providente Domino, licèt immeriti, gerimus, nos admonet propensiùs, & hortatur ad universos aciem nostræ considerationis extendere, & de universorum salute sollicitudinem gerere propensiorem. Inde est quòd universitati vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, & in virtute obedientiæ sub pœna ordinis & Officii injungimus, quatenùs, si Rex Angliæ, secundùm quod nobis per litteras & Nuncios sæpiùs promisit, venerabili Fratri nostro Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo, Apostolicæ Sedis Legato, & suis plenam pacem & securitatem, quam mediantibus venerabilibus Fratribus nostris Rothomagensi Archi-Episcopo, & Nivernensi Episcopo, in multorum posteà præsentia obtulit, non adimpleverit, & ei Archi-Episcopatum suum cum plenaria restitutione ablatorum, possessionum, & honorum non restituerit, sententiam, quam venerabilis Frater noster Wilhelmus Senonensis Archi-Episcopus, Apostolicæ Sedis Legatus, & prædictus Rothomagensis, vel alter eorum, in terram ejus Cismarinam propter hoc promulgaverit per Parochias vestras, omni appellatione & occasione remota firmiter & inconcussè observetis, & ab aliis faciatis inviolabiliter observari. Datum Signini tertio Idus Octobris.

## EPISTOLA XXXIII.

*Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo suus Fidelis.*

TRANSACTA Dominica Rex apud Londonias Filium suum cingulo militiæ donavit. Eundemque statim Eboracensis in Regem inunxit. Ibique Rex Filiis suis Terras suas divisit, cunctis admirantibus, quid de cætero sit facturus. Adventum suum in Normanniam quotidiè facit prædicari, ut magis timeatur. Sed non veniet, quamdiù Filiam Regis Francorum cum Regina Cadomi morantem vestibus, equitaturis, & familia decenter instrueret ad transfretandum, quandò ipse mandaret. Hoc autem factum est, ut audiat Rex Francorum, & ab indignatione, quam de contemptu Filiæ concepit, aliquantisper quiescat. Non enim mandatum est, ut statim eat, sed præparari jubetur, ut quando Rex miserit pro ea, ire non differat. Fortè ergo Consecrationem Puellæ, sicut & pueri furari nituntur. Sed si etiam palàm fieret, videte ne à vobis aliquo modo inunctio Filiæ Regis Francorum prohibeatur. De inunctione quoque Pueri nolite nimiùm turbari, sed vobis imputate, qui litteras non misistis, quæ poterant Consecrationem impedire. Nolite igitur super Regem, aut super Episcopos vestros aliquam sententiam dare, quamdiù de pace vestra tractatur, sed patienter sustinete, donec veniat dies lætitiæ & pacis, vel dies iræ & indignationis. Credo tamen quòd per Nivernensem pax vestra non fiet, quoniam Senonensis pacem cum Rege Anglorum ampliùs quærit, quàm vestram. Plurimum enim affectat loqui cum Rege, & dixit mihi manifestè,

nifestè, quòd si osculum Rex vobis vellet indulgere, in omnibus aliis satis illi esset parcendum. Me etiam increpavit quòd ita loquebar de vobis & contra Regem, & ut certè cognovi, pax vestra in manu sua non poterit prosperari. Ob hoc enim recessit Archi-Diaconus Byturicensis, fidelissimus vester, & Episcopus ille apud Maatam moratur, exspectaturus ibi adventum Regis Anglorum per quindecim dies: & post, si Rex non venerit, reversurus ad mare per Normanniam, ut procurationem Regiam habeat, quam hucusque suscepit, & moram faciat longiorem. Reginam tamen, & Richardum de Humaz convenit ipse, ut naves solverent, & viam maris sibi aperirent, quam non solùm ei, sed omnibus propter eum fecerant inhiberi. Ipsi autem noluerunt. A manifesto igitur contemptu & defectu Episcopus debuit dies computare, sed noluit. Cum Regina familiare colloquium habuit, & inducias dedit, quas illa voluit, utpotè qui Regis gratiam & Senonensis cum Rege pacem potiùs, quàm vestram dicitur affectare. Videte ergo, ne quis vos seducat, ne in morte vestra gratiam reconciliationis inveniant, qui sunt inimici ad invicem. Videte etiam, cui verbum vestrum commisistis: & si vobis benè videtur de illo, certè aliter vobis videtur, quàm omnibus aliis, qui vident illum. Prætereà properate & loquamini cum illo Nivernensi, adhibito Senonensi, ut statim verbum sibi commissum exequatur, vel omninò dimittat, neque per Normanniam, immò per Flandriam iter suum disponat. Interim autem ad nullam sententiam procedatis, nisi fortè super Eboracensem ponere possetis. Dominus Vigornensis, fidelissimus Ecclesiæ Cantuariensis Filius, nondum transfretavit, sed honori Ecclesiæ & libertati omninò intendit. Valeat Dominus meus, & voluntatem suam & statum mihi servo suo prolixiùs scribat. Valeat in æternum & ultra.

## EPISTOLA XXXIV.

*Alexander Papa Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo.*

VIRTUTIS & Fidei constantiam, & fortitudinis animum, quem pro libertate Ecclesiæ tuæ conservanda induisse dignosceris, studiosiùs attendentes, tibi tanquàm Fratri charissimo super his, quæ ad conservationem & augmentum Ecclesiæ tuæ spectare noscuntur, libenti animo consilium & auxilium impendimus, & contra eos qui jura & Dignitatem ejusdem Ecclesiæ imminuere, vel perturbare nituntur, Apostolicæ tuitionis præsidium diligenti studio volumus ministrare. Audivimus autem, & certa relatione comperimus, quòd Eboracensis Archi-Episcopus contra prohibitionem & interdictum nostrum Henrico Filio illustris Anglorum Regis in Provincia tua Coronam imposuit. Quia verò ex hoc juri & Dignitati Ecclesiæ tuæ immoderatè asseris & enormiter derogatum, nos in hac parte tam tibi quàm eidem Ecclesiæ providere volentes, authoritate Apostolica statuimus, ut factum prædicti Archi-Episcopi vobis nulla ratione præjudicium possit imposterùm generare, quominùs jus Coronationis & inunctionis Regum Angliæ possessionaliter habeatis, sicut Antecessores tui & eadem Ecclesia à quadraginta annis retrò habuisse noscuntur.

## EPISTOLA XXXV.

Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Londoniensi Episcopo.

*Thomas Dei gratia Cantuariensis Archi-Episcopus, & Apostolicæ Sedis Legatus, Venerabili viro Gilberto Londoniensi Episcopo, coram facie sua fideliter ambulare.*

CALAMITATES Matris vestræ S. Cantuariensis Ecclesiæ tantò pleniùs agnovistis, quantò eas ab initio viciniùs & planiùs inspexistis, corpore præsens, utinam non animo. Exspectavimus toto jam ferè sex annorum curriculo pœnitentiam Domini Regis, sed ille, quod sinè dolore non loquimur, adeò misericordia Dei & Sacræ Romanæ Ecclesiæ patientia semper abusus est, ut novissima ejus fierent in dies deteriora prioribus. Ne ergo ex nimia dissimulatione tam illius, quàm pereuntis Ecclesiæ sanguis in districto examine requiratur à nobis, vobis præeunte authoritate Domini Papæ, in virtute obedientiæ, in periculo Ordinis, honoris & Beneficii præcipiendo mandamus, quatenus infra quindecim dies à susceptione præsentium per totum Episcopatum vestrum, omnia divina, præter Baptisma parvulorum & pœnitentias morientium, prohibeatis Officia celebrari, & ab omnibus subditis vestris interdicti sententiam, quantum in vobis est, faciatis inviolabiliter observari. Et ut litteras Domini Papæ, quas vobis mittimus Fratribus & Coepiscopis nostris, & Vacantium Ecclesiarum Capitulis communicetis, & ab eis inspectas nobis remittere non differatis: portitori etiam harum prospicientes, sicut vobis & ordini vestro cupitis esse prospectum. Quæ nisi fideliter adimpleveritis, vobis perpetuæ damnationis sententiam noveritis irrefragabiliter imminere.

*Eodem modo Saresberiensi.*

## EPISTOLA XXXVI.

Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Vintoniensi Episcopo.

*Salutem & omnia Mandatorum Dei promereri bravium supernæ vocationis.*

FRATERNITATEM vestram latere non possunt calamitates, quæ jam per sex annos Anglicanam Ecclesiam afflixerunt, sed præcipuè Matrem vestram Cantuariensem Ecclesiam, cujus, sicut ex charitate debetis miseriis compati, sic ex necessitate officii & exhibita professione vos oportet ipsius obedire mandatis. Expectavimus pœnitentiam Domini Regis, sed ille, quod sinè mœrore non possumus eloqui, adeò misericordia Dei, & Sacræ Romanæ Ecclesiæ, & nostra patientia semper abusus est, ut novissima ejus in dies Ecclesiæ Dei fierent deteriora prioribus. Ne ergo sanguis ejus & compereuntis Ecclesiæ requiratur à nobis, Fraternitati vestræ in virtute obedientiæ, in periculo ordinis, honoris & beneficii præcipiendo mandamus, quatenus infra quindecim dies à susceptione præsentium, per totam Diœcesim vestram omnia divina, præter Baptisma parvulorum & pœnitentias morientium, prohibeatis Officia celebrari, & ab omnibus subditis vestris interdicti sententiam, quantum in vobis est, faciatis inviolabiliter observari; portiori prospicientes sicut vobis & ordini vestro cupitis esse prospectum. Alioquin vos ipsos exinde ab Episcopali & Sacerdotali officio noveritis esse suspensos. Deo potiùs, quàm hominibus obedientem Reverentiam vestram coronet Pastor Pastorum, & Princeps Principum immarcescibili æternæ Gloriæ Corona.

*Eodem modo omnibus Episcopis Angliæ & Gualliæ.*



## EPISTOLA XXXVII.

*Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Conventui Cantuariensi.*

QUOT & quantas persecutiones jam per sex annos gratis pertulerit Ecclesia Anglicana, tantò certiùs agnoscitis, quantò acerbiùs ipsa rerum experientia pro magna parte sensistis. Quia ergo Dominus Rex, dùm in multa patientia Sacræ Romanæ Ecclesiæ & nostra provocatus ad pœnitentiam, non modò non corrigitur, sed semper adjicit deteriora prioribus, ne sanguis ejus & compereuntis Ecclesiæ requiratur à nobis, universitati vestræ in virtute obedientiæ, sub periculo Ordinis & gradus præcipiendo mandamus, quatenùs in Ecclesia Cantuariensi cessetis, infrà quindecim dies à susceptione præsentium ab omnibus Divinis, excepta pœnitentia morientium & Viatico, quod januis clausis, & Laicis exclusis, sinè campanarum pulsatione, & omni solemnitate lætitiæ confici Religionis favor exposcit. Præcipimus autem, ut authoritate nostra de hujus specialis mandati tenore utentes, omnibus Decanis per Archi-Episcopatum constitutis denuncietis in virtute obedientiæ, in periculo ordinis, officii & beneficii, quatenùs in omnibus Ecclesiis jurisdictionis eorum hujus interdicti sententiam, quantum in eis est, faciant inviolabiliter observari. Vos Deo potiùs quàm hominibus obedientes Gratia Dei custodiat.

*Similiter Abbati de Feveresham, & aliis Abbatibus, & Prioribus per Archi-Episcopatum constitutis: nisi quod non tenentur aliquid præcipere Decanis.*

## EPISTOLA XXXVIII.

*Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Decanis Cantiæ.*

NOVIT dilectio vestra, quomodò in perniciem Ecclesiæ Dominus Rex Sedis Apostolicæ patientia & nostra semper abutens, deteriora præcedentibus malis semper adjecerit. Inde est quòd vobis in virtute obedientiæ, in periculo ordinis, officii & beneficii præcipiendo mandamus, quatenùs infrà quindecim dies à susceptione præsentium in Ecclesiis jurisdictionis vestræ omnia divina, præter Baptisma parvulorum & pœnitentias morientium, prohibeatis officia celebrari, & hujus interdicti sententiam, quantum in vobis est, faciatis ab omnibus inviolabiliter observari. Ad hæc sub eadem interminatione præcipimus, ut procuretis, quo modo litteræ nostræ Conventui Cantuariensis Ecclesiæ præsententur.

## EPISTOLA XXXIX.

*Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Clerebaldo Electo & Conventui sancti Augustini.*

QUANTO Sacrosancta Romana Ecclesia Monasterium vestrum ampliori donavit gratia, tantò diligentiùs ipsius debetis obedire mandatis. Unde de vestra obedientia spem certam concipientes, vobis authoritate Domini Papæ & nostra, in virtute obedientiæ, in periculo honoris, officii, & gradus, præcipiendo mandamus, quatenùs infra quindecim dies à susceptione præsentium abstineatis ab omnibus Divinis, excepta pœnitentia morientium & Viatico, quod januis clausis, & Laicis exclusis privatim fieri necessitas exposcit, & Religionis impetrat favor. Sub eadem quoque interminatione præcipimus, ut in omnibus locis jurisdictionis vestræ Ecclesiasticæ faciatis, quantum in vobis est, hujus interdicti sententiam inviolabiliter observari.

*Similiter Westmonasterii, S. Albani, S. Edmundi, & Malmesberiæ Abbatibus.*

## EPISTOLA XL.

*Alexander Papa Rotrodo Rothomagensi & Nivernensi.*

AUDITO & intellecto, quòd charissimus in Christo Filius noster, Henricus illustris Rex Angliæ, Divina gratia inspiratus, & instantia commonitionum & exhortationum nostrarum devictus, venerabili Fratri nostro Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Apostolicæ Sedis Legato, gratiam & pacem suam restituerit, lætati sumus plurimùm & gavisi. Et exinde universali Ecclesiæ magnum bonum & incrementum credimus auxiliante Deo proventurum. Verumtamen quoniam quidam, tam Clerici quàm Laici, in Regno ejus constituti, plùs faventes terreno Principi, quàm Regi Æterno, pro eo quòd tam Ecclesias, quàm alia jura Cantuariensis Ecclesiæ illicitè & enormiter occuparunt, ab eodem Archi-Episcopo excommunicationis fuere vinculo innodati, quos à vestra Fraternitate, si spes certa esset de pace complenda, sub certa forma mandavimus absolvi, Fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus & in virtute obedientiæ præcipimus, quatenùs nisi illi qui excommunicati fuerunt & à vobis vel de mandato vestro secundùm formam nostram absoluti sunt, & Ecclesias & possessiones Cantuariensis Ecclesiæ, & omnium suorum, omnes fructus inde perceptos infra viginti dies post commonitionem ipsius Cantuariensis & suorum, si pacem habuerint, resignaverint, eos in eandem sententiam, in qua priùs fuerunt, infra quindecim dies postquàm exinde requisiti fueritis, sulti nostra authoritate omni occasione postposita revocetis, donec ab ipsis omnia supradicta compleantur. Si verò aliqui Clerici ex ipsis præsumpserint celebrare Divina, vel Divinorum interesse celebrationi, vel aliquem Sacerdotem ad celebrandum coegerint, ipsos omni officio & beneficio privatos denuncietis, & per totam terram Regis faciatis privatos denunciari. Si verò Laici fuerint, excepto Rege & filio suo, qui talia præsumpserint, eis duram

duram comminationem faciatis, & formidinem incutiatis & terrorem, quòd nisi destiterint, graviori pœna plectantur, & quousque satisfaciant, à ferendo testimonio repellantur. Datum Anagniæ septimo Idus Octobris.

## EPISTOLA XLI.

*Alexander Papa Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo & aliis Episcopis Angliæ.*

QUONIAM enormitatibus & sceleribus iniquorum Pontificali authoritate, prout oportebat, non occurritur, insolentia & protervitas malorum quotidie augmentatur, timor Dei contemnitur, Ecclesiis & Ecclesiasticis personis debita reverentia & devotio denegatur. Quia verò tantis malis Sacerdotali ministerio nos oportet occurrere, & ne succrescere valeant, attentam providentiam & sollicitudinem adhibere, Fraternitati vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, & mandando præcipimus, quatenus omnes Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos, qui contra speciale Interdictum nostrum vel Episcorum suorum scienter Divina celebrarunt, aut de cætero in terris excommunicatorum, ipsis excommunicatis præsentibus Divina celebraverint, vel aliquos celebrare coegerint, omni officio & Beneficio Ecclesiastico authoritate nostra privatos denuncietis, donec ad nos veniant, & mandatum nostrum recipiant. Quod si super hoc mandati nostri contemptores fuerint, ipsos excommunicetis. Et si excommunicati cantaverint, eos quos poteritis comprehendatis, & retrudatis in Monasteriis, ut ibi pœnitentiam perpetuam agant, & aliis pœna illorum formido existat. Datum Anagniæ octavo Idus Octobris.

## EPISTOLA XLII.

*Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Joannes Saresberiensis.*

CONSILIUM Domini Senonensis & nostrum est, si vobis melius non occurrit, ut litteræ urgentiores, quas habetis penes vos de justitia exercenda, si pax non fuerit, celeriùs Rothomagensi & Turonensi Archi-Episcopis ostendantur, saltem, ut audiat hostis & terreatur. Præterea desiderat, ut suæ reddantur Auxitano & Burdegalensi, quia & causæ prodesse poterit, & persecutoris minuere vires, si in Guasconia auditum fuerit terram ejus interdicto subjiciendam esse. Nam ad Bituricensem quidquid de guerris contingat, semper facilior probabiliorque speratur accessus. Et memineritis quantum periculum & infortunium ad se traxerit mora porrigendi conventionales Archi-Episcopo Rothomagensi, & Episcopo Nivernensi, & item prohibitorias Eboracensi Archi-Episcopo & Episcopis transmarinis. Nec dixeritis, quæ provenerunt nobis non fuisse prædicta, sed potiùs quòd omnium auspicantium more subtilitatem vestram vaticinia, quæ non erant à spiritu, deluserunt. Utinam non sit deceptionis hujus morbus irreparabilis, sed nisi cælitus data fuit, relevatio seu consolatio, non occurrit. Et quidem restè, ut arbitror, cum nos alieni ingenii imaginationibus vanis, præsumeremus evolvere cordis humani latebras, quarum solus Deus arbiter est. Quid quæso, magis temerarium, aut in Deum qui hoc singularis eminentiæ privilegio novit, injuriosius est? Nam se ipsum nosse, etiam Apollinis oraculo, summam esse sapientiam, adeò celebris sententia est apud Philosophos, ut ei nemo veterum ausus sit refragari. De cœlo siquidem, ut ajunt, descendit notis Clyton, idest, *scito te ipsum*. Quia ergo hic humana deficit, & Angelica eatenus non attingit, sola Dei sapientia est, quæ consilia & cogitationes hominum non imaginatione phantastica conjicit, sed sicut sunt usquequaque cognoscit. Vaticiniis ergo renunciemus imposterum, quia nos in hac parte graviùs infortunia perculerunt. Qui corda finxit illa examinet, nos quid Domi nostræ sit, exploremus.

Incipit concordia inter Henricum Regem Angliæ & Thomam Cantuariensem Archi-Episcopum.

## EPISTOLA XLIII.

*Henricus Rex Angliæ Juniori Regi filio suo.*

SCIATIS, quòd Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus pacem mecum fecit ad voluntatem meam. Et ideò præcipio quòd ipse & omnes sui pacem habeant. Et faciatis habere ipsi Archi-Episcopo, & omnibus suis, qui pro eo exierunt ab Anglia, res suas benè & in pace, & honorificè sicut habuerunt tribus mentibus antequàm ipse Archi-Episcopus recessisset ab Anglia, & faciatis venire coram vobis de legalioribus & antiquioribus militibus de honore, de falkwude, & eorum sacramento faciatis recognosci quid ibi habeatur de feudo Archi-Episcopatus Cantuariensis, & quod recognitum fuerit de feudo ejus esse, ipsi Archi-Episcopo habere faciatis.

## EPISTOLA XLIV.

*Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Henricus Rex Angliæ.*

SCIATIS quòd obviam vobis Rothomagum venire non potui ad terminum, quem prælocuti fuimus inter nos, quia significatum mihi fuit ab Amicis meis Franciæ, Regem Francorum præparare se ad eundum in Alverniam super homines meos & ad male faciendum ipsis & terræ meæ. Ipsi autem homines Alverniæ idem mihi significaverunt, rogantes, ut eis succurrerem. Quapropter ad terminum quem statuimus inter nos ad vos Rothomagum venire non potui. Sed mitto vobis Joannem Decanum Saresberiensem, familiarem Clericum meum, vobiscum in Angliam iturum, per quem significo Henrico Regi Anglorum filio meo, ut benè, & in pace, & honorificè habeatis omnes res vestras: qui etiam emendari faciat, si quid minùs actum est, quàm oportuerit, de his quæ ad vos spectant. Et quoniam mihi & filio meo plura referuntur de mora vestra quam facitis, quæ forsitan vera non sunt, vobis, ut credo expediret, ne ire in Angliam diutius differretis. Teste Rege ipso apud Iokchas.





## EPISTOLA XLV.

Alexandro Papæ Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus.

*Serenissimo Domino & Patri Charissimo, Alexandro Dei gratia summo Pontifici, Thomas S. Cantuariensis Ecclesiæ minister humilis, salutem & omnem cum summa devotione obedientiam.*

MISERATIONIS oculo respexit Deus Ecclesiam suam, & tandem tristitiam ejus in lætitiam commutavit. Nec dubium Pater, quin si nobis vera dicentibus ab initio fuisset creditum, cornua retunderentur eorum, qui ventilabant, conterebant, & variis plagis vulnerabant Ecclesiam, ut exterminata prorsùs libertate ejus & evacuata authoritate Divinæ Legis ingererent consuetudines aut potiùs abusiones veterum tyrannorum, Romanus Pontifex nesciretur in Anglia, & sponsæ Christi privilegia sine reparationis spe delerentur. Ecce enim ad novissimas litteras vestras, quibus Domino Regi Anglorum innotuit, quòd ei ulteriùs non parceretis, sicut nec pepercistis Frederico dicto Imperatori, cum intellexisset terram ejus amotis omnibus subterfugiis Interdicto subjiciendam esse, & Episcopos, si qui fortè non obedirent, suspendendos & excommunicandos, illicò nobiscum pacem fecit ad honorem Dei, & maximam, ut speramus, Ecclesiæ utilitatem. Nam de consuetudinibus, quas tanta pertinacia vendicare consueverat, nec mutire præsumpsit. Nullum à nobis vel aliquo nostrorum exegit juramentum. Possessiones quas occasione dissensionis hujus Ecclesiæ nostræ abstulerat, prout eas in chartula expresseramus, nobis concessit, pacem, & securitatem, & reditum omnibus nostris promisit & osculum, si tamen vellemus eum eatenus perurgeri: ut non modò in omnibus articulis victus appareret, sed ut perjurus diceretur ab his, qui audierant ipsum jurasse, quòd non erat nos ea die in osculo recepturus. Nos autem habito plurium sapientium consilio, & maximè Domini Senonensis, qui pacem nostram cæteris sollicitiùs & efficaciùs procurabat, cum ipso ad colloquium Regis accessimus, quem Deo faciente, qui omnes illos amoverat, qui Sanctitatem vestram variis dolis circumvenire soliti sunt, adeò mutatum invenimus, ut quod sine circumstantium admiratione non contingit, animus ejus in nullo videretur à quietis consiliis abhorrere. Nam ut nos procul adventantes conspexit à circumfusa turba exiliens occurrit properus, & capite detecto nos in salutationis verba prorumpere gestiens salutatione prævenit, & habitis paucis sermonibus, solis nobis præsentibus cum Domino Senonensi, nos illo divertente, stupentibus universis, traxit in partem, & diu tanta familiaritate collocutus est, ut videri posset, nunquàm inter nos aliquam fuisse discordiam. Omnes ferè, quorquot aderant, lætissima admiratione stupentes plurimorum genis lachrymarum imbre madentibus, glorificabant Deum, & benedicebant Beatam Magdalenam in cujus solemnitate Rex conversus est à viis pristinis, ut toti terræ suæ lætitiam reformaret, & Ecclesiæ redderet pacem. Corripuimus eum adhibita moderatione, quam oportuerat adhiberi, vias quibus incesserat, & pericula quæ undique imminebant, patenter ostendimus. Rogavimus & monuimus ut rediret ad cor, ut dignos fructus pœnitentiæ faciens, & Ecclesiæ, quam non mediocriter læserat, manifesta boni compensatione satisfaciens, purgaret conscientiam, & redimeret famam. Nam ab iniquis consiliariis potiùs, quàm à propriæ voluntatis instinctu grave utriusque dispendium patiebatur. Cùm autem hæc omnia non modò patienter, sed & benignè audiret, & emendationem promitteret, adjecimus sibi necessarium esse ad salutem & liberis suis, ad incolumitatem & indemnitatem concessæ Divinitus potestatis, ut in eo Sanctæ Cantuariensi Ecclesiæ Matri suæ diligentiùs satisfaceret, in quo eam nuper gravissimè læserat. Nam filium suum contra jus antiquissimum Ecclesiæ nostræ fecerat enormiter coronari, usurpatione Archi-Episcopi Eboracensis, qui contra vetustissimam consuetudinem, & post prohibitionem vestram, & etiam in aliena Provincia confecrationem hanc exequi cœca nimis & temeraria ambitione præsumpsit. In quo ille paululum reluctans, protestatus tamen ante se nihil proponere vel propositurum esse animo contendendi, quis, inquit, coronavit Regem Wilhelmum, qui sibi Angliam subjugavit, & Reges succedentes? Nonnè Eboracensis, aut alius Episcopus, prout illi placebat, qui coronandus erat in Regem? Ad quæ nos, quod ex celebri gentis nostræ claret historia, respondimus, quòd eo tempore quo Anglia capta est à Normannis, Cantuariensis Ecclesia proprium non habebat Antistitem, sed quasi captiva tenebatur à quodam Stigando, qui illam sicut & Vintoniensem, & Londoniensem, & Vigornensem, & Eliensem Ecclesiam publicæ potestatis & amicorum viribus contra inhibitionem Romani Pontificis occupaverat, Apostolicæ Sedis communione carens & gratia. Unde & de mandato ejus à præfato Rege captus in carcere diem obiit. Qua necessitate tunc, quod nec ante, nec post lectum est vel auditum, Archi-Episcopus Eboracensis, qui clarioris erat opinionis, illi Regi coronam imposuit. Lanfrancus verò filium ejus Regem Wilhelmum, cognomento & colore Rufum, consecravit in Regem præsente Thoma Eboracensi Archi-Episcopo, nec in eo sibi officio aliquid vendicante. Post cujus obitum cùm Sanctus Anselmus Cantuariensis Archi-Episcopus exularet, ex eadem causa, qua & nos, unus suffraganeorum Cantuariensis Ecclesiæ S. Girardus Herefordensis, vice Archi-Episcopi sui tunc absentis Regem Henricum non contradicente Archi-Episcopo Eboracensi consecravit. Revertente autem ab exilio Beato Anselmo accessit ad eum Henricus, tradens ei diadema, & rogans ut eum coronaret, nec imputaret illi quòd ipsum necessitate Regni præpediente non exspectaverat. Fatebatur enim coram omnibus hanc esse Cantuariensis Ecclesiæ dignitatem, ut Anglorum Reges inungat & consecret. Et hac quidem satisfactione placatus sanctus Archi-Episcopus approbavit, quod à suffraganeo suo factum fuerat, & Regi coronam imposuit. Quarè ergo tunc fluit Eboracensis Archi-Episcopus, & sibi Cantuariensis Ecclesiæ suffraganeum præferri sustinuit? Nunquid Thomas Senior, qui Eboracensem regebat Ecclesiam, & Lanfranco Cantuariensi de litteris & Amicorum copia intumescens multos labores texuit, & Ecclesiam suam ampliavit in plurimis,

mis, hic obmutuisset, pauperi cedens Episcopo, nisi sibi de Archi-Episcopi Cantuariensis primatu & dignitate constaret? Deinde post triginta & sex annos Regem Stephanum, prædecessorem vestrum, à decessore nostro Wilhelmo fuisse consecratum, præsente Turstano Eboracensi Archi-Episcopo, nec se immiscente negotio, aut contradicente, certo certius est. Quo post novem & decem annos in fata collapso bonæ memoriæ Theobaldus Cantuariensis Archi-Episcopus, qui pro vestra promotione cum suis omnibus labores innumeros, damna irreparabilia, & pericula plurima memoratu & relatu horrenda sustinuit, & Regnum quod in aliam familiam jam transierat ab Avi vestri Liberis, vos inunxit & coronavit in Regem, præsente isto Eboracensi Rogerio qui nunc est, & ut scitis, nec cooperante nec contradicente, nec aliquid agente, nisi eo modo, quo minimus Episcoporum, sacris indutus vestibus audiens intererat solemnitati. Cùm ergo tanta facilitate animi, aut potiùs consiliariorum vestrorum pravitate, Matrem vestram Cantuariensem Ecclesiam, sine causæ cognitione, jure antiquo spoliastis, quod plusquàm octuaginta annis inconcussè possedisse dignoscitur, nunquid perpetuare voluistis inimicitias inter Ecclesiam & Liberos vestros? Aut si tantum præsumptionis Eboracensi Archi-Episcopo fuerat indulgendum, ut novo Regi munus Consecrationis impenderet, cur Provinciam suam excedens invasit nostram? Cur tam ipsum, quàm Suffraganeos nostros in crimen inobedientiæ impulistis? Receperant enim inhibitionem Domini Papæ, ne hoc in absentia nostra aliquo modo præsumerent. Denique si substitutionem filii & Consecrationem properabatis impleri, cur eos, quos ab ore Summi Pontificis nominatim, & à nobis excommunicatos esse constabat, à tanti Sacramenti solemnitate non curastis excludere? Nunquid consecratio sine participio execrationis non videbatur implenda? His & pluribus aliis ad hunc articulum pertinentibus, quæ temporis brevitas non admittit, diligenter & modestè propositis rogavimus attentiùs, ut hujus læsionis nostræ jacturam pro amore Dei, & salute sua, & liberorum indemnitate repararet, & tantæ præsumptionis emendaret excessum. Ille verò se de mandato vestro, quod pridem obtinuerat, adversùs hanc petitionem nostram tutum esse respondit, & super hoc litteras protulit, quibus constitit Episcopis celebraturis hoc munus sibi indultum esse, ut filium suum faceret, à quocumque vellet Episcopo, coronari. Ad quod ei respondentes supplicavimus, ut reduceret ad animum quando & quarè litteras impetrasset, quibus suum & Episcoporum defendere nitebatur excessum. Constabat enim eas, quando Cantuariensis Ecclesia vacabat, eo proposito fuisse impetratas, nec Eboracensis Archi-Episcopus, si præfatam Cantuariensem Ecclesiam diutiùs vacare contingeret, ad innovandi Regis coronationem præ cæteris Provinciæ nostræ Episcopis auderet aspirare. Et ut, Domine mi Rex, hæc fideliùs & familiariùs recolatis, nonnè tunc palam solebatis asserere, quòd filium vestrum malletis decollari, quàm ut sæpè dictus Eboracensis capiti ejus hæreticas manus imponeret? Certum verò est, quòd priori mandato posterius derogatur. Esto ergo, quòd tunc tales litteras impetraveritis, nostræ verò, quia posteriores sunt, illis debuerant derogasse, unde constat vobis, & aliis sapientibus, cujus momenti habendum sit, quod contra jus usurpatum est, præsertim cùm Regis consecratio, sicut & alia Sacramenta, de jure causam habeat, & totam substantiam nancisca-tur. Neque hæc dicta videantur, quòd degradari velimus filium vestrum, aut in aliquo minorari, quia successus ejus & ampliationem gloriæ exoptamus, & ad eam laborabimus modis omnibus in Domino, sed ut indignationem Dei & Sanctorum, qui in Cantuariensi Ecclesia requiescunt, & graviter injuriati sunt, à nobis & ab illis pariter arceatis. Quod fieri posse non credimus, nisi per condignam satisfactionem, quia à sæculis inauditum est, quòd aliquis Cantuariensem Ecclesiam læserit, & non sit correctus aut contritus à Christo Domino. Subintulit ergo Rex vultu hilari & voce jucunda: *Si filium meum diligitis, duplici jure facitis quod debetis. Nam & ego vobis illum dedi in filium, eumque, ut meminisse potestis, recepistis de manu mea. Et ipse vos tanta affectione diligit, ut aliquem inimicorum vestrorum recto lumine nequeat intueri. Eos enim jam continuisset, nisi obstitisset reverentia & timor nominis mei. Sed scio quòd vos graviùs de eis, etiam quàm oporteat, ulciscetur, quàm citò tempus & occasionem acceperit. Nec dubito quin Ecclesia Cantuariensis nobilissima sit inter omnes Ecclesias Occidentis, nec eam jure suo privare volo, quin potiùs juxta consilium vestrum dabo operam, ut & in hoc articulo relevetur, & pristinam in omnibus recuperet dignitatem. Illis autem, qui me & vos hactenus prodiderunt, Deo propitio sic respondebo, ut exigunt merita proditorum.* Cùm ergo equo desiliens me humiliarem ad pedes ejus, arrepto scansili me coegit ascendere & visus illachrymari ait: *Quid multa? Domine Archi-Episcope, restituamus nobis invicem veteres affectiones & alter alteri quod potuerit bonum exhibeat, & præcedentis odii prorsus simus immemores. Sed mihi, quæso, coram his, qui procul adspiciunt, honorem exhibeatis.* Et transiens ad illos, quia paucos ibi quos lator præsentium indicabit, videbat amatores discordiæ, & odii incentores, ait, ut tam illorum, quàm omnium, ne quid mali dicerent, ora præcluderet: si *Ego, cum Archi-Episcopum ad omne bonum paratum inveniam, ei vicissim bonus non fuero, tunc ero nequior cæteris hominibus, & mala quæ de me dicuntur, vera esse probabo. Nec aliud consilium honestius aut utilius crediderim, quàm ut ipsum studeam benignitate præcedere, & tam charitate quàm beneficiis superare.* Sermonem Regis cum summa gratulatione ferè quotquot aderant, exceperunt. Misit ergo ad nos Episcopos suos, qui monerent, ut petitionem nostram coram omnibus faceremus. Et si quorundam ex ipsis consilio credidissemus, in arbitrium ejus contulissemus prorsus & nos & totam causam Ecclesiæ. Nam ab initio usque nunc à Scribis & Pharisæis suis egressa est iniquitas, & de authoritate seniorum invaluit, qui debuerant regere populum. Sed benedictus Deus, qui non permisit, ut in consilium illorum transiret anima nostra, & Ecclesiæ libertatem aut justitiam Dei exponeremus cujuscumque hominis voluntati. Illis autem dimissis, habita deliberatione cum Domino Senonensi & Christi pauperibus sociis peregrinationis & proscriptionis nostræ, in eo firmavimus propositum, ut quæstionem consuetudinum nec damnorum quæ Ecclesiæ nostræ intulerat, nec usurpatæ Consecrationis querelam, nec Ecclesiasticæ li-



cæ libertatis aut honoris nostri dispendium aliquo modo conferremus in arbitrium ejus. Et sic accedentes ad Regem & suos, cum omni humilitate rogavimus per os Domini Senonensis, qui verbi nostri bajulus erat, ut nobis gratiam suam restitueret, pacem & securitatem tam nobis quàm nostris, Cantuariensem Ecclesiam & possessiones ejus, quas exceptas in Chartula legerat, & ut misericorditer emendaret quod contra nos & Ecclesiam nostram fuerat in filii sui coronatione præsumptum: promittentes ei amorem & honorem, & quidquid obsequii Regi & Principi potest ab Archi-Episcopo exhiberi in Domino. Ille verbum acceptans annuit, & nos & nostros qui aderant, recepit in gratiam suam. Et quia non præceperatis, ut ipse nobis & nostris ablata restitueret, neque à nobis poterat impetrari aut poterit Deo authore, ut ea remittamus, juxta Mandatum vestrum repetitio eorum dilata est, non sublata. Nam si præcepissetis eo vigore, quem in novissimis expressistis, ut restitueretur, haud dubium quin satisfecisset, & posteris dedisset exemplum, toti Ecclesiæ Dei & maximè Apostolicæ Sedi perpetuò profuturum. Tandem itaque nobiscum multa & diu conferens, cùm nos duo soli ferè usque ad vesperam collocuti essemus, secundùm morem familiaritatis antiquæ, in hoc convenimus, ut eo discedente rediremus gratias acturi Christianissimo Regi, & aliis benefactoribus nostris, reversuri ad ipsum rebus compositis, & aliquamdiu moraturi circà eum, antequàm redeamus in Angliam, ut omnibus innotescat, in quantam familiaritatem & gratiam nos receperit. Exspectabimus autem in Francia donec redeant Nuncii nostri, quos ad recipiendas possessiones nostras destinavimus, quia non est in animo nostro, ut redeamus ad ipsum, quamdiu de terra Ecclesiæ passum pedis abstulerit. Nam in restitutione possessionum facilè advertemus, qua sinceritate agatur nobiscum. Nec tamen veremur, quin impleat quod promisit, nisi eum præpediant Consiliarii, quos de pravitate conscientiæ stimulus quiescere non permittit. Hi siquidem ne comprehendantur in operibus manuum suarum, errores suos impunitate donari moliuntur, authoritate & consortio Regiæ Majestatis. Hi nos in sortem Balaamitarum conantur impellere, ut vivificantes animas, quæ non vivunt, criminosos in scelere deprehensos absolvamus sine pœnitentia & Confessione erroris. Quam utique potestatem Deus, nec alii indulsit, nec retinuit sibi. Nisi adquieverimus, pacem & concordiam tum Domino Rege initam machinantur infringere. Sed, Deo authore, nec sic nos inducent, ut sedem ponentes ex adverso Altissimi, gloriemur inaniter nos vivificare aut justificare quos ille non vivificat. Certum enim est quanticumque Pastoris sententiam jure veracissimo non tenere, si Divino judicio reprobatur. Nos tamen sub ipso discessu nostro, sivè paci invidens, sivè amicis & familiaribus prospicere volens, ad instantiam, sicut dicitur, Gaufredi Cantuariensis Archi-Diaconi, Lexoniensis Episcopus satis argutè & instanter, Rege, Episcopis, & Proceribus præsentibus, sollicitavit circa articulum istum, dicens oportere, ut quem admodum Dominus Rex fideles nostros in gratiam receperat, ita nos omnes, qui cum illo steterant, in gratiam reciperemus. Cui respondimus, hic, si placeret illi, distinctionem necessariò admittendam. Nam in eis, quorum advocationem susceperat, erant homines diversæ conditionis, & alii nocentiores, alii minùs, alii in communione Ecclesiæ, alii excommunicati, contractu & participatione anathematis aut sententia, alii in Summi Pontificis constitutionem inciderant, & sine authoritate ejus absolvi non possunt, alii ex variis causis à nobis vel ab aliis Pastoribus suis justo sunt anathemate condemnati. Proinde in personis & causis tam dissimilibus ratio juris & æquitatis vetat idem esse judicium. Nos autem ad omnes, quantum in nobis est, pacem & charitatem habentes, Domini Regis audito consilio, ad honorem Ecclesiæ Dei, suum, & nostrum, necnon & salutem illorum, quibus reconciliatio quæritur, negotium Deo propitio moderabimur, ut si quis eorum, quod absit, pace caruerit, reconciliationis expers, hoc sibi, non nobis debeat imputare. Cùm autem ad hæc præfatus Gaufredus Archi-Diaconus, adhuc excommunicatus, sicut incentor discordiæ, ita & contemptor justæ sententiæ, tumidus responderet, Dominus Rex, ne suborientia hinc inde verba causas odii & sopitæ inimicitiæ fomitem instaurarent, nos de turba extrahens, rogavit ne curaremus quæ dicerentur à talibus, & ut pacato animo & tranquillo & licentiam & benedictionem dantes, cum gratia Dei & sua rediremus ad hospitium nostrum. Posteà verò accepimus, quod venerabiles viri, Dominus Rothomagensis & Episcopus Nivernensis, quos inter nos & Dominum Regem jusseratis esse mediatores, & qui de pace nostra solliciti exstiterunt, Episcopo Sagiensi transeunti in Angliam dederunt in Mandatis, ut excommunicatos nostros absolveret, sed incertum est, an ei formam quam illis dederatis, præscripserint, aut si præscripta est, an eam sit idem Episcopus secuturus. Verumtamen nec illis mandare licuit, nisi quatenùs potestatem à vobis acceperunt, nec ille aliquid egit, si fines, quos præscripseratis, excessit. Unde si placet, necesse est, ut si aliter absoluti sunt, præcipiatis eos sententia, qua tenebantur, arctari, donec secundùm Ecclesiæ formam jurent, ut ante jusseratis, se vestro Mandato parituros, & illis, qui taliter absolvi meruerint, in virtute obedientiæ injungatis, quatenùs Mandatum, quod eis ex parte vestra faciemus, inviolabiliter observent, vel ad vos infra terminum, quem præfigetis, accedant, ut audiant vestrum subjecta pœna, nisi paruerint, ut in pristinam sententiam sublato appellationis obstaculo reponantur. Neque hæc dicimus, Deo teste, vindictam expetentes, cùm scriptum esse noverimus, *non quæres ultionem, nec memor eris injuriæ Civium tuorum*, sed ut Ecclesia correctionis exemplo possit per Dei gratiam imposterum roborari, & pœna paucorum multos ædificet. Nam ut Spiritus S. author est, *flagellato pestilente sapiens eruditur*. Nec vigere poterit Apostolicæ Sedis authoritas, nisi percellantur & hi, qui Laicorum patrocinio abutentes, excommunicati aut prohibiti præsumpserunt Divina celebrare. Quid enim solus Episcopus, quantumlibet Ecclesiæ Romanæ devotus, poterit, si ab obedientia ejus ad nutum Potentum recesserint Sacerdotes & Clerus suus? Nihil enim est, quod Ecclesiam magis debilitet, quàm quòd Apostolica Sedes talia, cum emergunt, facilè pereterit

rit impunita. Hæc dicentes ſtimus nobis in his exequendis, ſi placuerit vobis, magnos, Deo tamen propitio vincibiles, imminere labores. Sed præelegimus arctam & anguſtam viam ſequi, quæ ducit ad vitam, quàm latam & ſpatioſam, quæ per illecebras ſæculi trahit ad inferos. De Mandato veſtro damnorum noſtrorum ad præſens tacita eſt repetitio. Placeat Serenitati veſtræ, qualiter vos hic procedere oporteat à latore præſentium exaudire & injuriam corrigere, quæ nobis & Eccleſiæ noſtræ illata eſt in Coronatione filii Regis, alio contra morem antiquum & Mandatum veſtrum invadente jus noſtrum & Provinciam noſtram. Neceſſitas nos coegit excedere modum ſcribendi, timor & reverentia de dicendis plura reprimere compulerunt, ſed Apoſtolica dignatio & clementia Paternæ manſuetudinis immoderationi, ſi placet, veniam dabit, & quæ dicenda fuerant, à latore præſentium ſolita pietate exaudiat, & petitiones, quas per eum porrigimus, celeriùs jubeat adimpleri.

## EPISTOLA XLVI.

*Joanni Saresberienſi quidam Amicus.*

SEGNIUS *irritant animum demiſſa per aurem, quàm quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus.* Si de his igitur, quæ auditu ſolo didici, minùs luculentam fecero narrationem, veniam peto. Conſtantia enim veritatis & manifeſtior quæſitorum à vobis expoſitio eſt penes illos, qui rem geſtam conſpexerunt. Novit autem dilectio veſtra Dominum Rothomagenſem & Nivernenſem Epiſcopum à Domino Papa ad Regem Anglorum pro tranſactione inter prædictum Regem & Dominum Cantuarienſem formanda tranſmiſſos fuiſſe Legatos. Arripiens igitur iter Nivernenſis ad Mandatum Domini Papæ, deferens ſecum tranſactionis formam à Domino Papa dictatam cum Comminatoriis ad eundem, in Neuſtriam uſque pervenit. Conveniens itaque Rothomagenſem paratus erat transfretandi inire laborem. Erat enim Rex Angliæ, ut etiam veſtra novit dilectio, tunc temporis in Anglia. Rex igitur auditis his Nivernenſi obviam miſit, mandans & monens, ne caſus ſubiret marinos, ſed ipſius adventum in Normannia patienter præſtolaretur. Erat enim in præſentiarum in fines illos remeaturus. Regreſſum ergo Rothomagenſis & Nivernenſis diligentes, convenientes commonitorias Domini Papæ, pacis faciendæ formam continentes illi obtulerunt, quorum ſermo hoc demùm fine reſedit. Spopondit Rex prætaxatis legatis ſe ad nutum & voluntatem Domini Papæ ſinè fuco ſimultatis reſtituturum Domino Cantuarienſi pacem ſuam, Eccleſiam ſuam, poſſeſſiones Eccleſiæ ſuæ in integrum, gratiam etiam ſuam, licèt de Præcepto Apoſtolico ad gratiæ reſtitutionem non cogeretur, unum vehementer laborans, excipere de his quæ Dominus Papa mandaverat, oſculum videlicet: quoniam huic publicè in conſpectu Francorum apud Montem Martyrum abjuraverat. Reverſi ſunt ergo Rothomagenſis & Nivernenſis ad Dominum Cantuarienſem Senonis, feria quinta, ut recolo, hebdomadæ præcedentis Feſto Magdalenæ, Nunciantes illi quæ penes Regem invenerant, & ut ibi pariter diem Reconciliationis faciendæ aſſignarent. Inter agendum autem hæc Rex Franciæ, & Rex Angliæ diem colloquii ſtatuerant, feriam videlicet ſecundam ante Feſtum Magdalenæ, in limitibus ſuis inter Firmitatem, Oppidum ſcilicet in Pago Carnotenſi, & Fretivalle, Caſtrum videlicet in Territorio Turonenſi. Dominus verò Senonenſis interim conſilium dederat Cantuarienſi, quatenùs unà ſecum, & cum Rothomagenſi & Nivernenſi, Regum aditet colloquium, adjiciens inter ipſum & Regem ſuum; dum tanta locorum intercapedine disjungerentur, nequaquàm poſſe componi. Dominus autem Cantuarienſis, licèt in principio renitens injuſſus ad colloquium accedere, conſilio Senonenſis demùm acquievit, profectique ſunt pariter ad colloquium, Cantuarienſis, Senonenſis, Rothomagenſis, Nivernenſis. Convenerunt igitur Reges in unum ad tempus colloquio præfixum, rebuſque ſuis ſecunda & tertia feria ante Feſtum Magdalenæ tractatis, nullam de Cantuarienſi fecerunt mentionem, ita etiam ut Clerici ipſius à colloquio ſecunda die ad Dominum ſuum revertentes nunciarent ei Reges finito negotio ſuo recedere, vehementerque expaverunt, ne quid ad colloquium non invitati acceſſerant, reverterentur confuſi. Interceſſerant tamen interim ſolita diligentia pro Cantuarienſi ad Regem Angliæ Senonenſis, Rothomagenſis, Nivernenſis, conceſſitque illis tandem Rex ſe in Feſto Magdalenæ Cantuarienſi collocuturum, & omnia ad præceptum Domini Papæ eidem redintegraturum, ſolo oſculo excepto, ad cujus conceſſionem apud Montem Martyrum, nec etiam Regis Franciæ precibus potuit inclinari. Adjecit etiam & juramento ſancivit ſe in hujus negatione nullas Cantuarienſi prætendere inſidias, & Deum ſæpiùs teſtando Senonenſem ſuper ordinis ſui periculum interpoſuit fide juſſorem. Dicitur etiam recedentibus ſecretiùs inſtillaſſe, ſe, etſi invitè, oſculum priùs daturum, quàm pace infecta ipſe & Cantuarienſis recederent diſcordes. Reversus itaque Senonenſis ad Cantuarienſem, indicavit ei quam & qualem dulcedinem cùm in vultu, tum in verbis Regis invenerat, rogans & monens ne in oſculi exactione paratam Domini ſui amitteret dilectionem, multiſque interpoſitis adjecit etiam, quòd & Rex ipſe idem priùs publicè promiſerat, Regem, cùm in ſuas poſſeſſiones veniret, illum cum pacis oſculo & maxima gratiarum actione recepturum. Conſilio igitur Senonenſis Dominus Cantuarienſis tanquam paratus etiam animam pro ovibus ſuis ponere condeſcendit, & ſero facto nunciatum eſt Regi Domini Cantuarienſis reſponſum. Manè autem redeunte in Feſto Magdalenæ, ſummo diluculo Rex ad limites uſque priùs inter ipſum & Regem Francorum colloquio aſſignatos, quos & Cantuarienſi, ut convenirent, aſſignaverat, cum infinita ſuorum multitudine proceſſit. Cantuarienſis autem ſerior egreſſus, comitante illum Senonenſi & Comite Theobaldo, concurrentibus etiam catervatim Francis, qui cum Rege ſuo ad colloquium venerant, ad limites pervenit aſſignatos. Rex autem, ut Cantuarienſem venientem cognovit, à multitudine circumſtantium erumpens, illi occurrit, prævenienſque Cantuarienſem ſalutavit. Finitis ad invicem ſalutationibus, datis dextris & amplexibus, ſeceſſerunt in partem Rex, Cantuarienſis, & Senonenſis. Cantuarienſis autem Regi ſuo de injuriis ſibi & Eccleſiæ ſuæ illatis conquerens,



querens, ſermone uſus eſt vehementer commotivo, & ut revertens Senonenſis teſtatus eſt, materiæ tali admodùm cognato. Deinde ſoli duo, Rex ſcilicet & Cantuarienſis, in partem ſecedentes, de Secretis ſuis multo diei ſpatio diſſeruerunt, adeò ut quàm pluribus adſtantium tædioſa fieret tam diutina mora collocutionis. Conqueſtus eſt autem ibi Cantuarienſis de læſione dignitatis Eccleſiæ ſuæ, maximè in novi Regis Coronatione, enumeratis quot & quæ prædicta Eccleſia Regi contulerat, maximè cum de Regni Corona inter ipſum & Regem Stephanum fieret diſceptatio. Rex autem cauſam Coronationis ſupradictæ aſſignans, tum ſtatum Regni, tum iram quam in Cantuarienſem exercuerat, promiſit ſe omnia correcturum ad voluntatem Domini Cantuarienſis, adjiciens filiam Regis Franciæ nondum coronatam ab ipſo coronandam, filium etiam ſuum denuò ab illo Coronam ſuſcepturum, cum recognitione dignitatis ad Eccleſiam Cantuarienſem pertinentis. Ad hæc promiſſa Cantuarienſis Regi ſuo gratias agens ab equo deſcendit, ſeque ad pedes illius humiliavit. Rex autem cum feſtinatione equum linquens, Cantuarienſis equum reaſcendentis aſcenſorium, quod vulgò ſtrivarium dicitur, tenuit. Sic igitur reverſi ſunt Rex ad ſuos, Cantuarienſis ad Francos. Rex autem non inito alio conſilio publicè nunciavit ſe cum Cantuarienſi pacem feciſſe ad honorem Dei & ſuum. Convocatis igitur hinc inde adſtantibus reſtituit Cantuarienſi pacem ſuam, gratiam ſuam, Eccleſiam ſuam & poſſeſſiones Eccleſiæ ſuæ in integrum. Proceſſerunt etiam Coexules Domini Cantuarienſis, qui adfuerant, & ad pedes Regis ſe humiliaverunt: Rex autem ſua ſingulis reſtituens, ſuam benignè pacem conceſſit eis & gratiam: his itaque geſtis voluit Dominus Rex, ut Cantuarienſis ſecum ſtatim in Normanniam veniret, tum ſpatiandi cauſa, tum ne occulteret concordiam diuturnitas diſſenſionis. Promiſit etiam Cantuarienſi & ſuis ſufficientem neceſſariorum adminiſtrationem. Cantuarienſis autem, quia abſque licentia à Rege & Eccleſia Francorum accepta, ſine læſione nominis ſuis recedere non poterat, revertendi ad ipſum inducias expetivit. Juſſit igitur Rex interim Cantuarienſem ad poſſeſſiones ſuas & ſuorum recipiendas aliquem Clericorum ſuorum in Angliam tranſmittere, ita tamen ut priùs ad illum Legatus veniret, receptiſque litteris ſuis ad filium ſuum, & ad cæteros Regni cuſtodes ſecurus transfretaret. His itaque executis, Rex requiſita à Domino Cantuarienſi benedictione receſſit. Quia igitur Amico noſtro, ſed Amiciſſimo & in omnibus voluntati veſtræ devoto magiſtro Hereberto Legatio hæc injuncta eſt, rogo quatenus veſtra oratione ad Deum intercedente adjutus tutior incedat. Valete, memor mei.

## EPISTOLA XLVII.

*Thomas Cantuarienſis Archi-Epiſcopus Domino Gratiano.*

EXPERIENTIAM rerum matrem & nutricem eſſe, Philoſophiæ celebris apud antiquos & vera ſententia eſt, & ipſius Apollinis teſtimonio comprobata. Nec immeritò, cùm expertus quiſque de rebus, in quibus verſatus eſt, poſſit fideliùs judicare, & inexperti de rebus incognitis ſit plerumque vana & fraudulenta imaginatio. Quæ idcircò premiſerim, ut vel nunc animadvertatur, quanto periculo Eccleſiæ & meo, aut potiùs Apoſtolicæ Sedis, cujus privilegia non ſinè multo & ejuſdem diſcrimine tueri aggreſſus ſum, Dominus Papa mihi experto credere noluerit, qualiter ſibi & Eccleſiæ Dei agendum eſſet cum Domino Rege Angliæ. Ecce enim ut facta eſt vox nuperrimæ comminationis Apoſtolicæ in auribus ejus, qua conſtitit ipſum reponendum eſſe in conditione dicti Imperatoris, & terram ejus ſubjiciendam eſſe interdicto, & Mandati prævaricatores Epiſcopos ſuſpendendos & excommunicandos, illicò ad honorem Dei & Eccleſiæ, ut ex conditionibus inſertis pacto concipi debuit, utilitatem, pacem fecit, cujus formam ex litteris Domino Papæ miſſis planum eſt intelligere. Nec dubium, quin infra duos primos exilii noſtri annos eam feciſſet, ſi eum ab initio hac via aggreſſus eſſet Dominus Papa, aut quos ad ipſum deſtinavit in primis habuiſſent ſpiritum noſtrum. Quid enim Rex potuiſſet in illos, cùm perpetuò verum ſit: *nec ſperes aliquid, nec extimeſcas, exarmaveris impotentis iram?* Aut quid tentavit in vos, quem nec prece, nec pretio, nec blanditiis, nec minis, aut quibuſcumque ſollicitationibus deflectere potuit à via recta? Verùm quia Romana Eccleſia, quod pace omnium in aure veſtra dixerim, poſuit firmamentum ſuum formidinem, aut res captat, aut perſonas accipit, & authoritate, qua præeminet, iniqua gerentibus non occurrit, propterea flagella Dei gravia, & toti mundo vix portabilia veniunt ſuper eam, ut inſtabilis facta fugiat à facie perſequentis, & in tribulationibus vix ſubſiſtat. Sed apud quem rectiùs iſta deplorem, quàm apud eum, qui à præfatis vitiis per gratiam Dei immunis ſolis miſeris compaſſus eſt, & ſolatium tulit, & tanto Regi & omnibus complicibus ſuis in faciem reſtitit, eò quòd erat reprehenſibilis, & gratis & nimis impugnabat Eccleſiam? Et quia ſtrenuitas veſtra Cantuarienſem Eccleſiam protexit in adverſis, par eſt & meriſſimè conſentaneum æquitati, ut ſe patrocinio & voluntati veſtræ ſubdat in proſperis. Veſtrum erit quod placuerit dictare prece vel juſſu, quia in noſtro, mei dico & meorum propoſito eſt, veſtris obtemperare Mandatis. Ex ſinceritate ergo conſcientiæ veſtrum affectamus obſequium, ad vos latorem præſentium deſtinamus, tam ipſum quam petitiones, quas per eum Domino Papæ porrigimus, dilectioni veſtræ affectuoſiùs commendantes. Hoc autem certò certius ſit, & per vos innoteſcat Domino noſtro, quia ſi in omnibus articulis cauſæ noſtræ, aut potiùs ſuæ, eundem rigorem exercuiſſet, Regem ad ſatisfaciendum de omnibus facilè potuiſſet urgere. Quæ ſcienter hic, & de induſtria reticentur, Nuncius, Deo propitio, viva voce ſupplebit. Provideat etiam veſtra diſcretio, ut urgentiores & efficaciores litteræ, quas Dominus noſter pro Eccleſia Regi Anglorum tranſmiſit, regiſtro inferantur; quia Poſteris magnum incitamentum virtutis eſt, quoties eos animaverint exempla majorum. Ad negotium verò noſtrum ſpectantes, litteras quas accepimus, remittimus vobis, ut ſi fortè editorum exemplaria deſint, ea mutuare poſſitis à tranſcriptis.

BIBLIOTECA

## EPISTOLA XLVIII.

*Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Albanensi Episcopo.*

OTIOSUM est in auditu ejus verba prætendere, qui ex paucis multa perpendere consuevit, & magistra charitate Amicis justa petentibus non deesse. Quod in multis & magnis frequenter experti, ad finum Clementiæ vestræ latorem præsentium, cum omni fiducia destinamus, tam ipsum quàm petitiones, quas per eum Domino Papæ porrigimus, sanctitati vestræ affectuosiùs commendantes, & rogantes attentiùs, ut eas dilectio vestra solita bonitate studeat promovere. Audietis, si placet, ab ipso, qualiter cum Domino Rege Anglorum fecerimus pacem ad honorem Dei, & ut speramus, Ecclesiæ utilitatem, & dilatandam apud Anglos authoritatem Apostolicæ Sedis. Nuncius supplebit cætera, quæ hic scienter & de industria reticentur.

## EPISTOLA XLIX.

*Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Hostiensi Episcopo.*

SICUT ad locum, unde exeunt, flumina revertuntur, ut iterum fluant, sic ad agendas pietati vestræ gratias flexis genibus mentis debemus accedere, ut per vos in ministerio Ecclesiæ roboremur, quia ista miseratione post Deum vires accepimus, ne caderemus in manu hostili. Amici nostri & proximi nostri steterunt contra nos, persecutorum gladios acuentes, & ut nos confunderent & contererent, etiam sub ipsis facti sunt in arcum pravum. Sed fides vestra in camino tribulationis nostræ & pressura Ecclesiæ semper examinata clarescit, & charitas non quærens quæ sua sunt, sed quæ Jesu-Christi, à Patre misericordiarum obtinuit pacem, quam Mundus dare non poterat aut sperare. Nos enim ad Dominum nostrum Regem Angliæ in humilitate debita accedentes, cum eo fecimus pacem, cujus tamen tota substantia subsistit in spe, sed quæ authore Deo non confundet. Nam ut res sequatur, qui fecit, ipse perficiet. Instabant aliqui eorum, etiam qui columnæ Ecclesiæ videbantur, ut nos & totam causam Dei conferremus in arbitrium ejus, sed à nobis, Deo propitio, nec obtentum est, nec obtinebitur, ut quæstionem damnorum, quæ Ecclesiæ Dei & nobis illatæ sunt, aut querelam consuetudinum, immò potiùs abusionum, aut Divinæ Legis, velint nolint Principes fidelibus observandæ custodiam in arbitrium hominis conferamus. Quantalibet enim Potestas Divinitus ordinata minor est eo, qui instituit eam, & impœnitentibus peccata dimitti non posse perspicui & perpetui juris est. Et si res ablata ab eo à quo solvenda est, non reddatur, constat pœnitentiæ veritatem non exhiberi, sed exerceri figmentum malitiæ mendacio palliatæ, aut, ut veriùs dictum sit, bis pollutæ. Error siquidem pristinus perseverat, & nova fraude calcatiùs cumulatur. Cætera supplebit Nuncius, quem & petitiones, quas per eum Domino Papæ porrigimus, Paternitati vestræ desideramus attentiùs commendari, & promoveri.

## EPISTOLA L.

*Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus VVilhelmo Papiensi.*

JUSTUM est, ut Ecclesia Cantuariensis, quæ post Deum vestra & paucorum Amicorum industria & labore venit ad portum vobis & vestris in omni devotione & exhibitione obsequii se obnoxiam recognoscat. Nam inter præcipuos & primos Amicos & Dominos vobis adscripsimus, quòd Dei præeunte auxilio erepta est à tribulatione malorum & dolore. Transistis pro ea maria, penetrastis & superastis Alpes, in partibus nostris pugnastis ad bestias, & in ipsa Curia, ubi validiùs & acriùs expugnabamur, sæpè & diu portastis pondus diei & æstus: & tandem quia labor vester erat in Domino, sapienter & utiliter triumphastis. Sensimus hoc nuper in concordia, quam inivimus cum Domino Rege Angliæ, cujus formam, si placet, à latore præsentium audiatis, & petitiones, quas per eum Domino Papæ porrigimus, solita bonitate promoveatis, habeatisque hominem attentiùs commendatum.

## EPISTOLA LI.

*Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Hyacintho Cardinali.*

SI laborantem Agricolam oportet primùm post redditas Deo primitias edere, justissimum est, ut vestram charitatem, quæ in sublevatione S. Cantuariensis Ecclesiæ ferè jam pereuntis, plus & diutiùs jam laboravit, & quod magis est, fidelius & efficaciùs, laboris sui ab ea in omni gratiarum actione & exhibitione obsequii percipere fructus. Nam cùm aliorum Amicorum ferè omnium fides esset exinanita, vos illorum animos à pusillanimitate in spem erexistis, solidastis manus dissolutas, genua debilia roborastis, & attentiùs auditor verbi, verus Christi discipulus, consors Apostoli, hæres Petri, fratres vestros, qui ad cultum justitiæ, & patronatum Ecclesiæ præordinati erant, exemplo confirmastis & verbo. Expetierat enim Sathanas Ecclesiam Romanam in tribulatione vestra, sicut & nostra, ut eam cribraret sicut triticum, & suos probaret, & convinceret infideles. Sed Christus de ipsa tentatione proventum operatus est lætum, & utilem fidelibus universis, sed vobis qui alios superastis in fide, præ cæteris gloriosum. Nos enim per gratiam Dei & vestram, cum Domino Rege Anglorum fecimus pacem, ad honorem Dei, & Ecclesiæ, ut speramus, utilitatem, cujus formam lator præsentium vobis exponet, quem desideramus vobis attentiùs commendari, & petitiones, quas habet in manibus, qua consuevistis industria, promoveri.

## EPISTOLA LII.

*Alexandro Papæ Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus.*

EX quo, Pater, in auribus Regis Anglorum comminationis Apostolicæ tuba consonuit, & tam sibi, quàm terræ suæ severitatem Ecclesiæ credidit



didit imminere, nobiscum pacem fecit, promittens firmiter, quòd de tota Mandati vestri continentia non jota præteriret aut apicem, quin eam penitus adimpleret. Cùm autem sic declinasset turbinem sententiæ imminentis, in quibusdam articulis à pactione resiliit, subtrahens nobis adhuc quasdam possessiones Ecclesiæ, quas decessor noster in omnibus diebus vitæ suæ inconcussè possedit, & nos exinde, donec in Anglicanam Ecclesiam tempestatis hujus procella surrexit. Promittit tamen interdum cùm super earum restitutione convenitur à nobis, quia si exspectaverimus ei devotionem pristinam exhibentes, quòd ita satisfaciet nobis, ut nulla justæ conquestionis relinquatur occasio. Cæterùm promissionibus fidem demunt & mores hominis & operis non exhibitio, quia nihil adhuc ab eo præter verba potuimus impetrare. Quod ut vobis evidentiùs constet, latorem præsentium & litteras, quas à Procuratoribus, qui negotia nostra in Anglia expedire debuerant, ad sanctitatis vestræ præsentiam curavimus destinari: interim quantum in nobis est, modis omnibus caventes rescindere pacis initæ conventionem, licèt conscientiam nostram remordeat, quòd damna Ecclesiæ Dei, & Christi pauperibus, & pro justitia Dei exulantibus, & proscriptis, Sacerdotali non exquirimus authoritate. Timemus enim supra modum exempli perniciem coætaneis, nisi Divina Pietas medeatur, & posteris nocituri. Sed quia nobis sic faciendum esse Majestati vestræ & Dominorum nostrorum, qui circa vos sunt Prudentia censuit, pro bono pacis siluimus & silemus, nihil Divini Juris, quod inspectore cordium teste in auribus vestris & Ecclesiæ dicimus, impœnitentibus remittentes aut remissuri. Scimus autem, quòd in extremo examine districtus judex non præteribit irrequisita, ad quem lachrymabiliter quotidie clamat concussa & lacerata Ecclesia; *Domine vim patior, responde pro me.* Cum ipsa & pro ipsa clamamus, & nos juxta Consilium & Mandatum vestrum, amplectentes interim pacis umbratilis occasionem, donec adspiret dies, & evanescentes inclinentur umbræ. Captabimus autem gratiam hominis, quantumcumque salva libertate & honestate Ecclesiæ, poterimus, & testimonio experientiæ nostræ experimentum facturi, an vel sic valeat ad mansuetudinem revocari. Misit nobis Clementia vestra litteras, quas ad correptionem & correctionem tam Eboracensis Archi-Episcopi, quàm Coepiscoporum nostrorum certum est, dictatas & conceptas à Spiritu Sancto, & quæ Regis excessus authoritate, quæ successorem Petri & Vicarium Christi decet, redarguunt. Sed quia timemus, ne teneras Viri præpotentis aures verbum mordax exulcerer, & nuper initam pacem impediat, sanctitati vestræ tota devotione prostrati supplicamus, quatenus detracta mentione excessuum Regis, & enormiter præstiti juramenti, & consuetudinum perversarum, & non exactæ cautionis in Coronatione novi Regis, eandem sententiam in præfatum Archi-Episcopum & Episcopos infligatis, eò quòd in Provincia nostra, nobis pro justitia & libertate Ecclesiæ exulantibus, coronationem hanc exercere præsumpsit: cum omnibus constet, quòd Ecclesia nostra per multos annos coronandi Regis possessionem habuit, & quòd ea non debuerit sine judicio spoliari. Sic enim ad gloriam Dei, & honorem Apostolicæ Sedis speramus præsumptionem tantam facilè & commodè posse puniri, & paci Ecclesiæ nullum ex hoc adferri impedimentum. Necessarium quoque ducimus, ut Domino Regi scribatis affectuosè, quia ad hoc in specula totius Ecclesiæ Dominus Sedem Apostolicam ordinavit, ut omnium fidelium causas examinet, & pro merito in retributione pœnæ aut præmii respondeat universis. Ideoque neminem debere turbari, si ea dictante, quilibet in sinu colligat causam suam, ne coram Angelis & hominibus ex causa indisciplinationis mittatur in ignem æternum. Regi plurimùm detulistis, sed licèt ei peperceritis, dissimulare non audetis excessus & crimina Sacerdotum. Ad hæc quia veremur, ne pax recens ex variis causis impediri valeat aut turbari, suspensionem aut excommunicationem Episcoporum nostro, qui ad Dei & vestrum honorem, quod in verbo ejus dicimus, omnia pro viribus ex conscientia referemus, si placet committatis arbitrio, excipientes, si visum fuerit & vestro judicio reservantes Archi-Episcopum Eboracensem, qui malorum omnium incentor & caput est. Et quamquàm Londoniensis Episcopus Signifer totius hujus seditionis, ne schismatis dicamus, exstiterit, rogamus, ut nobis tam illi, quam Saresberiensi Episcopo liceat misereri, si sinè schismatis instauratione juxta Mandatum vestrum puniri non possunt. Et quia præcepistis, ut in verbo hoc juxta consilium Christianissimi Regis Francorum procederemus, reprimendo vel ostendendo litteras vestras, sicut procedimus de consilio ejus, monentis, ut speciales litteras impetremus à vobis de suspensione Eboracensis sinè læsione Regis, & alias de excommunicatione duorum Episcoporum, & tertias de omnium suspensione Episcoporum. Hoc etiam impetrato, ut singulis utamur, prout tempus exegerit & necessitas causæ. Fluctuat enim, licèt ad portum venisse videatur, Ecclesia Anglicana. Et nisi Rex ei promissæ pacis conditiones impleverit, necesse habet, ut adversùs insidias malignantium, & persecutorum incursus, muniatur armis protectionis & consolationis vestræ. Quod quidem ita fiet, si litteris vestris præceperitis Venerabili Fratri Nostro Domino Meldensi, & probatæ Religionis Viro B..... Abbati S. Crispini Suessionensis, quatenus Regem conveniant, ut possessiones Ecclesiæ, & damna nostris & nobis illata restituat, sciturus severitatem Ecclesiasticam exercendam in ipsum & terram suam, nisi Mandatis vestris obtemperaverit. Et si nec sic duxerit adquiescendum, conferte nobis, si placet, authoritatem, quam Domino Rothomagensi contulistis, & Episcopo Nivernensi, aut etiam ampliorem: quia quantò ille potentior & ferocior est, tantò ad ipsum vinciendum & reprimendum arctiora vincula magis necessaria sunt & durior baculus. Præterea quia turbationibus hujusmodi seminarium & fomes exititit, quòd Eboracensis Ecclesia Matri suæ S. Cantuariensi Ecclesiæ subtraxit obedientiam, redintegrate, si placet, Ecclesiæ Anglicanæ unitatem, præcipiendo, quatenus omni appellatione & occasione remota, Eboracensis Archi-Episcopus & Ecclesia sua nostræ jure Primatus obediat. Quod si Decessorum vestrorum vestigia volueritis imitari, liquet faciendum esse Registris eorum diligenter inspectis. Neque hoc, quod Deus novit, quærimus ad gloriam nostram, qui utinam Pastorale non suscepissemus

scepissemus officium ! procul dubio morte æterna aut plurimis plenum angustiis; sed ut in diebus nostris & vestris frequenter emergentium schismaticorum præcidatur occasio, & Anglicanæ Ecclesiæ perpetua vestro beneficio pax reddatur. Hæc vobis dicimus coram illo, qui utriusque nostrum Judex est, & cui tenemur de omnibus reddere rationem. Ille vobis inspiret, & doceat quid potissimè facere debeatis. Audistis agonem nostrum, sed, ut nostratum Proverbio dici solet, *solus ille, cui vicinatur ignis, sentit ardorem*. Credimus nos in Angliam profecturos, ad pacem, an ad pœnam, nobis incertum est, sed Divinitùs ordinatum, quæ sors nos exceptura sit. Ideoque Paternitati vestræ commendamus animas nostras, gratias agentes vobis & Apostolicæ Sedi super omnibus consolationibus, quas nobis & nostris in tanto necessitatis articulo ministravit. Præterea noveritis indubitanter, quòd Ven. Frater Noster Bartholomeus Exoniensis Episcopus à culpa presumptæ Coronationis immunis est, & sub hac tempestate ab adversariis Ecclesiæ propter justitiam multa sustinuit.

## EPISTOLA LIII.

Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Nuncii sui.

*Domino suo Charissimo salutem, & fidele servitium.*

MANDATUM vestrum, juxta quod potuimus, adimplevimus, litteras vestras Wilhelmo de Emesfordia, & Wilhelmo filio nigello liberavimus, & eos quacumque pœna usque Londoniam attraximus, simul cum Turstino & Osberto. Et cum litteras Domini Regis, quas apud vos habuimus juniori Regi Angliæ ostendere parati essemus, nullus istorum coram Rege apparere ausus est. Consilium enim à quibusdam acceperant, qui eos, ne starent nobiscum in negotio, penitùs declinaverant. Nos verò quibus incumbebat negotium, accepto nobiscum solo Roberto Sacrista Cantuariensi audacter, & cum omni diligentia, consultis tamen Wilhelmo filio Aldeli, & Radulpho filio Stephani, accessimus ad Regem in Camera sua apud Westmonasterium, die lunæ proxima post festum Beati Michaelis, residentibus cum ipso Rege Comite Reinaldo, Archi-Diacono Cantuariensi, Archi-Diacono Pictaviensi, Wilhelmo de S. Joanne, & multis aliis. Comes autem Reginaldus audita pace; similiter & plures alii, sed non omnes, Deo inde coram Rege gratias devotè reddiderunt. Perlectis verò litteris, nobis amotis consilium inde Rex se capturum respondit. Tunc vocato Waltherо de Insula, & cum eodem habito consilio, revocati sumus, & præsentibus nobis Archi-Diaconus vester Cantuariensis in hæc verba respondit: Dominus Rex Mandatum & Præceptum Domini sui Patris accepit & inde consilium habuit. Respondit igitur sic: Randulphus de Broc, & Ministri ejusdem Randulphi similiter cum aliis Ministris terras, & possessiones Archi-Episcopatus, & res, Ecclesias, & reditus Clericorum Archi-Episcopi diversis in locis Præcepto Regis Patris habuerunt. Et quoniam nisi adhibitis præfatis Ministris instauramentum cum manerio Archi-Episcopi veraciter sciri & inquiri poterit, diem præsentis Mandati plenius exequendi ponit & assignat vobis Dominus Rex diem Jovis crastinam Beati Calixti Papæ. Quidam autem dilationem istam audientes de pace firma penitùs desperantes, malam pacis esse significationem constanter asserunt; Quidam verò reditum termini hujus habere nolunt: quod potiùs credendum est. Sunt itaque omnes vestri, quos in Anglia invenimus, ita de pace desperati, quòd neque litteris Domini Regis, quas extra sigillum pendentes ostendimus, neque nobis, qui paci factæ interfuimus, & voce viva juramento affirmamus, credere nolunt, nec possunt. Quidam verò nostrum, cùm Dominus Rex de Londonia versùs Winthlesores iter faceret, in via accessimus ad eum, & ex parte vestra cum omni humilitate & diligentia salutavimus; ipse verò benignè nobis respondit, & multò vultum alacriorem nobis ostendit in via, quàm coram justitiis suis priùs ostenderat. Consulunt autem vos secretò per nos Amici nostri multi, quòd circa Dominum Regem moram faciatis, si quo modo fieri potest, donec pleniùs gratiam ejus & bonam voluntatem adipisci mereamini. Ferè tamen omnes, cum quibus locuti sumus, ita personam vestram diligunt, & accessum, & præsentiam vestram ita concupiscenti animo desiderant, quòd vos vix crederetis, sed timor ipsos dissimulare cogit, quasi non diligant. Domine audivimus, & à quodam familiari quondam vestro pro certo didicimus, scimus etiam, quia verum est: Dominus Rex Angliæ per Waltherum de Insula, & per Brevia sua per eundem in partibus illis transmissa submonuit Rogerium Eboracensem, dictum Archi-Episcopum, Gilbertum Londoniensem, Jocelinum Saresberiensem Episcopos, & de omnibus Ecclesiis, quæ vacant in Anglia, quatuor vel sex personas, Clericos, ut Episcopos suos secundùm ejus voluntatem, & prædictorum Episcoporum consilia eligant, & eosdem secundùm voluntatem suam, & istorum consilium electo Summo Pontifici ad detrimentum Ecclesiæ Cantuariensis, & vestri confusionem, quod Deus avertat, consecrandos destinent. Inde siquidem est, quòd adventum vestrum in Angliam tantùm cupiat: & in confusione personæ vestræ ita frequenter & improbè persistat. Videmus autem hujus machinationis Diabolicæ nimis certa, & omnibus Regionem illam inhabitantibus credibilia indicia. Episcopus enim ille dictus Londoniensis, sed non verus Episcopus, jamdiu in partibus Beverlacensibus moram fecit, & quasi Beatum Joannem ibidem adoraturus, falsam peregrinationem simulavit, ut inde similis Domino suo, & Pastoris sui operibus detrahat, & ipsum non aliter, quàm cruentis manibus jugulare machinetur. De his omnibus, Domine venerande, vobis providere diligenter studeatis, & secundùm consilium, quod à Deo desuper datum vobis fuerit, cura pervigili, animo discreto, infestationes vobis insidiantium Dei auxilio, qui non derelinquit sperantes in se, validè excutere possitis. De cætero Domine, quàm citiùs litteræ Domini Regis visæ & auditæ fuerunt, audivimus dicere, quòd Rex & Archi-Diaconi statim Nuncium quemdam ad Regem in Normanniam transmiserunt, sed quid mandaverint, penitùs ignoramus. Idcircò Latorem



rem præsentium cum maxima festinatione ad vos mittimus, ut quod audivimus & didicimus, vobis significemus. Eundem ergò vel alium sinè dilatione ad nos mittere non differatis & nobis super his voluntatem vestram & placitum pleniùs renuncietis, quia sicut iste ore vobis dicere poterit, soli sinè capite, & auxilio sumus. Nullus enim, quem nobis proposuistis, Mandato vestro, neque Præcepto obedire ausus est, præter Robertum Sacristam, qui quantùm scivit & potuit, in negotio operam adhibuit. Cùm verò, si fortè evenerit, die nobis statuta restitutionem rerum vestrarum fecerint, sicut audiemus & intelligemus, in continenti vobis renunciabimus. Valeat Dominus noster. Lator iste secreto quædam vobis ore recitabit, quæ ut pro vero credantur, abominabilia sunt: & tamen vera sunt. Non est opus, Domine, ut pluribus ista revelata sint, sed si placet, sepulti sint sermones, cum solus ea audieritis. Hoc sæpè & sæpiùs, Domine, vobis memoriæ committimus, ne in Angliam venire festinetis, nisi puriorem gratiam Domini Regis adipisci possitis. Non est enim homo in Anglia, nec etiam solus inter omnes, de quibus confidebatis, qui non omninò de pace desperet, & colloquium nostrum, & habitum circa eosdem, qui vobis consulere deberent & de quibus maximè confidebamus, vitant omnes communiter & fugiunt. Valete.

## EPISTOLA LIV.

*Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Regi Angliæ.*

NOVIT inspector cordium, animarum Judex, & vindex culparum Christus, in quanta animi puritate & sinceritate amoris vobiscum fecerimus pacem, credentes, quòd simpliciter & bona fide nobiscum ageretur. Quid enim Serenissime Domine, aliud concipere debeamus ex verbis vestris, quæ vel arguendo, vel mulcendo nobis vestræ benignitatis communicabat humanitas. Litteræ vestræ, quas ad Dominum nostrum Regem, filium vestrum, destinatis, ut nobis & nostris omnia, quæ habueramus antequam recederemus ab Anglia, restituerentur, quid aliud quàm benevolentiam, pacem, & securitatem omnimodam prætendebant ? Sed ecce, quod Deus novit, nobis pro honoris vestri periculo, quàm pro utilitatis vestræ dispendio graviùs reputamus, rerum exhibitio non simplicitatem prętendit aut bonam fidem. Nam restitutio, quam nobis & nostris fieri prącepistis, dilata est in diem decimum sub obtentu Ranulphi, quem Consiliarii Domini nostri, filii vestri, interim conveniendum, ut Mandatum vestrum impleretur, censuerunt. Qui sint illi, & quomodò, & qua fide, res gesta sit, vos, cum placuerit, inquiretis. Nobis autem persuasum est hæc fieri in dispendium Ecclesiæ, & salutis vestræ & honoris, nisi diligentiùs corrigatur à vobis. Nam præfatus Ranulphus interim in bona Ecclesiæ debacchatur, & victualia nostra in Castrum de Saltwde etiam nunc palam congerit, & sicut accepimus ab his, qui id vobis, si placuerit, probare parati sunt, multis audientibus gloriatus est, quòd non diu gaudebimus de pace vestra: quia non comedemus panem integrum in Anglia, antequàm ille, ut minatur, nobis auferat vitam. Scitis autem, Serenissime Domine, quia culpæ particeps est, qui cum possit corrigere, negligit emendare. Et quid præfatus Ranulphus possit, nisi vestræ voluntatis fretus & armatus sit authoritate? Quid litteris Domini Regis filii vestri responderit super hoc negotio, scribentis ad ipsum, audiet & judicabit beneplacito suo discretio vestra. Et quia sicut nunc ex perspicuis apparet indiciis, S. Cantuariensis Ecclesia Britanniarum mater in Christo, perit odio capitis nostri: ne illa pareat, sed evadat, tam sæpe dicto Ranulpho, quàm Complicibus suis Ecclesiæ Persecutoribus caput pro ipsa, Deo propitio, exponemus, parati pro Christo non modò mori, sed & mille mortes & omnia tormenta excipere, si ille per gratiam suam dignatus fuerit patientiæ largiri vires. Ad vos, Domine, redire proposueram, sed me miserum ad miseram Ecclesiam necessitas trahit: ad illam vestra licentia & gratia rediturus, & fortassè ne illa pereat, periturus, nisi vestra pietas aliam nobis consolationem celeriùs præstare dignetur. Sed sivè vivimus, sive morimur, vestri sumus, & erimus semper in Domino: & quidquid nobis contingat & nostris, benefaciat vobis Deus & liberis vestris.

## EPISTOLA LV.

*Alexander Papa Regi Angliæ.*

COGNITO ex litteris Ven. Fratris nostri Thomæ Cantuariensis Archi-Episcopi, quòd ex omni turbatione & rancore deposito gratiam & amorem tuum restituisses, tantò lætitiam & gaudium concepimus, quantò id Deo gratius & magis acceptum existere, & tibi ampliùs honorificum & tuæ consideramus fructuosum saluti. Tanta enim eundem Archi-Episcopum Religione, prudentia, honestate, ac fidei virtute præeminere cognoscimus, quòd ipsum tibi & Regno tuo fidelem & devotum existere, honori & incremento tuo pro viribus & posse, & animo se intendere & pro augmento gloriæ & exaltationis tuæ fideliter & sollicitè vigilare non dubitamus. Cæterùm quoniam non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, & licèt idem Archi-Episcopus, pro patientia & dilectione, quam erga te habet, hoc fortè subticeat; Nos tamen qui salutem tuam summoperè cupimus, id minimè reticere debeamus, nec tuam decet magnificentiam, quem Dominus ita magnum & potentem constituit, jura & bona Cantuariensis Ecclesiæ detinere, Regiæ Serenitatis Clementiam rogando monemus, & exhortamur attentiùs, quatenus exemplo Zachęi, de quo legitur in Evangelio: *Domine ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si quid defraudavi reddo quadruplum*, prædicto Archi-Episcopo & Ecclesiæ suæ ablata restituere, damna & detrimenta, quæ illis intulisti, in brevi studeas emendare, ut in eo, quod deliquisti, Deum sic possis placare, & nos tibi tantam offensam dignè indulgere possimus, & idem Archi-Episcopus ad obsequium & devotionem tuam, ad augmentum honoris tui & hæredum tuorum debeat promptissimus inveniri. Volentibus autem inter te & ipsum pacem reformari, benigno favore adquiescas; Quos verò hujus dissensionis noveris hastenus

ctenus fuisse incentores, de cætero non exaudias, nihilominus & filium tuum super Articulo juramenti, quod prætermisit de servando jure & libertate Cantuariensis Ecclesiæ, secundùm quòd Reges & Principes Angliæ fecisse noscuntur, eidem Archi-Episcopo & Ecclesiæ suæ condignè satisfacere moneas & horteris, & quod prætermissum est, facias adimplere. Ordinationes quoque Ecclesiarum, & alia quæ ad viros Ecclesiasticos pertinent, prædicto Archi-Episcopo & aliis Viris Ecclesiasticis, tam tu, quàm filius tuus, liberè & pacificè relinquatis, ut sic agendo hostiam laudis Domino dignè immolare possitis, & vobis Regnum comparare æternum.

## EPISTOLA LVI.

*Alexander Papa Clero & Populo Regis Angliæ citra Mare & ultra Mare.*

QUAM gratum Deo & acceptum existat inter discordantes pacem & concordiam reformare, & quàm grave & detestabile sit bonum pacis turbare, & jurgia & lites inter aliquos suscitare, Universitatis vestræ prudentia non ignorat. Sed.... quia de concordia & pace, quæ inter Regem Anglorum & venerabilem Fratrem nostrum Thomam Cantuariensem Archi-Episcopum Divina cooperante gratia est reformata, non solùm Ecclesia, sed etiam Regnum ipsum magnum bonum & incrementum Deo propitiante recipiet, Universitati vestræ monendo mandamus, & vobis sub interminatione excommunicationis præcipimus, ut præscriptam pacem nullus vestrum impedire aut perturbare attentet, sed potiùs ad incrementum & observationem ipsius pacis modis omnibus intendatis.

## EPISTOLA LVII.

*Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Albertus Cardinalis.*

GAVISUS est Dominus Papa, gavisi sunt cum eo & Fratres, quòd pacem vobis & Cantuariensi Ecclesiæ redditam audierunt. Et ego ipse, unus exspectantium & gaudentium, nisi quòd gaudium meum hæsitatio quædam de Adversariorum tergiversatione proveniens suspendebat, supervenientibus autem litteris vestris, & intellecto quòd plus vobis in accidentibus quàm in substantia sit exhibitum, magis adhuc cœpimus hæsitare: & intelleximus, quòd non facilè mutat Æthiops pellem suam, aut Pardus varietatem suam. Nunc autem quia sicut homo non est laudandus in vita sua, ita nec judicandus ante tempus, quemadmodum non sumus sinè gaudio de hoc quod audivimus, ita nec possumus plenè gaudere propter id, quod timemus. Fluctuantes igitur inter spem & timorem suspiravimus ad eum, qui potens est superabundantiùs facere quàm petimus aut speramus, ut ipse adimpleat gaudium nostrum, & gaudium istud nemo tollat à vobis.

## EPISTOLA LVIII.

*Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Theodvvinus Cardinalis.*

LICET de verbo pacis vestræ, quod audivimus, plurimùm dubitaverimus, attendentes eorum malitiam, qui Regi adsistunt, & lingua loqui & circumvenire rectos corde consueverunt, confidimus in Domino, quòd insatuato eorum iniquo consilio & denudata ipsorum malitia, pacis abundantiam nostra exspectatio, quæ patienter hactenus exspectavit, sperato citiùs, faciente Domino, obtinebit. Ea verò, pro quibus ad Curiam misistis, ut effectui mandarentur pro voto efficaciter laboravimus, & ecce per Dei gratiam propriis oculis cernere, quod referimus, jam valetis.

## EPISTOLA LIX.

*Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Petrus Presbyter Cardinalis.*

PER Gunterium fidelem Nuncium vestrum quod melius nobis & salubrius visum fuit, sollicitudini vestræ nuper rescripsimus. Nunc etiam visis sanctitatis vestræ litteris, licèt adhuc in solis verbis consolatio vestra videatur pendere, placet tamen nobis humilitas vestra quam incepistis, & consilii vestri Propositum collaudamus, ut videlicet in causa vestra cum omni mansuetudine ac patientia procedatis, quatenus hoc modo feritas hominis authore Domino mansuescat, & ad meliora ejus animus inducatur. Duris enim mentibus auferre simul omnia valdè est difficile, *& quod natura negat reddere nemo potest*. De cætero noveritis Propositi nostri esse causam vestram, immò Dei, quantum possumus promovere, & in acie Christi, eo auxiliante, vobiscum viriliter stare. Noveritis præterea quòd litteris vestris in audientia fratrum, perlectis, de communi consilio Dominus Papa suum vobis remittit responsum.

## EPISTOLA LX.

*Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Hyacinthus Cardinalis.*

QUAM ferventi affectu pacem vestram desideravimus, non est necesse litteris exprimere, quia nobis tacentibus in mente vestra legitis quanta dilectione vobis adstringamur. Unde audito & vestrarum litterarum tenore cognito, quod ille, in cujus manu corda Regum existunt, animum Principis vestri inclinaverit, ut vobis gratiam suam restituerit, ultra quàm loqui possimus in hilaritate jucundati sumus, gratias exsolventes illi, qui vestræ constantiæ humilitatem dignatus est respicere, quem rogamus, ut quod incepit, ita dignetur perficere, qvòd honor Ecclesiæ inde augmentari valeat, & quidquid reatus dictus Princeps ex culpa contraxit, sequens satisfactio diluat. Verùm si corpus quod corrumpitur, non finit eum ad hunc rectitudinis locum mentem revocare, consulimus modis omnibus & monemus, ut eum in spiritu lenitatis studeas instruere, ut quod ad satisfactionem deest, perficere curet, & ad pristinum amorem revocatus, & ad mentem reversus vobis debitam gratiam firmiter exhibeat, & malitiæ inimicorum vestrorum pro voluntate vestra respondeat. Hac enim via vestræ discretioni incedendum putamus, ut hominis animositas reprimatur, & vestrorum inimicorum perversitas destruatur: ne fortè si severitatis viam iterum velletis aggredi, cùm nondùm illius animus in hoc sit solidatus, quod debet, & ita esset error pejor priori, quod Omnipotentis virtus avertat. Nos autem pro vestris petitionibus promovendis solliciti fuimus, & Dominus Papa quod potuit, libenti animo fecit. Sæpè statum vestrum nobis significetis, quia tanquàm Fratri charissimo, vestro desiderio respondere cupientes, vobis concordabimus.





## EPISTOLA LXI.

*Thomę Cantuariensi Archi-Episcopo Hostiensis Episcopus.*

QUANDO Paternitatis vestræ litteræ nobis allatæ sunt, tanta corporis infirmitate laborabamus, quòd à Medicis de vita nostra desperabatur. Verùm, quia vobis in vestris persecutionibus & angustiis, etiam in infirmitate nostra non immeritò compatimur & condolemus, per quosdam de fratribus & domesticos etiam nostros instantes, & frequentes preces Domino Papæ porreximus, ut tantæ iniquitati Eboracensis & suorum Complicium obviaret, & ipsorum dolositatibus & malitiis finem imponeret. Ipse verò, sicut quem pluribus respondere oportet, huic vestro negotio tantùm intendere distulit, quòd Deo desuper faciente vobis aliquantulùm melius fuit. Cumque super his à fratribus suis Episcopis & Cardinalibus consilium expetiisset, plures pro vobis inventi sunt, quàm contra vos, ita quòd à Domino factum credimus, eos pro vobis in hac parte locutos fore, qui consueverant vestris commodis obviare. Nostrum autem consilium per quosdam de Fratribus nostris idem Dominus noster expetiit, & nos de pura conscientia jam dictum Eboracensem deponendum, & suos Complices excommunicandos, per eosdem fratres nostros sibi respondimus. In cujus litteris cognoscere poteritis quid super hoc ab eo statutum sit. Rogamus autem discretionem vestram, ut id æquanimiter & patienter sustineatis. Causam quidem Dei & Ecclesiæ agitis, unde pacem vos in proximo habituros & confidimus & speramus. Præterea noveritis nos Domino Biturcensi misisse, ut septem marcas Argenti & quadraginta quinque Marobotos vobis transmitteret. Quod si factum est, placet nobis. Alioquin significare nobis curetis, ut id faciamus effectui mancipare.

## EPISTOLA LXII.

*Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Theodvvinus Cardinalis.*

COGNITO & pro vero habito, quòd ejus præeunte gratia, qui superis reconciliavit mortales, inter vos & Dominum Regem Angliæ pax sit plenariè reformata, indicibili gaudio & lætitia exultavimus, ex intimis visceribus illi gratias referentes, qui fecit vobiscum misericordiam & dedit etiam cum exultatione proventum, eidem pariter preces continuas offerentes, ut qui reformare dignatus est, illibatam conservet & augeat, sicut expedit, in æternum. Et licèt magis videatur idoneum & conveniens à vobis nos doceri, & admoneri debere, de sincera tamen dilectione præsumentes aliorum arma induimur, & Paternitati vestræ aliqua suadere tentamus. Rogamus igitur & affectuosè suggerimus, quatenùs misericordiam, non judicium in eos, qui peccaverunt in vobis, exerceatis; non ultionem, sed veniæ fontem Reis & Persecutoribus aperiatis, quatenus verbo & opere imitatorem Christi, vos in conspectu hominum ostendentes, quæ docetis, facere, prout expedit, vestra sanctitas agnoscatur, & non immeritò ab omnibus commendetur. Ex hoc enim & adversarii vestri in suis cordibus confundentur, & Amici plurimùm vultu & animo gloriabuntur. Nos enim in his & aliis successibus vestris charitati vestræ modis omnibus congaudentes, tam ut præteritæ petitiones vestræ mandarentur effectui, quàm etiam ut munus nostræ dilectionis liberalitas vestra susciperet, gratanter effecimus, & per harum latorem viridis coloris examictum, quem inter alios ipse elegit, vobis mittimus, reliquos pannos fericos. Et quæcumque apud nos sunt vestræ prudentiæ exponentes, parati semper pro vobis efficere, quæ vestræ sint fraternitati accepta.

## EPISTOLA LXIII.

*Joannes Saresberiensis Conventui Cantuariensi.*

PRECES vestras & vota fidelium tandem misericors & miserator Dominus exaudivit ad honorem suum, ut ex multis & certis indiciis patet, Anglicanæ Ecclesiæ restituens pacem, & ab exilio revocans Patrem vestrum. Utinam fuissent aures vestræ ad os Domini Regis, quando in colloquio Regum nuper habito inter Castrum Besense & Ambasiam dimisit Dominum Archi-Episcopum, ut à Francis, quibus tenebatur, licentiam maturè reciperet, sub omni celeritate rediturus ad ipsum, inde in Angliam transiturus. Igitur, ut condictum est, Deo propitio, in festo omnium sanctorum Senonis valefaciet, ex proposito & condicto rediturus ad propria, & quàm citò poterit, Sanctorum Urbem reditu suo Cantuariam illustrabit. Vos itaque, sicut honori & saluti Ecclesiæ vestræ prospectum esse vultis in posterum, Patri vestro occurrite, & in partibus Cismarinis, si quid fidei, si quid amicitiæ, si quid devotionis aut consilii est, transmittere non differatis, unde se possit exonerare, & vobis perpetuò teneatur obnoxius. Redimite vel nunc moram, ne fortè ad se inevitabile jacturæ rerum & famæ periculum trahat. In historia novorum reperi decessores vestros primos occurrisse revertenti ab exilio Patri Anselmo. Nunquid vos degeneres eritis, ut nihil solatii aut minimum ad vos revertentibus Patri & Fratribus conferatis? Absit hoc semper à prima Britanniarum Sede Cantuariensi, ne tam fœdum operis vestri, tam inhumanum & indevotum & indisciplinatum exemplum transmittat ad Posteros. Dolor & cordis angustia me vobis compatientem & timentem, ne ex pusillanimitate & tenacia quorundam, quod Deus avertat, Ecclesia Christi contrahat opprobrium sempiternum, scribere non patiuntur omnia, quæ locus & causa ingerit, sed ut arbitror, Deum timentibus & sapientibus, & amantibus honestatem, satis dictum est. Hactenus ergo Amicos præmonuisse sufficiat; nec dubito, quin charitatis amantibus reddatur fructus, & in surdos, ut veteri proverbio dici solet, *Faba cudatur*. Valete vestri & nostri memores in charitate.

## EPISTOLA LXIV.

*Joannes Saresberiensis Petro Abbati Sancti Remigii.*

MORA mea rectissimè poterat accusari, si non eam necessitas excusaret. Debueram enim, ex quo primùm in Angliam pedem posui, Nuncium remisisse, per quem vestra dilectio de Alumnorum suorum statu posset certiorari. Sed quia mihi in ipso navis egressu nova & stupenda rerum facies occurrit, alium certiorare non potui, qui ex variis opinionibus & verbis hominum reddebar incertus. Nam triduo antequàm applicarem, omnia bona Domini Cantuariensis & suorum annotata fuerant Procuratoribus suis ab administratione summotis, & in portubus edicto publico inhibitum est sub interminatione exilii & proscriptionis, ne quis nostrorum, si fortè Angliam vellet exire, transveheretur. Piissimi tamen Officiales Domini Regis provida nimis cautela, & pernitiosa nobis circumspectione præcaverant, ut Archi-Episcopus & sui ab exilio redeuntes nihil prorsùs aut minimum invenirent præter domos vacuas ex magna parte consumptas, & horrea demolita, & areas nudas, & hoc ad consolationem diuturnæ proscriptionis, & emendationem sacrilegii perpetrati. Et cum pax nobis in festo Beatæ Magdalenæ fuisset reformata, & Serenissimus Dominus noster Rex filio suo novo Regi litteris patentibus præcepisset, ut Archi-Episcopo & suis omnia restituerentur in integrum, prout fuerant tribus mensibus antequàm Angliam egrederentur, omnes tamen redditus nomine ejus prærepti sunt, qui usque ad Natale Domini percipi potuerunt. Plures possessiones & Ecclesias, quas ipso jure & ratione pacti conventi restitui oportebat Ecclesiæ Cantuariensi, adhuc publicæ Potestatis authoritate occupant carnales. Ego inter cæteros una Ecclesia privatus sum, quæ quadraginta marcas annuas solvebat Antecessori meo. Contigit autem me triduo applicante ante Octavas Beati Martini, & in ipsis Octavis erat Cantuariæ synodus celebranda, in qua me vices absentis Archi-Episcopi gerere oportebat. Cùm itaque præter spem, & contra bonam opinionem, & bonas promissiones Domini Regis sic omnia turbata reperissem, ut de pace nostra, & de reditu Archi-Episcopi desperaretur ab omnibus, & me tanquàm in carcere positum cognovissem, vultu hilari & animo constanti Cantuariam petii, ubi à Clero & Populo cum magno honore, & quasi Angelus Domini receptus sum, fidelibus jam ex adventu meo meliora sperantibus, eò quòd eis persuasum erat, quòd me nullo modo Archi-Episcopus præmisisset, si non esset in brevi secuturus. Inde synodo celebrata, ad novum Regem profectus sum, & satis humanè receptus, licèt Concustodes sui aliquid timoris prætenderint, suspicantes pacem nobiscum non simpliciter factam esse, sed rancoris palam remissi firmiùs hærere radices. Quod etsi ex variis signis patenter adverterem, sic egi, ac si omnia ad votum procedere arbitrarer. Festinanter inde ad Matrem meam deflexi iter, quam jam altero languentem anno, & amodò jam diem Domini cum gaudio præstolantem, ex quo me vidit, vestris & sanctorum, quibus cohabitatis, orationibus precor attentiùs commendari. Receperat autem responsum à spiritu, se mortem non visuram, donec me & fratrem meum videret ab exilio redeuntes. Interim illi veteres Amici Domini Cantuariensis, & Ecclesiasticæ libertatis propugnatores, Dominus Eboracensis, Episcopus Londoniensis, & Complices eorum consilium inierunt cum publicanis, legatione transmissa ad Dominum Regem ne præfatum Cantuariensem in Angliam redire pateretur, antequàm renunciaret legationis officio, & restitueret ei universas litteras, quas emeruerat ab Apostolica Sede, & repromitteret se Regni jura inviolabiliter servaturum, ut sub obtentu cautionis hujus ad observantiam consuetudinum arctaretur. Dicebant quòd reditus ejus Domino Regi damnosus & probrosus futurus erat, nisi ista præcederent. Fecerant etiam de singulis vacantibus Ecclesiis senas evocari personas, in quas de Pastore eligendo universitatis arbitria conferrentur, ut electiones de Ecclesia in aliud Regnum & Palatium protractæ celebrarentur ad nutum Regis: ubi si Cantuariensis ob reverentiam Canonum pro officii sui debito obloqueretur, Regiam offenderet Majestatem, si consentiret, reus esset in Deum & convinceretur in Constitutiones Ecclesiasticas incidisse. Sæpe dictus autem Cantuariensis ex Mandato Domini Regis Rothomagum venerat, inde ex promisso liberandus ab obligatione creditorum, & cum honore in Patriam remittendus. Sed fefellit eum opinio, Joanne de Oxeneford afferente litteras Domini Regis, quibus rogabat & monebat, ut sinè mora rediret ad Ecclesiam suam, & ante dicti Joannis conductu & solatio in itinere frueretur. Paruit Archi-Episcopus, & in redeundo Æmulorum per Amicos machinamenta cognovit, qui jam ad mare profecti ventum commodum exspectabant, Archi-Episcopo nostro in opposito littore similiter exspectante. Ubi cum de transitu eorum & machinationibus certior fieret, conatus eorum via, qua potuit, elisit, mittens Archi-Episcopo Eboracensi litteras Apostolicas, quibus ipse & Dunelmensis Episcopus propter usurpatam novi Regis coronationem ab Episcopali officio suspenduntur. Alias quoque porrexit Nuncius Londoniensi & Saresberiensi Episcopis; quibus in sententiam anathematis revocantur, & suspenduntur omnes Episcopi, qui præfatæ Coronationi interfuerunt. Quo facto prosperior aura spirans à Flandria Dominum Archi-Episcopum in Angliam felici navigatione perduxit. Venientemque ad Portum, cui Sand-Wicus nomen est, Regii satellites exceperunt, custodiis per littora dispositis, ut creditur, ad nocendum, & armatis perstrepentibus: quos antefatus Joannes de Oxeneford cohibuit & compulit arma deponere, non tam, ut putatur, favore nostrorum, quàm ne temeritas eorum Dominum Regem & liberos suos nota proditionis inureret. Exegerunt tamen, ut alienigenæ, qui cum Archi-Episcopo venerant, Sacramentum præstarent de servanda fidelitate Regi & Regno. Nec apparebat quisquam alienigena præter Simonem Senonensem Archi-Diaconum, qui ad præstandum juramentum facilè fuisset inductus, si Archi-Episcopus permisisset. Qui exempli perniciem veritus respondit bonismoribus hoc prorsùs esse contrarium, ut inaudita Barbarie compellerentur hospites & peregrini ad hujusmodi juramenta. Et fortassè satellites vim parassent, nisi eos compescuisset tumultus Popularis, verentes Plebis impetum, quæ sic de recepto Pastore gavisa est, ac si de Cœlo inter homines Christus ipse descenderet. Cùm verò se die sequenti Cantuariæ reperisset, venerunt ad eum alterius Archi-Episcopi & Episcoporum suspensorum Nuncii, ad Sedem Apostolicam appellantes, licèt eis indubitanter constaret, quòd summus Pontifex omnem appellandi præcluserit facultatem. Venerunt ex alio latere Domini Regis officiales, suo rogantes nomine, & publica denunciantes authoritate, ut Archi-Episcopus latam in Archi-Episcopum Eboracensem & alios Episcopos Sententiam relaxaret, nisi Regis & Regni vellet decerni publicus hostis, ut qui novo Regi Coronam moliebatur auferre. Ad quod Archi-Episcopus respondit se nullo modo impugnare Regiam dignitatem, sed potiùs vires, opes & gloriam pro viribus in Christo augmentaturum, hoc tamen nulla ratione impetrari posse, quin adversùs præsumptores Episcopos Ecclesiæ suæ justitiam prosequatur. Illis autem instantibus acriùs adjecit, quòd pro honore Domini Regis, licèt ei periculosum esset, & vires ejus excederet, quia Judex inferior Superioris non potest relaxare sententiam, paratus erat duos Episcopos absolvere, recepto ab eis priùs secundùm morem Ecclesiæ juramento, quòd Domini Papæ, qui eos vinxerat, Mandatis obedirent. Officiales autem non permiserunt ut fieret, dicentes hujusmodi juramentum ab Episcopis non debere præstari, quia Regni Consuetudines impugnabat. Replicavit ad hæc Archi-Episcopus, quòd cum Dominum Papam modis omnibus anteà sollicitassent, ut eos absolveret à vinculo anathematis, quo solius Cantuariensis Ecclesiæ authoritate fuerant innodati, non nisi præstito juramento solvi potuerunt. Quod si necessarium fuit ad unius Episcopi sententiam dissolvendam, quæ longè inferior est edicto Summi Pontificis, luce clarius est, quòd sententia Apostolica sinè eo, præsertim à judice inferiori, solvi non debet. Ad hujusmodi & similes allegationes Episcopi moti sunt, & sicut pro certo relatum est, ad Archi-Episcopi Clementiam confugissent, nisi eos sæpe nominatus Eboracensis seduxisset, dissuadens nequid Rege facerent inconsulto, quem Patronum habuerant in omnibus operibus suis. Illis itaque cum indignatione properantibus ad Dominum Regem, noster Archi-Episcopus ad novum Regem iter arripuit. Cùm verò Londonias pervenisset, denunciavit ei Rex junior, ne progrederetur, nec Civitates ejus aut Castella intraret, sed reciperet se cum suis infra ambitum Ecclesiæ suæ, & suis denunciatum est ne Regni fines exeant, ne prodeant in publicum, sed sicut se ipsos diligunt, caveant sibi. Quà denunciatione publicata se & suos Cantuariæ recepit Archi-Episcopus, ibique salutare Dei cum multo discrimine præstolamur. Neque nobis via consolationis aut securitatis alia patet, quàm ut vestris & sanctorum Orationibus evadamus insidias eorum, qui Ecclesiæ sanguinem sitiunt, & quærunt, ut de terra penitùs avellamur, aut celeriùs pereamus in ipsa. Licèt autem persecutio gravissima sit, & ad Archi-Episcopum rarus de numero divitum & honoratorum visitator accedat, ipse tamen cunctis ad se venientibus Pontificali gravitate jus reddit, deducta prorsùs acceptione personarum ac munerum. Frater meus ad nostrum Exoniensem, quem mihi nondùm licuit visitare, profectus, lateri ejus adhæret, in timore multo & jugi sollicitudine. Longum erit, & vereor ne tædium generet, si cunctas angustias nostras repeto replicare; sed quæ desunt Epistolæ, supplebuntur officio portitoris. Sit itaque, si placet, miserationis vestræ sollicitare Sanctum Priorem & Amicos Episcopi de Monte Dei & Valle S. Petri, & Abbates sanctorum Nicasii & Crispini, & alios sanctos familiares vestros, quatenus nobis apud Altissimum suffragentur, ut eorum meritis salubriter liberemur, qui periclitamur ex nostris. Charissimos autem Fratres nostros & Dominos, qui Beatissimo Remigio famulantur, vix sinè gemitu & suspiriis, aut madore lachrymarum possum ad animum revocare, recolens me quondam instar Paradisi feliciter incoluisse, dum illorum præsentia fruebar, & charitatis experiebar imaginem, quæ in æterna vita speratur. Illos, quæso, diligentiùs sollicitate, ut alumnorum suorum meminerint in orationibus suis. Quàm citò Deus prospera donabit, vobis currentium litterarum ministerio, Christo propitiante, communicare non differam. Valeat semper & vigeat sanctitas vestra, & totius Ecclesiæ prosperitas in bonis omnibus provehatur, & si placet, pauperem Sacerdotem S. Cosmæ commendatum habeatis.



## EPISTOLA LXV.

Alexander Papa Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo.

*Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo, salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

INTER multiplices curas, quæ pro malitia temporis se animo nostro ingerunt, fatigatio tua, quam pro tuenda libertate Ecclesiastica suscepisti, non modicum nos perturbat, dùm & tibi propensiùs desideramus adesse, & votum nostrum perstrepentium hinc inde causarum obstaculo retardatur. Ubi enim multa irruunt formidanda, non facilè potest animus expedire, in quam potiùs partem debeat inclinare, præsertim si non datur intelligi, unde plus captare compendii, plus incommodi valeat & periculi evitari. Nam si aliquoties ipsi Nautæ ita redduntur ambigui diversitate ventorum, ut inter se nullo modo conveniant, utrum ad locum propositum proficisci debeant, an ad Portum, quem reliquerant, teneantur; nec admiratione dignum nec reprehensione videtur, si in hoc mari magno & spatioso, ubi reptilia sinè numero cursum nostrum impediunt, & ubi non tam corporum & corporalium mercium, quàm animarum & spiritalium virtutum pericula formidantur, ei qui navem regit Ecclesiæ, de facili non occurrit, ad quam potiùs partem assensum inclinet, cùm diversa consilia de diversitate veniant voluntatum, & aliter videatur illi, qui causam promovet singularem, aliter autem ei, qui providet, debet & consulere in commune. Unde Frater charissime, si nos in causa tua & Ecclesiæ Anglicanæ remissiùs egisse videmur, nec ad petitiones tuas pro tua voluntate respondimus, non ex eo processit, quòd causam

ipsam nobis tecum & cum Anglicana Ecclesia non credamus esse communem, aut quod tibi deesse ulla ratione velimus, sed quia patientia utendum esse credidimus, ut in bono malum superare possemus. Evincimus etiam, ne si major scissura fieret in Ecclesia, nostræ posset duritiæ deputari. Nunc autem quia turbatores pacis & libertatis Ecclesiasticæ depressores, ad corrigenda mala præterita nulla videntur compunctione moveri, immò trahentes peccata sicut restem longam, tam in gravamen tuum quàm in depressionem Cantuariensis Ecclesiæ magis & magis exæstuant & omnem ferè vobis spem videntur pœnitentiæ præcidisse, nos in Fratrem nostrum Rogerium Eboracensem Archi-Episcopum, & reliquos Episcopos, qui juramentum conservandis iniquis Consuetudinibus præstiterunt, & tantæ sunt malitiæ incentores, sententiam Canonicam jaculamur, & ab Episcopali eos suspendimus dignitate. Saresberiensem autem & Londoniensem Episcopos, qui majoris videbantur gratiæ debitores & pro gratia dicuntur ingratitudinem rependisse, si coronando novo Regi contra Cantuariensis Ecclesiæ dignitatem præsentiam suam & ministerium præbuerunt, in sententiam anathematis, de qua soluti fuerant, revocamus. Sanè Roffensem Episcopum, Vicarium tuum, qui pro tua & Ecclesiæ tuæ justitia constantiùs debuerat decertare, nec non & Gaufredus Ridel Cantuariensis Archi Diaconus qui sicut dicitur, in Matrem suam graviùs debacchatur, & excommunicationis à te latam in ipsum sententiam spernit, quam nos ratam habemus, & authoritate Apostolica confirmamus, Vicarium quoque ejus Robertum, & G ..... Episcopum S. Asaph, Mandati nostri contemptorem, & David Ecclesiæ ejusdem Archi-Diaconum, authoritati & potestati tuæ relinquimus, ut tu si duriùs aliquid in eos fuerit statuendum, de potestate tibi tradita remoto appellationis obstaculo exequaris. Nos verò quod de pœna illorum à te canonicè factum fuerit, authore Domino, ratum & firmum habebimus. Et hæc ad præsens videntur posse sufficere. Si autem tantam malè agentium viderimus pertinaciam, ut nec sub hac pœna moveantur ad pœnitentiam, assumemus adhuc contra eos, authore Domino, fidei armaturam, & Pontificalem zelum pro Domo Domini, quantum expedire videbimus, exeremus. De cætero quia Salomone docente instruimur, ut in omni re opportunitatem temporis attendamus, & inimicos Ecclesiæ, qui etiam Regno Francorum sunt in insidiis, Matisconensem Civitatem audivimus invasisse, nostræ voluntatis esse noveris & consilii, ut super his charissimi in Christo filii nostri illustris Francorum Regis consilium exquiras, & ad mittendas litteras nostras de ipsius voluntate procedas, ne si fortè, quod Deus avertat, aliqua in Regno suo fuerit suborta turbatio, gravior tua & Ecclesiæ causa ex Regni turbatione reddatur, aut si pax tibi & Ecclesiæ reddita fuerit eam pro facto isto duceres perturbandam. Datum Verulis quartò idus Septembr.

## EPISTOLA LXVI.

*Alexander Papa Londoniensi, Saresberiensi, Exoniensi, Cestrensi, Roffensi, de S. Asaph, & Landavensi Episcopis.*

OPORTUERAT vos, quandò primùm charissimus filius noster Henricus Rex vester sub Regiæ dignitatis & fidelitatis obtentu ea vobis constituta proposuit, & scripto petiit & juramento firmari, quæ liquidò satis & libertatem Ecclesiæ & Sacerdotalis officii judicium deprimebant, erigere oculos vestros ad Cœlum, & ascendere pro Domo Domini ex adverso, ut non posset in oculis vestris, tacentibus vobis, Ecclesiastica dignitas naufragari. Et quidem, si ullus vos pro Pastorali cura zelus rectitudinis tenuisset, cognovissetis vos super gentes constitutos & Regna, ut in majoribus & minoribus evellere plantaria vitiorum, & germen delectabile Domino inserere debeatis. Nunc autem quia plus in vobis terreni Principis reverentia, quàm timor Domini & Episcopalis honor valuit dignitatis, pro vili lentis edulio, quod mœrentes dicimus, contempsistis primogenita cum Esau, & implevistis in vobis, quod in Populo Judæorum Hieremias lamentatur dicens: *sederunt in terra, conticuerunt Senes, consperserunt cinere capita sua Virgines Filiæ Juda.* Sanè si terroribus & minis exterriti ad recipiendas & juramento firmandas iniquas illas Consuetudines processistis, nunquid non decuerat vos post tanti temporis spatium Sacerdotalem resumere firmitatem, & contra tantas enormitates cum præteritæ transgressionis pœnitudine Sacerdotaliter reclamare? Cæterùm vos detestabili facto pertinaciam adjungentes, & in illarum usurpationum observantia permanetis, & ita in depressionem Ecclesiæ præfati Regis votum sequi videmini, ut quasi proscriptæ jam de Regno vestro ex magna parte leges Ecclesiasticæ videantur. Et nos quidem usque modò exspectavimus, ut cor Principis, aut per officium vestrum, aut per inspirationem suam Divina gratia visitaret, & supernæ gloriæ magis quàm suæ faceret amatorem. Nam & hoc plerumque suggestum fuerat, & optabile admodùm pro qualitate temporis videbatur, ut asperitas in patientia potiùs & mansuetudine leniretur. Nobis autem præteritorum correctionem & pœnitentiam exspectantibus, nihil ipse de pristina severitate mutavit, sed in Consuetudinibus illis antiquis immobiliter perseverat. Quanto autem jam sanè tempore Venerabilis Frater noster Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus vester, quia usurpationibus illis, licèt priùs carnis infirmitate eis visus fuerit consentire, voluit obviare, à commissa sibi Ecclesia cum Clericis suis, & affinibus exulavit, Nobis etiam tacentibus recognoscitis, & utinam eo compateremini charitatis affectu, quo in tali ei causa compati oporteret. Vos autem non solùm ei Fraternum subtraxistis auxilium, sed super dolorem vulnerum ipsius addidistis. Cùm enim jam dictus Rex filium suum nuper coronari voluerit, & hoc de antiquo jure ad Cantuariensem asseratur Archi-Episcopum pertinere, vos jam dicti Fratris nostri authoritate & reverentia quam sibi & Ecclesiæ suæ debetis, postposita ad coronationem illius favorem vestrum & ministerium præbuistis, nulla de servanda Ecclesiæ libertate præstita vel etiam exacta, sicut dicitur, cautione. Quin immò sustinuistis potiùs, ut juramentum ab illo de servandis Regni Consuetudinibus præstaretur. Profectò pro reconciliatione illorum nos per litteras & personas ex latere nostro, & per plures alios viros, qui digni fuerant exaudiri, sæpenumerò laboravimus, & quidquid datum fuerit nobis spei, præter inanem pompam





pompam verborum nihil hactenùs potuimus reportare. Nec tamen hoc ideò dicimus, quin dum adhuc essemus in Francia, in multis eundem Regem liberalem erga nos senserimus ac devotum. Sed ob hoc non debemus omittere; quin tantis nos transgressionibus & pro gloria Dei, & pro salute ipsius & nostra, zelo rectitudinis nos opponamus. Nunc igitur quia sæcularium culpæ nullos magis, quàm desides Prælatos, negligentesque respiciunt, qui multam sæpè nutriunt pestilentiam, dùm necessariam adhibere negligunt Medicinam, & post exspectationem diutinam nullo dolore contra vos ipsos, & nullo fervore contra illas iniquas usurpationes exurgitis, nos de commissa nobis à Deo potestate, de authoritate Apostolicæ Sedis, cui licèt immeriti, Deo disponente, servimus, ab omni Episcopali vos suspendimus dignitate. Illos autem vestrum, Londoniensem videlicet & Saresberiensem Episcopos, qui pro impetrata apud nos gratia, juxta spem nostram ad reconciliationem magis laborare debuerant, & à jamdicti Archi-Episcopi gravamine abstinere, si præfatæ Coronationi favoris sui ministerium præbuerunt, in sententiam anathematis revocamus, & sicut excommunicatos præcipimus evitari. De Roffensi verò Episcopo & Gaufredo Ridel Cantuariensi Archi-Diacono, qui cùm ampliùs Cantuariensi Ecclesiæ debitores exstant, in minori reverentia & honore jam dictum Archi-Episcopum habere dicuntur, & alter eorum, Roffensis videlicèt Episcopus, illi Coronationi interfuit, alter verò in se excommunicationis à præfato Archi-Episcopo latam sententiam spernit, illud à vobis remota appellatione observari præcipimus, quod ab eo Canonicè fuerit constitutum. Nos enim eos, quantò graviùs videntur offendere, tantò duriùs decernimus addicendos. Ad hæc, quidquid adversùs Robertum Vicarium Cantuariensis Archi-Diaconi, contemptorem sententiæ suæ, idem Archi-Episcopus statuerit, firmiter & inviolabiliter, nulla ei suffragante appellatione, custodiri præcipiendo mandamus. Clericos autem Hugonis Comitis, Nicolaum, Thomam Wilhelmum, & cæteros qui excommunicati à prædicto Archi-Episcopo Divina scienter celebrare præsumpserunt, si ita est, anathematis vinculo innodari, eorumque communionem, sicut excommunicatorum præcipimus evitari. Datum Ferentini decimo sexto Calendas Octobris.

## EPISTOLA LXVII.

*Alexander Papa Eboracensi Archi-Episcopo & Dunelmensi Episcopo.*

LICET commendabiles & grati nobis in plurimis existatis, & sinceræ vos amplectamur brachiis charitatis, propter hoc tamen non debemus omittere, quin ea quæ perpetrata & incorrecta generant mortem, & requiramus in vobis & zelo rectitudinis corrigamus, dicente Domino per Prophetam: *Si loquente me ad impium morte morieris, non annunciaveris ei neque locutus fueris, ipse siquidem in peccato suo morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram.* Depressio siquidem Ecclesiæ Anglicanæ & diminutio libertatis, quæ per Regem vestrum sivè proprio motu, sivè potiùs aliis suggerentibus, facta dignoscitur, plurimùm jam pridem animum nostrum afflixit, & non modicum sollicitunis & doloris ingessit. Cùm enim oportuerit eum de corrigendis iis, quæ ab Antecessoribus suis malè commissa fuerant, cogitare, ipse potiùs prævaricationibus prævaricationes adjiciens, tam iniqua Statuta sub Regiæ Dignitatis obtentu & posuit & firmavit, sub quibus & libertas perit Ecclesiæ, & Apostolicorum virorum Statuta, quantum in eo est, suo robore vacuantur. Nec credidit debere sufficere, si ab eo Divinæ Leges in Regno Angliæ silentium & vacationes susciperent, nisi peccatum transmitteret ad hæredes, & longo tempore faceret sinè Ephod, & sinè superhumerali Regnum suum sedere. Inde fuit quòd iniquas illas usurpationes absque ulla exceptione vestro & aliorum Fratrum & Co-Episcoporum vestrorum juramento fecit firmari, & plectendum judicavit ut hostem, quicumque vellet ab iniquis illis consuetudinibus dissentire. Indicat hoc venerabilis Thomæ Cantuariensis Archi-Episcopi exilium, demonstrat & hoc Clericorum & consanguineorum ejus, illorum etiam qui adhuc pendentes ab uberibus Matris vagiebant in cunis, miseranda proscriptio, & metus mortis incutitur, si ad hæc cujusquàm animus erigatur, ut contra Statuta illa Divinis Legibus velit obedire. Nos ipsi, quorum judicio prævaricationes illæ corrigendæ fuerant aut plectendæ, ad confirmationem illarum sub occasione temporis impacati multa instantia fuimus provocati, & laboratum est exactione non modica, ut usurpationibus illis, cùm nondùm nobis expressæ fuissent, authoritatis Apostolicæ conferremus firmitatem. Et hoc equidem à principio. Processu verò temporis exulante pro debito Pastoralis Officii jam dicto Archi-Episcopo, & consuetum Romanæ Ecclesiæ subsidium ab officio nostro sæpiùs requirente, misimus ad jam dictum Regem de melioribus & majoribus Fratribus nostris, misimus & alias Ecclesiasticas personas, & putavimus quod duritias ejus in nostra humilitate & mansuetudine frangeretur, & fieret quod Salomon dicit: *Patientia lenietur Princeps, & Lingua mollis frangit iram.* Ipse verò sufferentiam nostram multiplici Legatorum arte deludens, usque adeò contra Monita nostra videtur animum obdurasse, ut nec contra prænominatum Archi-Episcopum deserveat, nec de perversis Statutis illis quidquàm minui patiatur: immò & ipsam Cantuariensem Ecclesiam plurimo detrimento possessionum suarum afficiat, & in ipso eam Ecclesiastico ministerio antiqua spoliet dignitate. Nuper enim cùm filium suum coronari voluerit, contempto eodem Archi-Episcopo, ad cujus hoc officium de antiquo jure dicitur pertinere, per manum tuam Frater Archi-Episcope, & in aliena Provincia, diadema fecit imponi. In Coronatione autem illius nulla ex more de conservanda Ecclesiæ libertate cautio est præstita, vel sicut ajunt, exacta, sed juramento potiùs dicitur confirmatum, ut Regni consuetudines, quas avitas dicunt, sub quibus dignitas periclitatur Ecclesiæ, illibatas omni tempore debeat conservare. In quo etsi multum prænominati Regis vehementia nos conturbat, ampliùs tamen de vestra & aliorum Co-Episcoporum vestrorum possumus infirmitate moveri; qui quod dolentes dicimus, *facti sunt arietes non habentes cornua; Abjistis absque fortitudine ante faciem subsequentis.* Et si licere fortè tibi,

Frater

Frater Archi-Episcope, in propria Provincia potuisset, quomodò tamen in aliena Provincia, & illius præcipuè, qui exulare pro justitia, & ferè solus, exire voluit, & dare gloriam Deo, tibi licuerit, nec de ratione possumus nec de Sanctorum Patrum constitutionibus invenire. Quod si ad excusationem tantæ prævaricationis quisquam objiciat, in aliis quoque Regnis gravia plurima & enormia perpetrari, in veritate possumus respondere, quòd nullum adhuc Regnum in tantum Divinæ Legis contemptum invenimus corruisse, ut scriptis & juramentis Episcoporum tam manifestas enormitates fecerit communiri. Nisi quisquàm illud impudenter alleget, quod schismatici postmodum, & à fidelium communione præcisi inaudita & damnabili superbia commiserunt. Unde quia juxta verbum Prophetæ, factum est in vobis perversum quid ultra omnes alias Provincias in usurpationibus suis, & post tam iniquas consuetudines juramento firmatas non adjecistis resumere scutum fidei, ut staretis pro Domo Domini in die prælii, sed posuistis corpus vestrum in terra, ut per vos fieret via transeunti. Nesi diutiùs tacuerimus, una vobiscum in die judicii damnationis sententia involvamur, authoritate Sacrosanctæ Romanæ, cui Deo authore ministramus, Ecclesiæ, ab omni officio Episcopalis vos suspendimus dignitatis, sperantes quòd sub disciplina saltem & paterno verbere constituti, redire tandem ad cor, & de tuenda debeatis libertate satagere. Si verò nec sic Episcopalis officii zelum resumpseritis, nos adhuc authore Domino, quod nobis imminet, faciemus. Vos videte ne illud vobis dicatur, quod cuidam dictum est per Prophetam: *Quia tu scientiam repulisti, repellam te ne Sacerdotio fungaris mihi*. Nos enim quia locum illius, Deo, prout ipsi placuit, disponente, conspicimur obtinere, qui à prædicatione verbi Dei nec verberibus, nec vinculis potuit coerceri, non debemus sub ambigua exspectatione pacis creditam nobis Divini verbi pecuniam reponere in sudario, & alligatam eam tamdiu servare, donec paulatim lucrandi hora decurrat, & creditor veniens nos conveniat de reddenda ratione. Datum Ferentini decimo sexto Calendas Octobris.

## EPISTOLA LXVIII.

*Alexander Papa Londoniensi & Saresberiensi Episcopis.*

QUAMVIS curæ Pastoralis officium & in suavitate olei, & in austeritate vini nos oporteat exercere, & his qui subesse videntur, nunc mollia, nunc dura proponere, in voluntate tamen nostra esset ac desiderio, ut in omnibus, & præsertim in Fratribus & Co-Episcopis nostris ita totius se subtraheret austeritatis occasio, ut semper eos & confortare in bono, & exhortari ad melius blandis solummodò & dulcibus deberemus. Quia vero refrigescente charitate multorum, & abundante malitia eò infelicium temporum horum processit iniquitas, ut hi etiam qui ad ducatum constituti sunt, & regimen aliorum, vix aliquoties in omni severitate à suis voluntatibus revocentur, contra eos interdùm virgam cogimur extendere disciplinæ, quos ad correctionem aliorum adjutores habere deberemus. Quid sanè causæ venerabilem Fratrem nostrum Thomam Cantuariensem Archi-Episcopum, Sedis Apostolicæ Legatum à Sede sua exulare compulerit, non oportet litteris præsentibus annotare, quoniam & vos præsentialiter aspexistis, & per totam ferè Occidentalem Ecclesiam fama celebris divulgavit. Et pro ipso quidem ad Creatorem nostrum in commune resonare debet gratiarum actio, & vox laudis, qui ut redimus, vexatus in paucis, in multis benè disponetur, quoniam Deus tentavit illum, & invenit dignum se. De vobis autem non sine admiratione ferimus, quòd spiritu compassionis amisso, à tribulatione ipsius ita miserationis oculum avertistis, ut dicere potuerit, quod vir ille justus & timoratus Job inter flagella positus querebatur dicens: *Fratres mei præterierunt me, sicut torrens, qui raptim fluit in convallibus*. Poterat vobis satis Divini judicii terrorem incutere, quòd non ascendistis ex adverso, nec posuistis vos murum, ut staretis pro Domo Domini in die prælii, quòd facti estis sicut arietes non habentes cornua ante faciem subsequentis. Vos insuper in eum, qui unus de tanta multitudine zelatus est Legem Domini, convertistis prælium, & sicut ait Propheta, desuper tunicam abstulistis & pallium. Cùm enim bonæ memoriæ Theobaldus, prædecessor ejusdem Archi-Episcopi, charissimo Filio nostro Henrico Anglorum Regi Coronam, sicut dicitur, imposuerit, cùm etiam Antecessor ipsius Regis ab eodem Coronam acceperit, ac per hoc Cantuariensis Ecclesia quasi possessionem hujus dignitatis haberet, vos nunc novi Regis Coronationi eo irrequisito, in Provincia ejus, ministerium sivè assensum vestrum præbere, nobis authoritate Apostolica & litteris inhibentibus, præsumpsistis. Et qui relevare ipsius exilium qualibuscumque solatiis debuistis, aggravastis potiùs causam ejus, & super dolorem vulnerum ipsius, quod mœrentes dicimus, addidistis. In quo facto, si contra personas vestras, non quantùm culpa exigit, moveamur, pertansire tamen hoc sub silentio non debemus, ne fortè, quod Deus avertat, & nos & vos sententia Divinæ severitatis addicat, si vobis, ut ait Propheta, parietem erigentibus nos eum luto absque paleis liniamus, & similibus aditum pandamus excessibus; si ea quæ in oculis etiam omnium perperam acta sunt, neglexerimus vindicare. Noveritis itaque vos tamdiu ab Episcopali officio, commissa nobis à Deo authoritate, suspensos, donec ad Sedem Apostolicam de tanto excessu satisfactum accedatis, nisi per præfatum Archi-Episcopum steterit. Si verò ita eidem Archi-Episcopo & Cantuariensi Ecclesiæ satisfacere curaveritis, ut pœnam istam ipse videat relaxandam, vicem nostram per eum volumus adimpleri. Datum Tusculi octavo Calendas Decembris.

## EPISTOLA LXIX.

*Alexander Papa Londoniensi & Saresberiensi Episcopis.*

QUAMVIS curæ Pastoralis officii, &c. usque ibi: *Noveritis* itaque tamdiu vos ab Episcopali officio, commissa nobis authoritate, suspensos, & etiamsi pax completa non fuerit, in sententiam anathematis revocatos, quia pro impetrata apud nos gratia juxta spem nostram ad reconciliationem magis laborare debueratis, & à jam dicti Archi-



Archi-Episcopi gravamine abstinere, donec ad Sedem Apostolicam de tanto satisfacturi excessu accedatis, nisi per præfatum Archi-Episcopum steterit. Si verò ita eidem Archi-Episcopo.

In eundem modum Eboracensi Archi-Episcopo, præter quàm de relaxatione suspensionis, quam sibi reservat Dominus Papa.

## EPISTOLA LXX.

Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Dilectæ Filiæ suæ Idoneæ.

*Thomas Dei gratia Cantuariensis Archi-Episcopus, & Sedis Apostolicæ Legatus, Dilectæ Filiæ suæ Idoneæ salutem, & perseverantem in virtute obedientiæ & justitiæ zelo vigorem.*

INFIRMA mundi elegit Deus, ut fortia debellaret, intumescentemque contra Deum audaciam Holofernis, viris deficientibus, Ducibus exanimatis, & Sacerdotibus ferè deserentibus Legem, fœminæ virtus exstinxit. Hester electa est, ut exulantis & condemnatæ Ecclesiæ salutem procuraret, titubantibus Apostolis, fugientibus, & quod magis est, in perfidiam laptis, Dominum passioni addictum prosecutæ sunt mulieres, & quod amplioris est fidei manifestum, etiam mortuo obsecutæ meruerunt Angelorum visu & alloquio confortari, & percipere Dominicæ resurrectionis primitias, & latentibus Apostolis & ferè desperatione submersis, Redemptoris gloriam & Evangelii gratiam nunciare. Speramus autem te in illarum Deo authore transituram esse consortium, quarum Christi zelo succensa apprehendis exemplum: quia Spiritus charitatis, qui à corde tuo timorem expulit, per gratiam suam faciet, ut tibi, licèt ardua videantur, quæ necessitas Ecclesiæ fieri constantiùs & instantiùs exigit, non modò possibilia, sed facilia sint credenti. Hac ergo de fervore, quem habes in Domino, spe concepta, tibi mandamus, & in remissionem peccatorum injungimus, quatenùs litteras Domini Papæ, quas tibi mittimus, venerabili Fratri nostro Rogerio Eboracensi Archi-Episcopo tradas, si fieri potest, præsentibus Fratribus, & Co-Episcopis nostris; aut si eos præsentes habere nequiveris, hoc ipsum facias in præsentia eorum, quos adesse contigerit. Et ne originale scriptum possit aliqua tergiversatione supprimi, transcriptum ejus legendum circumstantibus tradas, & eis, prout pleniùs te Nuncius instruet, mentem aperias litterarum. Labori tuo, filia, præmium grande proponitur remissio peccatorum, fructus immarcessibilis, & corona gloriæ, quam tandem Beatæ peccatrices, Magdalena & Ægyptiaca deletis totius anteactæ vitæ maculis, à Christo Domino receperunt. Aderit tibi magistra misericordiæ, Filium, quem pro mundi salute edidit, Deum & hominem rogatura, ut tui sit dux, comes, & patronus itineris. Et qui inferni claustra dirumpens Dæmonum contrivit potestatem, licentiam coarctavit: ne tibi nocere valeant manus cohibeat impiorum. Vale Sponsa Christi, & eum cogites semper esse præsentem.

## EPISTOLA LXXI.

*Alexander Papa Rotrodo Rothomagensi Archi-Episcopo.*

CUM hi, qui superiorem obtinent dignitatem, ita virtutis & fidei robore deberent muniri, ut pro justitia & pro Ecclesiastica libertate tuenda se ipsos inexpugnabilem murum opponerent, dolemus admodùm, quòd plus in Episcopis Angliæ terreni Principis reverentia, quàm Pontificalis honor valuit dignitatis. Ipsi, non solùm consuetudines, quas Rex eis proposuit Ecclesiasticæ rationi contrarias, juraverunt, sed etiam Filio ejus, in depressionem dignitatis & justitiæ venerabilis Fratris nostri Thomæ Cantuariensis Archi-Episcopi & Ecclesiæ suæ, coronam imposuerunt. Quia verò tam gravem & enormem excessum nec possumus nec debemus relinquere impunitum, Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, & in virtute obedientiæ præcipimus, quatenus litteras, quas Eboracensi Archi-Episcopo & Episcopis Angliæ dirigimus, per Nuncium tuum, postposita occasione, transmittas, & facias assignari. Præterea, utrum Bajocensis & Sagiensis Episcopi coronationi quam diximus, interfuerint, diligenter inquiras. Et si eos interfuisse repereris, nobis ut in eos vindicemus, significes. Sanè prædictum Sagiensem, qui ministerio Dei neglecto tanquàm Curialis factus est, sicut dicitur, Rusticorum spoliator, & scelerum ultor, si ita est, vel ministerio Regio, aut Episcopatui abrenunciare compellas. Si enim Curiales prohibentur ad sacros ordines promoveri, multò minùs, qui sunt in sacris ordinibus constituti, inter Curiales debent assumi.

## EPISTOLA LXXII.

*Joannes Saresberiensis Petro Abbati Sancti Remigii Domino suo unico Joannes ..... Salutem, & utriusque vitæ successus.*

DIUTURNI causas silentii reddere non oportet, cùm terrarum jam à multo tempore sint subtracta commercia, & intermeantibus de gente in gentem sine dispendio salutis, & vitæ periculo transire non liceat. His verò, qui suspecti habiti sunt, diligentiùs præcavendum est, ne ex aliqua probabili occasione publicæ potestatis iram incurrant. Quia dum timet unusquisque quod meruit, adversùs eum quem injustiùs & atrociùs læsit, faciliùs excandescit. Nam ut ait quidam satis eleganter & verè: *Rumor de veteri, faciet ventura timeri. Cras poterunt fieri turpia, sicut heri.* Ex quo enim Altissimus patiens quidem, sed procul dubio redditor justus erexit dexteram in retribuendo, & arripuit judicium manus ejus, timent plurimi, ne ira se ad invicem collidentium potestatum transeat in furorem, & declinant impetum, donec justitia in judicium convertatur, & ex conversione vel contritione impiorum consilium Domini innotescat. Interim præstolamur in silentio salutare Dei, certum habentes, quòd patientia pauperum non peribit in finem. Nunc plurimùm siquidem necessari aest, nunc opus est animis, nunc pectore firmo in Domino. Audiuntur enim undique terrores & opiniones bello-

bellorum. Crebrefcunt incendia, & qui hoftes debuerant expugnare, in prædicta tranfeunt. Et non modò ab Aquilone, fed à quatuor ventis Cœli in perniciem populorum olla fuccenditur. Nam à generatione ifta, non modò Filii Barachiæ fanguis, qui plufquam inter templum & Altare nuper effufus eft, nunc requiritur, fed etiam aliorum, qui ob eandem caufam damna, ludibria, & verbera experti profcripti funt, incarcerati funt, in exilium miffi funt, & ferè de toto orbe Latio, unde migraverunt ad Dominum, paffionum fuarum debitam, & quæ Deum deceat, profit Ecclefiæ, expetunt ultionem. In his itaque lætantur jufti, qui vident vindictam juftitiæ confonam Dei gloriæ militare, lavantes utique manus fuas in fanguine peccatorum. Hæc fummatim de his, quæ publicantur apud nos, ubi folus ille tutus eft, quem furor exagitat, aut quem Spiritus Sanctus efficit omnium temporalium contemptorem. Foris enim adftat gladius, timor intus: civis & hoftis in eodem ferè verfantur calculo. Noftra autem fors conviventibus adæquatur, nifi quod inter Scyllam & charybdim periculofiùs navigantes, evidentior fupra & contra merita noftra Dei propitiatio benigniùs confolatur. Nam ut fibi magis reddat obnoxios, intentata è vicino oftendit pericula, & validiùs irruentia fæpè longiùs fortiùfque repellit, ut meritò dicere debeamus: qui Dominum Jefum, velit nolit Mundus, fuper omnia benedictum non diligit, anathema fit. Veftra autem, quæ in partibus noftris funt, multis periculis exponuntur. Noftri potentes circumquaque in lupos converfi funt, quos improba ventris agit ingluvies, ut jura poteftatefque contemnant. Et nifi hominis, cui domum commififtis, laboriofa & efficax fubveniffet induftria, jam nullo aut raro coleretur habitatore. Qualem verò illam invenerit, alia vice me vobis fcripfiffe memini, & à memoria veftra non arbitror excidiffe. Cùm enim illuc in propria perfona accedere non valerem, diligentem de Domefticis noftris exploratorem direxi, & audita per eum ftatus melioratione manifefta, gavifus fum. Jam enim res directæ erant in hunc articulum, ut fi Dominus pacem daret, & ibi miniftrantibus poffent fufficere, & humilitatem debitam hofpitibus pro loci modulo laudabiliter exhibere. Siquidem Fratres ibi degentes, tam Epifcopi, quàm officialium ejus, fed & vicinorum gratiam meruerunt, poffentque amodò amicorum fubfidio per gratiam Dei & fuam induftriam dilatari, nifi conatibus eorum tempeftas ingruens obviaret. Sed licèt vicini undique, qui munitiones cuftodiunt, ab eis fæpè multa extorqueant, tamen pro viribus follicitì funt Deo & Domino fuo Sancto Remigio fervare fidem, & veftris per omnia juffionibus obedire. Frater Abfalon cum reditu noftro defiderabat pertranfire ad nos, fed propter imminentia pericula, meo & Fratris mei confilio, reverfus eft ad domum, cui, fi abeffet, defolatio imminebat. Canonem verò conftitutum depofuit in manu veftri Richardi, ut illum recipiatis de manu ejus, fi fortè Deus commodiorem intermeandi dederit facultatem. Et quia malitia invalefcit, ut oporteat Fratres, qui in Domo veftra funt, urgente neceffitate poft latrones & prædones per Caftella difcurrere, ut neuter eorum interdum Domi inveniatur, nobis, fi placeret vobis, & confilio veftro, videretur admodùm expediri, ut etiam cum diminutione aliqua penfionis mitteretis aliquem honeftum, & ad neceffitates Monafterii compofitum Fratrem, qui poffet illis effe folatio, & in abfentia aliorum adventantibus refpondere, & fua præfentia teftificari locum Religionis titulo Domini confecratum. Nam fi ibi multiplicior apparuerit Religioforum numerus, procul dubio major ab incolis Domini reverentia exhibebitur, & malefactorum improbitas faciliùs conquiefcet.

## EPISTOLA LXXIII.

*Alexandro Papæ Thomas Cantuarienfis Archi-Epifcopus.*

QUAM juftis & quàm honeftis conditionibus cum Domino noftro Rege Anglorum pacem fecerimus, ad veftram notitiam tam ex noftra, quàm multorum intermeantium relatione credimus perveniffe. Et qualiter idem Dominus nofter refilierit à pactis & promiffionibus fuis. Quod tamen non tam illi credimus imputandum, quàm Sacerdotibus Baal & falforum Filiis Prophetarum, qui totius difcordiæ incentores ab initio extiterunt. Sed horum omnium primicerii funt Eboracenfis ille, & Epifcopus Londonienfis, qui quondam cùm effetis Senonis, à vobis redeuntes, Domino Rege nondum adito vel audito, nos in Curia Clementiæ veftræ pedibus affiftentes poffeffionibus noftris fpoliare non timuerunt, cùm illis indubitanter conftaret nos duarum appellationum caufas apud vos exercere; utpotè qui appellati. Cùm ergo hi Baalamitarum figniferi, nos cum Domino Rege pacem feciffe audiffent, accitis fibi Saresberienfi & aliis complicibus fuis, circumjerunt mare & Aridam, ut initam pacis refcinderent unitatem, per fe & per alios Domino Regi & fuis fuadentes concordiam Regno inutilem & inhoneftam effe, nifi donationes Ecclefiarum noftrarum, quas Rex fecerat, ftabiles manerent, & nos cogeremur Regni confuetudines, fuper quibus inter nos eft orta contentio, obfervare. Adeoque profecerunt in perverfitatibus fuis, ut eorum inftinctu Dominus Rex omnes redditus noftros & noftrorum poft pacem in Fefto Beatæ Magdalenæ factam ufque ad Feftum Beati Martini abftulerit, tunc demùm nobis cedens domos vacuas & horrea demolita. Clerici tamen fui, fcilicet Gaufredus Ridel Archi-Diaconus nofter, & Nigellus de Saccavilla duas Ecclefias noftras, quas de manu Laica acceperunt, adhuc detinent occupatas: & ipfe plures Ecclefiæ noftræ poffeffiones, quas fe in pacis reformatione promiferat redditurum, contradicit. Et licèt aliter, quàm ipfum deceret, contra pacta fua, ut pluribus notum eft, verfaretur, nos tamen enormia damna Ecclefiæ & irreparabilia videntes, & præcaventes graviora, noftro & Dominorum Cardinalium præeunte confilio, ad Ecclefiam noftram laceratam & conculcatam decrevimus, ut fi eam non poffemus erigere & reformare, faltem cum ipfa pereuntes, confidentiùs pro ipfa præfentes fpiritum redderemus. Quod cùm illi Nuncii noftri certiùs didiciffent, ambiguum eft, quid veriti confilium iniverunt cum Officialibus Regis, & fceleratiffimo illo Filio perditionis Randulpho de Broc, qui in Ecclefiam Dei publicæ poteftatis abutens juribus



bus jam per feptem annos licentiùs debacchatus eft. Decreverunt ergo, ut armata manus portus maris, ad quos nos venturos fufpicabantur, militum & Satellitum cuftodia & diligentia obfervaret, ne terram poffemus intrare: quin fupellectilem noftram curiofiùs perfcrutarentur, & omnes litteras, quas impetravimus à Majeftate veftra, nobis auferrent. Sed nutu Divino contigit, ut machinamenta eorum nobis per Amicos innotefcerent, quæ impudentia eorum ex nimia præfumptione non patiebatur effe abfcondita. Nam Satellites, quos prædiximus, armati littora circumibant, greffus fuos dirigentes, prout eis jam dicti Eboracenfis, & Londonienfis, & Saresberienfis Epifcopi dictabant. Elegerant enim ad executionem hujus malitiæ, quos nobis noverant maximè effe infeftos: fcilicet Randulphum de Broc, Raginaldum de Warenne, Gervafium Cantiæ Vice-Comitem, qui palam minabantur, fi fortè præfumeremus applicare, nobis caput amputaturos. Sæpedicti verò Epifcopi Cantuariam venerant, ut fi Satellites publicæ poteftatis non infanirent fatis, eos ampliùs inftigarent. Itaque confiliis eorum diligentiùs exploratis, una die antequam mare ingrederemur, præmiffæ funt litteræ veftræ; fed & illæ, quibus Eboracenfis fufpendebatur, & Londonienfis & Saresberienfis revocabantur in fententiam anathematis, eis traditæ funt. Die fequenti navem adfcendimus & Angliam pervenimus navigatione felici, adducto nobifcum ex mandato Domini Regis Joanne Decano Saresberienfi, qui armatos, quos prædiximus, vidit, non finè dolore & rubore accelerantes ad navigium noftrum, ut adventantibus vim inferrent. Præfatus ergo Decanus timens, ne fi quid nobis aut noftris mali inferretur, in Domini Regis redundaret infamiam, obviam proceffit armatis, denuncians eis ex parte Domini Regis, ne nos aut noftros læderent, quia hoc effet ipfum Regem, cum quo pacem feceramus, nota proditionis inurere, perfuafitque eis, ut ad nos accederent inarmati. Illi tamen, quia Simonem Senonenfem Archi-Diaconum nobifcum adduxeramus, qui Amicos, quos habet in Anglia decreverat vifitare, exegerunt ab eo juramentum fidelitatis, quo fe Regibus noftris contra omnes homines obligaret, nec vos excipientes, nec alium. Sed nos non permifimus, ut talis obligatio præftaretur, veriti ne Clerus Regni ad fimile juramentum cogeretur authoritate exempli, fi domeftici noftri obligationes hujufmodi præftitiffent. Quod utique in difpendium Sedis Apoftolicæ, ut authoritas ejus evacuetur aut minuatur, in Regno moliuntur fæpedictus Eboracenfis & Londonienfis & Saresberienfis, & complices fui. Officiales verò qui juramentum exegerant, pauciores erant quàm ut nos poffent contra voluntatem noftram in eo loco ad aliquid cogere, eò quòd populus reditui noftro gaudens, fi vires pararentur, fortior erat. Inde ad Ecclefiam noftram venientes, cum magna devotione à Clero & populo recepti fumus, licèt intrufi adhuc violenter incubent Ecclefiis noftris, in quibus in omni pefte & vexatione Ecclefiæ præcipui funt Gaufredus Ridel Archi-Diaconus nofter, & Nigellus de Saccavilla Clericus ejus; Quorum alter fcilicet Gaufredus occupat Ecclefiam de Otteford, alter, videlicet Nigellus de Saccavilla Ecclefiam de Herges, quas cum fructibus perceptis nobis & Clericis noftris quorum funt ex mandato veftro reddere debuerant. Præcepiftis enim Domino Rothomagenfi & Epifcopo Nivernenfi, ut eos abfolverent accepto fecundùm morem Ecclefiæ Sacramento, & præciperent authoritate veftra nobis Ecclefias cum fructibus refignari. Poftquàm verò ad Ecclefiam noftram venimus, incontinenti nos adierunt Officiales Regis, denunciantes ex parte ipfius, ficut eos Dominus Eboracenfis, & Londonienfis, & Saresberienfis Epifcopi informaverant, ut fufpenfos Epifcopos & excommunicatos abfolveremus, quia quod contra eos factum fuerat, in injuriam Regis redundabat, & in everfionem confuetudinum Regni, promittens Epifcopos Provinciæ noftræ poft abfolutionem venturos effe ad nos, & juri falvo honore Regni libenter parituros. Nos autem refpondimus non effe judicis inferioris, ut fuperioris fententiam folvat, & quòd nulli hominum licet infirmare, quod Apoftolica Sedes decreverit. Quia tamen illi inftantiùs perurgebant, & minabantur Dominum Regem, nifi eis adquiefceremus, mira & ftupenda facturum, diximus eis, quod fi Londonienfis & Saresberienfis Epifcopi jurarent coram nobis in forma Ecclefiæ, fe veftro mandato parituros, nos pro pace Ecclefiæ & reverentia Domini Regis cum confilio ipfius, & Domini Vintonienfis, & aliorum Fratrum noftrum, fubjiceremus periculo, & faceremus inde quidquid falva reverentia veftra, & eos tanquam Fratres in Chrifto chariffimos diligeremus, & in omni manfuetudine & humilitate tractaremus. Quod cùm Epifcopis ab intermeantibus referretur, refpondit Eboracenfis, quærens feditionis confortes, & fchifmatis incentores, juramenta hujufmodi, nifi de voluntate Regis non debere præftari, præfertim ab Epifcopis, quia erat contra dignitatem Principis & confuetudines Regni. Ei verò ex parte noftra refponfum eft, quòd iidem Epifcopi anteà à nobis excommunicati fuerant, & non nifi præftito juramento, cùm nos multis follicitationibus interpellaffent, abfolvi meruerant. Et fi noftra fententia finè juramento Epifcorum folvi non debuit, multo minùs veftra, quæ longè fortior eft, & incomparabili nobis & mortalibus cunctis authoritate fubnixa. Ad quam refponfionem, ficut nobis retulere qui præfentes aderant, Epifcopi adeò moti funt, ut decreverint venire ad nos, & fecundùm morem Ecclefiæ recipere abfolutionem, non ducentes tutum, ut pro confervandis Regni confuetudinibus Ecclefiæ fe opponerent, & impugnarent Apoftolicas Sanctiones. Sed homo pacis inimicus & Ecclefiæ turbator Eboracenfis diffuafit, confulens ut potiùs adirent Dominum Regem, qui eis femper patrocinatus eft, & Nuncios mitterent ad novum Regem, qui perfuaderent ei, quòd eum deponere volumus, cùm nos, Deo tefte, fi ipfe Ecclefiæ profuturus eft, mallemus eum non modò unum poffidere, fed ampliffima & plura Regna terrarum. Hujus verò Legationis fignifer eft Archi-Diaconus nofter, nam Eboracenfis & duo præfati Epifcopi citiùs transfretarunt, ut quod Deus avertat, circumveniant Dominum Regem, & adversùs Ecclefiam exacerbent iram ejus. Fecerunt autem evocari fenas perfonas vacantium Ecclefiarum, ut confilio eorum contra Canones coram Rege, in alieno Regno, Fratribus fuis abfentibus, cele-

celebrent electionem Episcoporum Provinciæ nostræ. Quòd si sic electos voluerimus consecrare, videntur sibi habere causam seminandi discordiam inter nos & Dominum Regem. Nihil est enim, quod magis timeant, quàm pacem Ecclesiæ, ne fortè videantur opera eorum, & corrigantur excessus. Cætera plura supplebit Nuncius, quæ ne tædium parerent, schedulæ non ce nsuimus inserenda. Vos, si placet, preces nostras clementer audite.

## EPISTOLA LXXIV.

*Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Hugoni Comiti.*

LICET charitatis vestræ Sermonibus, Canonicorum quoque litteris inspectis, quibus se liberalitatis vestræ quotidiana beneficia experiri attestabantur, adeò exhilaratus est spiritus meus, quòd omnia interiora mea laudem germinaverunt, illum prosequens multiplicium gratiarum actione, de cujus munere venit tam fructuosa, tam salubris & præclara conversio vestra. Ista quippe vobismet in Cœlis gloriam, nobis in spiritu lætitiam, sed & toti Regno suavissimum exempli præstat odorem. Ità ut cæteri Crucis Christi inimici, à vobis discere valeant, si velint, Diaboli jugum excutere, & post nos currere in odorem unguentorum vestrorum. Inde etiam est, quòd nos deinceps omni tempore vestro & vestrorum honori & profectui, favente Domino, studiosiùs intendemus, utpotè qui in nostræ pacis initio, ante etiam quàm terram ingrederemur, mandatum nostrum & consilium non minùs magnificè, quàm benignè consummastis, cæteris similiter faciendi vos-ipsum præbens exemplar. Veruntamen non modicum nos arctat pro Sacerdotibus illis inobedientibus tam vigens precum vestrarum instantia. Novit quippe discretio vestra, charissime Fili, quia sicut humilis paupertas remuneranda est, ita superba punienda. Clerici verò illi pauperes, sicut scribitis, quàm contumaciter, quàm superbè inobedientes exstiterint, & repugnaverint, attendatis, si placet, & vos ipsi, nec dubito, precibus denegabitis locum, si delinquentium pensetis excessum. Isti enim sunt, qui in manifesta inobedientia persistentes, in ipsum pugnaverunt Deum, mundo fecerunt scandalum & planctum. Insuper totum Corpus Christi detestabili quadam exempli pernicie polluentes, qui, ut jam diximus, in manifesta inobedientia persistentes, Corpus Christi conficere, & alia etiam Divina celebrare præsumpserunt. Ad quod ministerium homines, etiamsi Angelicam induerent puritatem, adhuc procul dubio forent indigni. Sed non pergimus nunc istorum exagitare flagitia, ne cogamur eorum exasperare supplicia. Et pro certo, nisi pro vestræ intercessionis mihi admodùm acceptæ reverentia, infructuosæ arbores securi ad radices posita omninò succiderentur. Verùm quos propria damnat in æternum iniquitas, postulationis vestræ gratia non modicam misericordiam consequentur. Sic tamen volumus eos manere, donec sicut speramus, proximè veniamus, & videamus nos interdictorum absolutione vestra, quantum secundùm Deum poterimus, desideria completuri. Huic verò præsentium Bajulo ob Reverentiam vestram, & dilectionem, quam charam habemus omnimodis & acceptam, interim evangelizandi usum indulsimus, baptizandi quoque & tribuendi viaticum, si tamen id ultima mortalium cogat necessitas.

## EPISTOLA LXXV.

*Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Wilhelmo Norwicensi Episcopo.*

QUOD nobis chara Fraternitas vestra significavit in absolutione Nobilis viri Hugonis Comitis, omnia solemniter & ex ordine juxta mandatum nostrum fore completa, non modicum gratulati sumus. De ove quippe perdita gaudio magno gavisi sumus, quòd humeris pii Pastoris per avia deserti sit reportata ad gregem. Quod verò adjecistis ad omnipotentem Deum nos erigere manus, qui his ultimis diebus terram respicere dignatus est, pariter & anima mea magnificat Dominum, qui magnificè egit nobiscum, statuens procellam nostram in auram, & motum fluctuum mitigans. A quo etiam nunc desideranter id oramus, ut mereamur videre vos antequàm abeatis & avoletis ab hac Regione mortalium in illam æternorum, ubi sunt Concives vestri & domestici Dei. Speramus siquidem, quòd ex præsentia vestra non modicum impartietur pusillanimitati nostræ gratiæ spiritualis ad confirmandos nos: quia benedictus Deus, qui in his diebus posuit vos Columnam Domus suæ immobilem. De Clericis illis interdictis, pro quibus illustris Comes Hugo nobis scripsit, nihil in præsentiarum mutare statuimus, sed sic volumus eos manere, donec favente Domino nos ipsi veniamus, vestro super his & aliis Ecclesiæ negotiis consilio fruituri. Verumtamen huic præsentium bajulo propter mittentis reverentiam, proprio etiam ipsius compatientes labori, evangelizandi usum indulgemus, baptizandi quoque & tribuendi viaticum, si tamen ultima vitæ cogat necessitas. Valete.

## EPISTOLA LXXVI.

*Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo Wilhelmus Norwicensis Episcopus.*

SECUNDUM formam mandati vestræ Sanctitatis Clericos de Terra Comitis Hugonis, qui post interdictum Domini Papæ in terra ipsius Divina celebrare præsumpserunt, accepto ab eis sacramento quòd vestro mandato stabunt, absolvimus, interdicentes eis, ne Divina celebrarent. De quorum numero latores præsentium, Gilbertus & Baldewinus Presbyteri sunt, quos ad pedes vestræ Sanctitatis suspensos cum litterarum nostrarum testimonio dirigimus, quia ipsi miserabiliter ad nos accedentes id à nobis impetraverunt, sperantes misericordiam vestram prævenire potiùs, quàm exspectare judicium. Semper Valete.

## EPISTOLA LXXVII.

*Alexandro Papæ Ægidius Ebroicensis Episcopus.*

CIRCA meæ vocationis initia vestræ debueram pedibus Majestatis advolvi, & ibi infirmitatis



tis meæ remedia quærere, ubi summi consilii Angelus salutaris consilii posuit firmamentum. Verùm ad hæc & alia debiti nostri officia exequenda peccatis exigentibus impedimur, maximè cum citra spem omnium graviora solito apud nos & citra nos scandala oriantur. Cùm enim post multos labores & totius fere Ecclesiæ graves molestias, & illam sollicitudinem, quam in sacrario pectoris vestri quasi Crucem assiduam portabatis, ad pacem Cantuariensis Archi-Episcopi animum gloriosi Regis Anglorum ad preces vestras, & juxta vestri formam mandati Divina clementia inclinasset, & audita pace omnium bonorum voces exultarent & corda, & ipse Cantuariensis Archi-Episcopus salvo, sano, honestoque commeatu transisset in Angliam, & omnes in adventu suo vocem jucunditatis & Canticum præstolarentur lætitiæ, versa est in luctum cithara eorum & tantam Regiæ Serenitatis perturbationem, afflictionemque Ecclesiarum, totiusque populi ferè desperationem accepimus, non possumus graviter non dolere. Quia Domini Regis offensa omnes, qui sub ditione ejus Domino famulantur, gravat, pariter & offendit: & ipso laborante quiescere nec volumus, nec debemus. Quia ergo semel cœpi, loquar ad Dominum meum, cùm sim pulvis & cinis. Meminerit, quæso Pater Sanctissime, prudentia vestra, quòd Sancta animalia oculos antè & retrò habentia describuntur, & ad designandam mundiciam animalium, ungulæ fissuram Legis-Lator non tacuit, ut in lumine multiplici arduæ discretionis subtilitas, & in fissura ungulæ creditæ nobis dispensationis moderamen suavissimum designetur. Ad hæc à mente vestra non excidit, quòd ubi multorum strages apparet, detrahendum est severitati in pluribus, & occasione unius personæ non oportet totam domum Domini concuti tam graviter & turbari, præsertim cùm Rege peccante, si viam pacis Cantuariensis agnosceret, & diligeret agnitam, plus universali paci Ecclesiæ, plus propriæ per mansuetudinem discretam consuleret, quàm comminationibus coruscando, & omnem potestatis suæ rigorem exercendo proficiat. De cætero nec novum, nec mirum est, humanum animum falli vel fallere. Ad utrumque posuit nobis cautelam magni consilii Angelus dicens: *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Miror qua impudentia vestrę sit serenitati suggestum Regem Anglorum, & Domini Regis Anglorum & Principis nostri Filium professionem Consecrationis suæ tempore debitam non fecisse, & juramentum de quibusdam consuetudinibus conservandis præstitisse. In unius negatione, & affirmatione alterius pari malignitate quassatum. Dico enim vobis coram Deo in animam meam, quòd professionem à prædicto Domino Rege factam audivi in publico. De juramento autem nec post consecrationem, nec tempore consecrationis usque in hanc diem auribus meis vel modicum verbum insonuit. In omnibus his, Pater Sancte, vigilet & provideat sancta discretio vestra, ut quæratis & rogetis quæ ad pacem sunt peregrinantis Hierusalem, ne major in Ecclesia Dei scissura fiat & gravior. Tempus est, Reverendissime Pater, ostendendi & exercendi circa charissimum Filium tuum illustrem Regem Anglorum Apostolicæ viscera charitatis, ut ei respondeat manè justitia sua, humilisque & prompta devotio, quam vobis & Ecclesiæ Romanæ tempore opportuno exhibuit, ut in sinum suum Apostolico moderamine convertatur.

## EPISTOLA LXXVIII.

Alexandro Papæ Ludovicus Rex Franciæ.

*Alexandro Dei gratia summo Pontifici, Ludovicus eadem gratia Francorum Rex, salutem, & debitam reverentiam.*

AB humanæ pietatis Lege recedit Filius, qui Matrem deturbat, neque Creatoris beneficii reminiscitur, qui Sanctæ Ecclesiæ illata turpitudine non tristatur. Unde specialiùs est condolendum, & novitatem doloris excitat inaudita novitas crudelitatis: quoniam in Sanctum Dei insurgens malignitas, in pupillam Christi, gladium infixit, & lucernam Cantuariensis Ecclesiæ, non tam crudeliter quàm turpiter jugulavit. Excitetur exquisitæ genus justitiæ, denudetur gladius Petri in ultionem Cantuariensis Martyris, quia sanguis ejus pro universali clamat Ecclesia, non tam sibi, quàm universæ Ecclesiæ conquerens de vindicta. Et ecce ad tumulum Agonistæ, ut revelatum est nobis, Divina in miraculis revelatur gratia, & Divinitùs demonstratur, ubi humatus requiescit, pro cujus nomine decertavit. Latores verò præsentium Patre orbati vestræ pietati seriem indicabunt, & testimonio veritatis aurem mitissimam adhibete, & tam de isto negotio, quàm de aliis ipsis, tanquàm nobis credite.

## EPISTOLA LXXXIX.

*Alexandro Papæ Ernulphus Lexoniensis Episcopus post mortem Sancti Thomæ.*

CUM apud Regem nostrum pariter congregati de magnis Ecclesiæ, regnique negotiis tractaturi crederemur, subitus nos de Domino Cantuariensi rumor lamentabili mœrore perfudit, adeò ut in momento securitas in stuporem, & consultationes in suspiria verterentur. Per aliquos enim ab Anglis revertentes certa relatione didicimus, quòd quidam inimici ejus, crebris, ut ajebant, exacerbationibus ad iracundiam & amentiam provocati, temerè in eum irruptione facta, quod sinè dolore dicere non possumus nec debemus, personam ejus aggredi & trucidare crudeliter perstiterunt. Ad Regis denique noritiam rumor infaustus quibusdam perferentibus penetravit: quoniam ei non licuit ignorare, quod ad ejus vindictam jure potestatis & gladii videbatur specialiùs pertinere. Qui statim in primis nefandi sermonis initiis ad omnia lamentationum & miserationum genera conversus, Regiam prorsùs Majestatem quasi cilicio immutans & cinere, multò fortiùs Amicum exhibuit, quàm Principem, stupens interdùm & post stuporem ad gemitus acriores, & acerbiores amaritudines revolutus. Tribus ferè diebus conclusus in cubiculo, nec cibum capere, nec consolatores admittere sustinuit, sed mœstitia perniciosiore voluntariam sibi perniciem indicere pertinaciter videbatur. Miserabilis erat malorum facies, & anxia vicissitudo dolorum:

rum: quoniam qui Sacerdotem lamentabamur primitùs, de Regis salute consequenter cœpimus desperare, & in alterius nece miserabiliter utrumque credebamus interiisse. Porrò querentibus Amicis, & Episcopis maximè, quòd eum ad se redire non permitteret, respondit se metuere ne sceleris auctores & complices veteris rancoris confidentia impunitatem sibi criminis promisissent: licèt ipse novas inimicitias recentibus injuriis & frequentibus maleficiis compararat, arbitrari se nominis sui famam & gloriam maledictis Æmulatorum respergi posse, & confingi id ex ejus conscientia processisse, sed omnipotentem Deum se testem invocare in animam suam, quòd opus nefandum, nec sua voluntate, nec conscientia commissum est, nec artificio perquisitum, nisi fortè in hoc delictum sit, quòd adhuc minùs diligere credebatur. Super hoc quoque se judicio Ecclesiæ prorsùs exponere, & humiliter suscepturum, quidquid in eo fuerit salubriter statuendum. Communicato igitur consilio in hoc universorum consultatio conquievit, ut Sedis Apostolicæ sapientiam & authoritatem consuleret, quam spiritu sapientiæ, & potestatis plenitudine Christiana fides prædicat abundantiùs redundare, & apud eam suam studeat innocentiam modis legitimis & Canonicis approbare. Supplicamus ergo, quatenùs secundùm datum à Deo vobis spiritum consilii & fortitudinis tanti sceleris authoribus secundùm Facti immanitatem severitas vestra retribuat, & suam innocentiam Regi pietas Apostolica & statu suo velit affectuosiùs conservare. Omnipotens Deus personam vestram Ecclesiæ suæ per multa tempora conservet incolumem.

## EPISTOLA LXXX.

*Alexandro Papæ Wilhelmus Senonensis Archi-Episcopus.*

INTER scribendum hæc, immò priùs quàm scriberem, mox steti & hæsi dubius admodùm, quo dictionis genere nuper patrati sceleris atrocitatem, & supplicii in Christum Domini recenter illati immanitatem Clementiæ vestræ oculis præsentarem. Et profectò arbitror clamorem Mundi jam vestræ Sanctitatis aures impleviſse, utpotè, qui in Mundi specula residetis, qualiter famosissimus ille, non Rex Angliæ, sed Anglorum potiùs, & Christi inimicus, proximè sit malignatus in Sancto, in Filio dexteræ tuæ, quem confirmasti tibi. Cujus de Mundo hoc excessum & excessus modum, & si fortè ex aliquorum diverso, sivè etiam adverso relatu acceperitis, quod mihi ab his, qui interfuerant, innotuit certiùs, fideliùs intimo, & patrati sceleris ordinem paucis explico, cujus tamen immanitas excogitari non potest. In Natali Domini proxima post Festum Innocentium die, sole occidente circa horam vesperorum, intromissi spiculatores quatuor, qui primi fuerant, ad fortem illum Christi Athletam terribiliter admodùm & fastuosè accesserunt, quorum hic interfero nomina, ut eorum memoria sit in maledictione perpetua, Wilhelmus de Traci, Reginaldus Filius Ursi, Hugo de Morevilla, Richardus Brito, qui in primo à Sancto Viro salutati non resalutaverunt, utpotè, qui jam vias perditionis ingressi, manifestè respuebant salutem. Quin potiùs cervicosè nimis, & asperè in introitu scisciitantes, si Episcopos suspensos sive excommunicatos ad Regis esset illicò absoluturus mandatum. Quo modestè respondente id ad singularis primatus vestri spectare censuram, nec sibi aliquid vendicare, ubi tanta interveniſset authoritas, mox ipsum ex parte Regis diffiduciaverunt, & continuò exierunt ad cohortem, militibus, qui de familia hominis Dei erant, super vitæ periculo & bonorum omnium proscriptione in exitu suo ex parte Regis præcipientes, ut ipsi pariter exirent, & rei eventum taciti & patientes exspectarent. Publicè autem per Civitatem simile Regis exivit edictum. Singularis verò ille in nostris diebus Athleta Christi minas Principum sprevit, & de loco ipso ubi jam velut mortis exceperat Nuncium, ad multam instantiam vix egredi compulsus est, & hoc quidem ne consummari videretur invitus. Deo itaque meliùs dispensante, Metropolitanam Ecclesiam, in ipsius Christi honore dedicatam, ingressus ibidem Christus Domini pro nomine Christi meruit immolari, ubi quotidie immolans & orans, voluntariè se ipsum inter Crucis & Altaris cornua pacificam Deo hostiam obtulit. Nam appropinquante jam hora ipse extento collo & curvata cervice calicem salutaris accepit, & à quatuor prænominatis spiculatoribus decalvatus est, prius tamen probris & multis contumeliis affectus, ut nec ullo passionis Domini sui titulo fraudaretur. Denunciavit etiam, ut familia sua servaretur. Solus itaque Pontifex non sine sanguine intravit in Sancta. Et quia post Viri Sancti transitum operante Domino memoranda quædam ex crebra multorum relatione audivimus accidisse, omninò præteriri non debent. Dicitur namque & constanter asseritur post passionem suam multis apparuisse in visu, quibus perhibet se non mortuum esse, sed vivere, & non vulnera, sed vulnerum tantùm cicatrices ostendit. Age igitur, o homo Dei, quorum tenes sedem, indue fortitudinem, o fili excussorum. Hinc miseratio, inde te moveat indignatio. Unam debes Filio, alteram tyranno. Et hujus in terris auge gloriam, quem de Cœlis tam mirabiliter glorificat Deus. Illi verò præsta ignominiam, qui in terra sua tam horribiliter persecutus est Deum. Qui in visceribus propriæ Matris proprium peremit Patrem, qui proprii ventris tui contorsit latera, excussit viscera, & conculcavit in terra Filium tuum, quem sicut Mater unicè diligebas: &, nescio per quos incircumcisos & immundos, tam perfidè, & tam inhumanè mactavit, Patris non reveritus offensam, nec miseratus ætatem. Quorum igitur sortitus ministerium, sortiaris & zelum: & quia cernis Achab scelus, Heliæ te apprehendat æmulatio. Occidit enim Achab, & possedit. Sed Achab quid? Totius quippe patrati sceleris facie operosè perpensa, Achab ab ipso justificatus est. Istud siquidem est, quod inter omnia quæ leguntur, sivè referuntur sceleratorum scelera longè primum obtinet locum, quod omnem Neronis nequitiam, Juliani perfidiam, sacrilegam etiam Judæ proditoris perditionem excedit. Vide siquidem qualis persona & in quali Ecclesia perempta sit: quale etiam tempus ad patrandum scelus elegerit tyrannus. Natale videlicet Domini, & proximam post Sanctorum Innocentium diem, ut novus ex veteri nostris diebus sciscitaretur Herodes. Pax etiam publicè data proditorem



rem nihilominus non revocavit à scelere. Qui tanquàm per se non satis insaniret, vesaniæ suæ instigatores habuit dantes sibi cornua peccatori, falsos videlicet illos, & ab omni Ecclesiarum Orbe perpetuò detestandos Fratres, Rogerium videlicet Eboracensem Archi-Diabolum, & Londoniensem, & Saresberiensem, non Episcopos, sed Apostaticos, qui Filium tuum, Fratrem suum Joseph, non mysticè, sed in veritate occiderunt, Patris jam senis, nec maledictionem metuentes, nec dolori vel ætati parcentes. Quorum vita præsens, ut in amaritudine perpetua sit, & memoria eorum in maledictione æterna, vestra statuat, Pater Sancte, sancta consolatio. Præsentium portitores magistrum Alexandrum, & magistrum Gunterium viros probos & industrios, qui Sancto Dei Martyri in vita sociati sunt, & in morte separari non possunt, vestræ commendatos esse charitati officiosè imploro, quibus quæ litterarum garrulis apicibus committere nolui, instillavi secretiùs vobis in aure revelanda.

## EPISTOLA LXXXI.

Alexandro Papæ Theobaldus Blesseiter.

*Reverendissimo Domino suo & Patri Alexandro, summo Pontifici, Theobaldus Blesensis Comes, & Regni Francorum Procurator, salutem, & debitam cum filiali subjectione reverentiam.*

VESTRÆ placuit Majestati, quòd inter Dominum Cantuariensem Archi-Episcopum & Regem Anglorum pax reformaretur, & integra firmaretur concordia. Itaque juxta vestri tenorem mandati illum Rex Angliæ vultu hilari, fronte læta, & pacem spondente, & gratiam sibi referente recepit. Hinc paci & concordiæ adfui, & me præsente Dominus Cantuariensis apud Regem de Coronatione Filii sui conquestus est, quem voto festinante & ardente desiderio in culmen Regiæ dignitatis fecerat promoveri. Hujus autem injuriæ Reus sibi & malè conscius Rex Angliæ, juris & satisfactionis ipsi Cantuariensi pignus dedit. Conquestus est etiam de ipsis, qui contra jus & decus Cantuariensis Ecclesiæ novum Regem in sedem Regiam præsumpserunt intrudere, non zelo justitiæ, non ut Deo placerent, sed ut tyrannum placarent. De illis verò liberam & licentem Rex ei concessit potestatem, ut ad vestræ & suæ potestatis arbitrium in eos sententiam promulgaret. Hæc siquidem vobis vel juramento vel quolibet alio libuerit modo attestari paratus sum & fancire. Sic itaque pace facta vir Dei nil metuens recessit, ut gladio jugulum subderet, & cervicem exponeret ferienti. Passus est ergo Martyrium Agnus innocens, crastina Sanctorum Innocentium die. Effusus est sanguis justus, ubi nostræ viaticum salutis Sanguis Christi solitus est immolari. Canes Aulici familiares & domestici Regis Angliæ se ministros Regis præbuerunt, & nocentes sanguinem innocentem effuderunt. Hujus prodigii modum detestabilem, vobis verbo significarem, sed vereor ne mihi in odio adscribatur, & Latores præsentium patenter & pleniùs rei ordinem evolvent. Ex eorum relatione discetis quantus mœroris cumulus, quanta sit universæ Ecclesiæ & Martyris calamitas. Hanc salvo pudore non potest dissimulare Romana Mater Ecclesia. Quidquid enim in filiam præsumitur inimicum, redundat in parentem: nec sinè Matris injuria filia captivatur. Ad vos itaque clamat Sanguis justi, & flagitat ultionem. Vobis ergo, Pater Sanctissime, adsit & consulat Pater omnipotens, & qui filii sui cruorem Mundo impedit, ut Mundi noxas detergeret & deleret maculas peccatorum, ille vobis vindictæ voluntatem insinuet, & suggerat facultatem, ut Ecclesia inauditi sceleris confusa magnitudine, districta hilarescat ultione. Valeat Sanctitas vestra, & sicut vos decet, facite,

## EPISTOLA LXXXII.

Alexandro Papæ Wilhelmus Senonensis Archi-Episcopus.

*Sanctissimo Domino ac Patri Alexandro, Dei gratia summo Pontifici, Wilhelmus Senonensis Ecclesiæ humilis Minister, salutem & debitam cum omni devotione obedientiam.*

VESTRO Apostolatui, Pater Sancte, data est omnis potestas in Cœlo & in terra, gladius anceps in manibus vestris. Super gentes & Regna constituti estis ad alligandos Reges eorum in compedibus, & Nobiles eorum in manicis ferreis. Vide ergo Domine & considera, quem vindemiaverunt ita. Vineam namque Domini Sabaoth exterminavit aper de sylva, & singularis Ferus depastus est eam. Ecclesia siquidem Cantuariensis, immò universalis Ecclesia sanguine rorantes lachrymas & amaritudine asperas à finibus terræ in conspectu vestro effundit, quia posita est quasi signum ad sagittam, facta est opprobrium vicinis suis. Et qui vident eam movent capita super eam dicentes: *ubi est Deus eorum?* Ipsa autem gemens & conversa retrorsùm clamat in auribus Domini exercituum: vindica, Domine, sanguinem servi tui, & Martyris Cantuariensis Archi-Episcopi qui occisus est, immò pro libertate Ecclesiæ crucifixus. Pater sancte, verbum horrendum, facinus flagitiosum, enorme flagitium factum est in diebus vestris, quod quicumque audierit, tinnient ambæ aures ejus. Non est auditum in Theman, nec est visum in Chanaan. Alter siquidem Herodes, semen Chanaan, & non Juda, progenies viperarum, missis à latere suo lictoribus signum Dominicæ passionis, quod desuper in vertice gerebat, nequaquam exhorruit profundis exarare vulneribus, & votis turpibus Cœlestem deformare Imaginem. Proh dolor! sicut omnis Ecclesia asserit, ipsum facit Martyrem causa pariter & pœna. *Pœna*, dolor Passionis illatæ; *Causa*, rigor Ecclesiasticæ censuræ: quia pro Lege Dei sui certavit usque ad mortem. Vestra ergo interest, Pater Clementissime, custos murorum Hierusalem, remedium adhibere præteritis & providentiam futuris. Quis enim locus poterit esse tutus, si rabies tyrannica Sancta Sanctorum cruentat, & Vicarios Christi Columnas Ecclesiæ impunè dilacerat? Insurgant ergo Ecclesiasticæ Leges, armentur jura Cœlestia, introeat in conspectu vestro ultio Sanguinis gloriosi Martyris, qui de Anglia clamat. Clamabit siquidem & commovebit non solùm terram, sed Cœlum, & sic nostro consulite dolori, ut honestati vestræ pariter consulatis & salu-

& saluti Ecclesiæ. De cætero Sanctæ Paternitati vestræ insinuare dignum duximus, quòd cum Domino Rothomagensi & nobis in mandatis dederitis, ut terram Regis Angliæ Cismarinam, si pacem quam gloriosæ memoriæ Domino Cantuariensi promiserat, non observaret, sub interdicto poneremus, adjicientes etiam, quòd si uterque nostrum rei executioni non posset aut nollet interesse, alter nihilominus mandatum vestrum exequeretur. Prædictus Rothomagensis, postquàm litteras vestras ei repræsentari fecimus, nobis significavit, quòd Senonas veniret, & juxta formam mandati Apostolici procederet. Cùm autem illuc venisset unà cum Ernulpho Lexoniensi, & Ægidio Ebroicensi, & Rogero Vigornensi Episcopis & aliis quàm pluribus, tam Clericis quàm Laicis de familia prædicti Regis, post multas verborum tergiversationes & excusationes inde deductas ad Sedem Apostolicam appellavit, & se ad præsentiam vestram iter arripuisse respondit, & prædicto Regi exacerbationem se nolle infundere acerbiorem. Nos verò scientes, quòd vitium paganitatis incurrit, quisquis mandatis Apostolicis obedire contempserit, juxta seriem mandati vestri de communi consilio venerabilium Fratrum nostrorum omnium Episcoporum, & S. Dionysii, & S. Germani de Pratis, & Pontiniacensis. Wall..... Abbatum, & aliorum quàm plurimorum Religiosorum Virorum & Sapientum, in terram ejus Cismarinam sententiam tulimus, & memorato Archi-Episcopo & Episcopis, ut eam observari facerent, ex parte vestra injunximus. Scimus enim, quòd nec possessiones, sicut promiserat, restituit, nec securitatem, sicut mors Martyris indicat, instituit. Per Carthusiensem quoque, quem ad eum miseramus, nobis significavit, quòd causam mortis ejus dederat, & quòd eum occiderat. Inde est quòd Clementiæ vestræ supplicamus, quatenus prædictam sententiam ratam habeatis, & sicut Majestatem vestram decet, & incolumitati expedit Ecclesiæ, eam taliter faciatis observari, quòd honor Dei & vester conservetur, & nos qui vestram Sanctitatem ea, qua scitis, devotione amplectimur, minimè propter hoc possimus illudi. Valete, & sicut decet Majestatem & Sanctitatem vestram.

## EPISTOLA LXXXIII.

Clerici Regis Angliæ Regi Angliæ.

*Charissimo Domino suo Henrico illustri Anglorum Regi, Duci Normanniæ & Aquitaniæ, & Comiti Andegavensi R..... Abbas Wallatiæ, Saresberiensis Archi-Diaconus, R..... Lexoviensis Archi-Diaconus, Ricardus Barre, & Magister Henricus salutem, & fidele in omnibus & ubique obsequium.*

NOVERIT majestas vestra, quòd cùm Richardus Barre nos præcessisset, & cum multo periculo & gravamine nos ad Curiam Domini Papæ prævenisset, nos quatuor cum duobus Episcopis, & Decano Ebroicensi, & magistro Henrico, cum multa difficultate venimus usque Senas. Ibi diebus aliquot detenti fuimus. Comes enim Macharius sic ex omni parte vias obsidebat, quòd nulli patebat egressus. Cùm verò nos quatuor cum Episcopis, qui plurimùm exire desiderabant, non potuissemus, in maxima animi angustia positi ex communi consilio media nocte & latenter eximus, & sic per abrupta montium, & per loca ferè invia, sub magno timore & periculo tandem venimus Tusculanium. Ibi Richardum Barre, de vestro honore, sicut decebat, sollicitum & ad vestram utilitatem prudenter & instanter laborantem invenimus, multùm tamen contristatum & confusum, quia nec Dominus Papa eum receperat, nec alii benignos & humanos se illi exhibuerant. Nos autem venientes Dominus Papa, nec videre, nec ad osculum, nec ad pedem voluit recipere. Vix enim plerique Cardinalium dignati sunt nos recipere vel in verbo. Diu ergo in amaritudine spirituum nostrorum anxiè continuati, his qui vos fideliùs diligebant, omnimodè supplicavimus, ut eorum interventu Dominus Papa nobis quocumque modo audientiam indulgeret. Ad instantiam recepti sunt Dominus Abbas de Wallatiæ & R..... Archi-Diaconus Lexoniensis, qui minùs habebantur suspecti. Ipsi autem cùm nomen vestrum tanquam devotissimi Filii Romanæ Ecclesiæ in salutatione ex vestra parte proponerent, acclamavit tota Curia, *sustinete, sustinete*, tanquàm Domino Papæ abominabile esset audire nomen vestrum. Sic à Curia venientes serò redierunt ad Dominum Papam, ei de nostro communi consilio exponentes, quod nobis fuerat à vestra Majestate injunctum, referentes etiam feriatim singula Beneficia, quæ contuleratis Cantuariensi, & singulos excessus, & inopportunitates quas contra vestram commiserat dignitatem, totumque hoc primò secretò, posteà coram Domino Papa & omnibus Cardinalibus, contendentibus etiam contra vos Alexandro Walensi & Gunteriò Flandrensi, Clericis Cantuariensis. Instante verò quinta feria ante Pascha, in qua de consuetudine Romanæ Ecclesiæ solet Dominus Papa publicè absolvere vel publicè excommunicare, cùm certi essemus, quòd de vestro & Regni vestri gravamine tanquàm ad hoc proni diutissime tractassent, consuluimus eos, quos Majestati vestræ fideliores cognovimus, scilicet Dominum Portuensem, Dominum Hyacinthum, Dominum Papiensem, Dominum Tusculanum, Dominum Petrum de Mirso, Dominus Joannes Neapolitanus aberat, cum omni studio & instantia exorantes, ut nobis animum Domini Papæ, & quod circa vos statuere proponeret, aperirent. Ipsis verò nihil nisi sinistrum, & vestræ Celsitudini ignominiosum reportantibus, ex singultuosa eorum & Fratris Franci fidelis vestri relatione præsensimus, quòd ea die immutabiliter disposuerat Dominus Papa in vos nominatim, & in totam terram vestram Cismarinam & Transmarinam de communi Fratrum consilio interdicti ferre sententiam, & eam, quæ in ipsos lata fuerat, confirmare. Positi ergo in arctissimo, omni studio attentavimus per Cardinales, & per illos de sociis nostris, qui ad illum habebant accessum, & per familiares suos, ut cessaret ab hoc proposito, vel saltem differret usque ad adventum Episcoporum vestrorum. Quod cùm nullo modo fieri posset, nos sicut decet, & sicut debitores vobis sumus, personæ vestræ dedecus, & totius terræ vestræ gravamen sustinere non valentes, nec debentes, tandem convocatis sociis nostris coram quibusdam Cardinalibus viam invenimus saluti vestræ



vestræ & honori bonam & securam, & universæ terræ vestræ utilem, & Episcopis necessariam, pro qua à vobis & à terra vestra & ab Episcopis vestris dedecus & periculum quod imminebat, avertimus, & nos ipsos pro hac liberatione toti periculo exposuimus, credentes & certam spem habentes quòd totum negotium procederet, secundùm quod credimus nos velle debere. Timore namque perterriti jisdem Cardinalibus intercedentibus, significavimus Domino Papæ, nos accepisse in mandatis à vobis, quòd juraremus in præsentia ejus, quòd vos stabitis mandato suo, & hoc jurabitis in propria persona. Eadem ergo die Jovis ferè circa horam nonam, vocati sunt Nuncii, tam vestri quàm Episcoporum, & in generali consistorio juravimus, Abbas scilicet de Wallatia & Saresberiensis & Lexoniensis Archi-Diaconi, & magister Henricus, & Richardus Barre, quòd vos stabitis mandato Papæ, & ad Præceptum ejus hoc jurabitis. Nuncii verò Archi-Episcopi Eboracensis, Londoniensis & Saresberiensis Episcoporum juraverunt similiter, quòd Domini sui stabunt præcepto ejus, & hoc jurabunt. Ipsa die tamen generaliter excommunicavit interfectores Cantuariensis, & omnes qui consilium, vel auxilium vel assensum præbuerunt, & omnes qui in terram suam eos scienter receperint aut foverint. Dominus Vigornensis, & Dominus Ebroicensis Episcopi, & Robertus de novo Burgo, Ebroicensis & magister Henricus in proximo venturi erant: & eos quidem dimisimus ultra modum anxios & turbatos, quia pro explendo negotio vestro pro velle suo venire non poterant. Fuitque de consilio eorum & nostro, quòd nos quocumque modo præcederemus eos, ut dedecus & malum, quod parabant nobis adversarii nostri impedire possemus. Certi enim eramus, quòd vestrum gravamen in Curia præparabatur & timuimus illius diei consuetudinem. Valeat & diu vigeat sublimitas vestra. Confortamini in Domino, & exultet cor vestrum, quoniam præsens nubilum ad gloriam vestram sequetur serenum. Die Sabbathi ante ramos Palmarum ad Curiam venimus, & Lator præsentium die Paschæ recessit à nobis.

## EPISTOLA LXXXIV.

*Nuncius Regis Pictaviensi Archi-Diacono.*

QUI fuerunt primi Nuncii Regis, & qui secundi, & quid tam hi, quàm illi postulaverint, & quomodò à Curia recesserint, sub ea qua potero brevitate perstringam. Primi missi sunt Joannes Cumin, & magister David ad petendum absolutionem & relaxationem Episcoporum. Sed Joannes Cumin priùs venit ad Curiam, & ferè quindecim diebus in ea, antequàm David veniret, & post multam instantiam suam priùs facta promissione quingentarum marcarum auditus est, adstantibus cum eo & plurimum allegantibus ad excusationem Episcoporum Clericis Eboracensis Archi-Episcopi, & Nuncio Dunelmensis. Et credo quòd reportassent absolutionem nisi supervenisset rumor de morte Archi-Episcopi, qui omnia denigravit. Ità enim perturbatus est Dominus Papa, quòd nec etiam sui ferè per octo dies cum eo potuerunt habere colloquium. Et generaliter interdictum est, ne Anglici ad eum haberent accessum. Et suspensa sunt omnia eorum negotia. Secundi Nuncii fuerunt Episcopi Vigornensis & Ebroicensis, & Abbas de Wallace, & Archi-Diaconi Saresberiensis, & Lexoniensis, & Dominus Robertus de novo Burgo, & Richardus Barre, & magister Henricus Pichim & quidam templarius, missi ad excusandum Regem, quòd nec ejus mandato, nec voluntate interfectus esset Cantuariensis. Hoc autem non est negatum, quin ipse dedisset causam mortis suæ, & quin aliquid dixisset, unde interfectores illi occasionem interficiendi sumpserunt. Sed nec isti Nuncii simul ad Curiam venerunt, & à Domino Papa non sunt admissi, nec in conspectu ejus apparere potuerunt. Deinde ad preces quorundam Cardinalium recepti sunt Abbas & Lexoniensis Archi-Diaconus. Appropinquante die Jovis, proxima ante Pascha generaliter dicebatur in Curia, quòd Dominus Papa illa die daturus erat sententiam excommunicationis in Regem & Regnum. Unde Nuncii perterriti quibusdam Cardinalibus intercedentibus significaverunt Domino Papæ se accepisse in mandatis à Domino Rege, quòd jurarent in præsentia ejus, quòd Rex stabit mandato suo, & hoc jurabit in propria persona sua. Eadem die Jovis ferè circa horam nonam vocati sunt tam Nuncii Regis, quàm Nuncii Episcoporum, & in generali Consistorio juraverunt Nuncii Regis, scilicet Abbas de Valace, & duo Archi Diaconi prædicti, & Henricus, & Ricardus Barre, quòd Rex stabit judicio Domini Papæ, & ad Præceptum ejus hoc jurabit. Nuncii verò Eboracensis Archi-Episcopi, & Londoniensis & Saresberiensis Episcoporum juraverunt similiter, quòd Domini sui stabunt Præcepto ejus, & hoc jurabunt. Eadem tamen die excommunicavit generaliter interfectores Cantuariensis & omnes qui consilium, vel auxilium, vel assensum præbuerunt, & omnes qui eos in terra sua receperint aut foverint. Post Pascha venerunt Vigornensis & Ebroicensis Episcopi, & Robertus de novo Burgo, & utrùm illud juramentum ab eis exactum sit, nescio: sed scio quòd non juraverunt. Et cùm stetissent in Curia per quindecim dies, & eò ampliùs, vocati sunt ad audiendum responsum suum. Nam illi cum aliis concordabant, tam in excusatione Regis, quàm in accusatione, secundùm quod dictum est. Et cùm crederetur dextrum calculum reportaturos, confirmavit Dominus Papa sententiam interdicti, quam Dominus Senonensis dederat in terram Cismarinam, & sententiam excommunicationis & suspensionis, quæ data erat in Episcopos Angliæ. Præcepit etiam quòd Rex temperaret ab ingressu Ecclesiæ, & subjunxit, quòd ipse mittet Legatos suos ad Regem, ut videant & cognoscant ejus humilitatem. Deinde post multam Nunciorum instantiam, & interventu quorundam Cardinalium, & magnæ pecuniæ etiam, sic dicitur, hoc impetratum est, quod Dominus Papa scribit Bituricensi Archi-Episcopo, quòd si infra mensem post adventum Nunciorum in Normanniam non audierit Legatos transalpinasse, quod tunc absolvat Londoniensem & Saresberiensem ab excommunicatione, præstito priùs juramento, quòd stabunt mandato Domini Papæ, tam illis, quàm aliis in suspensione manentibus. Sic recesserunt Nuncii Domini Regis à Curia, nec

nec aliud reportant. Quandò autem venturi sint, vel qui, nondum credimus Cardinalibus innotuisse. Sed nunc non oportet vos timere interdictum in Anglia, sicut credo, si Rex Legatis parere voluerit. Et Dominus Papa scribit ei, & invitat eum ad humilitatem. Sed vix fuit impetratum, ut ei scriberet.

## EPISTOLA LXXXV.

*Alexander Papa Rothomagensi Archi-Episcopo & Ambiensi Episcopo.*

ET ipsa loci vicinitas & fama vulgata per Orbem vos ignorare non patitur, quomodò Frater noster Rogerius Eboracensis Archi-Episcopus, Apostolicæ Sedis Legatus, ab officio fuerit, quibusdam caussis intervenientibus, Pontificali suspensus. Ex qua re, sicut à pluribus dictum est & prædicatum, contingit quòd illud immanissimum scelus & nefandum flagitium de sanctæ recordationis Thoma quondam Cantuariensi Archi-Episcopo fuerit perpetratum. Nam cum illustri Anglorum Regi nunciatum fuisset, quòd præfatus Cantuariensis ei, & Regno suo, & Episcopis tantam injuriam irrogasset, Rex in tantum turbatus & indignatus, quòd quidam de circumstantibus ejus commotionem percipientes, ei volentes placere, instinctu diabolico præfatum Cantuariensem armata manu aggressi sunt, & ipsum, prout nostis, atrociter in propria Ecclesia occiderunt, in qua profectò deberent esse securi homicidæ. Quod utique tantò majori animos Audientium horribilitate perfundit, & eis, qui tantæ atrocitatis occasio fuisse dicuntur, majorem generat infamiam, quantò scelus crudelius & facinus gravius reputatur. Verùm cùm prædicti Regis Nuncii nulla ratione sua à nobis possent instantia obtinere, ut ejusdem Archi-Episcopi, vel aliorum Episcoporum, qui pro causa simili fuerant excommunicati vel interdicti purgationem in partibus illis committeremus, per Nuncios proprios Regis, & per suas & aliorum magnorum virorum litteras idem Archi-Episcopus nobis significavit, quòd ob fervorem devotionis & fidei, quam ab hujus turbationis initio circa nos & Ecclesiam gessit, Fredericus dictus Imperator persecutor Ecclesiæ, sibi noluit, quòd ad nos posset venire, securitatem præstare, licèt voluntarius esset, & paratus venire, & se coram nobis purgare, nisi viarum obstacula eum retardassent. Unde quoniam ipsius Archi-Episcopi fidem & devotionem circa nos, & Ecclesiam, puram & sinceram, & immutabilem comperimus, nos suæ devotionis intuitu provocati, & consideratione præfati Regis Anglorum, cui quantum cum Deo & justitia possumus, volumus placido vultu deferre, nihilominus inclinati, eidem iter veniendi ad nos clementer & benignè, de communi Fratrum nostrorum consilio, remisimus, & vobis, de quorum prudentia & honestate confidimus, negotium ejus duximus committendum. Ideoque Fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus in confinio terræ Regis Francorum & Regis Angliæ, in marchia videlicet, in unum pariter quàm citiùs poteritis convenientes, præfatum Archi-Episcopum convocetis, & accitis vobiscum viris Religiosis & discretis, si idem Archi-Episcopus cum duabus majoribus & melioribus personis Ecclesiæ suæ, quæ sint bonæ famæ & integræ opinionis, vel si fieri non poterit, cum duabus aliis de Canonicis suis, qui vita & conversatione & fide non habeantur inferiores personis, magistro scilicet vicario & magistro Angelo, aut duobus aliis, qui eis meritis æquiparentur, aut si eos præsentes habere non potuerit, cum duobus prioribus vel Abbatibus probatæ vitæ ac conversationis, de quibus verisimile sit, quòd non debeant pejerare, coram positis Sacrosanctis Evangeliis, juret quòd pravas illas consuetudines, nec juramento præstito, nec fide data, seu scripto firmaverit, neque se promiserit servaturum. Neque scripto, verbo, vel facto, scienter Regem provocaverit, propter quod prænominatus Archi-Episcopus occisus vel fuerit vel in corpore pœnam pertulerit. Neque litteras vestras, quibus ne Filio Regis coronam imponeret, præcipiebatur, receperit: neque eas sibi cognoverit præsentari, aut scienter fecerit quominùs præsentatæ fuissent, ipsi nostra freti authoritate officii sui plenitudinem incunctanter restituatis. Sanè, si his exequendis aliquo evidenti & necessario impedimento interesse ambo non potestis, alter vestrum cum Religiosis, & discretis, & magnæ authoritatis viris Provinciæ illius, qui absens fuerit, ea secundùm quod dictum est, maturiùs exequatur. Datum Tusculani decimo Calendas Novembris.

## EPISTOLA LXXXVI.

Alexander Papa Rothomagensi Archi-Episcopo & Ambiensi Episcopo.

*Alexander Episcopus Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus suis, Rotrodo Rothomagensi Archi-Episcopo, & Episcopo Ambiensi, salutem, & Apostolicam benedictionem.*

QUIA nonnunquàm evenit facilitatem veniæ, sicut scriptum est, delinquendi incentivum præbere, ne vel perniciosum exemplo sit, vel nobis ad injustitiam debeat imputari, nolumus, ut aliàs venerabilis Frater noster Eboracensis Archi-Episcopus, licèt multa instantia aliter à nobis debere fieri postulaverit, innocentiam demonstret, quàm ut ei, si hoc fecerit in Cismarinis partibus liceat ei officium suum exercere. Alioquin veremur, ne jam natum ulcus in saniem computrescat. Vobis igitur per Apostolica scripta mandamus, ut præsentis purgationis veritate studiosiùs inquisita, sic coram vobis manifestum fiat examen, ut mandato nostro Fraternitati vestræ super hoc nuper directo nihil penitus derogetur. Quoties enim talium, tantarumque rerum veritas est, si non diligentior asserenda cautela vel inquisitio causæ succurat, periclitantur præmia cognoscentis & opinionis facilè poterit incurrere detrimenta.

## EPISTOLA LXXXVII.

*Alexandro Papæ Rogerius Eboracensis Archi-Episcopus.*

SI mihi præstò esset facundia, quæ Tullianum redoleret eloquium, nequaquàm posset, dulcissime Pater, sufficere ad exprimendam beneficii quantitatem, quam innatæ bonitatis vestræ motu proprio mihi nuper exhibuistis. Ego enim jam per annum



annum & eò ampliùs in carcere positus, quò mendax me detrudi fecerat invidia, in tenebris straveram lectulum meum, & panem in suspiriis manducabam, potum temperans in lachrymis, donec manus consolationis vestræ eductum de lacu miseriæ & inferno inferiori, regioni me restituit viventium, & auræ superiori. Jam purpuratos, ut priùs, non erubesco, nec potentum præsentiam declino. Sed qui hactenus ad Dominum meum oculos levare non audebam, pristinæ redditus libertati labia audacter aperio ad exorandum non solùm pro me, verùm & pro his, quos diligo, maximè cùm tales sint, qui vita & eruditione inter præcipuos numerantur. Vir clarissimus Dominus Londoniensis, qui ab exordio promotionis suæ, etiam apud eos, qui foris sunt, semper honorabilis habitus est, & suavè olentis opinionis, vir utique & naturæ bonis abundans, & ingenii facultatibus: quorum finibus minimè contentus, ea religionis diuturno & districto cultu excoluit. Hunc lacessivit invidia, & integritatem ejus lacerare tentans, quæ supra firmam petram fundata non poterit sentire defectum. Ut enim de his aliqua tangamus, quæ ipsi ab æmulis imposita sunt, pro certo Domine sciatis, quòd dum adhuc viveret Dominus Cantuariensis, in Anglia me præsente Dominum Regem sæpè rogavit, ut juxta mandati vestri formam ad pacem animum suum inclinaret. Apud Cadomum verò, cùm ex his quæ Dominus Rex à multis audierat, indignatio ejus adversùs jam dictum Archi-Episcopum plurimùm recruduisset, quantùm potuit ad leniendum motum illum vehementem, etiam cum lachrymis, adhibuit diligentiam. Cujus Domine, si placet, annos senio graves attendite, corporis debilitatem respicite, quam non solùm ætas induxit, sed & assiduæ vigiliæ & crebra jejunia. Solutisque vinculis, quibus tenetur, eum liberum reddite, ut unà nobiscum onera possit Ecclesiæ sustinere.

## EPISTOLA LXXXVIII.

*De Reconciliatione Regis.*

PRIMO Dominus Rex & Legati convenerunt apud Gorham die martis ante Rogationes & ibi invicem recepti sunt in osculo pacis. In crastina venerunt Salviniacum, ubi Archi-Episcopus Rothomagensis, & multi Episcopi & proceres convenerunt. Cùmque ibidem de pace diu tractatum esset, quoniam Rex mandatum eorum absolutè jurare renuit, Rex ab eis cum indignatione discessit in hæc verba: *Redeo*, inquit, *Hiberniam, ubi multa mihi incumbunt. Vos autem in pace ite per terram meam ubi vobis placuerit, & agite Legationem, sicut vobis injunctum est*. Sic ab eis discessum est. Tunc Cardinales habito arctiori consilio revocaverunt Episcopum Lexoviensem & Archi-Diaconum Pictaviensem, Archi-Diaconum Saresberiensem, & per eos elaboratum est, quòd sexta feria sequente Rex & Cardinales apud Abrincas convenerunt. Ibique communi conventum est inter eos, ita quòd Rex quidquid ex parte Cardinalium ei propositum est, benignè suscepit & concessit. Sed quia Rex Filium suum voluit adesse, ut quod Pater promitteret, ille etiam asseveraret, terminus rei dilatus est usque ad sequentem Dominicam proximam, videlicet ante Ascensionem Domini. Tunc in publica audientia Rex manu sua tactis Sacrosanctis Evangeliis juravit, quòd neque mandavit, neque voluit, quòd Archi-Episcopus Cantuariensis interficeretur, & audita morte ejus plus inde doluit, quàm lætatus est. Addidit etiam ex propria voluntate quòd de morte Patris vel Matris suæ nunquam tantùm doluit. Juravit etiam, quòd quamcumque ei pœnitentiam Cardinales injungerent, vel satisfactionem, plenarie exequeretur. Dicebat enim coram omnibus se intelligere, quòd causa esset mortis Archi-Episcopi, & quidquid factum est, propter eum factum est, non quòd ipse mandaverit, sed quòd amici & familiares ejus videntes turbationem vultus ejus & oculorum, cognoscentes etiam dolorem cordis, & sæpè audientes querula verba ejus de Archi-Episcopo, injuriam ejus absque conscientia ipsius ulcisci parabant, & ideò cum omni humilitate & devotione ad omnia quæ Legati juberent, se expositum asserebat.

Tunc injunctum est ei à Legatis, quòd inveniet ducentos milites per annum integrum sumptibus suis videlicet unicuique militi trecentos aureos, in terra Hierosolymitana contra Paganos, secundùm dispositionem templariorum.

Secundò, quòd prava Statuta de Clarenduna & omnes malas consuetudines, quæ in diebus suis in Ecclesias Dei inductæ sunt, penitùs dimitteret. Si quæ autem malæ fuerunt ante tempora sua, illas juxta mandatum Domini Papæ & consilio Religiosorum Virorum temperabit.

Tertiò, quòd Ecclesiæ Cantuariensi omnem integritatem suam in terris & in aliis rebus restitueret, sicut fuit anno antequàm Archi-Episcopus iram Regis incurreret. Et quòd omnibus, quibus offensus erat propter Archi-Episcopum, pacem & amorem redderet, & possessionum suarum plenitudinem.

Quartò, quod si necesse fuerit, & Dominus Papa ei mandaverit, ibit in Hispaniam, ad liberandam terram illam à paganis. Injunxerunt ei etiam secretiùs jejunia, & eleemosynas, & alia quædam, quæ ad communem audientiam non pervenerunt. Ad hæc omnia Rex benignissimè assensum præstitit, ita quòd coram omnibus dixit: *Ecce* inquit, *Domini Legati corpus meum in manu vestra est, scitote pro certo, quod quidquid jusseritis, seu proficiendi Hierosolymam, sivè Romam, sivè ad Sanctum Jacobum, vel quidquid id sit, paratus sum obtemperare*, ita quod ferè cuncti qui aderant, videntes humilitatem & devotionem ejus, vix poterant lachrymas continere. His expletis, ne quid ad boni consummationem deesset, deduxerunt eum Legati ex propria Regis voluntate extra ostium Ecclesiæ, ibique flexis genibus, non tamen exutis vestibus, neque verberibus appositis, absolutus est, & in Ecclesiam introductus. Et ut aliqui de Regno Francorum hæc ita processisse cognoscerent, statuerunt quòd Archi-Episcopus Turonensis & suffraganei ejus coram Rege & Legatis præsentiam suam exhiberent apud Cadomum proxima die Martis post Ascensionem Domini. Quod Rex juravit, Filius suus Rex manu sua firmavit in manu Domini Alberti Cardinalis, se ex parte sua observaturum. Et si Rex, vel morte vel alia causa præpeditus, pœnitentiam istam complere non poterit, quòd ille perficiet.

EPI-

## EPISTOLA LXXXIX.

*Regi Angliæ Albertus & Theodebertus Cardinales.*

NE in dubium veniant quæ geruntur, & usus habet, & communis consideratio utilitatis exposcit, ut scripturæ serie debeant annotari. Inde siquidem est, quòd nos mandatum illud in scriptum duximus redigendum, quod vobis pro eo facimus, quia malefactores illos, qui sanctæ memoriæ Thomam quondam Cantuariensem Archi-Episcopum occiderunt occasione motus & turbationis, quam viderunt in vobis ad illud facinus processisse timetis. Super quo tamen Facto purgationem in nostra prætentia de voluntate propria præstitistis, quòd videlicet, nec præcepistis, nec voluistis ut occideretur, & quandò pervenit ad vos, plurimùm doluistis. Ab instanti siquidem Pentecostes usque ad annum tantam pecuniam dabitis, unde ab arbitrium Fratrum templi ducenti milites valeant ad defensionem Hierosolymitanæ terræ spatio unius anni teneri. Vos autem, à sequenti Domini Nativitate usque ad terminum, Crucem accipietis, proxima tunc æstate illuc in propria persona ducente Domino profecturi, nisi remanserit per Dominum Papam, vel Catholicum successorem ejus. Sanè si contra Saracenos in Hispaniam pro urgenti necessitate profecti fueritis, quantum temporis fuerit ex quo arripueritis iter, tantundem supradictum Hierosolymitanæ profectionis poteritis prolongare. Appellationes nec impedietis, nec permittetis impediri, quin liberè fiant in Ecclesiasticis causis ad Romanam Ecclesiam: bona fide, & absque fraude & malo ingenio, ut per Romanum Pontificem causæ tractentur, & suum consequantur effectum. Sic tamen, ut si vobis suspecti fuerint aliqui, securitatem facient, quòd malum vestrum vel Regni vestri non quærunt. Consuetudines, quæ inductæ sunt contra Ecclesias terræ vestræ, tempore vestro penitùs dimittetis, nec ab Episcopis ampliùs exigetis. Possessiones Cantuariensis Ecclesiæ, si quæ ablatæ sunt, plenè restituetis, sicut habuit uno anno antequàm Archi-Episcopus de Anglia egrederetur. Clericis præterea & Laicis utriusque sexus, pacem vestram & gratiam, & possessiones suas restituetis, qui occasione prænominati Archi-Episcopi destituti fuerint. Hoc autem vobis authoritate Domini Papæ in remissionem omnium peccatorum vestrorum injungimus, & præcipimus observare bona fide absque fraude & malo ingenio.

Juravit hoc Rex, juravit & de consuetudinibus novis dimittendis Filius ejus: & juraverunt ambo quòd à vobis & successoribus vestris non recederent, quamdiu eos sicut Christianos Reges & Catholicos habueritis.

## EPISTOLA XC.

*Venerabili Domino & Patri Charissimo Wilhelmo, Dei gratia Senonensi Archi-Episcopo, & Sedis Apostolicæ Legato, suus Joannes salutem, & promptissimæ devotionis obsequium.*

LICET Anglicanæ Ecclesiæ adhuc quoad multa sit ingens desolatio, tristitia tamen illius jam ex maxima parte in gaudium transiit, & luctus in cantica, felici prorsùs & læta mutatione conversus est. Si quidem jam adeò ad memoriam Martyris inaudita miracula crebuerunt, ut si aliàs audita illic provenerint, vix censeantur illius miraculis adscribenda. Sicut enim in omni conditione Nobilis animus studuit conniventibus præeminere, sic nunc, ut aliorum Sanctorum pace dixerim, alios de quibus legerim vel audierim, in miraculorum exhibitione præcedit. Quod ideò facilè crediderim provenisse, ut fidem in pluribus Orbis nostri partibus non tam sopitam, quàm ferè extinctam Dominus excitaret, spem erigeret, solidaret charitatem, & obstrueret ora iniquorum, qui sancto viro detrahebant in vita, & odio personæ causam Christi prosequebantur. Quis enim amodò veram & fidelem dubitet Doctrinam Christi, qui verbis suis adhærentem hominem nobis notum tanta felicitate remunerat? Quis causam fuisse iniquam, nisi dæmoniacus, dicet, quæ patronum suum tanta coronat gloria? Dubitatur à plurimis, an pars Domini Papæ, in qua stamus, de justitia niteretur: sed eam à crimine schismatis gloriosus Martyr absolvit. Qui si fautor esset schismatis, nequaquàm tantis miraculis coruscaret. Erat namque vir tantæ prudentiæ, ut non facilè posset errore supplantari in tanto periculo animarum. Mirarer itaque supra modum, cur eum Dominus Papa in Catalogum recipi non præceperit, nisi quia in Ecclesiastica Historia legisse me recolo, quòd cùm Pilatus missa relatione Tiberium Cæsarem consuluisset, an Christum, qui tot & tanta fecerat, & à plurimis colebatur ut Deus, coli oporteret ut Deum, senatus ab Imperatore consultus respondit quidem colendum fuisse ut Deum, nisi quia id Provinciales citra Senatus authoritatem præsumpserant. Et quidem sic nutu faciente Divino responsum est, ne Deitas Christi, cujus nomen erat Judæis & gentibus prædicandum terrenæ potestati videretur obnoxia, & eam emendicatam dicerent infideles, qui velint nolint, coguntur audire. Quoniam Dominus regnavit, irascantur populi, & exultet terra, in qua Christi fundatur Ecclesia. Sic ergo nutu Divino arbitror evenisse, ut Martyris hujus gloria nec Decreto Pontificali nec edicto Principis attollatur, sed Christo præcipuo authore invalescat, cujus nomen quoad vixit, studuit dilatare. *Honorem Christi Salvum* fore semper expressit, & Christus ei vicem non referet? Absit ut veritas fallax sit in promissis. Legitur in Actibus Apostolorum, quòd quidam nondum baptizati citra authoritatem Apostolorum Spiritum Sanctum acceperant: sed nunquid quod Senatus Apostolicus infirmavit? Profectò ubi Deus auctor est, frustra superior desideratur authoritas. Si quis autem hujus tanti Martyris gloriam evacuari desiderat, quicumque sit ille, antequàm ei credamus aut majora aut saltem similia operetur. Alioquin peccare creditur in Spiritum Sanctum, cujus operibus detrahere non veretur.

## EPISTOLA XCI.

Senonensi Archi-Episcopo Joannes Saresberiensis.

*Domino Senonensi miseri illi, qui quondam fuere Cantuariensis.*

AGONEM nostrum, quem cum Martyre glorioso pertulimus, viderunt oculi vestri, quos tam



tam innata, quàm Cælitùs per gratiam provecta & perfecta liberalitas aperuit ad videndum calamitates Ecclesiæ Anglicanæ, & in subventionem pauperum Christi portastis pro ea pondus diei & æstus, & sic Athletam pro Lege Dei adversùs impios dimicantem, dum licuit, custodistis tanquam pupillam oculi vestri. Fidem vestram & diligentiam, qua nobis pacem procurastis, remuneret Deus, qua nihil ex contingentibus à vobis omissum est, ut infortunia nostra vobis debeant imputari. Forma siquidem pacis solemniter initæ cunctis visa est utilis & honesta, cùm in illo celeberrimo Conventu tanto rum Regum maximi & sapientissimi Principes convenissent. Reformata ergo pace Regna gavisa sunt. Sed quid à membris Diaboli tunc ageretur, rei exitus indicavit, si tamen ad suum finem pervenisse credendi sunt, qui in contumeliam Dei sibi vindictam reservantes tantum facinus commiserunt. Absit enim, ut hanc gloriam suam, alteri cedat terribilis ille, qui aufert Spiritum Principum, & eos qui inauditum flagitium perpetrasse noscuntur, nota, & non potiùs miraculosa percellat ultione. Nam Sanctus Pontifex, sicut nobis aliis litteris fida relatione significatum est, de ærumnis hujus sæculi glorioso Martyrio migravit ad Dominum, ut jam sedeat cum principibus & judicet eos, qui se angustiaverunt, & hæreditatem Christi delere conati sunt. Cùm enim Christus, velit nolit persecutor, sit Deus super omnia benedictus in sæcula, momentanea potestatis elatæ, sicut sæpè audiens doluistis, præsumptio suum honorem & abusiones veterum tyrannorum perpetuis Legibus & honori Dei machinatus est anteferre. Et ne quis obloqui audeat aut mutire, alii nostrum capti sunt & retrusi in carcerem, alii proscripti, alii condemnati exilio, alii quibus meliùs Divina providit Clementia, sibi fuga consuluerunt, ne paterentur aut viderent miseriam Fratrum, conculcationem Sanctorum, & quod pace ipsius dictum sit, ignominiam Christi. Sedent è regione blasphemi, qui sub nomine & honore Sacerdotali, Sacerdotium persequuntur, principibus adulantes, persecutorum Ecclesiæ justificantes causam, exultantes in rebus pessimis, scilicet quòd potestatibus adstiterunt adversùs Dominum & adversùs Christum ejus, cujus sanguis per eos effusus militum ministerio de terra clamat ad Dominum, magis quam sanguis Abel justi, quem Frater ipsius interemit. Horum caput est ille Eboracensis, quem vidistis & audistis palam in Curia Archi-Episcopum persequentem, & qui indignus fuerat ore sacrilego, quo necem Martyris procuravit, ipsius proferre nomen: eum planè mendosus & mendax jam inauditis coruscantem miraculis adhuc, sicut ex litteris ejus patet, nominat Pharaonem. Sed non movemur, si flagitiosa bellua Martyrem non honorat, quæ sicut opera manifesta convincunt, Deum utique non veretur. Dicitur tamen quòd parat ad Curiam proficisci, ut purget vitæ sordidæ notam, quasi homo qui justitiam fecerit, & non deliquerit judicium Dei sui. Et ne ipsius purgatio valeat impediri, procuravit ut nulli nostratum liceat transfretare, nisi Domini Regis impetrata licentia. Quod quidem obtineri non potest, nisi præstetur cautio, quòd nihil queretur contra Martyris persecutores. Quid ergo facient miseri zelantes Legem, videntes justitiam opprimi, & sibi exitum denegari? Sed certè verbum Dei non est alligatum, & vobis libertas est, & os patens ad Ecclesiam Romanam, & notissima veritas. Novistis enim Martyrem in vita sua, novistis causam ejus, novistis & istum Caipham temporis nostri, qui sub specie conquerentis persuasit expedire, ut unus moreretur aut caperetur, ne tota gens periret. Eratis in Anglia cum patruo vestro Domino Vintoniensi, quando idem nunc Caiphas, tunc Archi-Diabolus Walterum illum, cujus adolescentis admodùm venusta facie inductus nefario concubitu nimis consueverat delectari, hispidum & procaciori lingua evomentem probra, quæ in contumeliam naturæ perpessus fuerat, oculis orbari fecit. Et postmodùm scelus arguentem idem Archi Diabolus judicibus, qui sæcularia negotia exercebant corruptis, adegit suspendio. Sic vir ille non minùs benignus quàm pudicus, columbi sui acceptavit affectum. Sic veteris Amasii diu exhibitum obsequium remuneravit, ut primò stuprum inferret misero, deinde miseriori, quia de consensu tam sordidæ immunditiæ pœnitebat, capulationem & oculorum avulsionem infigeret, & tandem miserrimum, quia clamore, ut poterat suas protestabatur angustias, suspensum in patibulo fecit jugulari. Hæc non fingimus, sed in vestram studuimus revocare memoriam, si tamen excidere potuerunt, quæ velut ungue adamantino, multis & magnis, & plenis fide viris sæpiùs referentibus in pectore nostro profundiùs resederunt. Nam usque in hodiernum diem in opprobrium Ecclesiæ, deique contemptum tristis hæc historia cantitatur. Sed fortasse quæret aliquis, quomodò tantum flagitium, & tam manifestum, impunè pertulerit, præsertim Beato Eugenio tunc summum administrante Pontificatum? Et quidem, ut indubitanter credimus, nullo modo evasisset, nisi per Beati Thomæ industriam, qui per venerabiles viros Hilarium Cicestrensem & Joannem Vintoniensem Episcopos effecit, ut ejus à bonæ memoriæ Theobaldo Cantuariensi Archi-Episcopo purgatio reciperetur. Deinde sentiens Ecclesiam Romanam indignatam esse super exhibitione purgationis factæ clam, utpotè in Capitulo Monachorum, non in solemni Conventu præstitæ statui suo consulens Romam profectus est ad illum famosissimum negotiatorem, quem semper odio habuit anima vestra, Gregorium Sancti Angeli Cardinalem. Et per illum in multitudine sparsorum in Curia munerum obtinuit, ut justificatus rediret in domum suam: incertum, qua Dei dispensatione reservatus ad majora flagitia perpetranda sicut præsens testatur dies, qua sanguine Innocentis purpuratur Ecclesia, qui scelerratum istum, eò quòd Concurialis ejus erat, fraterna charitate compatiens, & frugem vitæ melioris expectans, debitæ subtraxit ultioni.

## EPISTOLA XCII.

Alexander Papa Capitulo Cantuariensi.

*Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, Dilectis Filiis Priori & Monachis Cantuariensis Ecclesiæ salutem, & Apostolicam benedictionem.*

GAUDENDUM est universitati Fidelium de mirabilis illius Sancti & Reverendi viri Thomæ Archi-Episcopi vestri. Sed vos exinde ampliori

tanti gaudii debetis exhibitione repleri, quantò ipsius miracula oculata fide sæpiùs intuemini, & ejus Sacratissimo Corpore Ecclesia vestra specialiùs meruit illustrari. Nos autem considerata gloria meritorum, quibus in vita sua magnanimiter claruit, & de miraculis ejus non solùm communi & celebri fama, sed etiam dilectorum filiorum Alberti Tituli Sancti Laurentii in Lucina, & Theodwini tituli Sancti Vitalis, Presbyterorum Cardinalium, & Sedis Apostolicæ Legatorum, & aliarum plurium personarum testimonium certitudinem plenam habentes, præfatum Archi-Episcopum, in capite jejunii, multitudine Clericorum ac Laicorum præsente in Ecclesia deliberato cum Fratribus nostris consilio solemniter canonizavimus, eum decrevimus Sanctorum Martyrum Collegio annumerandum. Vobis & universitati fidelium de Anglia Apostolica authoritate mandantes, ut natali ejus die quo vitam suam gloriosa passione finivit, annis singulis cum veneratione debita celebretis. Quoniam igitur dignum est, & vobis plurimùm expedit, ut Sanctus Corpus ejus, cum ea qua decet reverentia & honore condatur, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus corpus ejus devote & reverenter, facta solemni processione, aliquo præcipuo die, congregato Clero & populo, in Altari honorificè recondatis, aut ipsum in aliqua decenti Capsa ponentes, prout convenit, elevetis in altum, & patrocinium ejus pro salute Fidelium & pace universalis Ecclesiæ satagatis apud Dominum vestris piis Orationibus impetrare. Datum Signiæ quartò Idus Martii.

## EPISTOLA XCIII.

*Alexander Papa Clero & Populo totius Angliæ*

### DE CANONIZATIONE SANCTI THOMÆ.

REDOLET Anglia fragrantia & virtute signorum, quæ per merita illius sancti & venerandi viri Thomæ, quondam Cantuariensis Archi-Episcopi omnipotens Deus operatur, & universa lætatur ubique fidelium Christiana Religio, pro eo, quòd ille, qui est, mirabilis & gloriosus in Sanctis, Sanctum suum post mortem clarificavit, cujus vita laudabilis multa fulsit gloria meritorum, & tandem martyrio consummata est certaminis gloriosi. Quamvis autem de Sanctitate ipsius dubitare non possit, qui ejus & laudabilem conversationem attendit, & gloriosam considerat passionem, voluit tamen Redemptor ac Salvator noster ejus Sanctitatis insignia magnificis irradiare miraculis, ut qui pro Christo insuperabilis virtutis constantia necessitates & pericula pertulit, sui laboris & certaminis in Æterna Beatitudine cognoscatur ab omnibus percepisse triumphum. Nos verò auditis innumeris & magnis miraculis, quæ jugiter per Sancti illius viri merita fieri universitas narrat fidelium, & super his non sine magno gaudio per dilectos Fratres nostros Albertum tituli Sancti Laurentii in Lucina, Theodinum tituli Sancti Vitalis Presbyteros Cardinales atque Apostolicæ Sedis Legatos, qui eadem miracula perspicaciùs didicerunt, quantò ampliùs sunt loco vicini, præcipuè certiores effecti, & plurimi aliarum personarum testimonio fidem, sicut debuimus, adhibentes, prædictum Archi-Episcopum solemniter in Ecclesia magno ibidem Clericorum & Laicorum Collegio præsente, in capite jejunii, deliberato Fratrum nostrorum consilio canonizavimus ipsumque decrevimus Sanctorum Catalogo adscribendum. Universitatem itaque vestram monemus, & authoritate, qua fungimur districtè præcipimus, ut natalem prædicti glorioti Martyris diem passionis suæ solemniter annis singulis celebretis, & apud ipsum votivis orationibus satagatis veniam promereri: ut qui pro Christo in vita exilium, & in morte virtutis constantia passionis Martyrium pertulit, fidelium jugi supplicatione pulsatus, pro vobis apud Dominum intercedat. Datum Signiæ quartò Idus Martii.

## EPISTOLA XCIV.

*Alexander Papa Aversano Episcopo.*

QUI vice Beati Petri Apostolorum Principis supremum in Ecclesia Dei, licèt immeriti, locum obtinemus, ex injuncto nobis Apostolatus officio gloriosissimum Martyrem Thomam, quondam Cantuariensem Archi-Episcopum, qui pro justitia Dei & Ecclesiæ decertavit usque ad mortem, & veluti supra firmam Petram fundatus, à verbis impiorum non timuit, tanto studiosiùs in terris venerari debemus, quantò certiùs, meritis ipsius exigentibus, eum constat inter exultantium Sanctorum Choros æterna felicitate lætari. Audisti siquidem, & maxima pars Orbis Divina gratia revelante cognoscit, qui mirabilis & gloriosus est in Sanctis suis, cum potentia virtutis suæ à die, qua per Martyrii palmam Cœlos, sicut indubitanter credimus, victor introivit, magnificè in terris glorificavit, & sub nomine ipsius multa quotidie miraculorum signa non cessat operari. Unde & nos deliberato consilio cum Fratribus nostris, post multam sollicitationem Archi-Episcoporum, Episcoporum, & præsertim commonitione dilectorum Filiorum nostrorum, Alberti tituli Sancti Laurentii in Lucina, & Theodwini tituli Sancti Vitalis, Presbyterorum Cardinalium, qui exinde veritatem pleniùs investigaverant, & visu & auditu cognoverant, ipsum canonizavimus, & in Catalogo Sanctorum connumerantes, diem passionis suæ proximo post Festum Sanctorum Innocentium die, ad honorem Dei singulis annis solemniter celebrandam, & inter Sanctorum Martyrum Festivitates connumerandam esse constituimus: & eam per prædictos Cardinales nec non & per Archi-Episcopos & Episcopos, tam in Anglia, nec non & in aliis Regionibus constitutos præcepimus devotissimè celebrari. Quia igitur quòd à Sacrosancta Romana Ecclesia, quæ ab ipso Domino Caput est & magistra omnium Ecclesiarum constituta tam sancta constat & provida deliberatione ordinatum, ab universis Christi fidelibus cum magna est veneratione observandum, Fraternitati tuæ per Apostolica Scripta mandamus, quatenùs solemnitatem prænominati Martyris annuatim cum magna veneratione celebres, & à Parochianis tuis præcipias generaliter celebrari, eos studiosè commonens, ut ad ipsius Sancti venerationem ita frequenter intendant, quòd meritis ejus intervenientibus Redemptoris sui gratiam sibi valeant



leant indeficienter comparare. Adhæc præsentium tibi authoritate injungimus, ut Fratribus nostris Comprovincialibus Episcopis ex parte nostra significes, te istud à nobis mandatum suscepisse, & eos ad celebrandam illius pretiosi Martyris Festivitatem invites attentiùs & horteris, ita quòd ipsi ad hoc per studium & sollicitudinem tuam vehementiùs accendantur, & eam faciant à suis Parochianis annuatim cum magna devotione observari.

## EPISTOLA XCV.

*Alexander Papa Alberto & Theodeberto Cardinalibus.*

### DE RECONCILIATIONE CANTUARIENSIS ECCLESIÆ.

MANDAMUS vobis, quatenus Ecclesiam Cantuariæ faciatis reconciliari, ita tamen ut Sacramentum pristinæ dedicationis non debeat iterari, sed sicut solet fieri in Ecclesia Beati Petri, tantùm aqua benedicta aspergatur. Benè Valete.

## EPISTOLA XCVI.

*Albertus & Theodebertus Cardinales Conventui Cantuariæ.*

LÆTAMUR nos, lætatur & quæ audit congregatio universa justorum, quòd mortem sanctæ memoriæ Thomæ, quondam Archi-Episcopi vestri, ita in conspectu suo Deus pretiosam ostendit, & venerandam ejus memoriam tot miraculis illustravit, ut odor unguentorum ipsius jam ferè per totum Corpus Ecclesiæ se diffundat, & virtus ejus in Oriente & Occidente communiter prædicetur. Ita ut qui felicibus illius actibus, dum viveret, invidebant, & nunc casibus humanis eo exempto, & ad superiorum societatem, ut credimus, fide ac zelo Sacerdotali promerente translato, venerentur virtutem ipsius, & ei qui facit mirabilia magna solus, gratiarum referant actiones. Quia igitur videtur idoneum, ut cùm magnalia, quæ facta sunt apud vos, populorum turba decantet, & gratiarum actio & vox laudis resonet in commune, Ecclesia vestra, quam tanto munere gratia Divina donavit, sub atrocitatis obtentu diutiùs non debeat à conditoris laude cessare, reddentes nobis mutuæ salutationis alloquium, & petitioni vestræ devoto concurrentes assensu, Fraternitati vestræ mandamus, quatenùs convocatis Episcopis & Abbatibus Provinciæ vestræ, qui vobis ad hoc idonei visi fuerint, cum solemnitatis Ecclesiasticæ, sicut majoribus visum fuit, moderamine, denuò Ecclesiam vestram consecretis. Si quid minus solemnitatis, divinorum Miraculorum poterit illustratione suppleri. Nos sanè si aliquid fuerit, quod ad profectum vestrum & Ecclesiæ vestræ facere valeamus, quantum cum Deo poterimus, libenti animo faciemus. Te Deum Laudamus.

## EPISTOLA

*Honorii tertii Papæ,*

### DE TRANSLATIONE BEATI THOMÆ ARCHI-EPISCOPI ET MARTYRIS.

*Honorius Episcopus, servus servorum Dei, universis Christi fidelibus, Nobilibus & aliis per Angliam constitutis, salutem & Apostolicam Benedictionem.*

REX cælestis, Dominus Angelorum, Regnum Angliæ cæteris altiùs nostris temporibus honoravit, & speciali quadam prærogativa gentem Anglicam insignivit, dum mundo posito in maligno, & malitia hominum excrescente, virum sibi exinde sine macula prælegit, qui non solùm in tempore iracundiæ reconciliatio factus est ut sacerdos, verùm etiam ad Cæleste convivium invitatus, illum saporare meruit, quem biberat Dominus Calicem passionis. Et quia inventus dignus Deo, coronavit eum gloria & honore, Coronam ipsius capiti superponens de lapide pretioso, ut sic unus ex Anglicis inter Angelos super opera manuum Domini constitutus, pro peccatis populorum omnium fieret intercessor. Cantet igitur novum Domino Canticum felix Cantuariensis Ecclesia, cujus aram suo purpuravit pretioso sanguine Martyr Thomas. Quin immò Civitas ipsa tota potest & debet in exultationis voce non immeritò jubilare, quæ cruore roseo sui Martyris rubricata, pulchra facta est, & apparuit speciosa. Undè diversarum multitudine Gentium ex omni ferè, quæ sub Cœlo est, natione celebritatem ipsius summoperè venerante, quondam quasi felici præsagio suum videtur esse sortita vocabulum ex eventu, ac si dicatur expressè Cantuaria cantusarè. Vos, inquam, si diligenter attenditis hunc honorem, gratiarum actiones assiduas Largitori bonorum omnium exsolvere debetis, cui vos ex impensæ benedictionis gratia terræ vestræ cognoscere potestis debitores, ut ingratitudinis evitetis vitium, & possitis devoti filii nuncupari. Et quidem omni tempore puro corde benedicere ac honorare Dominum debeatis, isto tamen præcipuè vos oportet vestes induere nuptiales, & cum jucunditate in laudes vestro assurgere Creatori, cùm venturæ festivitatis solemnitas id exposcat. Sanè à venerabili Fratre nostro Stephano Cantuariensi Archi-Episcopo, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali, nuper accepimus, intimante quod idem volens ostendere in effectu, quanto devotionis fervore Martyris supradicti memoriam veneretur, sacratissimum Corpus ejus sublevare proposuit de terra, ipsumque transiatum honorabiliùs collocare, cùm dignum sibi & condecens videatur, illum quantum in eo est, exaltare in terra, quem in Cœlo Dominus exaltavit. Nos igitur pium & laudabile Archi-Episcopi memorati propositum acceptantes, Universitatem vestram monendam duximus & hortandam, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenùs pacem mutuam & concordiam in charitatis vinculo conservantes, vestras conscientias cunctis perversitatibus expietis, & sic vos in bonis studeatis operibus exercere, ut cùm

cùm dies ipsius solemnitatis advenerit, in occursu vestri sanctissimi Martyris & patroni ipsum possitis honorificentia debita taliter venerari, quòd doceatis alios per exemplum, quantum esse debeat celebris per diversa Mundi climata præfati Martyris memoria gloriosa. Data Laterani octavo Calendas Februarii, Pontificatus nostri anno tertio.

## TRACTATUS

*Domini Stephani Cantuariensis Archi-Episcopi,*

## DE TRANSLATIONE BEATI THOMÆ MARTYRIS.

1. TRanslationis Beati Thomæ memoriam annuæ devotionis studio recolentes antè mentis oculos statuamus, quòd debellatoribus Ecclesiæ primitivæ dicitur per Prophetam, ut nostræ servitutis debitum fideliùs persolvamus, & ad ministerium nostrum implendum validiùs accingamur. Ait siquidem Zacharias: *Bibentes inebriabuntur quasi vino, & replebuntur ut Phialæ, & quasi cornua Altaris, & salvabit eos Dominus Deus eorum in die illa, ut gregem populi sui, quia lapides sancti elevabuntur super terram.* Nulli verò videatur indecens aut indignum, quòd agere volentibus diem festum bellatores proponimus in exemplum. Necessarium est enim, ut solemnia celebrantes sint ad spirituale prælium expediti, ne dùm sanctorum merita venerantur, inimicorum jaculis vulnerentur. Quod benè significat ille bellator egregius, Judas videlicet Machabæus, qui sancta mundare disponens & Templum Domini dedicationis officio renovare, ordinavit viros, qui pugnarent interim adversùs eos, qui erant in arce.

2. Hujus exemplo solemniùs insistentes, contra malignos spiritus in arce superbiæ residentes viriliter dimicemus. Qui peccati venenum festivitatis vino miscentes interficiunt infelices, qui solemnitatum obtentu negotium ventris agunt, & spirituale gaudium exultatione carnali corrumpunt. Imitemur ergo, charissimi, Mathathiam & filios ejus, qui cum fidelibus Antiocho resistentibus providè statuerunt, ut contra gentes, quæ tempore Sabbathorum in eos insurgent, unanimiter dimicarent. Nos namque prudenter & fortiter hostibus resistamus, qui Sabbatha nostra perturbant, & iniquis subreptionibus machinantur, ut spirituale gaudium, in perniciem transeat animarum, quod ad earum remedium est statutum. Si enim lætitiæ fræna laxantes prætextu lætitiæ, lasciviam amplectamur, & abjecto cingulo disciplinæ viri Ecclesiastici fuerint dissoluti, hostes Ecclesiam intuentes ejus Sabbatha deridebunt. Cùm igitur in Psalmo legamus, quòd in justorum Tabernaculis vox exultationis resonet & salutis, si justi esse volumus, attentè curemus, ut si apud nos fuerit vox exultationis, eadem sit & salutis. Nec exultatio salutem excludat, aut temporale gaudium dolorem perpetuum introducat.

3. Tota mentis intentione devitemus, ne juxta Thaddæi testimonium Dei nostri gratiam in Sanctorum gloria constitutam in luxuriam transferamus. Quoniam in judicium sunt proscripti, & damnationis titulo jam notati, qui temeritatis hujus audaciam attentare præsumunt. Dies enim Festos quos in hac vita lætitia prosequitur, inhonestæ vitæ terminus juxta verbum Propheticum in lamentationem convertet & luctum. Quis namque miretur, si Domino servire cogantur in pœnis, qui eum coegerunt in suis servire peccatis, juxta quod conqueritur per Prophetam qui suam & Sanctorum gloriam ad voluptatem retorserunt & culpam? Modum autem & formam solemnitatibus celebrandis scriptura præscribit, quæ cujusdam festivitatis celeberrimæ gaudia prosequens asserit omnem secundùm faciem Sanctorum fuisse jucundum. Qualis verò sit ista solemnitas, Apostolus docet dicens: *Fornicatio, & omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet, sed magis gratiarum actio.* Vir enim sanctus, licèt in Jericho converſetur, faciem tamen euntis in Hierusalem non amittit: quia licet eum in Mundo detineat conversatio corporalis, faciem tamen retinet ad cœlestia suspirantis.

4. Bellatores itaque primitivos, sicut diximus, imitemur, quorum probitas nos invitat, ut in diebus festis hostes fortiter impugnemus. Sermo Propheticus laudans ait: *Bibentes inebriabuntur quasi vino, & replebuntur ut Phialæ, & quasi cornua Altaris, &c.* Hæc verba non solùm præliatores primos indicant, sed & Sanctorum solemnia celebrantes reformant. Tria namque notantur in his verbis, propter quæ salubriter statutum est, Ecclesia solemniter celebret Festa Sanctorum. Prima causa est gaudium, ut in domino gaudeamus eorum Beatitudini congaudentes, quos ipse piè dilexit, excellenter ornavit, stola gloriæ induit, & magnificè coronavit. Gaudium autem notat prima clausula verbi Prophetici suprà præmissi. Secunda causa est exemplum, ut nos qui Sanctorum merita recensemus, in sensu bonorum operum eorum vestigiis insistamus, & eos mentis gressibus imitemur, de quorum patrocinio gloriamur. Secunda clausula suprapofita denotat hanc causam. Qui enim pro virium facultate Sanctorum operibus se conformant, congruè vasis sacris & Altaris cornibus conferuntur, ut sequentia declarabunt. Tertia causa est subsidium, ut qui de Sanctorum meritis gratulantur, de eorum patrocinio glorientur. Nec eis in auxilio Sancti desint, sed obsequium sibi factum vicissitudine grata compensent. Hanc tertiam causam notat tertia clausula verbi præmissi. Viatorem ad superna tendentem, & per festivitatem annuam ad continuam suspirantem refrigerant ista tria. Quoniam ab exemplo deducitur, à subsidio sustentatur, à gaudio refovetur. Exemplum enim obtinet vicem Ducis, subsidium Adjutoris, & ne solatium ei desit, gaudium his duobus assistit.

5. Quid autem magis expedit viatori, quam ut iter ejus sit certum, securum, & lætum? Ad quæ omnia sufficiunt ista tria: Quoniam exemplum certitudinem, subsidium securitatem, gaudium lætiam administrat. Ecce quanta suavitas ex observantia festivitatum emanat, quæ per gaudium, de quo diximus, indicatur. Ecce qui fructus de solemnitatibus colliguntur, si pia devotione fuerint observatæ: quos subsidium & exemplum superiùs expressa designant. Unde cum Propheta Sanctos lapides super terram elevandos dixisset, insinuat per hoc verbum Sanctorum corpora gloriosè de tumulis transferens



ferenda, quantum translationis gloria sit fructuosa fidelibus, mox declarare volens adjungit: quid enim bonum ejus est; & quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum & vinum germinans virgines? subsidium & exemplum, quæ de solemniis oriuntur; sicut superiùs est ostensum, frumentum indicat electorum. Sicut enim in area trituratur, ut granum à palea separetur, sic in Ecclesia discussa sunt Gesta Sanctorum, ut excussa palea vanitatis tam sancta sit eorum memoria, quàm solemnis: & grana sinè paleis reservantes eorum adjuvemur auxiliis, & informemur exemplis. Frumentum etiam in horreo mundo reponitur, ut servetur: nec absque mundicia cordium possunt votiva solemnia, prout decet, observari.

6. Gaudium autem Sanctum, quod Festivitatibus est annexum, per vinum germinans virgines indicatur. Vinum namque spiritualis lætitiæ munditiam germinat virginalem, quia castitatem nutrit & servat. Sed vinum lætitiæ sæcularis generat aut germinat meretrices, quia libidinem incitat & inflammat. A festivitatibus Ecclesiasticis sit alienum hoc vinum, in quibus est vinum aliud propinandum. Unde Dominus per Prophetam Eunuchos ejus Sabbatha custodire testatur. Illos inquam Eunuchos, qui sicut in Evangelio ipse dicit, semetipsos propter Regna Cælestia castraverunt. Hi sunt qui pro Cælestis Regni desiderio turpitudinem noxiæ voluptatis à sua carne resecant & abscindunt. Notandum autem quòd egregiè solemnitatum utilitas commendatur, dum ad eam sublimiter extollendam bonitas & pulchritudo junguntur. Sic nempe Fratrum concordiam commendavit Psalmista, cùm ait: *Ecce quàm bonum & quàm jucundum habitare Fratres in unum.* Sic etiam Christianæ devotionis obsequium in timore Divino consistens & observantia mandatorum, vir sapiens laudat dicens: *Nihil meliùs quàm timere Deum, & nihil meliùs quàm respicere in mandatis illius.*

7. Tria superiùs memorata, scilicet gaudium, subsidium, & exemplum, quæ festivitatibus ut diximus, sunt annexa, notavit Dominus, per Prophetam dicens: *Filios Advenæ, qui adhærent Domino ut colant eum, omne custodientem Sabbathum ne polluat illud, & tenentem fœdus meum, adducam eos in Montem Sanctum meum, & levabo eos in domo orationis meæ. Holocausta eorum & victimæ eorum placebunt mihi super Altare meum.* Advenam Sacra Scriptura populum gentilem appellat. Unde populo Judaico dictum est: *Advena qui tecum versatur, in terra ascendet super te, eritque sublimior, tu autem descendes & eris inferior.* Hoc autem est evidenter impletum in populo Judaico & Gentili. Nos igitur advenæ Filii sumus omnes, qui de gentibus orti sumus. Evidenter autem cultus Divini modum & formam expressit sermo Propheticus, cùm de colentibus Deum ait: *Qui adhærent Domino, ut colant eum.* Scriptum quippe est: *Qui adhærent Domino, spiritus unus est.*

8. Docet autem Dei cultores, ipsum in Festivitatibus venerantes, esse Spiritum, & non carnem: quia spiritualem lætitiam, non carnalem exigit cultus Dei. E contrario de equis Ægypti, per quos potentes seculi designantur, dicitur per Prophetam: *Equi eorum caro, non spiritus.* Sunt enim plerumque Mundi potentes ad spiritualia segnes & tardi, sed ad carnalia veloces & prompti, & impletur in eis illud Propheticum: *Attendi & auscultavi, nemo quod bonum est loquitur, nullus qui super peccata sua agat pœnitentiam, dicens: quid feci? Omnes conversi ad cursum suum quasi equus impetu vadens ad prælium.* Rectè verò subjungitur; *Omne custodientem Sabbathum, non polluat illud & tenentem fœdus meum.* Qui enim Festivitatem Divino cultui deputatam aliqua transgressione violat, fœdus cum Domino initum non observat. Antiquitùs autem fœdus effusione sanguinis firmabatur. Nos igitur in Festis eorum, qui sanguinem suum pro Christo fuderunt, fœdus quod cum Domino nostro contraximus, toto mentis desiderio confirmemus. Legitur quòd quando populus Israel fœdus cum Domino Josue mediante percussit, ipse pergrandem lapidem in Sanctuario statuit, quem hujus negotii testem fecit. In Sacra scriptura per lapides plerumque Sancti Martyres designantur, sicut sequentia declarabunt. Lapis ergo pergrandis in Sanctuario Domini erigitur, cùm alicujus Martyris magni Reliquiæ in Ecclesia sublimiter exaltantur.

9. Cùm igitur hodie recolamus, qualiter lapis grandis in Sanctuario sit erectus, id est, Thomas Martyr gloriosus de tumulo elevatus, ad hunc lapidem cordis dirigamus intellectum, & defigere studeamus in eo nostræ mentis affectum, ut devotionis nostræ testis esse possit & velit. De his autem, qui sinceris mentibus Deum colunt, dicitur consequenter: *Adducam eos in Montem Sanctum meum & lætificabo eos in Domo orationis meæ, Holocausta eorum, & victimæ eorum placebunt mihi, sicut Altare meum.* Quibus verbis primò notatur exemplum, secundò gaudium, tertiò suffragium. Quæ tria superiùs sunt expressa. Sanctorum enim exemplum nos in Montem Domini, æternæ scilicet Beatitudinis sublimitatem adducit. Exemplum namque, sicut diximus, ad superna tendentibus viam rectam exhibet vice ducis. Unde dicitur per Psalmistam: *Emitte lucem tuam & veritatem tuam, ipsa me deduxerunt & adduxerunt in Montem Sanctum tuum & in Tabernacula tua.* Quid rectiùs lucis nomine, quàm Dei gratia figuratur, sine qua nihil lucidum, nihil serenum, sed omnia tenebrosa?

10. Veritas autem est conversatio Sancta justorum; impiorum namque vita vanitas est & mendacium, veritas autem vita bonorum. Unde dicitur per Prophetam: *Pacem & veritatem diligite.* Justus quippe pacem cum proximo, veritatem diligit in seipso. Deducunt namque lux & veritas virum justum, eum in Montem & in Tabernacula adducentes: quia prævia Dei gratia per Sanctorum exempla regnabimus in Patria, proficiemus in via. Mons siquidem, in quo Civitas ædificatur, ad Patriam; Tabernacula, quæ sunt viatorum, referuntur ad viam. Spirituale verò gaudium, quod Festivitatibus annuis est annexum, exprimitur evidenter, cùm subjungitur: *Lætificabo eos in Domo orationis meæ.* In Holocaustis & victimis, de quibus additur consequenter, Sanctorum suffragia denotantur: Victimas enim & Holocausta pro vobis offerimus, cùm eorum merita, qui per fidem Regna vicerunt, & seipsos in odorem suavitatis ei obtulerunt, pro nobis Domino præsentamus, ut eorum precibus ejus Offensam placare possimus.

11. Nunc verbum Propheticum ab initio propositum perscrutemur. *Bibentes inebriabuntur quasi vino, &c.* Frequenter in Sancta Scriptura per comestionem & potum spiritualis lætitia designatur.

Hinc Ecclesiastes ait; *Omnis homo qui comedit & bibit & videt bonum de labore suo, hoc donum Dei est*. Bona de laboribus suis videt, qui in Sanctis operibus se exercet, & laboris sui fructum constituit præmium sempiternum. De quo scriptum est: *Bonorum operum gloriosus est fructus*. Est autem spirituale gaudium vitæ laudabilis condimentum. Convenienter enim exultant, qui laboribus fructuosis & honestis insudant. Hinc Apostolus Petrus ait: *Communicantes Christi Passionibus gaudete*. Non enim eum exultare decet, qui passionis imitationem abhorret: quia non erit consors redemptoris in gloria, qui non fuerit consors ejus in pœna. Quia testante Apostolo, *qui non compatitur non conregnabit*. Est autem passionis consortium, quia gustantibus amarescit, spirituali lætitia dulcorandum. Unde Domino dicitur per Prophetam: *Occurristi lætanti & facienti justitiam*. Dominus enim quasi promptus auxiliator occurrit ei, qui cum gaudio carnem suam cum viciis & concupiscentiis crucifigit.

12. Cum ergo comedit homo & bibit, & de labore suo bona percipit, hoc *Donum Dei est* juxta testimonium Salomonis. Dominus enim solus est, qui mentem afflictam exhilarat, & patientis animum inter tormenta lætificat. Qualiter autem comedat & bibat, qui bonis operibus vigilanter insistit, sententia quæ præcedit, evidenter aperit & ostendit. Præmittitur enim istud: *Cognovi, quòd non esset melius, nisi lætari, & benè facere in vita sua, comedere, & bibere, & collætari*. Idem enim est de laboribus bona videre, quod benè facere in hac vita. Spirituale quoque gaudium notans in Canticis Sponsus ait: *Comedite, & bibite, & inebriamini Charissimi*. Sicut per cibum & potum spiritualis lætitia, sic per inebriationem abundantia talis lætitiæ denotatur. Dicat ergo patenter, gaudeant & exultent quicumque Domino per amicitiam sunt conjuncti. Plenius tamen gaudeant, qui per altiorem charitatis amicitiam ei familiariùs appropinquant. Quid tamen admonitionem istam præcedat, sollicitè perpendamus. Postquàm enim dixerat, *messui Myrrham meam cum aromatibus meis, comedi favum cum melle meo, bibi vinum cum lacte meo*, consequenter Amicos ut comedant, Charissimos autem ut inebrientur, invitat.

13. In horto suo Dominus cum aromatibus myrrham metit, cùm in Ecclesia recipit corporum disciplinam bonorum operum admixtione conditam. Mellis nomine contemplatio figuratur. Et rei convenit hæc figura, cùm sit mellifluus supernorum aspectus. Contemplationem melli contulit, qui ait: *sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum, ita perscrutator Majestatis comprimetur à Gloria*. Favus est dulcedo mentis interna, contemplationi supernorum adjuncta. Favum ergò cum melle suo comedit Dominus, quia gratum est ei contemplationis obsequium, cum dilectione cordis oblatum. Mordax est vinum & vulnerum corporis curativum. Unde per vinum compunctio figuratur. Quæ cum sit intus pungitiva, spiritualium vulnerum est medela. Per lac, quo simplices & parvuli nutriuntur, cordis simplicitas intelligitur. Gratanter ergò cum lacte Dominus vinum bibit, quia dolorem illum acceptat, quem ei cordis simplicitas recommendat.

14. Post ista præmissa sequitur competenter: *Comedite amici &c.* Decenter enim exultant, qui talibus obsequiis Deum placant. Quoniam autem inebriatio, sicut diximus, spiritualis lætitiæ notat abundantiam, rectè qui Dominum in Sanctorum memoria venerantur, inebriandi dicuntur: ut apertè notetur, quòd Sancti lætitia debeant abundare. Notandum autem, quòd nobis ebrietas animum, quem exhilarat, à temporalibus alienat. Undè scriptum est: *Qui inebriat, ipse quoque inebriabitur*. Qui enim aliorum animos exhortatione salutis separat à Terrenis, ipsius animus avelletur ab eis, ejus operante Clementia, qui in fortitudine vinctos educit. Unde Dominus per Prophetam ait: *Si convertens convertam ad te, & ante faciem meam stabis. Et si separaveris pretiosum à vili, quasi os meum eris*. Hinc etiam per eundem Prophetam dicitur: *factus sum quasi vir ebrius, & quasi homo madidus à vino, à facie Domini & à facie verborum Sanctorum ejus*. Inebriat intuentem facies Creatoris, quia contemplantis animum à transitoriis rebus eripit, ad bona sempiterna deducit. Inebriat etiam auditores Divini sermonis auditus, quia terrenorum amorem verba Sancta depascunt, & desiderium æternorum accendunt. Unde vivis carbonibus comparantur, qui cibaria, paleamque consumunt. Spiritualis autem lætitia, sicut ebrietas mentem supernis inserit, à terrenis avertit. Inebriantur hoc modo, qui nostram Matrem venerantur, ut Cœlestibus intendentes fugitiva bona despiciant, & permanentia concupiscant.

15. Rursùm ebrietas doloris sensum adimit, adeò quòd ebrius etiam cùm dolenda sustinet, hilarescit; unde vocem ebrii vir sapiens ita format: *Verberaverunt me, & non dolui, traxerunt me, sed non sensi*. Hinc etiam Jeremias sub persona carnalis hominis loquens ait: *Inebriavit me absynthio*. Cujus verbi sensum aperiens Beatus Gregorius, sic exponit: *Ebrius quod patitur nescit. Absynthio ebrius est, qui amaritudines Mundi tolerat, & tamen quid patitur, ignorat*. Fuerunt ergò tanquàm ebrii bellatores Ecclesiæ primitivæ, qui cum interna lætitia corporum tormenta vicerunt, & juxta verbum Apostoli, *Rapinas bonorum suorum cum gaudio susceperunt*. Spiritualis autem jucunditas, similiter ut ebrietas tristitiæ sensum tollit; & mentibus persecutione pulsatis, hilaritatem sanctam infundit.

16. Qualis autem exultatio Sanctorum Festivitates debeat comitari, declaravit Psalmista cùm ait: *Exultationes Dei in gutture eorum & gladii ancipites in manibus eorum*. Humani generis inimicus illis confidenter tendit insidias, quos sæculi gaudiis invenit irretitos. Profundiùs enim infirma sua discutit dolens animus, quàm exultans. Nisi namque tentator callidus tempus lætitiæ tentationi congruere cognovisset, nequaquam filiis & filiabus Job in Domo primogeniti Fratris sui vescentibus, ipse concussis angulis domus totam Beati viri progeniem extinxisset. Quoniàm igitur plerumque, sicut diximus, mentem in tentationis laqueos exultationis aditus introducit, valdè necessarium est, ut dum exultatio guttur occupat, manus gladium apprehendat. Illum, inquam, gladium, quem Apostolus nominat, *Dei Verbum*. Opus autem est, ut gladius in manu portetur, quia dolorem illum acceptat, quem ei cordis simplicitas recommendat.



metur. Unde Beatus Job ait: *Arcus meus in manu mea instaurabitur*. Arcus instauratur in manu, cùm instrumentum pugnæ Cœlestis, de quo jacula mittuntur in hostes, bonæ conversationis adjutorio roboratur.

17. Præsens igitur Festivitas, sic lætitiæ recipiat blandimentum, ut severitatem gladii non excludat. Qualis etiam lætitia debet esse Festivitatibus Sanctorum annexa, manifestè demonstrat quod dicitur per Psalmistam: *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore*. Cum timore serviendum est Domino, quia sic exultatio timore debet acui, sicut timor exultatione condiri. Decet enim, ut si servitii spiritualis occasio sæcularem lætitiam introducat, timoris magisterium eam premat, ut in refectione sacra dulcedinis simul & acriminis serviat condimentum. Quod etiam alibi monstravit apertè Psalmista, cùm ait: *Deduc me Domine in via tua, ingrediar in veritate tua, lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum*. Per viam Domini ambulat, qui sapienter ei ministrat. Ministrans autem Domini veritatem ingreditur, cùm ejus ministerium ad Cœlestia retorquetur. Ministerii verò modus aperitur, cùm dicitur: *lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum*.

18. Eleganter expressit, qualiter in obsequio Domini sit gaudendum, qui lætari petiit, ut timerent. Talis enim debet esse lætitia, ut timorem Domini nullatenus minuat, & talis esse timoris custodia, quæ spiritualem lætitiam non excludat. Unde postquàm Psalmista præmiserat, *Servite Domino in timore*, rectè subjungit: *Et exultate ei cum tremore*. Cùm enim Ecclesiæ Filios oporteat salutem suam cum timore & tremore, sicut dicit Apostolus, operari; necesse est, vt cùm exultatio foris adest, ejus ingressum timor interiùs moderetur, ne tota veniens ad cor intret, & ad immoderatum ejus ingressum infirmitatio suffocetur. Hoc autem periculum timor & tremor excludant, videlicet ut mens mala quæ possunt accidere, sollicitè pertimescat, & corpus mentis obsequio se reverenter addicat.

19. Sequitur: *Replebuntur ut Phialæ, & quasi cornua Altaris*. Per Phialas & Altaris cornua, nobis est insinuata justitiæ duplex forma, variis considerationibus observanda. Sancta namque conversatio, ut ita dixerim, nunc ab angusto tendit in latum, Phialæ figuram exprimens, quæ fundum habet angustum, sed patulum os & amplum: & dum in altum ascendit, paulatim in latitudinem se diffundit. Ita justitia, dum proficit, paulatim incrementum suscipit, & in bonis operibus dilatatur. Interdùm autem Sanctitas progreditur in acutum, sicut Altaris cornua sumunt initium à latitudine, sed deinceps se coarctant, itaque in acumine terminantur.

20. Assimilatur his cornibus justitia consummata, quæ cùm perfectionem fuerit assecuta, per humilitatis modestiam se constringit, cùm in meritorum excellentia priùs fuerit dilatata. Attendit enim verbum Sapientis viri dicentis: *Quantò magna est potentia Dei solius, & ab humilibus honoratur*. Hac consideratione vir justus, quantò magis in perfectionem se erigit, tantò per humilitatem amplius se substernit: ne superba de se sentiat, & per præsumptionem præcipitatus corruat, aut per inaneum gloriam evanescat.

21. Qualiter justitia proficiens dilatetur, Salomon docet dicens: *Justorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit usque ad perfectum diem*. Justitia namque cùm incipit, primò tenui luce clarescit. Sed cùm perfectionem attigerit, claritatis suæ radios circumquaque diffundit. Hinc per Psalmistam dicitur: *Viam Mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum*. Et iterum: *Et ambulabam in latitudinem, quia Mandata tua exquisivi*. Hinc etiam in Proverbiis ad Filium Pater ait: *Viam justitiæ monstrabo tibi, ducam te per semitas æquitatis, quas cùm ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, & currens non habebis offendiculum*. Justitia namque festinans ad præmium, nec angustia coarctatur, nec offendiculo præpeditur, quia Dominus ei contraria dissipat, & ejus impedimenta complanat. Hinc etiam cùm Profectus David Scriptura Sacra describeret, ait: *David proficiens, & semper se ipso robustior erat, Domus autem Saul decrescens quotidie*. Justus enim per incrementa meritorum ascendet, injustus autem per malorum operum decrementa decrescet.

22. Qui autem profectui virtutum insistit, quasi semetipsum proficiendo transcendit. Carnis enim corruptelam deserit, & spirituale fastigium potenter accingit. Nonne super semetipsum excreverat is, qui ait, *Vivo ego, jam non ego, vivit autem in me Christus*? Nonne super se ascendere videbatur, cùm dicebat, *quæ retrò sunt obliviscens, ad ea quæ sunt priora me ipsum extendo*? Quod de virtutis incremento prædiximus, videlicet, quòd justitia proficiens dilatatur, fuit evidenter in templi fabrica figuratum. Superius namque tabulatum in templo majorem latitudinem obtinebat, inferius verò minorem. Nam infimum tabulatum quinque cubitos latitudinis habuit, medium verò sex, superius autem septem.

23. Tabulata, quibus templi parietes decorantur, sunt fideles Ecclesiæ, qui eam vestiunt & ornant, sicut dicitur ei per Prophetam: *Vivo ego*, dicit Dominus, *quia omnibus his velut ornamento vestieris, & circumdabit tibi eos quasi sponsa*. Benè autem tabulata viros Catholicos indicant, quorum corda charitas dilatavit: disciplina Cœlestis excidit, simplicitas complanavit. Huic sensui benè congruit, quòd tabulata fuerunt in superioribus latiora, quia fidelium mentes ad temporalia se constringunt, & ad Cœlestia se expandunt. Similiter autem templum quòd Ezechieli fuit ostensum, superiùs fuisse latius perhibetur. Qui autem templi nomine figurentur, docet ille qui ait: *Nescitis quia Templum Dei estis*? Et si suave videtur hoc verbum, pungiturum est valdè quod sequitur: *Si quis Templum Dei violaverit, disperdet illum Deus*.

24. De Templo etiam superiùs memorato legitur audisse Propheta: *Tu autem fili hominis ostende domui Israel Templum, ut confundantur ab iniquitatibus suis*. Confunduntur namque salubriter peccatores, cùm eis proponitur in exemplum vita justorum. In hoc enim speculo maculas suas agnoscunt, & eas lachrymando diluunt, & pœnitentiæ lamentis abstergunt. Eleganter autem hoc templum superiùs fuisse latius memoratur, quia, sicut diximus, corda justorum coarctantur in infirmis, & dilatantur in summis. Sunt enim corda bonorum Thuribulo valdè similia, quòd cum sit clausum inferiùs, superiùs est apertum. Secundùm hanc similitudinem piæ mentes ad terrena se claudunt, & aperiunt ad superna. Hoc quia in Apocalypsi legitur, Angelus tenuisse Thuribulum, quod Sanctorum Orationibus

bus erat plenum. Illorum namque cordium Angeli sunt custodes, de quibus orationum fumus ascendit, quarum odore Dominus demulcetur, & suavitate placatur.

25. Nunc scripturæ testimoniis ostendamus, quomodò perfecta justitia, cùm consummata fuerit, se constringit, & quæ dilatatur in imo, quomodò coarctatur in summo. Quod Arcà Noe figuravit expressè: scilicet eam superiùs unus cubitus consummavit. Quid per Arcam Noe meliùs, quàm Ecclesia figuratur, quæ sinu mentis expanso Spiritus Sancti flatum accipit, cujus impulsu sæculi fluctus secat, & ad vitæ portum tota cordis intentione festinat? Hæc dilatatur in imo, & coarctatur in summo, quia quæ latitudinem & longitudinem inferius habuit, postquàm in virtutis exercitio se diffudit, dum retributionem supernam attendit, opera sua despicit, & ea tanquàm modica perpendit, sub humilitatis custodia se comprimit, & inflationem noxiam virtutis pede restringit. Hæc esse sollicitè facienda salvator ostendit, qui Discipulis suis ait: *Cùm omnia benè feceritis, semper dicatis, servi inutiles sumus*. Qui omnia benè facit in bonis operibus se dilatat. Sed qui posteà se servum inutilem reputat, per humilitatis modestiam se coarctat. Hinc rursus ad Sponsam in Canticis Sponsus ait: *Venter tuus sicut acervus tritici, vallatus liliis*.

26. Plerumque ventris nomine mens significatur, eò quòd cogitationes in mente sicut cibaria digeruntur in ventre. Unde dicitur per Prophetam: *Ventrem meum doleo, ventrem meum doleo*. Quem autem dolorem plangeret, mox aperuit, cùm subjunxit: *Sensus cordis mei turbati sunt*. Fuit ergo Prophetæ plangenti mentis tribulatio dolor ventris. Hinc etiam de impio scriptum est: *Uterus ejus præparat dolos*. Constat autem, quòd Carnalis uterus dolos præparare non potest, sed uterus dolos præparans est animus fraudis machinamenta pertractans. Venter itaque, Sponsæ signanter, acervo tritici comparatur, qui cùm sit latus in imo, tamen est angustus in summo. Quia fidelis anima priùs in bonorum operum exercitio se diffundit, demùm post contemplationem Cœlestium in se redit, & per humilitatem, ut diximus, se constringit.

27. Benè autem acervo tritici comparatur, quia palea vanitatis excussa meditationis sacræ Thesaurum, quasi grana tritici in horreo conscientiæ congregat & servat. Hic autem acervus liliis dicitur esse vallatus, quia fidelis animus undique munditia castitatis est cinctus. Nec solùm lilio, sed liliis vallari dicitur, quia veræ castitatis geminus est effectus; videlicet, ut & cor complectatur & corpus. Unde per byssum retortam & duos turtures figuratur in Lege. Præmissis consonat, quod Sapientia de se dicit: *Ego quasi Cypressus in monte Sion*. Intelligitur autem hoc verbum, sicut de capite, sic de membris, ut una sit vox capitis & membrorum. Cypressus pulcherrimam comam habet, cujus summitas surgit in comam. Est ergò vir justus quasi Cypressus, quia coma pulcherrima est conversatio speciosa. Dicitur autem esse quasi Cypressus in monte Sion, quoniam in contemplationis vertice constitutus Cœlestium consideratione se premit, & dum intra mentis se sinum colligit, sub humilitatis custodia se constringit.

28. Mundanus autem usus hujus rei manifestum ostendit exemplum. Nam & avis domestica, aliis avibus capiendis assueta, se premit, cùm prædam conspicit, quam ardenter appetit, & ad quam dirigendam sese sentit. Quis ergò miretur, si mens in humilitate se comprimat, dum prædam Beatitudinis considerat, ad quam inhianter adspirat? Per Phyalas igitur & Altaris cornua, sicut diximus, figurantur viri Spirituales, Divini prælii bellatores, & virtutum ornamentis instructi, tanquàm armatura Cœlesti. Dicuntur autem Phyalæ à Phyalui, quod est vitrum in Græco, quia propriè vasa vitrea vocantur vasa Phyalæ. Unde de Luxuriosè bibentibus dicitur per Prophetam: *Bibentes in phyalis vinum*. Luxuriæ namque non sufficit, ut gustui placeat vini sapor, nisi visum quoque demulceat ejus color. Unde Salomon in proverbiis cohibere volens luxuriam istam, ait: *Ne intuearis vinum, quando flavescit, & cùm splenduerit in vitro color ejus*. Quòd autem periculum sit annexum consequenter ostendit: *Ingreditur blandè & in novissimo mordebit, ut coluber, & quasi regulus venena diffundet*. Regulus aves volantes inficit, coluber autem latibula quærit & colit. Benè ergò vinum colubro comparatur & regulo. Colubro, quia libidinem provocat, cujus turpitudo quærit abscondi. Regulo verò, quia vinum immoderatè sumptum viros magnos interdùm enervat, qui duabus alis, abundantiæ scilicet & potentiæ, volare poterant ad superna, si rectè dirigerent iter suum.

29. Licèt autem phyalæ dicantur vasa vitrea, phyalæ tamen erant aureæ, quæ jubente Domino fuerant in tabernaculo præparatæ. Hoc autem benè congruit viris justis, ut sint quasi vitrei, & tamen in veritate sint aurei. Videlicet ut sint quasi debiles, tamen verè sint fortes. Tales voluit esse justos, qui sicut dictum est suprà, Discipulis suis ait: *Cùm omnia benè feceritis, semper dicatis, servi inutiles sumus*. Fortis est utique, qui omnia benè facit, sed debilem se reputat, qui inutilem servum se vocat. Nonne vas aureum fuit ille, qui plus omnibus laboravit, tamen quasi vas vitreum se exhibuit, qui se nec dignum Apostolatus nomine judicavit? In hoc autem vitri similitudinem habeant viri justi, ut solis radium & claritatis lucem admittant, venti tamen flatum excludant. Videlicet ut gratiam recipiant, sed noxiæ tentationi resistant. Sunt autem phyalæ oblationi libaminum reputatæ. Spirituales ergò viri replentur ut phyalæ, si sacrarum cogitationum & piarum intentionum oblationibus cum bonorum operum studiis copiosè redundent. Sciendum tamen quòd liquida libamina dicebantur. Decet autem quòd liquidæ sint oblationes justorum. Quòd utique fiet, si per devotionis ardorem animus liquefiat. Unde dicitur per Psalmistam: *Effundo in conspectu tuo orationem meam*. Effundi potest oratio, si fuerit lachrymosa, sed nequaquàm effunditur, si per cordis duritiam fuerit congelata. Dicebantur etiam libamina, quia ministri degustando probabant, utrùm essent ad offerendum idonea. Sic Domino ministrantes cogitationes suas & intentiones debent quasi gustando discutere, ne quid in eis occurrat, quod Domino debeat displicere.

30. Replentur etiam ut Altaris cornua viri Sancti. Super Altaris cornua sanguis hostiæ ponebatur, unde & eo repleri dicuntur. Hæc igitur solemnia celebrantes velut Altaris cornua sanguinis aspersione replentur, quia Martyrem venerantes passionis ejus memoria imbuuntur. Illorum autem mentes memoria Martyris imbuit, quorum conversatio fortitudinis ejus formam in se ostendit. Imitantur enim Martyrem, quibus licèt non sit datum pati pro Christo, pro ejus tamen amore labentia cuncta despiciunt, carnem affligunt, & ad promerenda Cœlestia se potenter accingunt.



31. Nobis itaque qui speciali Martyris protectione gaudemus, præcipuè congruit, ut nos in ejus obsequio specialiter affligamus, dicente scriptura: *Qui transfert lapides affligetur in eis*. Lapidum nomine Martyres figurari sequentia declarabunt. Lapides ergò transferunt, qui translationi Martyrum obsequia suæ devotionis impendunt. Qui scilicèt eorum Reliquias de locis humilibus elevant, ut sublimiùs & solemniùs cum debita veneratione reponant. Nos igitur lapidem pretiosum transtulimus, cùm translationi Martyris obsequium quale potuimus, exhibere curavimus. Ut itaque supra positum scripturæ verbum impleatur in nobis, ob venerationem ipsius, qui se pro Domino hostiam obtulit, carnem nostram Domino viventem hostiam immolemus, ut à nobis concupiscentias noxias & prava desideria resecemus. Sic itaque Domino largiente servitutis nostræ mysterium impleamus, ut pro modulo suo capiti membra respondeant, & Patrem Filii pro viribus studeant imitari.

32. De viris quoque justis additur consequenter in verbo Prophetico, quòd suscepimus exponendum: *Salvavit eos quasi gregem populi sui*. Illum namque populum Dominus elegit ad salutem, qui cùm ratione vigeat, per quandam tamen similitudinem se gregi conformat. Decet enim, ut fideles Domino servientes per sapientiam & discretionem sint populus, per mansuetudinem & simplicitatem sint grex. Unde dicitur per Psalmistam: *Nos populus & oves Pascuæ tuæ*. Populus sunt & oves, qui sunt prudentes ut homines, & simplices velut oves. Hinc iterùm per Psalmistam dicitur: *Qui deducis velut ovem Joseph*. Vir justus per vias rectas deducitur ad superna, cùm in bonis operibus proficit quasi Joseph; Joseph enim interpretatur augmentum. Et tamen ut ovis nec simplicitatem deserit, nec mansuetudinem derelinquit. Viri Sancti Creatori dedicati taliter ad patriam deducuntur, quia profectui vigilanter insistunt, pastorique suo simpliciter & humiliter acquiescunt. Unde Religionis eminentiam benè significat turris gregis, de qua legitur in scriptura. Per gregem enim humilitas, per turrim altitudo signatur. Quid est igitur turris gregis, nisi sublimis humilitas, aut humilis altitudo? Quarum utramque status Religionis observat, quia sublimitas est in opere laborantis, & humilitas in æstimatione laboris. Unde Balaam Castra Filiorum Israel videns ait: *Quàm pulchra Tabernacula tua Jacob, & tentoria tua Israel quasi valles nemorosæ*. Per Castra Filiorum Israel Religionis acies figurantur, quæ vallibus nemorosis egregiè comparantur, quia vallis est humilis, nemus altum. Quid est igitur vallis nemorosa, nisi depressa sublimitas, aut humilitas exaltata? Quam conversationis formam Religiosi benè conservant, quia sunt in cordibus suis humiles & in operibus suis excellentes.

33. Sequitur in verbo Prophetico: *Salvavit eos Dominus Deus eorum, quia lapides Sancti elevabuntur super terram ejus*. Salutem ergò fidelium operatur Sanctorum Lapidum elevatio super terram. Quòd lapidum nomine Sancti Martyres designentur, qui solidi fuerunt in constantia, fortes in justitia, duri contra tormenta, testatur ille qui ait: *Quos imbres montium rigant, & non habentes velamen amplexantur lapides*. Montium imbres rigant, quos viri tam scientia, quàm vita sublimes verbis pariter & exemplis informant. Velamine autem carent, qui bonorum operum ornamenta non habent. Sunt nanque virtutum opera quasi vestes, quibus anima decenter ornatur, & pudendorum actuum fœditas operitur, ne à superno judice videatur. Unde scriptum: *Beatus qui custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet*, Et Apostolus Corinthiis scribens ait: *Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, domum non manu factam habemus in Cœlis*. Et paulò post addit: *Si tamen vestiti, & non nudi inveniamur*. Ducitur namque vestitus ad Regna, sed nudus ejicitur ad tormenta. Hinc iterùm scriptum est: *Nonne vestimenta calida sunt, cùm perflata fuerit terra austro?* Austro terra perflatur, cùm Spiritus Sancti gratia repletur. Unde Sponsus ait in Canticis: *Surge Aquilo, veni Auster, perfla hortum meum & fluent aromata illius*. Rectissimè potest dici hortus Domini quies Claustri, in quo Doctrina Cœlestis inseritur, Sancta conversatio propagatur, vitiorum frutices succiduntur. Dominus igitur est rogandus, ut ab ortu suo flatum Aquilonis excludat, ut ad eum liberè flatus Australis accedat: quia Claustralibus incumbit orare, quòd Dominus inimici insidias repellat ab eis, & Spiritum Sanctum requiescere faciat super eos. Facit autem aromata fluere flatus Austri, id est, Spiritus Sancti gratia procurante per laudabilis famæ præmium ad eos, qui foris sunt, odorifera Claustralium opera derivantur, quatenus exempla justorum confundant, impios autem convertant. Est itaque Spiritus Sanctus Auster & ejus inspiratio flatus Austri. Opera verò bona, sicut diximus, per vestimenta signantur. Facit itaque vestimenta calida flatus Austri, quia virtutum opera reddit devotione ferventia Cœlestis inspiratio cor illuminans & inflammans: quoniam ab Austro veniunt lux & calor. Quos igitur montium imbres rigant, & non habentes velamen lapides amplexantur, quia peccatorum Sarcina prægravati, cùm fuerint Doctrinis salubribus eruditi, vel propria clamitate compulsi, Martyrum Reliquias venerantur, ut eorum nuditas Sanctorum intercessione tegatur.

34. Rursùs de lapidibus istis scriptum est: *In præruptis silicibus Aquila commoratur*. Per Aquilam vir contemplativus intelligitur, qui suæ mentis intuitum justitiæ in sole defigit, qui sublimia volando penetrans, considerationi supernorum intendit. Præruptum autem est, ut dicit Beatus Gregorius, cujus pars cecidit, pars subsistit. Præruptis ergò silicibus restè Martyres comparantur, quorum corpora per Martyrium ceciderunt, spiritus autem in Cœlestibus requiescunt, & sicut de viris Sanctis canitur, reddentes terræ corpora, Beatas Cœlo animas intulerunt. In præruptis ergò silicibus Aquila commoratur, quia contemplativi Martyrum obsequio deputati in eorum memoria requiescunt, & eorum venerationi & imitationi se totos impendunt

Alioquin nequaquàm in filicibus commoratur Aquila, nisi Martyribus servientes, tam mente, quàm corpore servitutis suæ debitum studeant exhibere. Nequaquàm commoratur in filice, qui psallit aut cantat coram Martyre, mens autem ejus vagatur exteriùs in sæcul. vanitate.

35. Sunt ergò lapides Sancti, sicut ostendimus, Martyres Jesu Christi. Super terram ergò Sancti Lapides elevantur, cùm Reliquiæ Martyrum de tumulis transferuntur. Notandum autem, quòd non tantùm super terram ejus Sancti Lapides elevandi dicuntur, quia Sanctorum Reliquiæ non solùm superiùs elevantur, sed in Ecclesia, quæ terra Domini appellatur, eorum elevatio reverenter impletur. Ex hoc salutem Dei populo provenientem sermo Propheticus, quem prosecuti sumus, ostendit. Speremus igitur & nos, quòd Martyris nostri translatio, quam solemniter celebramus, nobis in præsenti veniam peccatorum, & salutem perpetuam nobis apud Dominum obtinebit percipiendam post hujus vitæ decursum. Roboraverunt autem valdè spem istam quædam signa, quæ misericordia Dei vobis ostendit, quando translatio facta fuit. Provisum namque fuerat ab his, qui Martyrem transtulerunt, ut feria tertia transferretur, quia feria tertia passus fuit: ut talis dies ejus gloriæ deserviret, qualis ejus passioni ministerium suum impendit. Sed in Christo testamur præter humanam providentiam accidisse, Dei gratia taliter procurante, quòd anno quinquagesimo passionis ipsius, venerabile corpus ejus gloriam translationis accepit. Quid autem nobis per istum insinuatur eventum? Quinquagenarii nobis virtus indicat, quem remissionis numerum esse constat, quòd nullus Sacræ paginæ lector ignorat. Ex hoc igitur quòd anno quinquagesimo transferri voluit, spem certam nobis tribuit, quòd nisi per nos steterit, remissionis nobis gratiam obtinebit.

36. Aliud autem accidit, quod humana deliberatio nullatenus ordinavit. Bissextilis siquidem fuit annus translationis, in quo est plenus dierum numerus & perfectus, ut ex hoc eventu speremus, quòd Martyris intercessio dies nostros in præsenti complebit in bono, & perducet nos ad dierum plenitudinem in futuro.

37. Contingit & illud memorabile, quod ad Martyris gloriam procurante Domino creditur accidisse. Martyr enim fuit ea die de terra translatus, qua Rex Henricus, cujus tempore passus est, fuit in terra sepultus, ut impleretur hoc modo quod legitur in scriptura: *Mons cadens defluit, & saxum de loco suo transfertur*. Montes sunt, qui terram plenam altitudine sua transcendunt, & in sublimitate cacumen suum attollunt. Montes itaque sunt Reges & Principes, qui terrarum Dominium obtinent, & sublimiores sunt cæteris eminentia potestatis. Mons ergò magnus cecidit, cùm Regem mortuum sinus terræ suscepit. Defluente igitur monte saxum est de loco suo translatum, quia Regis corpore in terra deposito, Martyris Corpus est honorificè sublevatum. Miracula quoque varia translationis tempore Martyr fecit, per quæ favorem suum translationem exequentibus & venerantibus adesse monstravit.

38. Ad translationis Corporis Beatissimi Thomæ meritis gloriam declarandam, parabolam Evangelicam ad memoriam revocemus: *Nemo lucernam accendit, & in abscondito ponit, neque sub modio, sed super candelabrum, ut qui ingrediuntur, lumen videant*. Quòd Beatus Martyr, cujus solemnia celebramus, lucerna fuerit ardens & lucens, cœlum & terra testantur. Ardens, inquam, Sanctitatis exemplo, lucens documento salutifero. Dominus hanc lucernam accendit, cùm electum suum in apicem eximiæ prælationis erexit. Hanc etiam lucernam emunxit, cùm Martyrem suum exilio diuturno, contumeliis, damnis, & injuriis innumeris affligi permisit. Fuit enim hæc tribulationum immensitas tanquàm emunctorium hujus lucernæ, quia quod Beatus vir purgandum habuit, fornacis hujus flamma consumpsit. Dominus hanc lucernam extinxit, cùm servum suum Martyrio consummavit. Sed dum corporaliter eam extinxit, spiritualiter eam magis accendit, quia Sanctitatis ejus titulum post mortem ipsius crebris miraculorum testimoniis illustravit. Lucernam ergò suam Dominus nequaquàm abscondit, quia Martyris sui gloriam virtutum assertione monstravit. Aliquamdiu tamen sub modio latuit hæc lucerna, sed eam Dominus opportuno tempore revelavit. Cùm mensura quædam modius appellatur, rectè per modium potest tumulus designari, qui se mortuo commensurat, & se corpori tumulando conformat. Sicut autem modio mensuratur annona, quæ indigentibus erogatur, sic de tumba Martyris largitas Divini muneris sæpè provenit infirmis. Latuit igitur Lucerna sub modio, quamdiu Martyr requievit in tumulo. Sed eam de latebris nunc eductam supra candelabrum Dominus exaltavit, quia Martyris Reliquias de tumulo reverenter assumptas in loculo pretioso Martyris usibus deputato sublimiter collocavit. Capsam enim Martyris quid rectiùs dixerim quàm candelabrum luminis, quæ lumen illud egregium, quòd ad se tam corde quàm corpore venientes illuminat, intuentibus repræsentat? Ad hanc ergò lucernam charissimi totis mentibus accedamus, & ei vitæ nostræ maculas præsentemus, quia ut dicit Apostolus: *Omnia quæ arguuntur, à lumine manifestantur*. Si igitur ad claritatem hujus luminis accedamus, malum quod in nobis priùs videre nequivimus, ejus beneficio cognoscimus. Ad memoriam revocemus, quòd in Evangelio scriptum est: *Omnis qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ne arguantur opera ejus*. Fugiamus tamen istud exemplum, & quod sequitur imitemur: *Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta*.

39. Rursùm, ut translationis fructum & gloriam pleniùs indicemus, illud scripturæ testimonium attendamus: *Homo Sanctus in Sapientia manet sicut Sol, stultus ut Luna mutatur*. Sapiens in proverbiis notificans stultum ait: *Stultus transilit & confidit*. Stultus enim est, & qui mandata transgreditur, & tamen sibi de impunitate blanditur. Specialiter autem stultus est, Evangelica veritate testante, qui super arenam ædificat domum suam. Arena est temporalis abundantia, quia sterilis est & gravis. Sterilis Salomone dicente: *Qui amat divitias, fructum non capiet ex eis*. Gravis Apostolo teste, qui ait: *Qui divites volunt fieri incidunt in desideria multa, inutilia, & nociva, quæ mergunt hominem in interitum & perditionem*. Hinc etiam Salomon ait: *Vidi cuncta, quæ fiunt sub Sole, & ecce universa vanitas, afflictio Spiritus*. Vanitas sterilitatem indicat, afflictio Spiritus gravitatem. Stultus ergò super arenam ædificat domum suam, quia terrenorum amator figit in temporalibus desideriis mentem suam. Hic autem ut Luna mutatur. Cùm mundana mutabilitas Lunæ nomine designetur, benè stultus dicitur ut Luna mutari, quia mundanam vicissitudinem imitatur, quem extollunt prospera, frangunt adversa. Homo verè Sanctus in sapientia manet ut Sol. Justum est, ut Domino servientes omnes sint Sancti. Unde Moysi dictum est: *Loquere ad omnem cœtum Filiorum Israel, & dices ad eos, Sancti estote, quia ego Sanctus sum, Dominus Deus vester*. Specialiter tamen Sancti sunt, qui contemplationi Cœlestium sunt addicti. Sanctus enim, ut ait Beda, Græcè dicitur *Agios*, quod sonat, *Extra terram*. Sancti ergò sunt, qui à temporalibus separati in Cœlestibus conversantur. Unde dicitur per Prophetam: *Sanctus Israel Domino primitiæ frugum ejus*. Sicut interpretatio nominis indicat; Israel est supernorum inspector, & Cœlestium contemplator. Sunt autem primitiæ frugum in agro Domini, qui Cœlestibus sunt intenti, quia superna ferventiùs concupiscunt, quantò sæpiùs eorum consideratione se pascunt. Est autem Sanctus Homo ut Sol, qui calidus est, & fervet animo, lucet exemplo. Manet autem in sapientia Sanctus, sed eam citò deserit homo stultus, si interdùm eam assumit. Unde scriptum est. *Quoniam aspera nimium est sapientia indoctis Hominibus, & non permanebit in illa excors*. E contrario dicitur viro isti: *In omni animo tuo accede ad illam, & in omni virtute tua serva vias ejus. Investiga illam, manifestabitur tibi, & continens factus ne delinquas eam*. Quòd homo Sanctus Beatus Martyr fuerit, Dominus ipse patenter ostendit. Quem amaritudine pressurarum à dulcedine temporalium ablactatum Dominus ad mensæ suæ delicias invitavit, & ei Beatitudinem, ad quam aspirare debuit, patefecit. In sapientia verò mansit, quia dùm vixit, fideliter Deo servivit: novissimè verò pro eo vitam suam impendit. Fuit autem ut Sol, qui sanguinis sui radiis Sanctam Ecclesiam illustravit.



40. Elevationem igitur hujus solis solemniter veneramur, cùm translationem hujus martyris sinceris mentibus celebramus. Quòd igitur scriptum est servorum ejus congregatio diligenter attendat: *Elevatus est Sol, & Luna stetit in ordine suo*. Luna lumen trahens à Sole est hæc congregatio, quæ ab exemplo Martyris vivendi formam assumit. Luna igitur in ordine suo stet, quoniam elevatus est Sol, id est, Martyri servientes ab ordinis sui regula non declinent. Sed patronum suum in sublimi positum coram oculis suis videant, & eum in bonis operibus adjutorem confidenter exspectent. Qualiter autem ad observantiam ordinis prosit sublimitas Solis, colligitur ex subjectis. Sol enim elevatus in altum, ministrat abundantiam luminis & caloris. Speremus itaque quòd Sol noster de tumulo elevatus Servis suis lumen tribuet, quòd ab eis tenebras ignorantiæ nocivæ repellet, calorem etiam conferet, qui mentes eorum ad amorem Divini cultus accendet. Faciet etiam abundantia luminis, quòd servetur honestas, & quæ turpitudinem, si fieret, revelaret. Unde nihil sustinet inhonestum. Abundantia verò caloris efficit, ut secundùm ordinem cuncta fiant. In his autem duobus Religionis summa consistit, ut ab his, qui Religioni colla supponunt, juxta verbum Apostoli, honestè & secundùm ordinem cuncta fiant. Sol item elevatus in altum attrahit guttas maris. Unde Sol justitiæ de se dicit: *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum*. Tanquam Sol, qui Mundum illuminat, de se dicat: *Ego cùm elevatus fuero super terram, attraham innumeras maris guttas*. Prodest itaque viris justis gloria translationis, quia solis elevatio Lunam in ordine suo servat. Prodest & peccatoribus hujus Mundi, quia Sol cùm fuerit elevatus, guttas attrahet aquæ salsæ, quibus peccatores rectissimè comparantur, tum propter brevitatem & salsuginem vitæ mortalis, tum propter amaritudinem peccatorum.

# EPILOGUS.

ATQUE sic terminata est causa Ecclesiæ, quæ mundi Machinam videbatur concutere. Hæc est causa, Lector, quæ nostra est; præmium laboris *Jesu-Christi*, quod comparavit nobis suo sanguine, dum non servos nos fecit sed Liberos, relinquens Testamentum manumissionis perpetuæ *Libertatem Ecclesiæ*. Sed quid pluribus est opus, ubi loquitur *D. Thomas* post mortem? quis in dubium vocabit veritatem, quam post tam maturum & diuturnum examen confirmantem videt integram Christianitatem? Quam post *Constantinos* profitentur *Ludovici*, quam post *Julianos Apostatas* sentiunt & plorant *Frederici*, & confusi agnoscere coguntur *Henrici*. De qua non dubitabat *Flandria*, quam agnoscebat *Anglia* postmodum Catholica, & cum *Italia* fideliter semper tenuit *Ecclesia Gallicana*. *Causa finita est*: ECCLESIA DEFINIVIT UNIVERSA. Sive tuum dicam O! *Alexander Tertie*! infallibile Judicium (est autem, si fides Patribus sit cum Christo) sive tuos à *Spiritu Sancto* dirigi sensus dixero, o! illius temporis afflicta Ecclesia; *Causa finita est*. *Determinavit Pontifex ex Cathedra infallibili*, CUJUS IRREFORMABILI JUDICIO POST DEUM SUBDITA SUNT OMNIA. Et etsi (per impossibile tamen: falli enim nec fallere potest ille qui *Rogavit pro te* PETRE *ut non deficiat fides tua*) esset, inquam fallibilis esset sententia Judicis infallibilis: hanc tamen *Ecclesia probavit universa*. Nec sententia illa fuit opus unius temporis, pro qua per annos septem exul servivit D. Thomas *duro labore: & videbantur pauci dies præ amoris magnitudine*. Non est sententia quæ sit concepta in latebris, protecta in angulis, decisa cœteris ignorantibus: prædicaverunt enim eam in tecto quadringenti cum D. Thoma Exules: vox Sanguinis interemptorum clamavit usque ad Cœlum, nulla siluit Ecclesia, Reges & Principes vociferati sunt pro justitia, vociferati sunt pro libertate Ecclesiastica, subdentes se suosque & leges suas Canonibus: *Ut minor serviat majori*. Nullus itaque Catholicus obstrepat. Aut fidem exuat, aut libertatem retineat: *Sunt enim inseparabiles*. Unicum agnoscat Ecclesiæ Principem supremum, *Cui traditæ sunt Claves Regni Cœlorum* (CLAMAVERUNT REGALES PRO REGE: PONTIFICII NON SILEBUNT PRO PONTIFICE) illius mandata venerentur universi, cui commissa est cura omnium sine exceptione: *Pasce Oves meas*. AUT OVIS NON SIT QUI AB IPSO PASCI RENUIT. Ejus nutui (nullo impediente) subditi sint Episcopi, cui soli dictum est *Confirma fratres tuos*. Personas Ecclesiasticas ad sæculare Tribunal non pertrahat, qui non vult Christum trahere ad supplicium. Et qui raptor non vult esse Sacrilegus, Ecclesiæ bona relinquat intacta: quæ si vacantes sint misereatur viduarum & pupillorum, non prostituat Patrimonium Crucifixi, ut munda sit ejus anima à crimine, cujus *nunquam dimittetur peccatum, nisi cum pœnitentia restituatur ablatum*. Ille ergo, in quem *Omnium Oculi* directi erant illius sæculi, nullo tempore subdatur suis subditis, Pontifex Concilio, Pater Filiis, Magister Discipulis. Denique cum ille sit pro quo solo rogatum est *Ut non deficeret fides sua*, nullus in tam manifestum Paganismi scelus ruat, ut illius præsumat retractare mandata. REDDATUR CÆSARI QUÆ SUNT CÆSARIS; SED NON RAPIANTUR PONTIFICI, QUÆ SUNT PONTIFICIS: aut *Sceptra* mutentur in *Mitras*, confundatur *Regnum* & *Sacerdotium*, dissolvatur Ordo Naturæ: deleatur Chyrographum *Jesu-Christi*, quod Orbe teste, Orbe probante, Cœlo vidente Cœloque miraculorum testimonia præbente, D. Thomas noster SIGNAVIT SUO SANGUINE.





# INDEX
## RERUM ET VERBORUM.

*Prior Numerus paginam, alter columnam designat.*

### A


ABBAS S. Augustini in Anglia Clarembaldus recusabat professionem facere D. Thomæ primati Angliæ: nolebatque de ejus manu benedictionem pastoralem recipere. 106. 2. Appellabat ad Papam *ibid.* rogat D. Th. ut appellationem, removeat *ibid.* Jubetur Abbas professionem illam facere: salvo tamen jure & privilegio, & sine præjudicio alicujus facti, si postea velit litem promovere. 108. 1.

Ablata nisi restituantur, non dimittuntur peccata. 270. 1. 346. 1. 349. 2. Si nempè reddi possint. 205. 1. alioquin, si reddi promittantur, cum possint, nec reddantur, non agitur pœnitentia sed fingitur. *ibid.* Et 182. 1. similisque pœnitentia est merè phantastica, non quæ proficiat ad salutem, sed quæ accumulet damnationem. 277. 2.

Absens notoriè peccans damnari potest inauditus. 137. 1. Exemplo Pauli Apostoli, qui damnavit similiter incæstuosum *ibid.*

Absolvens à peccatis semper debet memor esse illius, qui ovem centesimam, relictis nonaginta novem, in deserto, propriis humeris reportavit. 174. 2.

Absolutio aliquando datur à promissione & juramento injustis. Taliter absolvit D. Thomas qui injustè & illicitè promiserant servare consuetudines Angliæ. 150. 2.

Abusus qui fiebant in Anglia inter Episcopos & Clerum, objiciuntur à Mathilde Imperatrice pro defensione sui filii Henrici secundi Regis Angliæ: ac si hic vendicaret sibi judicia Clericorum, tantum ideo, quia Episcopi deessent justitiæ. 93. 2.

Acceptio personarum non reperitur apud Deum. 263. 1.

Accusati apud Episcopos Clerici Angliæ & convicti, non puniebantur nisi mulcta pecuniaria 92. 2. avaritiæ Episcoporum id adscribens Rex, usurpat Clericorum judicia. *ibid.*

Adhortatio præclara ad D. Thomam, ut fortiter resistat pro bono Ecclesiæ, mysticis ornata exemplis. 69. 2. *seqq.*

Affectus operi imponit nomen. Id est, majus peccatum dicitur illius, qui ex deliberata peccat voluntate, quam qui vi vel metu. 151. 2. Affectum Deus reputat pro effectu. 116. 1.

Albanensis Episc. gerit vices Alexandri Tertii in urbe, tempore schismatis. 220. 2.

Alienare non licet bona Ecclesiæ. 128. 1. Crucem quia alienaverat Vintoniensis Episcopus, vir tamen alioquin justus, mandat D. Thomas ut ante quadraginta dies alienationem revocet, aut compareat personaliter, satisfacturus super illius causa. *ibid.* 2.

Aliena in causa sæpè videmus melius, quam in propria 257. 1. Alieno scelere perire satius est, quam metu proprio. 158. 1.

Alienigenas scholares abigit Francia. 208. 1.

*Ambienses* cœperant observare consuetudines Angliæ Episcopus eorum monetur à Joanne Saresberiensi. 230. 2. *& seq.*

Ambitio mater impudentiæ, tam cœca est, ut pari se temeritate audendis immergat & non audendis. 251. 2.

Amicis opem fere charitas solet vera, etiamsi nec rogata. 224. 2. Amicus apparet in prosperis, & in adversis solet non latere inimicus. 228. 2. Amici omnes non sunt personæ amici, sed plerumque fortunæ & temporis. 113. 1. Amici cognoscuntur in tribulatione 113. 1. 2. qui tunc amicum deserit, convincitur non amicus fuisse illius, sed ejus fortis. 224. 1. Sic qui amici fuerant D. Thomæ in prosperis, virum deserunt in adversis 70. 2. Tales scilicet amici mutantur secundùm fortunam. 144. 2. *seq.* Amicos miseros non solemus eligere, sed beatos. 144. 2. *seq.* Verum ex prudentia turpi id facimus & detestabili. *ibid.* Amici tamen in tribulatione positi consortio se substrahere ad cautelam, non est illius fidem & charitatem deserere 113. 2. Nam amicum præstat habere, qui inter inimicos agat causam exulis, quam qui sit comes exilii: 106. 1. *seq.* Amicorum verorum omnia sunt communia, prospera & adversa. 226. 1. Amici verbera tolerabiliora sunt, quam inimici oscula fraudulenta 136. 1. Amicos apud suos mendicare est majoris erubescentiæ, quam apud extraneos. 226. 2. Sicut in civitate sua florere gloriosum est, & jucundum nobilitari in patria: ita apud suos egere & vilescere est perquam calamitosum. *ibid.* Amicos interdum procurare muneribus convenit, dum sumus in angustia positi. 76. 2.

Angliæ miseria propter D. Thomam, pro justitia & veritate exulem. 112. 1.

Affligebantur non solum Amici ejus, sed & qui nulla ei erant propinquitate sanguinis conjuncti: viri & mulieres, juvenes ac infantes. 90. 2. *Vide* Thomæ Amici.

Anglicanam Ecclesiam perire, & Gallicanam in periculo esse, nisi Rex puniatur, apud Alexandrum Papam conqueritur Wilhelmus Carnotensis Electus. 225. 1. *seq.* *Anglicana de Ecclesia vaticinium*. Merlinus repletus Spiritu S. dicitur antè adventum B. Augustini Anglorum Apostoli, vaticinatus esse, delendam esse in Anglia Christianam Religionem, & denuò reformandam. 254. 1.

Annus remissionis, id est annus gratiæ Ecclesiam revocantis in libertatem. 155. 1.

*B. Anselmus* Archi-Episcopus Cantuariensis, vas Catholicum, hæreticorum baculus, Malleus tyrannorum, scripturarum armarium, Evangelii tuba, columna justitiæ. 8. 1. exulavit propter eandem causam propter. 341. 2. quam D. Thomas redeunti ab exilio primi occurrerunt Cantuariensis

ses Religiosi, studentes honorem illum aliis præripere. 341. 2. Monentur ut idem faciant D. Thomæ jam redituro. *ibid.* Dicere erat solitus, nihil se magis habere suspectum, quam quod eum Deus in tota vita, nulla corripuerat adversitate. 232. 1. Scripsit libellum orationum, quem consueverat D. Thomas volvere, etiam inter celebrandum, dum quidquam cantabatur à Choro. 8. 1.

Appellatio est remedium commune omnibus 132. 1.

Appellatur voce & scripto. 140. 2. Appellatur etiam à futuro gravamine. 132. 1. Appellans & appellatus sunt necessariò duæ personæ. 138. 1. Appellans diem designat 140. 2. non comparens excidit suo jure. 154. 1.

Appellatur ad Papam Romanum ab omni homine. 20. 1. Appellari non posse à Papa ad alium, solius est Papæ privilegium. 264. 2. Appellandum à Rege ad Papam, probat D. Thomas hoc argumento: *Si illi extremum reservatus judicium, qui potens est judicare corpus & animam, numquid extrema erit inter homines & summa potestas, quæ judicat secundùm spiritum?* 79. 2.

Appellatio gaudet jure suspensivo. 193. 1. Suspendit sententiam, de qua est appellatum. 132. 1. Et omne aliud gravamen, de quo est appellatum. 78. 2 Non suspendit gravamina de quibus non est appellatum. *ibid.* Sic Suffraganei Cantuariensis Ecclesiæ appellabant ab Archi-Episcopos ad S. Sedem. Interim neque de novis suis aut suorum excessibus permittebant Archi-Episcopum cognoscere 78. 1. Mandat verò Alexander Papa, ut appellatio gaudeat quidem jure suspensivo respectu gravaminum, de quibus est appellatum, non respectu aliorum. *ibid.* 2. Appellatione justa pendente nihil est innovandum 138. 2. 143. 2. etiam antequam sit rescriptum. 198. 2. Excommunicatio lata pendente appellatione, antequam Romanus Pontifex causam terminavit, est nulla. 265. 1. Appellatione pendente contra se prolatam esse sententiam graviter conqueritur D. Thomas. 135. 2. Appellatione pendente dum quid innovatur, fit injuria Sedi Apostolicæ. 132. 2. Appellationis virtute præsumebat Archi-Episcopus Eboracensis crucem præ se ferre in signum Primatus, etiam in provincia Cantuariensi: statuit Rom. Pontifex provisionaliter, ipsi, pendente appellatione, abstinendum esse: Quippe qui innovavit prætensionem suam. 107. 2. Appellatio non suspendit sententias latas ab Episcopo, aut alio quovis, si latæ sint de mandato Apostolico. 144. 1. Sic D. Thomæ concedit Rom. Pontifex authoritatem excommunicandi, ita ut non liceat appellare. 320. 2. 353. 1. Et frustra volebant Episcopi prætextu appellationis, sententias hujusmodi eludere, quas D. Thomas protulerat 126. 1. Appellatio frivola & injusta non suspendit authoritatem Judicis à quo. 137. 2. Appellatio non debet impunitatem excessuum tribuere. 78. 1. Appellationis remedium non evacuat obligationem obedientiæ. 124. 1. Nullum eximit ab obedientia Superiori debita. 162. 1. Appellatio non tuetur raptores, invasores bonorum Ecclesiæ. 138. 2. Appellatus Romam tenetur personaliter comparere, aut Procuratorem mittere. 107. 2. D. Thomas appellatus ab Episcopo Eboracensi, excusans se personaliter comparere non posse, Procuratorem mittit. *ibid.* Appellatione admissa, litigantes restitui debent, si spoliati fuerint: aliam conditionem nemo ad litigandum nisi insanus admittet. 115. 2. Appellatum dum est, qui à judice à quo expectat gratiam, debet prius mittere renunciatorias appellationis à se factæ. 123. 1. Appellationes Romanas impugnabat Rex Angliæ Henricus secundus. 84. 1. conqueritur Alexander tertius. *ibid.* & D. Thomas. 119. 1. *Seq.* Appellandum enim erat ab Archi-Diacono ad Episcopum: deinde ad Archi-Episcopum, & hinc postremò ad Regem. A Rege ad Papam appellare nullo modo licebat sine Regis licentia. Eratque una hæc ex consuetudinibus Angliæ, quam damnavit Ecclesia per Alexandrum tertium. 58. 2. Eandem damnat D. Thomas. 117. 2.

Appellatio ad Romanum Pontificem multo minus licebat Clero de causis civilibus. 85. 1. Appellantes ad S. Sedem Rex provisionaliter captivari mandat, & eorum bona saisiri. 72. 2. Illius mandati Breve extat. 73. 1. singulis vicecomitibus Angliæ est missum. *ibid.* singuli hi obligabantur Breve illud secum adferre. *ibid.* Interim Rex dum appellationes impugnat, ad S. Sedem appellat ipse met. 149. 2.

Apostrophe vehemens ad Christum, venturum judicare judicio, quo quis judicaverit. 142. 2.

Arbores magnæ diu crescunt, & una hora extirpantur. Stultus est qui earum fructus ita expectat, ut non attendat casum. 158. 1.

Archi-Diaconi non possunt investire Ecclesias, & tradere curam animarum. Hanc eis authoritatem subtrahunt decreta SS. Patrum. 279. 1.

*Aristippus* Philosophus omni conditione temporis æquanimiter utebatur, & in ipsis philosophabatur nugis: jucundus omnibus, nulli gravis. 157. 2. Rogatus, quid sibi philosophia contulisset? Respondit: ut cum omnibus hominibus intrepidè fabularer. *ibid.*

Articulos seu puncta divinæ legis congerere, non est aliquando tutum; quia etsi recta sint forsitan, subinde tamen non nisi ad subversionem proficiunt Auditorum. 154. 1.

Astrologi quamquam vera dicant, parum tamen sunt curandi. 207. 2. *seq.* Prædicebant Anno quodam futuro ex forma constellationis, futura mirabilia. In illo consilia regum mutanda; in Orbe crebra fore bella, seditionesque revelandas in fine anni. Et ita quidem actum est. Mortui sunt Reginaldus Coloniensis Archi-Episcopus, & Moguntinus, Consiliarii Imperatoris Frederici pessimi. Mortuus est Leodiensis intrusus. Romana soluta est obsidio & Rhemensis sedata est seditio. *ibid.*

Astutia serpentina est necessaria inter colubros. 128. 2.

Avaritia sordida 218. 1. in judicibus dum reperitur, inclinat vim authoritatis. 234. 2

Audacia sine gloria aut emolumento, est stulta. 88. 2.

Audire miserias parum est, sed sentire laboriosum. 348. 1.

*B. Augustinus* Angliæ Apostolus, fundavit Ecclesiam Cantuariensem moribus & lapidibus. 107. 1.

Aulici Henrici secundi Angliæ Regis. Palpones, lucri



lucri cupidi, ajebant Regi: quod nullus prædecessorum ejus tantas vires habuisset, atque amplitudinem, ac ipse. Adeoque honoris ejus esse ad statum regni conservandum, undequaque bona colligere: etiam Ecclesiastica. Maximè quia juxta consuetudines Angliæ id licebat. Attribuebant scilicèt dignitati Regiæ quidquid quondam de potestate erat præsumptum: licèt illud nec fidei concordaret, nec rationi, nec consentiret æquitati. 111. 1. *seq.* Regi autem placebat honor, & gloria. *ibid.* Instigabant Regem contra D. Thomam variis argumentis. 16. 2. *Vide* Episcopi Angliæ.

Author criminis gravius puniri solet & debet, propter malum, quod præbuit aliis, exemplum 158. 2.

## B

BARBARISMUS vocis *oportuebat*, pro *oportebat*, confundit odiosum quemdam eloquentem coram Papa. 25. 2.

Bangornensis Ecclesia destituta Episcopo, confugit ex consilio Arthuri de Bargis, ad Metropolitam Hiberniæ, pro ordinatione novi Episcopi, quia proprius eorum Metropolita D. Thomas exulabat. 227. 2. Thomas vero ne quidem acquiescens precibus Deni Regis Gualliæ. 227. 1. mittit mandata sua 227. 2. omnes Clericos citans ad se. 227. 2.

Bedelli. 60. 1.

Belgica secunda, sive Remorum, in antiquis historiis Provincia duri cordium appellatur. 170. 2.

Benefactorum non est abutendum bonitate. 191. 2. 195. 1.

Benefactori suo impugnanti libertatem Ecclesiæ, qui non auderet resistere, imitaretur Judam proditorem vendentem Dominum suum. 124. 2

Beneficia Ecclesiastica conferebant Laici in Anglia, & investiebant Clericos sua authoritate. 309. 2. Tam dantem, quam accipientem excommunicat D. Thomas. 260. 2. 261. 2. & Alexander 3 pronunciat utrumque anathematizatum esse juxta Patrum Instituta, 310. 1. similes collationes authoritate D. Petri cassat & irritat: mandans omnibus Episcopis Angliæ, ut fructus restituantur, & resignentur beneficia taliter collata. Quod si non fecerint, infra quadraginta dies excommunicentur; quod si Episcopi negligant hanc sententiam ferre: declarat Papa se omnes beneficiatos hujusmodi & collatores excommunicare. *ibid.* Gaufredus, qui tali modo de manu Laica beneficium receperat, excommunicatur: non absolvendus, nisi cautionem exhibeat restituendi fructus perceptos & beneficium, 324. 1. Beneficia, etiam dignitates Abbatiales, minabatur Rex Angliæ auferre iis, qui D. Thomæ auderent exuli succurrere. 147. 2.

*Berengarius* in die Ascensionis Domini, Londini in Templo B. Pauli, Sacerdoti nomine Vitalis, putanti se ab illo oblationem recipere, cum celebraret, tradit chartam, in qua continebatur excommunicatio Londoniensis Episcopi, & præcipiebatur Vitali ex parte D. Thomæ, ut cessaret à celebratione Missæ. Hic obedivit. 264. 1. *seq.* Tum Berengarius ad populum conversus clamavit. *Scitote Episcopum Londoniensem Gilbertum excommunicatum esse à Thoma. ibid.* Et populus catervatim exibat. *ibid.*

Bis idem non punit Deus, nec hoc licet homini. 16. 1.

Blandè loquentibus non est semper adhibenda fides: nam *fistula dulce canit, volucrem dum decipit auceps.* 146. 1.

Boloniæ Comes Matthæus, Frater Philippi Comitis Flandriæ, init matrimonium detestandum cum filia Stephani Anglorum Regis, Abbatissa 23. 2. Contradicentem Thomam, adhuc Cancellarium, Matthæus odio habet. *ibid.*

Bona multa promittebat Rex Angliæ D. Thomæ & suis, si voluissent Regi acquiescere; sed Thomas cum suis verba Regis interpretantur, ac si diceret: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* 314. 2. Bona sic sunt amanda, ut mala sæpius propter illa sint toleranda: sicut dum tempestas ingruit, multa debent in mare projici, ut navis salva possit ad portum perduci. 85. 2.

Bona Ecclesiastica non sunt Ecclesiasticorum, sed bona pauperum: patrimonium Crucifixi. Quæ potius Ecclesiasticis sunt commendata, quam donata. 134. 2. Quidquid de illis distractum est sine assensu Romani Pontificis, aut Privilegio, revocatur. 66. 2. Bona Ecclesiastica qui diripiunt, hæreditatè quærunt Sanctuarium Dei possidere: ibunque in exterminationem, usque in tertiam & quartam generationem. 82. 2. Quidam qui occupaverat bona Ecclesiastica, B. Anselmo Dei vindicante injuriam, paucis diebus post defunctus est cum liberis suis, quos prædæ futuros successores speraverat. 276. 2. Bona Ecclesiastica detinentes, sunt incapaces absolutionis, nisi restituant: hic enim, si alibi, locum habet illud Augustini: *Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* 236. 2. 237. 1.

Bona Ecclesiastica Ecclesiæ Cantuariensis ablata per Regem & suos, 276. 2. (prædia, castra &c. 98. 1. quæ prohibita erant dari D. Thomæ. 135. 2. distributa pro voluntate Regis Angliæ 98. 1. Qui ea partim in fiscum convertit, partim in Regios usus, partim in usus Episcopi & Ecclesiæ Londoniensis. 135. 2.) Erant plusquam decem millia Marcarum. 169. 1. Bona illa Ecclesiæ Cantuariensis qui occupabant, mandantur à Papa excommunicari per D. Thomam, nisi restituerent. Excipitur persona Regis: quam puniri non mandat Papa, sed permittit. 130. 1. Restitutioni integrè procurandæ destinatur à Papa Londoniensis Episcopus, & alii, usuri gladio anathematis. 81. 1. D. Th. excommunicat nominatim eos, qui Ecclesiæ suæ bona possident. 117. 2. *seq.* Item qui manus violentas in ea extendunt sine suo consensu. *ibid.*

Bonorum Ecclesiæ Cantuariensis restitutio dum postulabatur à Rege: is ea in pauperum usus conversa affirmabat, & in alia pietatis opera. Quod si fuisset verum, perindè fuisset, ac si crucifixisset S. Petrum, ut à morte liberaret S Paulum 88. 1. sic Rex Saul prædam Amalecitarum asservare se dicebat, ut Domino sacrificaret. Sed non impunè fecit. *ibid.* Bonorum Ecclesiasticorum immunitas à manu violenta deprædantium, res erat D. Thomæ adeo cordi: ut si hæc sola inter

inter ipsum controversia superesset & Regem, mori tamen mallet quamcumque mortem, quam cedere. 241. 2.
Bona per temporalia sic est transeundum, ut non amittantur æterna. 117. 1
Brachium sæculare non debent invocare Episcopi, quamdiu habent arma Spiritualia. 194. 1. Brachium sæculare invocanti Clero contra obedientiam suo Episcopo præstandam, nullo modo est parcendum. 343. 2. Quid enim solus Episcopus, quantumcumque Romanæ Sedis devotus, poterit, si ab obedientia ejus, ad nutum Potentum recesserint Sacerdotes & Clerus ejus? *ibid* Nihil est quod Ecclesiam magis debilitet, quam quod Sedes Apostolica, talia cum emergunt, facilè præterit impunita. *ibid.*
Brennus Dux Senonum, construxit urbem Senonum, ad locandos illic valetudinarios suos. 222. 1.

## C

CHALCEDONENSIS Synodus est una ex quatuor, quas Gregorius proposuit Orbi, tanquàm quatuor Evangelia. 93. 2.
Cameracensem Episcopum schismaticum, etiam cum lachrimis pœnitentem, non audet Remensis Episcopus & Suffraganei ejus ad hoc vocati, in communionem recipere, inconsulto Romano Pontifice. 173. 1.
Canes duo offeruntur Regi Franciæ nomine D. Thomæ. Donum Rex ægre fert. atque æmulorum id invidia factum existimans, offerentem tanquam exploratorem detinet. Sed dimittit ad instantiam nuntii D. Thomæ. 66. 1. Canes recusant panem comedere, quem contrectaverat Robertus de Broc excommunicatus, avidissime sumentes ea quæ projiciebantur ab aliis. 41. 1. Canes muti sunt, non valentes latrare, Sacerdotes non audentes loqui pro libertate Ecclesiæ. 134. 2.
Canonum nomen incipiebat Anglis odiosum esse, propter authoritatem S. Sedis, quæ in illis continetur. 73. 2.
Canonici de Brumfeld fiunt Monachi in Monasterio de Gloncestria: dolosè & per circumventionem bona sua & possessiones transferentes ad Monasterium. 151. 2. Canonicus quidam ex illis iter accipiens conquesturus D. Thomæ, incarceratur. *seq.*
Canonizatio Sanctorum fit à Rom. Pontifice ex injuncto illi Apostolatus officio. 44. 1. 370. 2. Procedit ex tali fama publica, & tali testimonio virorum fide dignorum, ut plenam habeat certitudinem. 60. 2. 370. 1. in Canonizatione D. Thomæ. *ibid.*
Cantuariensis Ecclesia est prima Sedes Britanniæ. 200. 1. Mater Angliæ. 283. 1. omnium illius Ecclesiarum nutrix & propagatrix in Christo. 261. 1. prima enim suscepit fidem, & totam insulam convertit ad Christum. 225. 1. Est fundata à B. Augustino, qui eam moribus instruxit & lapidibus. 107. 1. Ejus præeminentia est acquisita sanguine sanctorum Martyrum, qui in ea requiescunt. 252. 1. Nunquam fuit schismatica, semper Romanæ Ecclesiæ deditissima. 107. 1. 223. 2. Episcopos semper habuit sedi Apostolicæ fidelissimos: omnes propè Martyres, exules & proscriptos pro justitia & libertate Ecclesiastica. 288. 1. 146. 2. erant quasi in possessione patiendi pro fide & Ecclesia. *ibid.* Dirigitur à Conventu Monachorum. 4. 1. cumque Ecclesiæ illi à prima fundatione præesset Monachus, nunquam fuit scissura in Anglia. Quandocumque autem fuit scissura, Episcopus non fuerat Monachus. 28. 2.
Cantuariensi in Ecclesia, tanquam Metropoli Angliæ, fuit facta consecratio D. Thomæ: juxta Canones. 68. 2. Illius primatum impugnabat Archi-Episcopus Londoniensis & Eboracensis. *Vide* Gilbertus & Rogerus.
Cantuariensis Ecclesia crescit semper in tribulationibus. 293. 2. Cantuariensi Ecclesiæ competit Coronatio Regis Angliæ. 98. 1. *vide* Coronatio. Cantuariensis Ecclesia, Episcopus, & civitas, omni jure Legationis ordinariæ eximuntur à Sede Apostolica. 68. 1.
Cantuariensis Conventus erat schismaticus. Unus ajebat, ego sum Regis: alter, ego Ranulphi: tertius, ego fortunam sequar: & vix quartus, qui sequabatur D. Thomam. 253. 2. Monachi deferebant omnia ad Regem 202. 1. Priore suo mortuo, recurrunt ad Regem pro creando novo. 199. 2. durè arguuntur à Joanne Saresberiensi, monente quod ad Episcopum recurrere debebant. 200. 1. Rarò conveniebant cùm Archi-Episcopis suis. *ibid.* Exuli D. Thomæ recusant succurrere 202. 1. arguuntur & obsecrantur à Joanne Saresberiensi. *ibid.* mandatque illis Papa, ut intra duos menses indigentiæ sui præsulis succurrant. 109. 1.
Cantuariense qui erant inferioris dignitatis, silebant quidem, timore perculsi: sed ferè omnes favebant D. Thomæ. 110. 2. sola verò suspicione amicitiæ opprimebantur. *ibid.*
Cantuariense Templum reconciliatur post mortem D. Thomæ, cujus sanguine fuerat violatum. 371. 1. de mandato Papæ reconciliatio fit per solam aquam benedictam, sicut in Ecclesia D. Petri fieri solet. *ibid.*
Cantus Ecclesiasticus est signum lætitiæ, quam in diebus jucundis consuevit Ecclesia exercere. 281. 1.
Capitulo Senonensi non licet conferre beneficia sine consensu Archi-Episcopi, nec Archi-Episcopo id licet sine consensu Capituli. Sic juraverunt. 307. 1.
Cardinales Ecclesiæ Romanæ debent gerere vices Christi in terra. 205. 1. Sunt in mundi cardine constituti, ut liberent pauperem à potente, & justitiam decernant, & faciant inter filios hominum. 333. 1. sunt stabiles Ecclesiæ columnæ, ad quas est recurrendum in necessitate: qui & authoritatem justitiæ, & voluntatem miserationis à Domino acceperunt. 284. 2. Cardinales laborant componendæ paci inter Regem & D. Thomam. 160. 1.
Carthusienses fideles Sedi Apostolicæ 219. 2. admonent Regem Angliæ breviter, sed nervosè, ac salubriter. 223. 1.
Cassandra Trojanis semper vera prænuncians, videbatur insanire. 311. 2. sic vera præsagientibus non crediderunt Rex & Episcopi. *ibid.*
Caussa inter D. Thomam & Regem Angliæ. 230. 2. erat maximè quæstio pecuniaria. 20. 2. de fructibus



bus provenientibus tempore sedis vacantis, &c. *Vide* Regalia. Objiciebat aliquando Rex, sed maximè urgebant Episcopi, quod Regis debitor esset D. Thomas ex bonis ei commissis tempore Cancellariæ suæ. 180. 2. verum Thomas nil Regi debebat 271. 1. sicuti Rex ipse est fassus postea publicè. *ibid. & seq.* Erant autem multa puncta controversa inter utrumque. *Vide* consuetudines Angliæ. Protestatur autem D. Thomas, quod etsi solus articulus superesset de possessionibus bonorum Ecclesiæ, mallet tamen mori quavis morte, quam illi cedere. 241. 2.
Causam suam dicit D. Thomas coram Papa, ostendens persecutionem suam originem ducere ex adulatione Episcoporum studentium placere Regi. 79. 1.
Causa D. Thomæ justissima erat. Non enim erat Thomæ, sed Dei potius & Apostolicæ Sedis Privilegiorum 285. 1. nil enim Thomas sibi unquam prætendit, sed Deo & Ecclesiæ. Quod si contra æquitatem, Regi cedere voluisset, omni hora, nullius opera Regi fuisset amicissimus, & in temporalibus felicissimus. 284. 1. 285. 2. Omnia illi dedisset Rex, dummodo cadens adorasset eum 38. 1. Quod causa D. Thomæ tantas & tam longas in Anglia excitaverit turbas & molestias, existimat D. Thomas quod sit & fuerit nimia patientia Romani Pontificis, qui à principio non damnavit consuetudines Angliæ: & deinde non extendit manum suam supra Episcopos, & ipsam personam Regis. 285. 1.
Causæ D. Thomæ & Regis, judex omnibus in confesso fuit Romanus Pontifex 274. 2. ad illum convolabant Episcopi, pro & contra, ad illum D. Thomas, Rex Franciæ & Angliæ &c. *Singula vide propriis locis.*
Causas de Ecclesiis & decimis tractabant Laici, Rex & alii, juxta consuetudines Angliæ damnatas. 117. 2.
Charitas expellit timorem: 315. 2.
*Christum* qui cœpit sequi, nec familiaris dispensatio, nec patris eum debet revocare sepultura. 231. 2.
*Christus* judicatur ante tribunal, quando Ecclesiastica persona injustè trahitur ad seculare judicium 86. 1. Sed etsi à persecutoribus suis iterum crucifigatur, non occiditur tamen. 81. 2. *Christus* arcum suum tetendit, jaculaturus in brevi, nisi sponsam suam, pro cujus amore mori dignatus est, liberam permiserint Principes, & privilegiis eam honorari sustinuerint, Dignitatibusque, quas illi sanguine suo comparavit. 92. 1. *Christus* post Ascensionis gloriam, protestatus est, sicut in litteris invenitur authenticis, se adhuc paratum esse mori pro humilibus, & crucis ignominiam sustinere. 153. 2.
Christiano, nedum Sacerdoti, nihil licitum est ex prætextu fidelitatis, ubi charitas periclitatur, quæ vita fidei est, operumque testimonio declaratur. 105. 2.
CHRISTIANI esse debemus, non *Henriciani*, ajebat Joannes Saresberiensis. 207. 2.
Cistercienses sunt potentes 128. 1. ferunt Regi Angliæ acerbas D. Thomæ litteras. Rex indignabundus scribit Abbati, ut compescat suos nè litterras ferant, aut quod providebit. 228. 1.
Cilicium D. Thomæ erat usque ad poplites. 49. 1.
Claves Regni Cœlorum Petro traditæ sunt. 119. 1. *vide*. Romanus Pontifex.
Clerici malè viventes, sunt coronati dæmones. 11. 2.
Clericulo uni 4. aut 5. Ecclesiæ & præbendæ tribuebantur in Anglia, contra Canones. 94. 1.
Clericus enim nè in duabus Ecclesiis connumeretur, vetant Canones. *ibid.*
Clericorum judicia differunt à judiciis sæcularium, sicut differunt illorum habitus. 87. 2. Clericorum judicia usurpat Rex Angliæ. Accusati de quacumque re, comparere debebant ad curiam, & ibidem convicti non poterant ab Ecclesia defendi. Eratque hæc una ex consuetudinibus damnatis 58. 1. 117. 2. Causam allegabat, quia Clerici apud Episcopos convicti, non satis severè puniebantur; sed mulctabantur ad summam pecuniæ. 93. 1. Atque hoc avaritiæ Episcoporum adscribebat Rex. *ibid.* Aliter fecit Constantinus: ad quem cum causa Clericorum deferebatur: respondit, *vos à nemine judicari potestis*: sæcularium scilicèt judicium: *qui solius Dei judicia reservamini.*
Clerici criminales infames ad tribunal sæculare trahuntur licitè. 16. 1. Rex pertrahebat quoscumque; sed illicitè. *ibid.*
Clerici occisoris pœna, ab Episcopis decernebatur exauthoratio. 139. 2. 16. 1. id in Clericis lectoribus & Acolythis sufficere negabat Rex: mutilari etiam eos volens. *ibid.* Episcopi verò orthodoxi sic arguebant: Deus non punit idem bis: nec Clerici conditio pejor est conditione Sæcularis. Proinde primò degradari debent, & sufficit, ac deinde, si in crimen reincidant, poterunt mutilari. 16. 1.
Clericum quemvis, à Ministris justitiæ sæcularis incarcerari, est contra dignitatem ordinis. 225. 2.
Clericorum adhærentium D. Thomæ reditus, suspensi sunt & interdicti per Regem. 72. 2.
Cluniacensis Ecclesia possidet in Monastica Religione, orbis latini, possessionis gloriam quasi propriam. 95. 2.
Collectarum in Missa prima institutio est, ut tantum dicatur una: postea Canones permiserunt septem, sed non plures. 8. 1.
Comes de Arundel nitidè & modestè perorat coram Papa, de formanda pace inter Regnum & Sacerdotium. 26. 1
Compati miseriis alienis parum est, sed succurrere est misericordiæ. 304. 2.
Confessio nec per personas interpositas, nec scripto fieri debet, nec solet. 15. 1. 51. 2.
Confitentis viva vox, quò plus auget devotionem, eò plus habet virtutis. 51. 2.
*Conrardus* Moguntinus electus, summæ potentiæ est apud Papam. 106. 2. Amicus permagnus D. Thomæ. 107 1.
Conscientia semper exagitat impium, perpetuumque timorem incutit, nè per singula momenta, recipiat quod meretur. 273. 1.
Consentientes & facientes, pari pœna, lex Divina comprehendit. 280. 2. 118. 1.
Consilium in ambiguis tantum habet locum. 214. 1. Consilium quærendum est à sapiente. 113. 2. Consilium necessarium qui negat, seipsum reum sanguinis fratrum constituit. 90. 2. Consilio deficien-

ficiente humano, ad divinum recurrendum est auxilium. 226. 1. Consilium pravum consultori meritò est semper pessimum. 100. 1. 149. 2.
Consiliarii pessimi quid consilii ferent, & quò confugient, cum judex supremus iniqua eorum expendet consilia? 86. 2.
Consiliis malis non est adhærendum. 88. 1. sed Consiliarii illi sunt deserendi & puniendi 101. 1. nam obsunt ei cui consulunt. 111. 1.
Consiliariis pravis quid faciendum, docuit Rex Babylonis, qui conjecit eos in lacum Leonum. 151. 1. Consiliarios malos sequentium exitus sunt lamentabiles, exemplo Frederici Ex-Augusti. *ibid.* Rectiùs egit Rex Danorum, qui cum consilio pravo inductus, proscripsisset Archi-Episcopum S. Jacobi, videretque quale consilium fuisset secutus, revocavit illum, & consilio ejus agens omnia, coluit eum ut patrem. *ibid.*
Consilium pravum dicentium Regi: *Consuetudines tuæ observandæ sunt, quas qui non observaverit, non est amicus Cæsaris, hostis est Coronæ, reus erit judicio.* 86. 2. 161. 1. *Crucifige eum* 161. 2. *vide* Episcopi Angliæ.
Consuetudo est altera natura. 142. 2.
Consuetudines cedentes in detrimentum libertatis Ecclesiasticæ, profanæ sunt & detestabiles. 65. 1. Consuetudines Regias, quæ non contrariantur Dei legibus, licitè jurant Episcopi. 111. 2.
Consuetudines Angliæ. 217. 2. dictæ avitæ. *ibid.* Funestum earum & famosum decreti chyrographum, promulgatum apud Clarendunam, fuit causa exilii & Martyrii D. Thomæ. 58. 1. 14. 1. Illarum recognitio est habita sollemniter in Anglia coram præcipuis Regni, Anno 1165. 72. 2. 1. *Lites de præsentatione Ecclesiarum terminandas esse in Curia Regis.* Damnavit hoc Ecclesia per Alexandrum III. 58. 1. 2. *Feudum Regis non esse dandum Ecclesiæ in perpetuum sine Regis licentia.* Toleravit Ecclesia. *ibid.* 3. *Clericos accusandos esse in Curia Regis.* Damnavit. *ibid.* 4. *Episcopis non licere exire Regno, sine Regis consensu.* Damnavit. *ibid.* 5. *Excommunicatos non debere præstare juramentum Ecclesiæ priusquam absolvantur.* Damnavit. *ibid.* 6. *Laicos non debere accusari in Curia Episcopali nisi per accusatores legales.* Toleravit. 58. 2. 7. *Nullum ex justitiis Regis excommunicari posse, sine Regis consensu.* Damnavit. 8. *Appellandum esse ab Archi-Diacono ad Episcopum, deinde ad Archi-Episcopum, postremo ad Regem: Hinc ad nullum, sine Regis licentia.* Damnavit. *ibid. & seq.* 9. *Contentionem inter Clericum & Laicum de ulla tenemento, terminandam per justitias Regis: utrum ad eleemosynam spectet, an ad feudum? &c.* Damnavit. *ibid.* 10. *Citatum coram Archi-Diacono vel Episcopo renuentem comparere, sub interdicto poni posse, excommunicari autem non posse, sine licentia Ministri Regii, si sit de Dominio Regis.* Damnavit. 59. 1. 11. *Episcopos, qui de Rege tenebant in capite, debere interesse, tanquam judices, Curiæ Regis, cum Baronibus.* Toleravit. *ibid.* 12. Regaliam, id est, *jus percipiendi omnes reditus & exitus tanquam Dominicos tempore quo vacabat Archi-Episcopatus, Episcopatus, Abbatia vel Prioratus de Dominio Regis: & quando erat consulendum Ecclesiæ Regem mandare potiores personas Ecclesiæ, & de Regis assensu, in illius curia faciendam electionem, electumque præstare hominium & fidelitatem Regi, sicut ligi Domino de vita sua & membris & de honore terreno, salvo ordine, antequam consecretur.* Damnavit. *ibid.* Licebat autem jurare fidelitatem Regi, sicut Domino vitæ & Membrorum, & honoris terreni salvo ordine. 298. 1. 13. *Si quis diffortiasset Episcopo, compellendum à Rege ut satisfaciat; si quis diffortiasset Regi, compellendum ab Episcopo.* Toleravit. 59. 1. 14. *Catalla eorum qui essent in foris facto Regis, ubicumque inventa, non esse detinenda ab Ecclesia vel cæmiterio, contra justitiam Regis.* Toleravit. *ibid.* 15. *Placita de debitis quæ debebantur cum vel absque interpositione fidei, esse in Curia Regis.* Damnavit. *ibid.* 16. *Filios rusticorum non ordinandos sine assensu Domini de cujus terra sunt nati.* Toleravit. *ibid.* Aliquæ harum consuetudinum. 117. 2. 147. 2. Consuetudines hæ fuerunt occasio perniciosa, qua turbata sunt omnia, qua depressa est libertas Ecclesiæ; sed quæ per Dei gratiam nullius poterit ingenio convelli. 82. 1. pulchrè id describit D. Th. *ibid.* erant consuetudines reprobæ, legibus incognitæ. 170. 1. pravæ & maledictæ. 275. 1. perversitates non modo Canonibus & legibus, sed Evangelio Christi etiam penitùs adversæ. 140. 2. 298. 6. traditiones impiorum, quibus præferendæ erant Sanctorum Patrum sanctiones Canonicæ. 230. 2. abusiones veterum tyrannorum 341. 1. quas non tantum Episcopo, sed nec Christiano licuit observare. 236. 2. Consuetudines tamen illas, contra Ecclesiasticam libertatem, confirmari Rex à Papa postulat 67. 2. non obtinet *ibid.* sed vocat illas Romanos Pontifex *tyrannicas usurpationes.* Aliquas quidem tolerabiles, alias verò damnatas ab antiquis & authenticis Conciliis: utpote directè Sacris Sanctionibus adversas. 27. 2. & ab Ecclesia impositerum condemnandas. *ibid.* Et ita factum est. Consuetudines damnavit Papa multis audientibus 207. 2. apud Senonas. 182. 1. & easdem, de authoritate ejusdem, damnavit D. Thomas publicè, & invocata Spiritus S. gratia, cassavit 117. 2. 150. 2. 151. 2. 154. 1. Excommunicans earum observatores, exactores, consiliatores, seu defensores. 117. 2. idque post multas monitiones *ibid. seq.* Damnarique fecit per suos authoritate sua, & Romani Pontificis, 119. 1. Fuerunt autem damnatæ à SS. Patribus ante D. Thomam. 268. 1. Lege divina, & authoritate Sedis Romanæ. *ibid.* 2. Consuetudines siquidem eo vergebant, ut totius Anglicanæ Eccles. deperiret libertas: & Rom. Sedis authoritas arceretur ab Anglia: & ad nutum Regis procederent omnia: 224. 1. 225. 1. Si unquam fuerint intrusæ in Angliam, ajebat D. Thomas, Romanus Pontifex nescietur in illa, exterminata prorsus libertate Ecclesiæ, & evacuata autoritate Legis Divinæ. 341. 1. Consuetudines quidem illas apud Clarendunam juravit D. Thomas; sed posteà subiit solemnem à Papa pœnitentiam. 207. 2. In tantum quidem illa correctus, ut solæ illæ, illius fuerint duri causa exilii 299. 1. 301. 2. 303. 2. & gloriosi Martyrii. 58. 1. Consuetudines postea Rex ut manuteneat, specioso nomine vocat eas *dignitates coronæ suæ* 270. 2. 271. 1. 272. 1. Sed quibus renunciare coactus est, juxta pœnitentiam, nomine suæ Sanctitatis, illi à Car-



à Cardinalibus injunctam, post martyrium D. Thomæ. 52. 1. Et renunciavit publicè inter disciplinas, ante sepulchrum Martyris. 52. 2. Aliquæ tamen adhuc observatæ sunt postea, sed forte Rege inscio. 53. 1. Consuetudines propter illas, varii variis sunt affecti suppliciis. 236. 1. Consuetudinibus de istis sic præfagit D. Thomas: maximè tangens punctum consuetudinis 12. secundam quam Rex arrogabat sibi possessionem bonorum Ecclesiarum: *Miseriæ nostræ*, inquit ad Wilhelmum Senonensem Archi-Episcopum, *Conditionem, pro parte (quia fastidiosum esses recensere singula) deploravimus in auribus vestris: vestræ dignationis & charitatis erit impetrare à Domino Papa, ut Ecclesiæ Dei & nobis & miseriis nostris, expedientem, & se dignam provideat pacem*: QUIA IN EUM OCULI OMNIUM DIRECTI SUNT. *Si raptor ablata non restituerit, aut satisfecerit, si novam & præter Ecclesiæ morem à nobis obligationem extorserit, præsertim authoritate summi Pontificis*: PERNICIES EXEMPLIS NON DELEBITUR, SED A NOBIS TRANSFERETUR IN ALIAS NATIONES. 274. 2.
Controversiæ plurimæ nascebantur in Anglia, inter Clericos, de dationibus & præsentationibus Ecclesiarum, occasione pluralitatis beneficiorum eidem collatorum. 94. 1.
Coronari non potest nisi qui legitimè certaverit. 119. 2.
Coronatio Regum Angliæ competebat Archi-Episcopo Cantuariensi. 101. 1. Hanc prætendebat Rogerius Archi-Episcopus Eboracensis: quia Wilhelmus, qui subjugavit Angliam, fuit coronatus ab Eboracensi. Reponit D. Th. quod tunc Ecclesia Cantuariensis non haberet quasi proprium Antistitem: quia Stigandus occupaverat illam, cum aliis Ecclesiis, contra prohibitionem Sedis Apostolicæ: Adeò ut à dicto Wilhelmo captus obierit in carcere. Unde Wilhelmus Rufus, hujus Wilhelmi filius, est coronatus à Lanfranco Cantuariensi Archi-Episcopo: præsente nec contradicente Eboracensi. 341. 1. Similiter exulante S. Anselmo Cantuariensi, S. Girardus Herefordensis Episcopus, tanquam suffraganeus Cantuariæ, coronavit Henricum primum. Et Henricus reduci D. Anselmo deposuit diadema: atque iterum ab Anselmo coronatus fuit, ratificante, quod fecerat S. Girardus. 341. 2. Sic Stephanus coronatus est ab Episcopo Cantuariensi Wilhelmo 342. 1. Et Henricus II. à Theobaldo *ibid.*
Coronari filium suum Henricum se vivo, vult Henricus Secundus Angliæ Rex, per Archi-Episcopum Eboracensem 313. 2. Prohibet Papa, authoritate qua cunctis præeminet, ne coronetur nisi per Thomam Cantuariensem. 316. 2. 313. 1. 316. 1. Mandat authoritate Apostolica, ut nullus assistat, nisi & Pater & Filius jurent more consueto, & absolvant illos, quos Pater jussit jurare consuetudines. 316. 1. Coronatus est nihilominùs Regis filius per Eboracensem. 335. 1. Coronatio illa fuit execratio: partim quia facta per Eboracensem, qui excommunicatus fuerat, & valdè dubie absolutus. *ibid.* partim quia contra mandatum Papæ. Adeo ut ipse Henricus Pater, censuerit esse iterandum: unicè desiderans Episcopum aliquem mitti, à sua Sanctitate, ad hoc deputatum. 278. 2.
Coronam suam & Libertatem Ecclesiasticam comparat Ludovicus Rex Franciæ. Denuncians, & manifestè protestans, non esse sibi minùs molestum, quod Legati mitterentur contra libertatem illam, quam si ad Coronam suam auferendam destinarentur. 166. 1.
Corpora nostra, in resurrectione mortuorum, restituentur nobis tanto gloriosiora, quanto præcesserint merita ampliora. 214. 1.
Corrigere potens qui negligit, est particeps culpæ. 272. 1.
Corruptio vehemens per dona & munera facta est; sed frustranea. 287. 1. Corruptio per pecunias semper est metuenda. 76. 2.
Crucem ante Archiepiscopum Cantuariensem D. Th. in signum primatus, ferebat Cappellanus. 19. 1. 14. 2. 39. 1.
Crucem prætendebat Eboracensis ante se ferri, per totam Angliam. Illa enim potestas à Summis Pontificibus & ab Alexandro III. fuerat illi cassata. 72. 1. & volebat illam ferri antè se, etiam in Provincia Cantuariensi. 75. 1. sed ad instantiam D. Thomæ, mandatur ipsi à Papa provisionaliter, ut desistat. *ibid.*
Crucis signum in brachio positum, erat signum profectionis Hierosolymitanæ. 89. 2.

## D

DAMNARE non licèt probatum reum, quem privata scientia, novit judex esse innocuum. 216. 1. quanquam multitudo videatur stare, in parte adversa. *ibid.* Quod dicatur, judici præscriptum esse, *Sicut audio, sic judico*: *audire* ponitur pro *intelligere*: ut pro rationabili motu animi sui decernat judex. *ibid.* Aliter ferens sententiam, gravissimè peccat: quia *omne quod non est ex fide, peccatum est.* *ibid.*
*De Broc* familia est Anglicana sic appellata: progenies viperarum, inimica D. Thomæ. 40. 2.
Decipi primò, est incommodum, secundò decipi est stultum, tertiò verò est turpe. 270. 2.
Delinquentem qui est secutus, debet sequi pœnitentem. 216. 1.
Denarius S. Petri in Anglia. 87. 2. denarius est Apostolicus. 60. 1. colligi eum mandat Papa Alexandro III. per Gilbertum Londoniensem Episcopum. 84. 2. Incipiebat minui. Contra scribit Papa ad eundem. 106. 2 Rex eum mandat colligi transmittendum ad Papam. 86. 1. Sed Londoniensis tandem suadet Episcopis, ut tradatur denarius Regi 144. 2. Mandatque dein Rex diligenter eum colligi, non tradendum Papæ, sed servandum sibi, in suo fisco. 60. 1. Denarii S. Petri terminus est antiquitus constitutus. 86. 1.
Desistendum non est à prosecutione justitiæ, in causa libertatis Ecclesiasticæ: ne quidem propter pacem. Semper metuendæ sunt malæ consequentiæ. *Quis enim auderet de cætero, proclamare libertatem?* 241. 2.
Deus secundum Legem jubetur diligi ex toto corde, ex tota mente. 108. 2. Qui Dominum JESUM, nolit Mundus, super omnia benedictum non diligit, Anathema sit, 358. 1. diligenti-

gentibus verò Deum, omnia cooperantur in bonum. 71. 1. Deus quem diligit castigat. 232. 1. Deus nulli dat incrementum, nisi illi, qui plantavit in fide Petri, & Doctrinæ ipsius acquiescit. 119. 1. Deus, in cujus manu sunt corda hominum, securos nos facit, quod violenti nos non oppriment, si certemus pro justitia Christi, quantumcumque sumus in tribulatione positi. Quia quæ nobis adversantur, æterna non sunt: potest enim Deus personas de medio tollere & cum placuerit, mutare animos. 111. 2. Quod si quisquam Historiarum commovetur exemplis, eum vel Fredericus ex-Augustus poterit instruere, in quem justam Dei digitus exercuit ultionem. Qui de fastigio Romani Imperii, ob Ecclesiæ persecutionem, in paupertatem corruit & ignominiam, miser; sed nulli miserabilis. Ad gloriam ejus, qui solus pro arbitrio, Regna & Imperia transfert: erigit quas vult, & dejicit potestates. 151. 2. *vide* Imperator Fredericus. Deo & Mammonæ simul servire non possumus. 116. 2.

Deo potius obediendum est quam hominibus. 246. 1. Illique potius est placendum. *Si hominibus placerem*, inquit Apostolus, *Christi servus non essem.* 282. 1. Qui autem in Deo confidit, nihil debet timere humani. 154. 1.

Deus remunerat centupliciter. 229. 1.

Dies dum mali sunt, multa pro qualitate temporis sunt toleranda. 88. 1.

Dilatio sæpè multum habet periculi. 107. 1.

Dignitas Ecclesiastica Regiam Dignitatem provehit potius, quam adimit: & Regalis dignitas Ecclesiasticam potius conservare, quam tollere consuevit. Utraque hæc Dignitas, quasi quibusdam complexibus sibi invicem occurrunt: cum nec Reges salutem sine Ecclesia, nec Ecclesia pacem sine protectione Regia consequatur. 256. 1.

Dispensare non licèt contra Præceptum Domini, quod in lege vel Evangelio perpetuam habet causam. 182. 1.

Dissimilibus in caussis & personis, ratio juris vetat idem esse judicium. 343. 2.

Dissimulanda multa sunt ad tempus. 111. 1. Sed nè quid nimis: nam dissimulatio creat audaciam, indulgentia confirmat insolentiam. 109. 2.

Divitibus non parcit Deus magis quam pauperibus, qui Angelis non pepercit; qui aufert spiritum Principum, & contemptores suos reddit ignobiles. 156. 2.

Docentes alios quæ non faciunt ipsi, comparantur coti, acutum reddere quæ ferrum valet, exsors ipsa secandi. 162. 2.

Dolus nullibi patrocinatur. 155. 1.

Domare quod non potuerit Rex Angliæ suam intemperantiam, qui tot & tantarum domitor erat urbium, est admirandum. 151. 1.

*Dormiente stulto terminus creditoris accelerat*, vetus proverbium est Francorum. 121. 2.

B. Dransius Confessor gloriosissimus, in urbe Suessionum colitur à pugnaturis: Franci & Lotharingi erant persuasi, quod pernoctantes ad ejus memoriam, de pugilibus redderentur invicti. 149. 2. in ejusmodi necessitate confugitur ad ipsum, ex Burgundia & Italia, *ibid.* triduo illic pernoctat D. Thomas, pugnaturus contra Regem Angliæ, gladio Anathematis. *ibid. & seq.*

Dona dum crescunt, augentur oblationes. 244. 1.

Dulcia qui recepit de manu Dei, non recuset amara. 218. 1.

Dura & gravia ad tempus sustinentur feliciter, ut feliciora succedant. 199. 2.

E

ECCLESIÆ totius libertas perimitur, in depressione unius. 146. 2.

Ecclesia nunquam deficiet. Eam non deseret, qui pro ejus salute posuit animam: nec causam ejus deserent Sancti, qui pro ea sanguinem suum fundere non sunt veriti, 192. 1. Semper proinde stabit firma & inconcussa. 136. 2. Est enim fundata supra firmam petram: nec est qui possit ipsam evellere, quanquam concutere. 134. 1. Quin immò semper dilatatur in pressuris, crescit in tribulationibus. 330. 1.

Ecclesiæ qui nititur resistere, est similis homini, tentanti dejicere magnum montem fune circumligatum. Nam *ipsæ portæ inferi non prævalebunt adversus eam*. 124. 1. Non sani igitur capitis esse dignoscitur, qui intentat ei ruinam. *ibid.*

Ecclesiam qui spernit Deum spernit. 87. 1.

Ecclesia tota in negotio D. Thomæ erat repleta tanto scandalo, ut, si fieri potuisset, à fidelitate & devotione erga sedem Apostolicam, moti fuissent etiam Electi. 306. 1. Et maximè, quando audiebatur, quod Papa impediret, nè D. Thomas Regem & Regnum Angliæ feriret. *ibid.*

Ecclesia nunquam passa est tantam persecutionem, in qua affligebantur tam multi innocentes, ad quos causa non pertinebat, quam in negotio D. Thomæ. 285. 2. Ecclesia impugnabatur ubique, præterquam in Gallia. 194. 1.

Ecclesiæ de persecutoribus hæc erat Catholicorum sententia. Quod illis non resistere, sit fovere. 205. 1. Quod non puniendus sit tantum persecutor, sed etiam ille qui non impedit, maximè si teneatur ex officio. 136. 1. Quod persecutor debeat per pœnitentiam declinare ictum sententiæ, nisi feriri velit irreparabiliter & sæculo exemplum esse. 156. 2. Nam etsi in hoc Mundo, persecutores Ecclesiæ, cum gentibus videantur in corde dicere: *Ubi est Deus eorum?* *ibid.* Illos tamen evadere posse Dei judicium quisquis suspicatur, est infideli deterior. 224. 1.

Ecclesia quem non protegit, mirum non est, si pluresruat in hostes. 90. 1. Ecclesiam ditari de incommodo alterius Ecclesiæ, iniquum est 135. 2. Ecclesiæ suæ dignitati & juri renunciare, D. Th. vetat Papa. 73. 2.

Ecclesiam Metropolitanam deserere, & illi Ecclesiam aliquam substrahere, est injuria gravissima Deo & Metropoli. 227. 2.

Ecclesiarum jura dum in avaritiam principum dissipantur, labefactatur status Ecclesiæ. 79. 2.

Ecclesiastica dignitas regiam dignitatem promovet, non adimit. 255. 2. Ecclesiasticam potestatem non minuit authoritas Regis; sicut parva civitas non minuit authoritatem Regis. 98. 2.

Ecclesiasticum comparere coram tribunali Laico, est jura substrahere Sanctæ Sedis, 79. 2. & Christum trahere ad judicium. 86. 1.

Ecclesiastica & Secularia negotia non esse permiscenda, sed illa relinquenda viris Ecclesiasticis, & hæc vendicanda jurisdictioni Regis, iterum jubet Papa moneri Angliæ Regem per Episcopum Londoniensem. 101. 1.

Ecclesiarum præsentatio vel advocatio si ad litem venirent, tractanda erat & terminanda in Curia Regis, juxta consuetudinem Angliæ, unam ex damnatis ab Ecclesia, per Alexandrum III. 58. 1.

*Edeardi* corpus inter Sanctorum corpora collocatur à D. Thoma. 11. 1.

*Eduardus Grim* oriundus in Castello dicto Cautheburge, nitens impedire vulnus primum quod D. Thomæ inflixit Ursides carnifex, graviter lædit ur in brachio. 45. 2. casu venerat ad visendum D. Thomam. 57. 2.

Eleemosynam facere, est dare pecunias ad honestam usuram. 157. 1. Eleemosynæ quas D. Th. faciebat quotidie, cum esset Archi-Episcopus, ante exilium. 7. 1. 8. 2. Exul cum suis, Eleemosynis adjuvari eguit, & adjutus fuit. 145. 1. 157. 1. 157. 2. 210. 2.

Episcopus & Pontifex, in terris vices gerit illius Pontificis, qui se pro nobis obtulit in ara Crucis. Qui verò illius nominis gloriam gerit, possidetque honorem, fructusque laboris, imitari etiam debet primum illum Pontificem. 118. 2.

Episcopo proindè incumbit resistere *usque ad sanguinem* pro libertate Ecclesiastica. 64. 2. Si autem timidus est, actum est de eo. 315. 1. Si verbi causa, non audet resistere Regi, metuens illius iram, idcircò condescendendum putet, & jura sua mitiganda, argumentatur in suam servitutem: ignorans quod tunc maximè sit opus constantia, ubi viget persecutio. 80. 1. Similes Episcopos tolerantes impeti libertatem Ecclesiasticam, non audentes offendere Regem, comparat Papa vili Esau, qui pro contemnendo lentis edulio vendidit primogenita. 354. 2. Episcopum ergo decet, nec gratia, nec amore, nec metu officium suum negligere, & Ecclesiasticam postponere libertatem; sed pro justitia, sicut immobilem columnam Ecclesiæ, viriliter & constanter se opponere, & Dei timorem omnibus anteferre. 106. 1. D. Thomas vocabat Regem Angliæ filium suum, à se monendum, & dum deliquit, castigandum. 97. 1. 98. 1. *eò quod Rex es*, inquit, *teneor ad reverentiam vobis: eò quod filius, officii ratione ad castigationem teneor & coercitionem*. 97. 1. & Regem increpans ait: *nosse debetis vos Deigratia Regem esse. Vos ipsum Regem, vitamque vestram, debetis optimis informare moribus: ut vestro exemplo cæteri provocentur, juxta illud sapientis:* componitur Orbis Regis ad exemplum 97. 2. & iterum. *Expectans expectavi, ut intenderet vobis Dominus, & conversus ageretis pœnitentiam recedens à via perversa, & abscinderetis latera vestra prava, quorum, ut creditur, instinctu & consilio, jam ferè lapsi estis in profundum, quod absit, ne in profundum illud, de quo dicitur, peccator cum venerit in profundum corruet*, 98. 1.

Episcopus Ecclesiæ suæ intenderet debet. Adeò ut præstet eum tempore persecutionis manere in sua Sede, quam fugere: nè cathedra deserta occupetur à pejore, qui facilè genu curvet ante Baal. 85. 2. D. Thomam ut evocaret Romanus Pontifex rogabant amici ejus: sed respondet Papa: absit, prius finiantur dies nostri, quam nos videamus eum sic exire, & Ecclesiam suam sic desolatam relinquere. 75. 2.

Episcopi licitè jurant Regibus fidelitatem, quoad vitam & membra & honorem suum terrenum. 298. 1. Non debent autem se obligare, ne quidem pro capite, nisi salvo honore Dei & ordine suo. 299. 1.

Episcopus ordinans indignum, suspendendus est ab officio suo. 137. 2. Episcopo debetur obedientia à subditis suis 113. 2. Episcopus non valet renunciare Episcopatui: nisi ratificet Romanus Pontifex. 128. 2. Episcopus qualitercumque delinquat, dummodo non sit hæreticus, nec debet, nec potest, à potestate sæculari percelli. 155. 2. Episcopus translatus ad aliam Sedem ejusdem Provinciæ, non debet iterare juramentum fidelitatis, suo Metropolitano: quia per prius juramentum intelligitur sufficienter subjectus. 242. 2. Estque illa consuetudo Romanæ Ecclesiæ. *ibid.*

Episcopi electionem fieri extra Provinciam, est contra canones 360. 1. Episcopi electio quæ fit secundum nutum Regis, non est libera; nec Episcopi tunc eligunt, sed Rex. Quod iniquum esse affirmat Alexander III. ad Regem Angliæ. 249. 2. Electio Episcopalis non est Canonica, ubi adest terror Potestatis sæcularis. 28. 1. In Anglia Episcopus eligebatur à Provincialibus Episc. 5. 1.

Episcopi Angliæ nullis se opposuere Principibus, propter bona Ecclesiæ, præter Cantuariensis. 146. 2. Episcopi Angliæ prius sentiunt cum D. Th. contra consuetudines Regales 12. 2. Sed non diu steterunt. 13. 1. Episcopos Angliæ habebat D. Thomas aliquos occultos amicos: sicut Jonatham habuit David, corpore versantem cum Saule Patre suo, sed tota mentis sinceritate cum David exulantem. 155. 2. Episcopi Angliæ in negotio D. Th. fuerunt causa totius mali. 186. 1. Clerici miserandi subministrantes arma iniquitatis. 292. 2. Excitant Regem contra D. Thomam. 62. 2. Sed præcipuè Londoniensis & Eboracensis Episcopi, ambientes Episcopatum Cantuariensem. *ibid. seq.* Sæpe convenerunt contra D. Th. 153. 1. Signanter verò in Synodo Northautunensi, congregata per Regem, pro suis consuetudinibus. *Vide* Synodum nationalem. Erant similes Sacerdotibus & Prophetis Israel, à quibus pollutio egressa est super omnem terram 228. 2. Damnant D. Th. perjurii: confirmant consuetudines Anglicanas; appellant ad Papam contra D. Thomam, ut hic deponatur 19. 2. Vocant eum proditorem: hanc ei calumniam imponentes in faciem. *seq.* turpiter debachantur contra D. Thomam cognita Regis inexorabili insolentia. 302. 1. Coram Papa defendunt Angliæ consuetudines, rogantes eas confirmari. 139. 2. *& seq.* Sed ibidem confundunturur. 25. 2. Confusi in Angliam revertuntur, sine benedictione 26. 2. Dictant sententiam, à Rege pronunciatam contra D. Thomam. 135. 1. Modo ajunt, modo negant: ad nutum Principis, velut servi comici. 195. 1. Verentes Regis iram, occidebant animam. 228. 2. Quia non audebant pro libertate Ecclesiæ offendere Regem, comparantur judæis, qui corrupti sunt peponibus & alliis Ægyptiorum: malentes servire, & Ecclesiam fatigari in luto & latere

latere, quam itinere trium dierum, in veram prodire libertatem. 208. 1. 232. 1. Ita verò erant timore perculsi, quia Rex nec Superiorem habebat qui terreret, nec subditum qui repugnaret. 111. 2. Improperant D. Thomæ beneficia Regis, Minantur periculum esse, nè Rex, si excommunicetur, fiat Apostata. 133. 1. Negant Regem peccasse. *ibid.* 2. appellant ad Papam de futuris gravaminibus, contra D. Thomam. *ibid.* Proponunt D. Thomæ periculum Ecclesiæ Romanæ, periculum Regni, periculum suum & suorum. Respondet D. Thomas, non fieri mentionem de periculo animarum. 136. 2. illos sic alloquitur D. Thomas: *Vos amici mei, qui altiora sapitis inter alios, qui geritis vos aliis prudentiores; quoniam solent filii hujus sæculi, prudentiores esse filiis lucis: ut quid decipitis Fratres vestros & subditos? Quare inducitis eos in errorem istum? Quæ authoritas, quæ Scriptura contulit hanc Principibus facultatem, in Ecclesiasticis, quam vos vultis eis conferre? nolite fratres, nolite jura Regni & Ecclesiæ confundere. Discretæ quidem sunt potestates istæ*, QUARUM UNA VIM ET POTESTATEM SORTITUR EX ALIA. *Legite Scripturas, & invenietis quot & qui periere Reges, qui visi sunt sibi Sacerdotale officium usurpare. Provideat ergo vestra discretio, nè ob istam, pressura Divina vos atterat, injuriam.* 135. 2.

Episcopi Angliæ comparantur Abner, qui custodire debuit Saulem, nec impedivit quin David auferret Regis Scyphum & Hastam. 155. 2. Excusant Regem: prædicant ipsius laudes: totum vero argumentum eorum erat, quod Rex, audita monitione Papæ, non intumuerit iratus, sed dixerit se paratum obedire, si deliquerit. Allegant Regis affectum, sed nullum ostendunt effectum. 139. 2. Dicunt illum paratum obedire, qui omnes relinquebat in exilio, non restituebat rapta, &c. 145. 1. Quæ omnia erant toti Mundo publica. 144. 1. Unde cùm prædicarent Regis virtutes, respondet Joannes Saresb. *Quære peregrinum, vicinia rauca reclamet. Ibid.* Illius enim crimina toti orbi erant cognita. 161. 2. Proponebant D. Thomæ periculum mortis. Resp. Thomas, quod in tribulatione & sanguinis effusione, Ecclesia soleat crescere & multiplicari. 136. 2. Cudebant novas & ingeniosas rationes, in subversionem libertatis Ecclesiasticæ. *ibid.* Attestationem edunt pro Rege. 142. 1. Sigillatam à tribus Episcopis tantum, & conceptam nomine omnium. *ibid.* Fuit aliqua fraus in numero nominum. *ibid.* 162. 1. Quia adhuc octodecim favebant D. Thomæ. *ibid.* Appellant denuò contra D. Thomam, quia in Regem minatus fuerat ferre sententiam. 153. 1. Scribentes ad D. Thomam, in principio protestantur obedientiam, & in fine manifestant suam contumaciam. 160. 2. In principio dicunt ei *Ave Rabbi*: & posteà, ut eum arguerent, & convincerent falsis testibus, clamant, quod recuset reddere Cæsari quæ sunt Cæsaris. *ibid.* cogitantes in animo, *non habemus Regem nisi Cæsarem, Crucifige Crucifige Pontificem.* 200. 2. *Crucifige Crucifige eum: neque enim reservetis hunc, sed Barabbam.* 161. 2. *Qui stare ausus est pro Ecclesiæ libertate: qui Legem Dei traditionibus humanis asserit præferendam.* 200. 2. Appellant iterum ad Papam. 190. 1. Mittunt libellum gravaminum cum appellatione. 198. 2. Aliquibus excommunicatis, timent & terrentur. 287. 1. Spem ponunt in morte Papæ vel D. Thomæ. 155. 2. Iterum appellant. Sed multi recedunt à nequioribus, nolentes subsignare appellationem. 292. 1. Minuitur numerus contumacium. 290. 1. Multis conversis, redeuntibus ad cor, exhibentibus D. Thomæ obedientiam. 311. 1. Rex appellantes vocabat suos Episcopos, alios verò, Proditores. 342. 2. Faciunt Regem, post pacem, resilire à pactis & promissionibus suis. 358. 2. Sacerdotes Baal & falsi filii Prophetarum, qui totius discordiæ incentores ab initio exiterunt, pergunt usque in finem. *ibid.* præcipui sunt Eboracensis & Londoniensis Episcopi. *ibid.* 40. 1. 2. Illi qui juraverant consuetudines, à Papa excommunicantur & suspenduntur. 354. 1. 355. 1. 356. 2.

Episcopi Angliæ excommunicati, absolvi non poterant nisi in articulo mortis, de mandato Papæ. 190. 2. Fixerunt mortis periculum: nempè effecerunt ut de mandato Regis transfretare congerentur: & hoc titulo absoluti sunt ab Episcopo ignaro. *ibid.* Sed invalidè *ibid.* Episcopi Angliæ, quantumcumque obstinati, agnoscunt Romanas evocationes: gratias agentes Summo Pontifici, quod dignatus sit Legatos mittere à suo latere, ut parceretur sumptibus. 198. 1. Episcopi Angliæ fatentur etiam Regem excommunicari posse, & totam terram ejus sub interdicto poni. *ibid.* sed negabant D. Thomam id in hac causa facturum licitè, quia supponebant Regem innocentem esse. *ibid.*

Episcopos Angliæ confundendos, per depositionem Regis Angliæ, faciendam à Papa, authoritate & Privilegio D. Petri, spes fidei erat certissima. 230. 1. Episcopos Angliæ aliosque, non posse exire Regno, sine Regis consensu; Item si exeant, quod assecurare debeant Regem, quod nihil sint contra Regnum facturi: erat una ex consuetudinibus Angliæ, damnata ab Ecclesia per Alexandrum III. 58. 1. 15. 1.

Episcopatus diu vacare, est lamentatione dignum. 199. 1.

Error cui non resistitur, approbatur. 117. 1.

Ernulphi Amici, D. Thomæ, coexulisquè paupertas & miseria. 175. 1. Rothomagensis sponderat illi beneficium. Negat postea, metuens offendere Regem Angliæ. 176. 2. Ernulphi patientia. 176. 1.

Ethicæ gentilis præcepta in eo totaliter vigent, ut carnalium passiones affectionum, quas nequeunt penitus extinguere, reprimant & subjiciant rationi. 174. 1.

Evitare dum volumus aliquod malum, & in illius finem offendimus Christum, in pœnam peccati, plerumque accidit id, quod timebamus. Sic Judæi nè locum perderent & gentem, occiderunt Christũ; & eo ipso locum & gentem amiserunt. 313. 1 Evocationes Romanas excludere nitebantur Rex Angliæ. 251. 1. Nullum exire posse, sine Regis licentia, erat una ex consuetudinibus damnatis per Alex: III. 58. 1. & D. Thomam. 117. 2. Episcoporum Appellationi misit Romanus Pontifex Legatos suos, ad parcendum sumptibus. 179. 1. Gratias Pontifici agunt Episcopi. 198. 1. Episcopi autem ad evocationem Papæ venire tenentur, ex ordinis sui necessitate, non obstantibus quibuscumque prætensis consuetudinibus. 251. 1.

Examinandorum, pro ordinibus & beneficiis, summam curam adhibebat D. Thomas: observans Ecclesiasticam institutionem, examinabat per se, vix credens aliis. 9. 2.

Excessus semper cavendi sunt. 223. 1

Excœcat Deus Reges, dum eos vult punire: qui novit auferre spiritum Principum, & terribilis est apud Reges terræ. 100. 1

Excommunicatio dicitur præcisionis Elogium. 132. 2. Securis Evangelica. 133. 1. Gladius Spiritus Sancti. 147. 1. Gladius Petri, contra persequentes ejus naviculam. 206. 1. Via Regia quæ ducit ad vitam. *ibid.* Variæ illius species. 137. 1. Excommunicationem debent præcedere legitimæ monitiones. 130. 1. Nisi delictum notorium sit. 137. 1 Sic D. Paulus excommunicavit publicè fornicantem cum sua noverca: inauditum, absentem, non citatum. 137. 2. Excommunicatio non tam facilè est adhibenda: maximè respectu Regum. 852. Quin immò tutiùs interdum toleratur aliquod malum, quam per illam incurratur gravius damnum. *ibid.* Multa in hac parte sunt dimittenda Divinæ gratiæ. *ibid.* Quod si tamen ferenda sit in personam Regis, præmittenda est magna cautela, consilia maxima 154. 1. 156. 1.

Excommunicati non posse Ministros Regis, sine Regis licentia, aut in absentia ejus, sine justitiarum licentia, erat una ex consuetudinibus Angliæ. 58. 2. Refutatur quia non dixit Christus *Dic Regi*, sed *Dic Ecclesiæ*. 93. 2. Damnatur à D. Th. 117. 2. Et ab Ecclesia per Alexandrum III. 58. 2.

Excommunicatos non debere dare vadimonium ad remanens & juramentum, sed tantum vadium & plesium standi judicio Ecclesiæ, ut absolvantur: erat una ex consuetudinibus Angliæ. 58. 1 Extranea à consuetudine Ecclesiastica. 257. 2. totius Ecclesiæ. 260. 1. Damnata ab Ecclesia per Alexandrum III. 58. 1. Eos sine juramentum absolvere nullo modo vult D. Thomas. 359. 2. Nec Legati Pontificii. 247. 1. In mortis periculo permittit eos absolvi Papa, sed præstito juramento, quòd, si convalescant, parebunt mandato Pontificis. 179. 1. Excommunicatos suos absolvit D. Thomas sub conditione, quod pax sit secutura intra certum tempus. Pax non est secuta: Denunciantur iterum excommunicati. 260. 2. *usque ad* 262. Idem faciunt Legati. 262. 2. Idque de mandato Papæ. 257. 1. Præmittunt juratoriam cautionem. 311. 2. Tandemque absolvuntur, tangentes Evangelia, & promittentes se servaturos, quæ Legati injunxerunt. 247. 2. Eorum nomina. 269. 1.

Excommunicati comparantur leprosis, qui in veteri lege, extra castra projiciebantur. 336. 1. Hinc excommunicatus tenetur se segregare à communione fidelium. 263. 2.

Excommunicatorum nomina non licet nominare in Missa: nè Regum quidem. 152. 2.

Excommunicatus appellantis officium implere non potest. 167. 2.

Excommunicati promotio ad Decanatum contra Papæ mandatum, declaratur à D. Thoma ipso jure nulla. 120. 1.

Excommunicati per annum solebant notari infamia. 333. 1.

Excommunicatorum nomina sunt affigenda valvis Ecclesiæ, ut nota sint omnibus. 118. 2. Suntque ab Episcopo publicè denuntianda omnibus vicinis, ex decreto Honorii Papæ. 152. 1. 265. 2. 279. 2. Ut vitentur scilicèt. *ibid.* & nè sit causa excusationis, apud illos qui non vitarent excommunicatos. *ibid.*

Excommunicato communicare non licet: osculo, nec mensa, oratione: sed denuncianda est ei culpa, quare ipsum oporteat vitare. 127. 1. Excommunicato cummunicare licet, in ordine ad ejus conversionem. 127. 2. 171. 2. 279. 2. Excommunicatis non est communicandum antequam absolvantur. 246. 1. Etiamsi spes sit quod per ipsos fabricabitur pax. 282. 1. Qui illis communicat, grave scelus committit. 335. 2. Et statim in se contrahit excommunicationis pœnam. 137. 1. 265. 1. 335. 2.

Excommunicato communicans est excommunicatus, etsi prætendat se injustè excommunicatum. 279. 2. Nisi prius res examinetur. *ibid.* Non excommunicantur qui participant cum persona, sed qui participant cum malitia. 127. 1. Excommunicatis communicandi facultatem concedere, non valet ipse Romanus Pontifex, 282. 2. D. Thomas. *ibid.*

Excommunicatus Robertus de Broc panem offert Canibus: Canes recusant, etsi avidissimè ea sumerent, quæ offerebantur illis ab aliis. 41. 1.

Excommunicati sunt Reges & Imperatores à Pontificibus. 99. 2. 230. 1

Excommunicationem esse solum remedium, cum interdicto totius Regni, quo humilietur Anglia, exclamat D. Thomas. 199. 2.

Exempla prava numquam sunt permittenda. 270. 1. Sedes Apostolica permittere ea non debet in ipsis Regibus. 225. 1. Nam plerumque quod puniri non audiunt, licitum opinantur. *ibid.* Exempla perniciosa semper sunt cavenda, ne transmittantur ad posteros. 260. 1. Nam exempla prava, pravas semper, in posteris, generant consequentias. 284. 1.

*Rumor de veteri faciet ventura timeri:*
*Cras poterunt fieri turpia, sicut heri.* 357. 2.

Exempla verò delinquentium à delinquentibus frustra proponuntur, quippè quæ in die judicii non excusabunt. 196. 1.

Exemptionem Clericorum à Foro sæculari impeti, lamentatur D. Thomas. 73. 2.

Experientia, rerum mater est & nutrix. 345. 2.

Exprobratio ingratitudinis ingens & perquam elegans D. Thomæ, contra Robertum Herefordensem Episcopum, mixta cum exhortatione. 86. 1.

Exulem decet conditio exulis, quamquam exulet pro justitia. 28. 1.

Exules pro justitia & proscriptos Dei contemnere nõ decet, quia talium patronus est Christus. 15. 1. Exules quantumcumque dispersi sint, ubique eis adest qui pascit volatilia Cœli, & Lilia vestit Agrorum. 235. 2. Cumulat eos Deus meritis, ut magis proficiant, & mitius sit illis exilium. 233. 1. Sæpe reperiunt gratiam apud extraneos

Patet

Patet in Ioseph, Daniele, & Helia. 231. 2.
Exules pro fide in exilio morientes, confidendi sunt evolare ad Cœlum. 140. 2.
Exuli Episcopo propter justitiam, per omnia est obediendum consulendumque. 120. 2.

F

FACILIS qui est in dicendo, mirum non est, si facilis sit in mutando. 184. 1.
Fama volat, majora referens, & pejora quam sunt. 76. 1.
Familiaritas præstat occasionem machinandi omnia. 111. 1.
Festa Sanctorum celebrat Ecclesia ob tres causas. Prima est ut in Domino gaudeamus, Sanctorum beatitudini congaudentes. 372. 2. Secunda est ut exemplum proponatur. *ibid.* Tertia, ut imploretur eorum patrocinium. *ibid. seqq.*
Feriæ tertiæ consideratio subtilis, in qua multa acciderunt D. Thomæ, adeò ut dies Martis esset illi verè dies Martyris. 58. 2.
Feria quarta D. Thomas abstinebat ab esu carnium. Et nè vir Dei hoc Sanctum propositum violaret, mirabiliter se cum impetu, piscis, quem Brennam vocant, projicit in ejus gremium. 24. 1.
Feria quinta ante Pascha, solet Papa publicè absolvere & excommunicare. 364. 2.
Fides servanda est: quia quod non est ex ea, peccatum est. 143. 2. Fides sine operibus mortua est. 239. 2.
Fidelis est Deus æquè in comminationibus, ac in promissionibus. 117. 1.
Fidendum numquam est fallaci. 250. 1.
Finis est cujusque rei pars potissima. 158. 2. Finis non pugna, coronat. 176. 1.
Filii debent alere parentes, etiam secundum jus gentium. 202. 1.
Filiorum delicta puniuntur in parentibus negligentibus eos corripere: exemplo Heli. 261. 1.
Flandrenses metuuntur ab Anglis. 83. 2.
Flandrensium Comes Philippus, Germanus Regis Angliæ Henrici II. Frater Matthæi Comitis Boloniæ. 23. 2. Bona illius indoles est nota Papæ. 91. 2. Rogatu Imperatricis & Reginæ, mittit magnos viros ad Regem Angliæ, pro pace inter hunc & D. Thomam. 81. 1. Papa commendat illi D. Thomam. 87. 2. Jubetur rogari per D. Thomam, ut Ecclesiæ succurrat Eleemosynis. 178. 1. Rogat Papam ut D. Thomam restituat: quippe qui non exulet nisi pro nomine Dei & Summi Pontificis. 294. 2. Pertrahit D. Thomam ad colloquium cum Rege Angliæ. 214. 2.
Ejus colloquium cum Rege Angliæ. 89. 1.
Est mediator pacis inter Reges Angliæ & Franciæ. 221. 1. Ejus auxilium implorat Episcopus Rhemensis, contra cives sibi rebelles. 196. 1
*Francia* est omnium mitissima. 208. 1. Ejus encomium. 214. 1. Inter omnia Regna Mundi, non est Regnum, quod fidem sinceriorem, charitatem ferventiorem, devotionem uberiorem Apostolicæ Sedi semper exhibuerit, quam Regnum Francorum. 142. 1. *Vide Gallia.*
Francorum Principum pietas erga D. Thomam, & observantia erga S. Sedem, à qua expectabant favorabilem D. Thomæ, in causa ejus, determinationem. 293. 2.
Fraus non patrocinatur. Per fraudem obtenta absolutio, non est valida. 190. 2. Est juris elusio. 236. 2.
Fugere potest Episcopus persecutores, exemplo Christi, & Apostoli per sportam dimissi. 207. 2. Dummodo non causam fugiat persecutionis, sed faciem persequentis. Nec tunc Ecclesiam deserit, si exemplo D. Thomæ, ad Superiorem recurrat pro sublevamine. *ibid.* Sic navem non relinquit, qui, ut eam ad portum attrahat Scapham ingreditur. *ibid.* Est autem tentare Deum, se ipsum certis & manifestis objectare periculis, si pateat opportunitas evadendi. *ibid.*
Furor vehemens Regis Angliæ. 88. 2. Sed solitus. *ibid.* Pileum de capite projicit, Baltheum discindit, pallium & vestes, quibus erat indutus, longiùs abjicit: stratum sericum, quod erat supra lectum, manu propria removet, & quasi in sterquilinio sedens, incipit stramineas masticare festucas. *ibid.* Causa erat, quod Richardus de Humez videretur aliquid loqui in favorem Regis Scotiæ. *ibid.*
Futura velle vaticinari, est imprudentiæ. Deo relinquenda sunt ista: nos quid domi nostræ sit, exploremus. 340. 2.

G

GALLIA sola, temporibus D. Thomæ, erat libera à quæstionibus prementibus libertatem Ecclesiæ. 194. 1.
Galli semper cauti, exploratores habebant, per quos noverant secretissima, quæ fiebant, etiam in Conclavi Londoniensi. 76. 1.
Gallicanæ Ecclesiæ Encomium. Non est Ecclesia, quæ Romanæ Cathedræ fuerit utilior, in omnibus angustiis ejus, quam Gallicana. 214. 2. Ex scissura Ecclesiæ Anglicanæ, amarissimo repletur scandalo. 290. 1. Ejus lætitiæ, propter progressus Romanæ Ecclesiæ, sub Alexandro III. 235. 1. Illam à Romana Ecclesia separare studebat Imperator Fredericus, victor hactenus gloriosus; sed ex tunc cœpit deficere Imperatoris potestas. 148. 2. Gratus illi & acceptus erat D. Thomas exul, pro sua reverentia: quia tantæ iniquitati se opponere ausus est, & pro libertate Ecclesiæ facere verbum, & Apostolicæ Sedi in Privilegiis servandis servare fidem. 225. 1. Scribit ad Papam pro D. Thoma. 290. 1. Audit duos Legatos mitti contra D. Thomam defensorem libertatis Ecclesiasticæ: Gemit. 235. 2. Audit Londoniensem Episcopum absolutum ab excommunicatione. Turbatur à scandalis. 335. 1. Et ipse Pontifex incipit malè apud ipsam audire, quia tam segniter agebat cum Rege Angliæ, quem non puniebat. 300. 1. 303. 1. Adeò scandalizatam eam esse, ut magis turbari non possit, quod Rex Angliæ non puniretur, scribunt ad Papam Regina Franciæ. 305. 2. Episcopus Parisiensis, 313. 2. *& seqq.* & alii. 306. 1.
Gallicana de Ecclesia existimatio. *Pater*, inquit D. Thomas ad Alexandrum III. *Si vestra discretio, in causa Ecclesiæ & Regis Anglorum, ab initio attendisset: nequaquam in tantas calamitates incidisset Anglicana Ecclesia; nec Gallicana, quod sine dolore non loquimur, tam pernicioso attentaretur, aut opprimeretur exemplo. Si ille* Rex Angliæ, inquit Wilhelmus Carnotensis Episcopus ad Alexand. III. *Quod Deus avertat, prævaluerit: Ecclesia Anglorum periit, & Gallicana in periculo est.* 225. 1. *Placeat itaque*, ait Mauricius Parisiensis Episcopus ad eundem, *Majestati vestræ .... tam præfatum Londoniensem quam alios Ecclesiæ malefactores .... allidere & conterere ad Apostolicam Petram, juxtà quam absorpti sunt Authores eorum. Alicquin timendum est, nè si, quod absit, tantum scelus muneat impunitum, citius & Anglicanæ & Gallicanæ Ecclesiæ perniciem & Religionis ruinam operetur.* 289. 2.
Gallicana Ecclesia præscribit juramenti formam, quam Prælati Ecclesiarum offerunt & faciunt Principibus, jurantes servare fidem in indemnitate vitæ, membrorum, honoris terreni, *salvo ordine suo.* 270. 1.
Gaufredus Ridel Archi-Diaconus Cantuariensis, agit contra D. Thomam Episcopum suum: procurat à Papa litteras legationis per Angliam, committendæ Episcopo Eboracensi. 67. 2. 68. 1. Infidelem suum sub obedientia, & pœna privationis bonorum, citat D. Thomas ad conspectum suum. 120. 1. Inobediens citatur altera vice. *ibid.* participaverat cum excommunicatis. *ibid.* In absentia & ignorantia D. Thomæ, faciebat investituras Ecclesiæ, conferebat Curam animarum, & plebanas Ecclesias onerabat variis exactionibus: quæ omnia illi non licebant. Unde Thomas revocat omnia in irritum, & ipsum publicè excommunicat. 279. 1. Vocat eum D. Thomas non Archi-Diaconum, sed Archi-Diabolum. 292. 2.
Genitis ex iis qui in sacris erant, non obligari Episcopum conferre ordines, aut beneficium, statuit Rom. Pontifex. 66. 2.
*Gilbertus Foliott*, vir sæculari litteratura & lege Divina instructus ad unguem, de Monasterio transit ad Episcopatum Herefordensem. 267. 2. Mortuo Theobaldo, Cantuariensi Episcopo, aspirat ad illius Cathedram: sed spe frustratus, odium concipit in D. Thomam. 142. 1. 161. 1. solus contradicit electioni, qua D. Thomas eligitur Archi-Episcopus Cantuariensis. 5. 1. Transfertur ad Sedem Londoniensem, ad multam instantiam precum Regis Angliæ, apud Papam. 83. 2. 10. 2. Pergit ambire Sedem Cantuariensem, & illius sibi arrogare Primatum. Negat D. Thomæ obedientiam, studetque alios adducere ad subjectionem suam. 251. 1. 288. 1. 289. 1. 290. 1. Negabat autem obedientiam, quia etsi fidelitatem jurasset existens Herefordensis Episcopus, non iteravit juramentum existens Londoniensis. 252. 2. 264. 2. Verum respondet Alexander Papa, quod nihilominus sit Divo Thomæ subjectus, quia non est translatus ad Sedem, exemptam ab obedientia præstanda Archi-Episcopo Cantuariensi. 242. 2. Prætendebat verò Primatum, quia Archi-Flamen sedit Londini, quando illic colebatur Jupiter. 254. 1. verum Primatus Ecclesiæ Cantuariensis petitur ex eo, quod prima susceperit fidem, & sit omnium Ecclesiarum Britannicarum nutrix & propagatrix in Christo. 261. 1. Primus in Anglia scidit Ecclesiæ unitatem. 161. 1. Author scissuræ, fator discordiæ, scandali fomes. 288. 2. Archi-Synagogus. 142. 2. Antichristi præambulus. 272. 2. 290. 1. Antichristi membrum. 272. 1. comparatus Sinoni doloso. 278. 1. *seq.* Sacerdos Baal, falsus filius prophetæ. 244. 2. Comparatus Achitofel, propter malum consilium suum. 235. 1. Cum namque per se satis non insaniret, instigabat Regem. 251. 2. 252. 2. Admittens Regis consuetudines, ut Regis gratiam conciliaret sibi, in confusionem D. Thomæ. 62. 2. Durè contra ipsum lamentatur D. Thomas. 252. 2. Vocat D. Thomam stultum, in faciem. 19. 1. Romam proficiscitur. 25. 2. Debacchatur contra D. Thomam. *ibid. & seq. Parce Frater*, inquit Papa. *Domine, parcam ei?* Respondet Gilbertus: tum Papa: *Non dico Frater quod parcas ei, sed tibi.* Ad hanc Apostolicam vocem & tubam obmutuit confusus. *ibid.* Cum suis revertitur, sine benedictione Apostolica. 26. 2. Obtinet à Rege potestatem in Provinciam Cantiæ. 142. 2. gloriatur nullum illic aliquid posse præter se. 141. 1. colligit pecunias. Monetur à D. Thoma ut abstineat & restituat. *ibid.* sub anathemate, mandatur illi à D. Thoma. 131. 1. receperat centum & octo libras 14. solidos, & sex denarios. 132. 1. Appellat ad Papam. *ibid.* Libellus ejus supplex ad Papam. *ibid.* Consignat interim pecuniam. *ibid.* Renuntiat suo juri, in manus Regis, D. Thomam metuens: Rogat alium præfici. Postulatque pecunias servari; donec lis terminata sit. 131. 2. Cum consisteret ad Altare, ab ignoto recipit litteras Papales, quibus D. Thomas constituitur Legatus Apostolicus per totam Angliam. 144. 1. Consternatus recurrit ad Regem per litteras. *ibid.* Suadet & rogat posse, obedire ad interim: sed mandari Episcopis, ut colligant sua gravamina, appellaturi ad S. Sedem. *ibid.* Objectionibus ejus respondet D. Thomas. 124. 1. Denunciatur excommunicatus à Cardinalibus, jussu Papæ. 237. 2. Excommunicatur à D. Thoma: & promulgatur excommunicatio Londini, in Ecclesia Cathedrali, in ejus absentia. 264. 1. Convocat Clerum Londoniensem. Invehitur contra valorem excommunicationis. 264. 1. Dicit esse nullam. *ibid.* Appellat ad Papam. 264. 2. Non curat suam excommunicationem. Nititur obtinere per Officiales Regis, ut reliqui Episcopi & Abbates secum communicent, & simul appellent; sed frustra. 289. 2. Monetur à D. Thoma: resipiscat, quod obtinebit veniam. 294. 2. Ejus excommunicatio confirmatur per Papam. 319. 2. Præstito juramento absolvitur à Legatis quartis: de facultate Papæ. 329. 1. Sed absolutio mandatur servari secreta: ille verò eam publicat. 330. 2. Reducitur in excommunicationem per Papam. 355. 1. Quia interfuit coronationi Regis. *ibid.* 356. 1. Præcipua causa est quod Rex, post pacem, resiliat à pactis & promissionibus. 358. 2. Tandem senio gravis, corpore debilis, per ætatem & jejunia. 367. 1. Cooperatus est morti D. Thomæ. 362. 2. Eboracensis Archi-Episcopus absolutus à vinculo excommunicationis; rogat Papam ut idem beneficium impendat London. 367. 1.

*Girardus Puella* Vir in utroque jure peritus. 169. 1. Clericus 174. 1. Sub D. Thoma. A quo & accepit primum beneficium. 176. 2. Postquam habitasset in Francia, deserit Regem, & accedit Reginaldum Colonienſem ſchiſmaticum. 172. 2. Rex illi indignatur: tum quia contra beneficia ei præſtita, diſceſſit, Rege inſalutato: tum quia diverteret ad ſchiſmaticos. Deinde, quod ad Theutones diverteret, qui, ſi poſſent, invaderent Regnum Franciæ. 173. 1. Participavit cum Schiſmaticorum vita, non crimine. 168. 1. Numquam fuit Schiſmaticus. 170. 1. Tanta verò inter Schiſmaticos pollebat authoritate, ut quidquid dictabat, haberetur Sacro-ſanctum. 171. 2. Publicè tamen agebat contra Schiſmaticos. *ibid.* Indignatur D. Thomæ, quia audierat, tamen ex falſo rumore, quod D. Thomas detraxiſſet illi apud Regem Franciæ. 172. 2. Thomas verò ſcripſerat quidem ad Papam, pro ejus reconciliatione. 173. 1.

Girardus convertitur ad Regem Angliæ, obligans ſe juramento fidelitatis. 174. 1. Papa mittit formam juramenti, quo erat abſolvendus. *ibid.* Forma illa extat. 174. 2. Abſolvi poterat, ſed non retinere beneficium, quod de manu ſchiſmaticorum receperat, niſi hoc ei iterum conferat Eccleſia. *Ibid.* Papa ſcribit ad Regem Franciæ, ut Girardum in terram ſuam recipiat, & in gratiam. *ibid.* Poſt mortem D. Thomæ, fit Epiſcopus Conventrenſis. 55. 2.

Gratia. 151. 1. 226. 1. Præjens & cooperans. 304. 1. Ubi vult ſpirat. 62. 2. eſt Sermo Domini currens velociter, ſtatim immutans omnia. 85. 2. Peccatores Deus urget ad gratiam, quadam violentia charitatis: manente tamen arbitrii libertate. 229. 1. Monitio non adfert fructum, niſi prius in corde operetur virtus & gratia Salvatoris. 234. 1.

Gravamina allegata contra D. Thomam ab Epiſcopis Angliæ. 180. 2.

Gravari non eſt cenſendus injuſtè, quem jus punit legitimè. 138. 2.

Guaſconum levitatem timet Rex Angliæ. 112. 1.

Guido Cremenſis Hæreſiarcha. 171. 1. 240. 1. Schiſmaticus contra Alexandrum tertium. 91. 2. Piſi recipitur. *ibid.* Archi-Epiſcopus Piſanus fugit cum Clero ſuo. *ibid.* Imperator Fredericus illi adhæret. *ibid.* Illius Nuncium è ſua terra ejicit elector Moguntinus, minans ſi vel ipſe vel alius Schiſmaticus, ad ſe veniret quod oculos ei eruere. *ibid.* Clauditur in Turri Stephani Theobaldi. 240. 1. Favebant ei Senatores Romani; ſed metuit Senatores alios Kalendis Novembris regimen Urbis accepturos, Alexandro Papæ facturos fidelitatem. *ibid.*

H

HAbitum ſervi induere cogitat Imperator Fredericus, à Papa depoſitus; & ſic noctu Secutiam egredi, tamquam famulus quærens aliquid, pro Domino ſuo. 220. 1.

Hæreſiarcha vel author ſchiſmatis (ſi revolvantur Hiſtoriæ) non egit umquam pœnitentiam, niſi coactus & invitus. 68. 2.

*Henricus* Dux Nortmanniæ & Aquitaniæ, &c. adoptatur à Stephano Anglorum Rege in filium, & hæres Regni inſtituitur. 276. 2. jurat publicè & ſolemniter quod terras perpetuò conſervaret Eccleſiis, quas eis Stephanus contulerat. *ibid.* Ratione Ducatus Normanniæ, debebat homagium præſtare Regi Franciæ. 220. 2. Etiam tunc quando erat Rex Angliæ, mortuo Stephano, cui ſucceſſit. *ibid.* & dictus fuit Henricus II.

Henricus Vintonienſis Epiſcopus, atavis eſt editus Regibus, clarus genere, ſed clarior virtute. 293. 1. Provectione autem ætatis, & morum ſanctitate Clariſſimus. *ibid.* Ejus encomium. *ibid.* Tempore perſecutionis renuntiaverat Epiſcopatui, malens cedere honori ſuo, quam Regis violentiis; ſed Papa non acceptavit renuntiationem. 128. 2. Alienaverat crucem Eccleſiæ: jubetur per D. Thomam, eam revocare *ibid.* Adhæſit D. Thomæ 293. 1. publicavit nomina illorum quos D. Thomas excommunicaverat. 292. 1. Præ ſenio non comparet ad ſynodum Londonienſem. Rogant eum Epiſcopi per litteras, ut appellet cum illis ad Papam, contra libertatem Eccleſiæ. 31. 1. Ipſe vero reſpondet: *Vocatus à Summo Pontifice, nec appello, nec appellare volo. ibid.* Alii per hunc Summum Pontificem, intellexerunt Chriſti Vicarium, quaſi appellatus eſſet Romam; ſed ille intellexit Chriſtum, ad cujus extremum ſenex appropinquabat judicium. *ibid.* Et ſubjungit; *Unde dilectionem veſtram exoratam eſſe rogo, quatenus me in illas appellationis anguſtias parcatis intrudere; ubi maledictionis jaculum debeā formidare.* 292. 1.

Heraclius Patriarcha Hieroſolymitanus, vitæ ſanctitate non infimus, venit in Angliam, à Rege poſtulaturus auxilium contra incurſus Ethnicorum. Narrat Religioſum quemdam, in paleſtina, apparuiſſe ſuo Superiori, poſt mortem. Dixiſſe ſe beatum. Se vidiſſe D. Thomam aſcendentem in cœlum, ſtipatum Apoſtolorum, prophetarum & Martyrum choro. Et Dominum dixiſſe D. Thomæ. *Sic decet te intrare in curiam Domini tui. Quantam gloriam donavi Petro, nec tibi minorem dabo.* 51. 1. Et per hanc revelationem, martyrium quod D. Thomas ſubiit in Anglia, eſt cognitū Hieroſolymæ, infrà quindecim dies. *ibid.*

Hieroſolymitani itineris ſignum erat crux impoſita humero. 221. 2. Rex Franciæ deſiderat illud inſtituere cum Rege Angliæ. *ibid.* Rex Angliæ curat ſignificari Regi Franciæ quod & iter illud ſibi placeat. *ibid.* At Rex Franciæ dicit turpe eſſe toties decipi, nec ſe aliqua ratione crediturum quod Rex Angliæ in animo meditetur hoc iter, niſi humerum ejus cruce videat inſignitum. Stultum eſſe nudo verbo Regis Angliæ habere fidem. *ibid.* Richardus de Luci ſignum ſibi crucis imponit, profecturus Hieroſolymam. 89. 2.

B. Hildegardis ſanctitate celeberrima, claret viſionibus & oraculis. Eugenius Papa eam plurimi faciebat. Prædixit quod Eugenius non eſſet pacem & gloriam habiturus in Urbe, niſi in extremis diebus. 172. 1. Joannes Saresberienſis rogat Girardum Puellam, ut eam conſulat, an revelatum ſit ei aliquid, de fine Schiſmatis contra Alex. III. *ibid.*

Hiſtoria controverſiæ inter D. Thomam & Regem erat publica in omnibus plateis. 270. 2.

Homo non eſt laudandus in vita ſua, nec judicandus ante tempus. 350. 1.

Hominibus placere nō poſſumus, & ſimul Deo. 215. 2.





Hubertus Lombardus Mediolanenſis, vir potens opere & ſermone; Fit Archidiaconus Bituricenſis. 56. 2. Vocatus à D. Thoma, huic adhæret tanquam unus ex ſuis. *ibid.* Fit poſtea Epiſcopus Mediolanenſis: deinde Pontifex Romanus, dictus Urbanus III. *ibid.*

Hugo Comes poſſidebat bona Eccleſiæ Cantuarienſis. Excommunicatur à D. Thoma. 265. 1. Tota terra ejus ſub interdicto ponitur. Interdictum rogat tolli à D. Th. ſed non obtinet niſi Evangelizandi uſum, baptizandique, & moribundis adminiſtrandi viaticum. 360. 1. Convertitur: ad ſummam D. Thomæ lætitiam. *ibid.* 2.

Humanum quilibet à ſe nihil reputet alienum, 235. 2.

Humiles eligere ſolet deus, per quos ſternat ſuperbos. 149. 2. Humili ex ſtirpe natum eſſe, & propter virtutem ad altiora erigi, non eſt probroſum. 136. 1. Sed glorioſum eſt, ſicut fuit David. *ibid.* Sic Petrus Piſcator erat, qui factus eſt Princeps Eccleſiæ. *ibid.* Ita reſpondet D. Th. objicientibus quod humili ſtirpe natus, ad tantam Cathedram eſſet evectus. *ibid. Succeſſores Petri ſumus*, ait; *non Auguſti.* *ibid.*

Humilitas & zelus miſceri debent. 109. 1. Humilitate tua dum creſcit alterius inhumanitas, tum contra fortius eſt eundum. 156. 2.

I

JACULA non prævisa fortiùs feriunt. 156. 2. Ignorare poſſumus cauſſam perſecutionis, quam merito patimur. 226. 1. Tantòque magis ſunt timenda Dei judicia, quantò magis ignoratur cauſa. *ibid.*

Ignorantia & neceſſitas excuſant irregularitatem. 77. 2.

Idololatriæ ſpecies eſt, ſub cujuſcumque utilitatis reſpectu, creaturam Creatori præponere. 182. 1.

Imperatoris Conſtantini, laus. Negat ſe poſſe judicare Sacerdotes. 125. 2. D. Thomas non dubitat quin ſit in cœlis, *ibid.* Ejus exemplum dicit proponendum Regi Angliæ. *ibid.*

Imperator Henricus deponitur à Gregorio VII. in Concilio Romano. 230. 1.

Imperator Fredericus Aenobarbus, antequam ex Principe fieret Tyrannus, ex Catholico Schiſmaticus, non erat illi ſimilis in filiis hominum. 168. 2. Ab orthodoxis vocatur Theutonicus Tyrannus. 105. 1. 246. 1. Sacerdotium ſcidit adverſus Dominum, ſed à Domino ſciſſuram ſenſit Imperii. 168. 2. Quanquam in nullo erraret contra articulos fidei. *ibid.* Indicit curiam generalem in Wiceburch, in diem Pentecoſtes, diſcuſſurus uter eſſet Papa legitimus, an Rolandus dictus Alexand. III. an Guido, dictus Paſchalis? 102. 2. Conventui adſunt quadraginta Epiſcopi Imperat. impoſitis manibus ſupra Reliquias Sanct. jurat ſe nunquam recepturum Alexandrum III. Idem jurant Epiſcopi ſupra Sancta Dei Evangelia. *ibid.* Sed Epiſcopi aliqui jurant coacti. Sic Magdeburgenſis primus juravit cum fletu & planctu maximo. 104. 2. Malebat amittere Regalia: ſed ipſe cum aliis jubentur Regalia ſervare & jurare. *ibid.* Idem juraverunt Legati Regis Angliæ Henrici II. 108. 1. Juramenta hæc fuerunt perjuria. 114. 1. Tum Imperator Edicto publico mandat Alexandrum ejici, Paſchalem verò recipi. 102. 1. Sub gravi pœna. 103. 1. caſu quo Imperator occubuiſſet, ſtatutum erat, ut ſucceſſor ejus Edicto huic ſubcriberet. 104. 1. Obſidet urbem Romanam. 207. 2. *Cum* vero *Romanus Pontifex per patientiam diutius expectaſſet, ut vel ſic provocaretur ad pœnitentiam*: & Imperator *ſchiſmaticus* è contra *abutens patientia ejus, peccata peccatis adderet* adeò *ut error in amentiam verteretur*: VICARIUS PETRI A DOMINO CONSTITUTUS SUPER GENTES ET SUPER REGNA, *Italos & omnes, qui ei ex cauſa Imperii & Regni, Religione juris jurandi tenebantur adſtricti*, A FIDELITATE EJUS ABSOLVIT: & *Italiam ferè totam, à facie furentis & præſentis, tanta felicitate & celeritate excuſſit, ut in ea nihil habere videatur niſi tortores, quos evitat interdum, & Angustiarum quas evitare non poteſt, juge ſupplicium*. ABSTULIT ET ETIAM REGIAM DIGNITATEM, *ipſumque anathemate condemnavit*, & *inhibuit* AUTHORITATE DEI, *ne vires ullas amodò in bellicis congreſſionibus habeat: aut de Chriſtiano aliquo victoriam conſequatur, aut alicubi quiete & pace gaudeat, donec fructus pœnitentiæ condignos operetur. In quo ſecutus eſt exemplum Gregorii ſeptimi Deceſſoris ſui, qui Henricum Imperatorem Eccleſiæ Privilegia convellentem*, DEPONENS IN CONCILIO ROMANO, *ſimili ſententia condemnavit. Et quidem* ILLA SENTENTIA EFFECTUM SORTITA EST, & *hanc de Privilegio Petri latam videtur ipſe Dominus confirmaſſe. Hoc enim Itali audito, ab eo diſcedentes reædificaverunt Mediolanum, ſchiſmaticos expulerunt, Catholicos reduxerunt Epiſcopos, & Apoſtolicæ Sedi unanimiter adhæſerunt. Sed quid nota recenſeo?* 230. 1. Ex-Auguſtus confuſus deſerit Urbem. 207. 2. Ignominioſè humiliatus, factus ſine honore coram populo & gente. 188. 1. quem Deus miſericorditer fecit Ex-Auguſtum. 222. 1. ut de faſtigio Romani Imperii, ob Eccleſiæ perſecutionem, in paupertatem & ignominiam miſer, ſed nulli miſerabilis corrueret, ad gloriam illius qui ſolus, pro arbitrio, Regna & Imperia transfert. 151. 1. Ex-Auguſtus congreditur cum Mediolanenſibus. Fugit. 191. 1. Irruunt in eum urbes Italiæ. Fugit. Nec jam Papiæ eſt tutus, quia ſui quendam nobilem Papienſem excœcaverant. 219. 2. Lombardi inſequuntur eum cum viginti millibus hominum: fugit. Latet. Non audet latere in eodem hoſpitio. *ibid.* Monetur à Religioſo Carthuſienſi, quod pacem non eſſet habiturus, niſi pacem redderet Eccleſiæ. *ibid.* Simulat ſe converſum. 220. 1. convocat Religioſos, ut interſint pacis concluſionibus: & interim obtinet inducias. Sed cum viri Religioſi dicerentur adeſſe: fruſtra eos venturos reſpondit, *niſi Angelum de cœlis adducant, aut veniant in poteſtate faciendi Miracula. ibid.* Pergit. Suſpendit nobilem Brixienſem, affirmans eum conſcium conjurationis, factæ in Italia. *ibid.* Intrat Secutiam, ducit ſecum obſides, inde abducendos, occidendoſque à ſe poſtea in Alemannia. *ibid.* Poſtquam intraſſet, cives claudunt portas, ſervant obſides. Negant exitum omni ei qui Italicè loqueretur. Et niſi hoc feciſſent, excidium

Secutiæ minabantur urbes finitimæ. *ibid.* Ex-Augustus evadit noctu, indutus habitu Servientis, ac si viri magni procuraret hospitium. *ibid.* Lætatur quod sic evaserit. 220. 2. Turbat Burgundiam, post preces intentans minas *ibid.* Pacem petit. Rogat Papam, ut saltem filium suum natu secundum recipiat in Imperatorem, & eum Regem consecrari faciat à Catholicis Episcopis. Hunc filium semper Romano Pontifici parituum: quanquam pater Exaugustus, alium non esset agniturus Pontificem, quam D. Petrum, & eos qui sunt in cœlis. 246. 2. Tandem verò videns se nihil acturum, in dignitatem Augustalem non rediturum, nisi Pacem fecerit cum Ecclesia, paratus est fœdus inire cum Italis. 329. 2. Mittit nuncios suos qui cum Consulibus Urbis, in curia librant & formant pacis Articulos. 330. 1.

Imperatoris Frederici initium & medium comparantur Regi Angliæ: & expectant Catholici parem in utroque exitum 168. 2. 2. 7. 2. 230. 1. *Timeo*, inquit Joannes Saresberiensis, *nè præfatus Rex ambulans in viis ejus* Imperatoris, *exitum, quod Deus impediat, similem consequatur. Profectò mirum est, quod nullus Religiosorum denunciat ei, tanta paricula imminere.* 217. 2.

Imperii status est tanta moles, ut occultari non possit. 173. 1.

Impœnitens absolvi non potest. 230. 2. 238. 2. & hoc est perspicui & perpetui juris. 346. 1. Talem posse absolvere, nè quidem ipse Petrus accepit à Domino. 182. 1. 331. 1. nec Angelus de Cœlo, aut quævis Potestas. 280. 1. 282. 2. Talem absolvendi potestatem, nec Deus alii tribuit, nec retinuit sibi. 343. 1.

Impœnitentes proinde absoluti, de facto adhuc ligantur ante oculos Dei. 236. 2.

Impœnitentia siquidem nec oratione potest, nec purgari jejunio. 100. 2. Impœnitentiæ verò signum est, si res ablata ab Ecclesia, non restituatur. 236. 2.

Inauditos, non citatos, excommunicat D. Thomas. Mirantur, *quo juris ordine?* Respondetur, quod eorum crimina fuerint adeo manifesta & notoria, ut Cœlum & terra darent testimonia. 345. 1. *vide* suspensio provisionalis, lata contra inauditum, non citatum, &c.

*Incerta nemo unquam Pontificum judicare præsumat*: est Regula Sixti Papæ. 122. 2.

Infelici nil est felicius, quam nosse sortem suam. 234. 2.

Infelicitatis genus summum est, fuisse felicem. 175. 1.

Ingenium servile est, quod dumtaxat suppliciis emendatur. 224. 1.

Inimici pessimi sunt, qui blanda loquuntur, & dura faciunt. 161. 1. *ibid.* 2. Leniendi sunt aliquando munusculis. 169. 1. Multa in illis sunt dissimulanda, maximè dum potentes sunt. 186. 2.

Injusta vincula disrumpunt justitiam. 122. 2.

Inobedire Deo, est peccatum simile idololatriæ. 317. 2.

Inobedientia suo Superiori, meretur privari jure obedientiæ suorum Subditorum, si quos habet. 279. 1.

Insidiæ in Anglia erant tantæ, ut Amicis D. Thomæ, nec colloquendi nec scribendi liceret commercium. 148. 1.

Intentio imponit nomen operi. 78. 1.

Interdictum Regni, est interdici in Regno omne Ecclesiasticum officium 36. 2. quanquam permiti soleat Baptisma parvulorum, & pœnitentia morientium. 324. 2.

Interdictionis sententiam profert D. Thomas in totam terram Cantiæ: Claudantur templa, non audiantur campanæ, cessent Sacramenta, nulla fiat solemnitas, solùm possit administrari Baptisma parvulorum, pœnitentia & viaticum morientium; nisi Rex intra determinatos dies satisfecerit. 260. 2.

Interdicitur tota terra Angliæ Cismarina, post martyrium D. Thomæ. 364. 1.

Interpretanda sunt semper omnia in melius. 218. 2.

Invito sæpe confertur beneficium. 136. 1.

*S. Joannes Baptista* increpat Herodem, non ut Pontifex, sed ut præco verbi Dei. 215. 2. Non correxit delictum ut judex, sed denunciavit peccatum. *ibid.*

Joannes Cumin Legatus Regis Angliæ ad Papam, Papæ improperat, quod D. Thomas scripsisset litteras ad suam Sanctitatem contra personam Regis. 164. 1. recipit rescripta Pontificia, in causa schismatis, & illorum secreta relevat Guidoni Antipapæ. 188. 2. jubetur puniri. 189. 1. Receperat Archi-Diaconatum Bathoniensem de manu laica; jubetur ab Alexand. 3. fructus & beneficium resignare intra 20. dies, sub anathemate. 310. 1.

*Joannes de Oxeneford* participans cum excommunicato schismatico Reginaldo, est ipso jure excommunicatus. 120. 2. Obtinet Decanatum Saresberiensem. *ibid.* Decanatum hunc declarat D. Thomas ipso jure non tenere. *ibid.* Ipsumque irritat Papa. 154. 1. Romam properat cum commendatitiis Regis Angliæ. 235. 2. Commendat Rex ut Papa credat Joanni, sicut crederet Regi. *ibid.* Joannes significans Papæ quomodo facilè posset pax componi, inter Regem & D. Thomam, init Pontificis gratiam. 164. 1. Jurat se nunquam adhæsisse schismaticis. 235. 2. abjurat consuetudines Angliæ. 164. 1. Cogitur resignare Decanatum in manus Papæ. 181. 2. quem recipit ad vehementem instantiam Regis. *ibid.* Absolvitur à vinculo excommunicationis. 164. 1. Mendax & perjurus fuit. 236. 1. Quia adeo fallaciter se coram Papa humiliaverat, vocatur à suis Proditor Regis. 164. 1. Redux vero in Angliam, gloriatur se Romæ obtinuisse omnia quæ prætenderat. 165. 1. Regem excommunicari non posse, nisi à solo Papa: Episcopos exire non posse ex Anglia, sine Regis consensu. Legatos duos in Angliam mitti à summo Pontifice, acturos contra D. Thomam *ibid.* Quod venirent in tanta potestate, ut appellari non possit. 185. 2. Rumor ille, authore Joanne, ita percrebuit, ut nihil nisi hoc ab æmulis D. Thomæ caneretur, & nihil D. Thomas cum suis amplius lamentaretur. *ibid.* adeo ut multi Episcopi ideò desererent D. Thomam. 236. 1. Erant falsa. 181. 2. 185. 2. 934. 2. 204. 2. Illud de Legatis missis, verum quidem fuit, sed Romanus Pontifex, melius informatus, restrinxit potestatem Legatorum, per litteras alteras. 193. 1. 194. 1.





*Joannes Mareschalus* obtinet à Rege terram de Mundeam, spectantem ad Ecclesiam Cantuariensem: paucis diebus post moriturum, nutu Divino, cum suis Liberis. 276. 2.

*Joannes* Pictaviensis Episcopus, fuit familiaris D. Thomæ ab ineunte ætate. 64. 2. Convenit cum D. Thoma circa libertatem Ecclesiasticam *ibid.* Apprecatur D. Thomæ spiritum fortitudinis & perseverantiæ. 63. 1. Ejus solicitudo & labor, ut consilii reperiat aliquid, in favorem Ecclesiæ. 63. 2. Accipit secreta mandata à Rege Angliæ, nè se opponat violentiis sæcularibus. *ibid.* Ille verò sciens se huic mandato nec parere posse nec pariturum, expectat exilium, decernens sibi Conventum Pontiniacensem: quem & D. Thomæ commendat. 65. 2. expectans mercedem à solo Deo, ubi destitutus est hominum solatio. 77. 1. 2.

*Joannes Saresberiensis* fuit primus qui exilio est mulctatus, quod crederetur favere libertati Ecclesiasticæ. 66. 1. Ejus constantia, spernit omnia temporalia, pro libertate Ecclesiæ tuenda. 231. 2. mori mavult, quam jurare consuetudines Regales. 196. 2. Sollicitatur ut D. Thomam relinquat, juretque Regis fidelitatem & consuetudines. 182. 1. Mavult manere in exilio, quam sic Deum offendere. *ibid.* Tractatur de illius pace. In pacem admitteretur, & rediret ab exilio, si jurare vellet, se in partibus Cismarinis non fuisse contra Regem. Consulit Papam, an jurandum? Negatur. Ille nil volens agere contra conscientiam, expectat mitigationem iræ Regiæ. 113. 2. Non adhæsit D. Thomæ propter Thomam, sed propter justitiam: non enim fuerat Thomæ obligatus. *ibid.* Relinquit illius consortium, non fidem & charitatem. 115. 2. Consulitur à D. Thoma. Ejus in respondendo humilitas. 156. 1. Generosior omnibus scribit Papæ, aperiens statum Ecclesiæ, & periculum famæ Pontificis, nisi Ecclesiasticæ occurrat libertati. 213. 1. Plurimas scripsit Epistolas, ad plurimos. *Vide primum indicem.* Ejus Mater responsum acceperat à Spiritu Sancto, se non visuram mortem, nisi videret Filios suos, Joannem & Fratrem ejus, redeuntes ab exilio. 352. 2. Post septem annorum exilium, redit ad Matrem, quam invenit infirmantem. *ibid.* Post Martyrium D. Thomæ fit Carnotensis Episcopus. 55. 1. Describit vitam D. Thomæ. 1. 1.

*Joannes* Saresberiensis Episcopus, excidit gratia Regis, quam per D. Thomam recuperat ad instantiam Papæ. 181. 1. Senex erat, & propter senium non audebat resistere Regi Angliæ, iram ejus expertus sæpius. *ibid.* Quod considerans Papa, rogat & mandat, ut D. Thomas mitius cum eo agat. *ibid.* Papa verò amabat eum tenerrimè. *ibid.* vultque eum ideò excipi à numero excommunicandorum. *ibid.*

*Jocelinus*, in Scholis existens, erat contemptor pecuniæ, sed avarus & cupidus laudis & gloriæ. 162. 2. Fit Episcopus Saresberiensis. Occultus D. Thomæ amicus. 18. 2. Contra ipsum exit Edictum Regium, vel D. Thomam deferat, vel mutiletur in supplicio. 19. 2. Thomas amabat eum teneriter. 159. 2. Metu admittit ad Decanatum Ecclesiæ suæ Joannem de Oxeneford, excommunicatum, contra mandatum D. Thomæ & Papæ. 120. 1. D. Thomas, exul, suspendit illum ideò, & citat illum personaliter ad se. *ibid.* 2. Jubet ut dictum Joannem habeat tanquam non decanum. *ibid.* Appellat ad Papam. Caussam allegat, quod dicta suspensio sit prolata contra non auditum, non citatum, absentem, indefensum. 122. 1. Submittit se protectioni Papæ. *ibid.* Recurrit ad Regem obtinetque, in hunc finem, commendatitias ab Archi-Episcopo Londoniensi. *ibid.* 2. Rogat Londoniensis, ut Rex Jocelinum ad se evocet *ibid.* Papa confirmat sententiam D. Thomæ 130. 1. poterat Jocelinus redire in gratiam D. Thomæ, si hanc postulasset, & Appellationi renuntiasset. 123. 1. 158. 2. Sed cum persisteret: nullo modo vult eum D. Thomas absolvere, quantumcumque instent amici, quia præbuit formam inobediendi cæteris, & adhærebat Londoniensi Episcopo. 158. 2. Ad diem præfixum, Romæ nec comparens per se nec per procuratorem, condemnatur à Papa. 153. 2. Excommunicatur à D. Thoma 265. 1. Et iterum suspenditur, quia juravit consuetudines, & interfuit coronationi Regis Angliæ. 356. 2. Cooperatus est neci D. Thomæ. 362. 2.

Irrideri homo potest, non Deus: qui irrisoribus flagella præparat, & duros malleos, cervicibus & dorsis contemptorum. 116. 1.

Judæi tetenderunt Christo insidias, nè Principes Sacerdotum perderent gentis potestatem: sed, venientibus Romanis, perdiderunt locum & gentem. 199. 2.

Judici incompetenti qui se submittit, meretur perdere sua jura. 116. 1.

*Judicis inferioris non est, superioris sententiam solvere*: SIC NULLI HOMINUM LICET INFIRMARE, QUOD SEDES APOSTOLICA DECREVIT. 359. 2.

Judicem sæcularem dum eligunt Clerici, rejecto judice Ecclesiastico, sequuntur Judæos, qui absente Moyse, ab Aaron petiverunt Deos conflatiles, ut præcederent eos in deserto. 200. 1. Videntur que clamare cum judæis, *Non habemus Regem nisi Cæsarem.* *ibid.* 2.

Judicium extremum est apud illum, qui judicat corpus & animam. Sic judicium extremum apud homines est penes Ecclesiam, quæ judicat spiritum. 79. 2.

Judicium extremum est formidandum Principibus & Regibus: Quia ibi non judicabitur secundum consuetudines Regni avitas, sed Dei æternas: ubi neque fortitudo, neque potentia, nec divitiæ, nec leges sæculares poterunt juvare quemquam: nec aliud quidquam proderit judicando, nisi divina Clementia, & præcedentium operum fructus. 101. 1.

Judicii illius jugem memoriam Regi Angliæ incutit Romanus Pontifex. 244. 1.

Judicis illius numquam est obliviscendum, ante cujus tribunal constitutos sola veritas judicabit, amotò timore & fiducia terrenæ Potestatis. 125. 2.

Judicio Dei aliqua sunt relinquenda: adeo ut

non tam scrupulosè intendere debeat quilibet in vitia hominum. 71. 2.
Jurandum non est temerè. 170. 1.
Juramentum temerarium esset, præcipitium in mille damnationis laqueos, si quis infirmitatis suæ sibi non conscius, ad observantiam Sacrorum Canonum, & ipsius Evangelii custodiam, generali se juramento obligaret. 170. 1. 271. 1.
Juramenti forma, quam exigebat Rex Angliæ sæpius mutabatur. 116. 1. Orthodoxi recusabant jurare, proscribi malentes quam perjurare, dicentes etsi Mundus suadeat, tamen dissuadere Christum. *ibid.* Primò jurandæ erant consuetudines. Rex patitur posteà ut jurent solam fidelitatem, sic tamen, ut adjicere non liceret has particulas; *Fidem Ecclesiæ, & prælatorum obedientiam salvam fore*, *ibid.* Ajebat Rex, se quidem nolle præjudicare fidei & Ecclesiæ, sed non velle ut in formula juramenti fieret illius mentio. *ibid.* Reponebant Catholici: si non præjudicat, cur particulæ hæc omittuntur? si præjudicat, cur tale juramentum exigitur à fideli? *ibid.* Juramentum hoc interdixit Alexander III. 114. 2. Aliqui jurarunt, fortè innocentes. 117. 1. & coacti. 318. 1.
Juramento ab illicito & coacto absolvit D. Thomas Episcopos 318. 1. Quanquam existimet & probet non fuisse unquam observandum. *ibid.* 119. 2. Sic ad cautelam absolvit Regem Angliæ ab illicito juramento Alexander tertius. 321. 1.
Juramenti forma, quam Alexander III. præscripsit Girardo Puellæ, qui communicaverat cum vita Schismaticorum. 174. 2.
Juramentum omne non est illicitum. 117. 1.
Jurant Episcopi super Sancta Evangelia: seculares verò manibus impositis super Sanctorum Reliquias. 102. 2. 103. 1.
Jus contra quod est factum, pro infecto haberi potest, dum jus ostenditur. 65. 2.
Juris auxilium frustra implorat, qui juri est contrarius. 135. 2.
Juri contraire non debemus propter Pacem: sed possumus satisfactionem offerre, quamcumque jura permittunt. 126. 1. Alioquin moriendum est potius, quam juri cedendo propter pacem, Deum offendendum. *ibid.*
Jura aliena sic decet relinqui intacta: quemadmodum jura sua, quilibet servari cupit integra. 107. 2.
Justa si sint quæ præcipit Princeps, est obediendum; si injusta, respondendum: quoniam oportet nos magis obedire Deo, quam hominibus. 134. 1.
Justitia est virtus, quæ plurimum prodest ei qui minimum potest. 231. 1. Transimachus Philosophus è contra dicebat eam esse virtutem quæ plurimum potest. Sed malè. *ibid.* Liberat enim pauperem à potente, & decernit meritis præmia, non personis. *ibid.* Justitia administranda est cum Pace. 205. 1.

## L

LACHRIMAS fundit D. Thomas super Rege Angliæ, cujus videbas injustitiam, & prævidebat angustiam. 86. 2. *Unum est*, inquit, *quod sine multa animi mei amaritudine sustinere non valeo. Fleo siquidem super dilectissimo Domino nostro Rege. Timor enim & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ: eò quod videam Domino meo Regi tribulationem & angustiam imminere. Nec mirum. Commovit enim Ecclesiam Dei, & conturbavit eam, ostendens Clero suo dura, & potans eam vino erroris.* *ibid.*
Lectio librorum piorum, unde nascitur devotio, præferenda est lectioni Legum & Canonum, undè oritur litigatio. 80. 2.
Legatio per totam Angliam, dispensatoriè à Papa committitur Eboracensi Archi-Episcopo, ad instantiam Regis Angliæ, excluso D. Thoma Cantuariensi. 67. 2. Sed litteræ legationis non poterant ei tradi sine scitu & voluntate D. Thomæ. *ibid.* Legatio illa expirat, sine spe convalescendi. 68. 2. Adeò ut Archi-Episcopus Eboracensis, fuerit Legatus nullis temporis. *ibid.*
Legatus excedens præscriptam formam authoritatis suæ, nihil facit validè. 236. 2.
Legatus Romanus, tempore legationis suæ, non solet subjici alteri Legato. 169. 1.
Legatos ponit Romanus Pontifex per totum Mundum: quia præter potestatem ordinariam, quam habent Episcopi, ille habet extraordinariam in omnes Ecclesias, quibus personaliter non potest simul adesse. 129. 1.
Legatorum potestas est, quod possit ad se vocare Episcopos & Clerum; corrigenda coorrigere, statuenda statuere, nomine & vice Sedis Apostolicæ. *ibid.*
Legati Pontificis non solebant aliquem in interiorem domus suæ familiaritatem recipere, nisi præstitisset juramentum fidelitatis, & de occultandis secretis. 184. 2.
Legatos suos in Angliam mittit Alexander III. pacem compositurus inter Regem & D. Thomam. 178. 1. Primi fuerunt Otto Diaconus Cardinalis, & Wilhelmus Presbyter Cardinalis. *ibid.* Wilhelmus pollebat prudentia, eloquentia, & Authoritate. 195. 2. Verum suspectus erat plurimis: quia cum Papiam missus esset, ut contra Fredericum Imperatorem causam ageret Alexandri III. non fuit fidelis: sed ubi loqui debuisset, siluit. 191. 1. Et si non consenserit, saltem non contradixit, Octavianus anti-Papa, dum receptus fuit à Schismaticis. *ibid.* Non sapiebat nisi carnem, dona & munera, & Regis gratiam. 209. 1. Odio habebat D. Thomam. 182. 2. Hostis ejus manifestus. 184. 1. Semper D. Thomæ infestus. 194. 2. Otto vero melior erat, minus appetens Regis gratiam. 208. 2. Magis favens D. Thomæ. 189. 2. 183. 2. Bonæ voluntatis,



tis, sed quam ex caussis variis, non potuit producere in effectum. 237. 1. Et deinde per Wilhelmum parum corruptus fuit. 209. 2. Statim ac audiebatur illos mitti: varius per Orbem est motus rumor. 184. 2. Alii affirmabant quod faverent libertati Ecclesiasticæ: alii quod se paterentur corrumpi pecuniis. *ibid.* Nota eorum cum Rege Angliæ familiaritas, multis erat suspecta. 181. 2. Clamabatur Wilhelmum mitti in Angliam, ut ejus ministerio, Petrus denuò vincularetur. 185. 2. Quapropter statuit D. Thomas illius declinare Judicium. 184. 1. Sparserant adversarii D. Thomæ, quod venirent cum summa potestate, agendi contra D. Thomam. De quo gemit Gallia. 235. 2. Sed limitavit Summus Pontifex eorum Potestatem, adeò ut contra D. Thomam agere non valerent. 179. 2. Immò non licebat illis ingredi in Angliam, priusquam D. Thomas reconciliatus esset. 199. 1. Veniunt in Angliam. 180. 1. Episcopi testantur omnia sibi placere quæ statuent Legati, dummodò faciant de D. Thoma justitiam: respondent Legati, commissam sibi D. Thomæ reconciliationem, non judicium. Omnes appellant ad Papam: ponentes appellationis terminum intra annum. 190. 1. Audiunt Argumenta contra D. Thomam; & appellantibus concedunt Apostolos Appellatorios: mittuntque Clericum quendam ad Papam, una cum duobus Nunciis Regis. 180. 2. Prohibent nè D. Thomas, pendente appellatione excommunicet, aut interdicat. 193. 1. Falso accusant D. Thomam apud Papam. 192. 1. Audito verò D. Thoma: compatiuntur ei, non culpant, sed zelum approbant. *ibid.* Interim jubent excommunicatos absolvi, præstito juramento. 235. 2. Wilhelmus obtinet à Papa Rescriptum, nè D. Thomas possit Regem ferire Anathemate, & Regnum sub Interdicto ponere: significans, nisi hoc fieret certum esse se cum Ottone, à Rege incarcerandos, in ignominiam Sedis Apostolicæ. 240. 1. Audientes vero hanc D. Thomæ potestatem esse reconfirmatam, festinant exire ex Anglia, metuentes Regis manum. *ibid.* 2. Nihil autem effecerunt in Anglia. 208. 1. tamen transeuntes per Galliam redierunt in gratiam Regis Franciæ, quam amiserant, dum putabantur venisse, ut agerent contra D. Thomam. 241. 1. Atque ita, pace infecta, ad Romanam reversi sunt Ecclesiam. 32. 2.
Legatos secundos mittit Romanus Pontifex in Angliam, Vivianum & Gratianum, Cardinales. 243. 1. Jurant se nihil acturos, nec agere posse, in præjudicium D. Thomæ. 245. 1. Adeò debebant abstinere à muneribus accipiendis, ut propriis sumptibus obligarentur legationem perficere. *ibid.* Utriusque Legati Laus. 277. 2. 278. 1. Vivianus favet D. Thomæ, communicat ei secreta, rogatque illius mentem. 245. 1. Gratianus erat omnium incorruptibilissimus, qui rem cordi habebat synceriſſimus. 333. 2. Rex eum timebat. 277. 2. Veniunt in modestia & pace, inducturi Regem ad justam cum D. Thoma concordiam. 243. 1. Aliquos excommunicant de personis Regis, & de Servientibus ejus, Rege invito & indignante. 255. 1.
Legatis obviam mittit Rex duos. 246. 2. divertitque ad illorum hospitium, donans eis Cervum quem filius Regis ceperat. *ibid.* Crastina die circa horam primam, Rex eos accedit cum aliis: petit excommunicatos absolvi sine juramento. Recusant omnino. Tunc Rex: *Per oculos Dei, ego faciam aliud.* Ad hoc respondet Gratianus: *Domine, noli minari; nos enim nullas minas timemus: quia de tali Curia sumus*, QUÆ CONSUEVIT IMPERARE IMPERATORIBUS ET REGIBUS. 246. 2. Post plures instantias, cum recusarent Legati excommunicatos absolvere, sine juramento, negat Rex D. Thomam restituere *ibid.* Addens: *Facite quod vultis, ego neque vos, neque excommunicationes vestras appretior, vel dubito, unum ovum.* 247. 1. Atque hæc dixit iratus. Corripiebant eum sui Episcopi dicentes, quod malè locutus fuerat. *ibid.* Redit ad cor. *ibid.* 2. Et convocatis omnibus, *oportet*, inquit, *me facere multum pro prece Domini Papæ, qui Dominus & Pater meus est. Et ideò reddo ei* (D. Thomæ) *Archi-Episcopatum suum, & Pacem meam, & omnibus qui pro eo extra terram sunt.* *ibid.* Omnes gavisi sunt. Sed cum Pax foret scribenda, Rex interseri voluit clausulam, *Salva dignitate Regni sui.* Quam nullo modo vult admittere Gratianus. *ibid.* Conveniunt iterum die statuto. Cumque Rex nollet recedere ab ista clausula: responderunt Legati: *Stet ergo verbum Regis pariter & verbum Domini*, & apponatur, *salva libertate Ecclesiæ.* Rex quidem hoc dicere non erubescit, sed scribi non vult. 258. 2. Discedunt. *ibid.*
Legatos tertios mittit Romanus Pontifex, Simeonem de Monte Dei, & Bernardum de Corylo. 296. 1. Intra duos menses debent se sistere Regi, eum monituri, hortaturi, & porrecturi litteras suæ Sanctitatis, comminantes gladium S. Petri, distringendum per D. Thomam. *ibid.* Primò porrigunt Regi commonitorias Papæ. 300. 2. Deinde comminatorias. 301. 1. Rex mutat & mutat responsa. In fine resistit: non vult admittere Pacem, nisi D. Thomas juret consuetudines. *ibid.*
Legatos quartos mittit Romanus Pontifex, Rotrodum Rothomagensem Archi-Episcopum, & Bernardum Nivernensem Episcopum. 321. 1. 322. 1. 323. 1. Mittuntur pacem compositurí, ea conditione, ut Rex restituat omnia, & det Osculum D. Thomæ, nisi huic sufficeret Osculum filii Regis. 323. 2. Item ut consuetudines damnet. 323. 1. Si renuat, ut Terra ejus ponatur sub Interdicto, omni appellatione remota. 323. 1. 2. Et si nec sic resipiscat, quod præparetur illi Anathema, quali percussus est Fredericus Imperator. 287. 1. & tum secuta est illa qualiscumque Pax.
Legatos quintos mittit Romanus Pontifex, post mortem D. Thomæ: Albertum & Theodebertum Cardinales, absoluturos Regem, imponentes ei pœnitentiam salutarem, quia propter ipsum occisus est Sanctus Martyr. Quod & factum est. 367. 2.
Lenitate Sacerdotum magis flectuntur Principes, quam illorum impetuositate. 71. 2.

Lexoniensi Episcopus, in penuria existens, rogat à Rege Angliæ, per annum discedere, ut interea debitis satisfaceret 88. 2. Rex solvit magnam partem debitorum, eum sic lucrifaciens. *ibid.* Ille verò occultè favebat D. Thomæ: etsi publicè videretur eum impetere. 93. 1.
Leges Civiles, inquit Anacharsis Scytha, telis Aranearum conferuntur, retinentibus quidem muscas, sed transmittentibus volatilia grandiora. 143. 2.
Leges Ecclesiasticæ pariliter peccantes parili pœna constringunt: nec principem excipiunt, nec Sacerdotem. 224. 2. Etsi non denuncietur pœna incurritur tamen ipso facto. *ibid.*
Lex Dei dum punit, incipit à Superioribus. *ibid.*
Liberalitatem in Ecclesiasticos, maximè afflictos, dicit Ludovicus Rex Franciæ, sibi competere jure hæreditario. 35. 1.
LIBERTAS ECCLESIASTICA est præmium laboris quem Christus subiit in Cruce. 92. 1. Illam comparavit sanguine proprio 97. 2. 82. 2. Estque Testamentum quod reliquit Ecclesiæ. 284. 1. Ubique debet esse uniformis. Nam sicut una est fides, sic una est libertas, unum Testamentum perpetuæ Manumissionis, quo nos divinæ Bonitatis adoptio, non tantum liberos efficit, sed etiam cohæredes. 110. 1. Proindè Ecclesiasticæ libertati quotiescumque detrahitur, nihil minùs derogatur fidei; fides enim & libertas illa, sibi mutuò sunt adeo connexæ, ut eadem dispendia sentiant & proventus. *ibid.* Qui Ecclesiasticam libertatem impetit, invadens Pontificem illam defendentem, maledicit Patri & Matri, eritque ipse maledictus. 82. 1. Sine illa enim nec viget Ecclesia, nec potens est adversus eos, qui quærunt hæreditate Sanctuarium Dei possidere. 134. 2. Est præponenda omnibus beneficiis acceptis adeo ut nulla possit esse ingratitudo, propter illam offendere quemcumque benefactorem hominem. 124. 2. Standum est pro illa, contra quosvis Principes illam invadentes. Nil est dissimulandum: nè quidem ut eveniant bona. Qui contrarium consulit, est hæreticus, præambulus Antichristi si non personaliter Antichristus ipse. 208. 2. Probatur id multis exemplis. *ibid.* Qui pro illa torquentur, non patiuntur pro crimine, sed pro Christo. 115. 2.
Libertatis Ecclesiasticæ assertio, fuit causa D. Thomæ. 94. 2. Ejus gloriam prætulit omnibus facultatibus. 109. 2. Si voluisset credere injustitiæ, poterat cum Rege conregnare. *ibid.* pro illa exultavit, & Martyrio affectus fuit. 58. 1.
Libertas Ecclesiastica sic impugnabatur in Anglia, ut Orthodoxi vix ad videndum sufficere possent vel audiendum. Emergebant quotidie nova, & prioribus inaudita sæculis exigebantur. Imponebatur silentium legibus, & Regula canonum à sorte Domini pœnitus exclusa, novis legibus subjiciebantur Clerici, & pro voluntate Laicæ potestatis agitabantur. 74. 1. in tantum, ut D. Th. diceret: inter Barbaros nobis esset melius servire, quam hæc mala, in diebus nostris, in sancta Ecclesia videre. 74. 2. Hanc libertatem profiteri, fiebat tandem crimen læsæ Majestatis. 94. 2. Pro libertate Religionis vocatus est populus ex Ægypto, occubuerunt Machabæi, pugnavit David, & Scriptura ferè tota talibus, virorum illustrium, est referta monumentis. 215. 2.
Litigari non potest sine nummis. 195. 1.
*Lithulfus* juvenis ad stuprum sollicitatur, à uxore Hugonis de Morevilla, qui fuit carnifex D. Th. Juvenis negat. Illa inducit juvenem ut lusus gratia gladium extrahat & discurrat: facit. Tum illa exclamat nequiter, ac si Lituplhus niteretur occidere ejus maritum. Juvenis desuper accusatur, & addicitur morti: aqua ferventi decoctus, complens Martyrium. 41. 2.
Literas omnes concernentes negotium controversum, diligenter curavit D. Thomas reponi in Registro, ut esset posteris exemplum & incitamentum. 345. 2. Litteræ occultæ, manifestatæ. 164. 1. Litteras secretiores tutò non subsignamus, ut si fortè ad manus deveniant, lateat saltem Scriptoris nomen. 170. 1.
Litteræ Papales cautè destinantur Episcopo Londoniensi: ignotus eas tradit illi, cum ad Altare consisteret. 143. 2.
Londinum, ante tempus B. Gregorii Angliæ Apostoli, erat imbutum erroribus Paganorum: colebat Jovem: & Londini sedebat Angliæ Archiflamen 254. 1. 289. 2. Et idcircò prætendit etiam Primatum Gilbertus Londoniensis Archi-Episcopus. *ibid.* 264. 1.
Lupus non arcetur facilè ab ovili, nisi clamore canum & baculo. 146. 2. sic invasor libertatis Ecclesiasticæ. *ibid.*

M

MALUM in bono sæpè est superandum. 354. 1. Malum quia diu libuerat, prætendebant Angli Heterodoxi, ut diutius impunè liceret. 145. 1.
Mala non sunt facienda, ut eveniant bona. 144. 2. 208. 2. Nè quidem est communicandum excommunicatis, ut per ipsos obtineatur magna, aliqua Pax. 282. 1. Nè quidem ut placetur Princeps, quia offensa Dei, non est placanda indignatio Majestatis. 239. 1. Consulebant D. Thomæ, ut, propter pacem, dissimularet Ecclesiæ concuti Libertatem. Hos consules Joannes Saresb. vocat hæreticos, Antichristi præambulos, si non Antichristum ipsum. 208. 2. non enim potest salubris esse dispensatio, per quam Sacrilegorum perpetuatur audacia. 213. 2.
*Malcolinus*, Scotorum Rex pius. 95. 2. ejus Laus. *ibid.*
Maledictus qui confidit in homine. 205. 2.
Magdeburgensis rediens Hierosolyma, capitur à Saracenis. Vovet, si liberaretur, se adhæsurum Alexandro III. Liberatus deserit Schismaticos. 91. 2.
Mandans occidere, coram Deo est homicida. 141. 1.
*Mathildis* Reginæ Siciliæ laus; 95. 1. Gratias illi agit D. Thomas, quod coexules suos susciperet, & illis succurreret. *ibid.*
Mathildis Imperatrix, Mater Henrici secundi Angliæ Regis. 92. 2. ejus encomium. 91. 2. fama ejus nota est per Orbem. *ibid.* ejus Eleemosynæ, studiumque pro pace Ecclesiastica. *ibid.* In causa D. Thomæ, primò asperè loquitur & scribit, deinde mitius, se excusat apud amicos D. Thomæ. 92. 2. litteras suscipit benignè, sed occultè. *ibid.* Filius ejus, Rex, celat ab ea suam mentem, quia Matrem noverat plus favere Libertati Ecclesiasticæ, quam Regiæ voluntati. *ibid.* Scribit Filio, ut sibi mentem suam significet. 93. 1. Jubet consuetudines Anglicanas sibi latinè prælegi, & gallicè explicari. 93. 1. Approbat aliquas: nominatim quod non liceat excommunicare Ministros Regis, sine Regis Licentia. *ibid.* Excusat verò suum Filium, allegans zelum Justitiæ, & malitiam Episcoporum Angliæ. *ibid.* Scribit D. Thomæ, quod sibi à Papa injunctum sit in remissionem peccatorum, pacem reconciliare inter D. Thomam & Regem. 203. 2. In hunc finem mittit Archi-Diaconum suum. *ibid.*
Mariam Virginem Deiparam colit D. Thomas, & à pia Matre sua discit, ab ineunte ætate, suam fiduciam collocare in ipsam, post Christum. 2. 1.
Maria Ægyptiaca & Magdalena, sunt Beatæ peccatrices, quæ deletis per pœnitentiam, totius antè actæ vitæ maculis, Coronam gloriæ receperunt. 357. 1.
S. Martini Episcopi Turonensis laus. 69. 2. Non aulam frequentat, sed Ecclesiam. Cæsarem arguebat, & Episcopos adulantes Cæsari, audacter. *ibid.*
Martyr est testis Justitiæ, assertor causæ Christi. 155. 1. Martyrem facit causa. 46. 2. Martyrum sanguis clamat vindictam ad cœlum. 361. 2.
Martyrio aptus est, quisquis vult pati pro fide, & operibus fidei. 155. 1. Parvulus sit an adultus, Judæus an gentilis, Christianus an infidelis, vir an mulier, non refert. *ibid.*
Mauricius Parisiensis Episcopus pius in causam D. Thomæ. 259. 1. Ejus Reverentia erga Sedem Apostolicam. Scribit ad Papam flexis genibus. *ibid. seq.* Scribit iterum pro innocentia D. Thomæ: quem vocat Confessorem veritatis, virtutis exemplar. 289. 1. Quem constat pro Justitia, pro Libertate Ecclesiæ, pro tuendis Sedis Apostolicæ Privilegiis, exilium sustinere. *ibid.* 2. Rogat ut Archi-Episcopus Londoniensis puniatur, & allidatur, conteraturque ad Apostolicam Petram. Alioquin timendum esse, ne si, quod absit, tantum scelus maneat impunitum, citius & Anglicanæ & Gallicanæ Ecclesiæ perniciem, & Religionis ruinam operetur. *ibid.* Ejus invectiva contra Regem Angliæ. Rogant ut hunc Papa feriri sinat per D. Thomam. Quod nisi fiat, luget Ecclesiam Gallicanam scandalizari. 313. 2. *Summa desideriî nostri est*, inquit, *& totius Ecclesiæ Gallicanæ, ut tantum scandalum, celeri subventione, de medio tollatis, & præfatum Regem his, quæ Christiano Regi competunt, faciatis esse contentum: & Regi Regum sua privilegia illibata relinquere.* 314. 1.
Membrum quod sanari non potest, est abscindendum. 288. 2.
Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis. 100. 1.
Mensæ tempore D. Thomas curabat legi. 84. 2. Pridiè cum fugit, rectè legebatur de fuga Liberii Papæ; item illud. *Cum vos persecuti fuerint in ista civitate, fugite in aliam.* Quod quasi sibi dictum intellexit. *ibid.*
Metropolitanus à suis suffraganeis judicari non potest. 139. 1.
Minor quod Majorem judicare non possit, tam Divinæ quam humanæ leges demonstrant. 91. 1.
Miracula post mortem, sunt certa signa sanctitatis. 368. 2. Sunt signa, quæ facit Deus, ut significetur omnibus, quod Sanctis in æterna Beatitudine perceperint triumphum. 61. 1. 370. 2.
Miseri non sunt, sed Beati, qui patiuntur propter justitiam. 284. 2.
Misericordia in pauperes & afflictos, est hostia, quæ promeretur Deus. 95. 1.
Missa est Celebratio & Consecratio Corporis & Sanguinis Domini. 77. 2.
Missa Cathecumenorum. Illius tempore, D. Th. nè distraheretur, legebat libellum, etsi celebraret, interim cum cantaretur quidquam à choro. 8. 1.
Missam celebrat in honorem Stephani Proto-Martyris, contra persecutores suos. 18. 1. celebrat eam cum Pallio, præter morem, cum esset dies ferialis. *ibid.* Celebrabat autem festinanter 8. 2. Partim nè distraheretur: partim ut observaret illud legis: *Comedetis festinanter: est enim phase, id est transitus Domini. ibid.* In Missa solebat Episcopus Regi offerre pacis osculum. Pace composita, nè hoc fieret, Rex Angliæ Henricus, quia juraverat se nunquam D. Thomæ daturum osculum, curat Missam celebrari pro defunctis. 38. 1.
Moguntini Electoris in Papam fidelitas, zelus contra schismaticos. 91. 2.
Monachorum sacer Conventus regit Ecclesiam Cantuariensem. 4. 2. Conventus ille habet votum eligendi Episcopum, unà cum Provincialibus Episcopis. 5. 1.
Monachus quidam refert D. Thomæ, se in visione accepisse à Domino: si Thomas Monachum indueret, quod Dominum in negotiis propitium & coadjutorem mereretur. 6. 2. Thomas verò, quia non fuerat Monachus ante Episcopatum, existimat ideo se passum difficultates illas omnes. Didicerat enim, quod à prima fundatione, omnes ferè Episcopi fuissent Monachi, nec unquam accidisse scissuras in Regno Angliæ, nisi cum præesset aliquis Episcopus non Monachus. 28. 2. Ideoque, dum erat Episcopus, instanter petiit esse Monachus. Et obtinuit habitum à Papa. Et observavit vitam. *ibid.*
Monachorum misera sors. Culpa unius solet imputari toti Conventui. *Non enim dicunt insidiatores hoc fecit ille vel ille: sed, hoc faciunt Cantuariensis, vel Monachus.* 202. 1.
Mora trahit ad se periculum. 138. 2.
Mors D. Thomæ sæpè fuit intentata. 135. 1.
Morte in alterius spes tutò poni nequit. 126. 1. Præsertim innocentis, cujus diem prævenire voto, est species homicidii. *ibid. seq.* Mortis in periculo absolvi poterant Excommunicati Episcopi & alii: de consensu Papæ. Illi existimantes, quod transfretatio esset sufficiens mortis periculum, ad gaudendum beneficio absolutionis, transfretarunt de Mandato Regis: & ita absoluti sunt, sed invalidè. 236. 2.
Mortis & sepulturæ contemptus gloriosus est, qui fit pro libertate Ecclesiastica. 214. 1.
Morimur continuè. Vitam jactare futuram, non

non est sapientis. 71. 1.
Mortuos suos Episcopos lavare, & balsamo condire, solet Cantuariensis Ecclesia. 48. 2.
Mulieres fortes Deus excitat, dum viri deficiunt, dum Duces exanimantur, & Sacerdotes deserunt legem 357. 1. Sic Hester contrivit Holofernem. Sic mulieres secutæ sunt patientem Dominum: & Angelorum visu & alloquio honorari meruerunt, & percipere Dominicæ Resurrectionis primitias. *ibid.* His exemplis motus D. Thomas, mandat excommunicationis & suspensionis sententiam tradi Rogero Eboracensi Archi-Episcopo, in conspectu aliorum, per quandam nomine Idoneam. *ibid.*
Mundi regimen navi comparat Alexander III. *ibid.*
Mundus regitur à duobus: authoritate Sacra Pontificis, & Regia Regis. 99. 2.
Mundus blanditur illis quos prodit. 232. 1.
Munera pervertunt justitiam, & inclinant authoritatem. 234. 2.
Munerum commercio metuit Joannes Saresberiensis, nè fortuna excutiat D. Thomæ amicos suos. 80. 1.

## N

NAAMAM *Syrus* non peccavit in Templo Remmon. 127. 1.
Natura sumus filii iræ, non conditi; sed degenerati. 142. 2.
Nominales postponit Joannes Saresberiensis Realibus. 241. 2.
Nonæ Regiæ sunt dies precum Regales. 52. 2.
*Nosse seipsum*, etiam Apollinis oraculo, summam esse sapientiam, adeò celebris sententia est apud Philosophos, ut ei nemo veterum ausus sit refragari. 340. 2. de cœlo, ut ajunt, descendit Clyton, *scito te ipsum*. *ibid.*
Notorii & manifesti peccatores damnari possunt inauditi. 137. 1.
Novas leges onerosas introducere, est difficultas, non tuta Superiori. 196. 1.

## O

OBEDIENTIA est maximum mandatum, sine cujus custodia adulti non salvantur. 214. 1. Melior est quam victima. 159. 2. Obediendum usque ad mortem, exemplo Domini. *ibid.*
Obedientiam debitam divo Thomæ, scribunt Episcopi & Clerus Anglicanus. 132. 1.
Occasioni subversionis se exponere potest, qui certus est se posse esse sicut Loth in Sodomis, sicut Joseph in aula Pharaonis, sicut Chusai in colloquiis Absalon, Abdias in obsequio Jezabel, Daniel in Babylone. 127. 1. 168. 2.
Occultis pro peccatis ignorantiæ, sæpè punimur à Deo: estque tunc pœna duplex, cum & ipsa sentitur, & causa ignoratur. 226. 1.
Occulta putabat divus Thomas sua arcana omnia, & prædicabantur Romæ in plateis. 75. 1.
Occulta sunt plurima, quæ acta sunt in Causa D. Thomæ. 73. 1. Scribere non audebant omnia, & vix dicere: quia etiam illa quæ dicebantur ad aurem, referebantur statim ad Regem. *ibid.*
Opus calumniari dum non audent invidi, calumniantur intentionem, in D. Thoma. 93. 1.
Opera uniuscujusque testimonium perhibent de eo, sicut arbor ex nullo pensatur nisi ex fructibus. 127. 1. Opera nostra omnia sunt referenda ad Deum, ut benedictionem mereamur; quia *Beatus qui allidet parvulos suos ad petram*: id est, qui referet sua opera ad Christum, qui est petra nostra. 176. 2.
Oratio est commune suffragium 318. 2. Turris fortissima. 80. 1.
Orationes petit D. Thomas à persecutoribus suis, 139. 1. Eas petit Joannrs Saresber: tanquam ultimum refugium. 201. 1.
Orationes solebant petere ab invicem, in litteris suis 77. 2. 116. 2. 223. 1. 225. 2. 226. 2. 229. 1. 352. 1. 353. 1.
Orationes fiebant assiduè in Ecclesia, pro D. Thoma, ex decreto Summi Pontificis. 75. 2.
Orationes instituit curat D. Thomas pro Rege Angliæ, ut adsit ei spiritus pœnitentiæ & pietatis; cum præpararet se ad fulminandam, contra Regem, Excommunicationis sententiam. 147. 2.
Oramus conditionatè, ut Deus, si in invio sumus, nos reducat ad viam: si in via, quod credimus, perficiamus, & perducamus ad vitam. 226. 2. Sic orat Joannes Saresberiensis. *ibid.*
Ordinare Clericum ad nullam Ecclesiam, est contra Chalcedonense. 93. 2. Istjusmodi ordinatio est irrita. *ibid.* De similibus ordinationibus rectè conqueritur Imperatrix Mathildis. Ait inde oriri, quod non timeant perdere Ecclesiam, qui nulli sunt intitulati. *ibid.*
Ordinibus sacris initiati, inter Curiales non debent assumi. 357. 2. Episcopum in curia morantem, spoliari mandat Papa. *ibid.*
Ordinans indignum graviter peccat. 9. 2.
Ordinandos non esse rusticorum filios, sine assensu domini de cujus terra sunt nati, est una ex consuetudinibus Angliæ, quam toleravit Ecclesia per Alexandrum III. 59. 2.
Originales litteras non oportet confidere inimicis, sed earum transcriptum. 357. 1. Legatos Pontificis monet D. Thomas ut originales litterat non deferant in Angliam, quia solebant exploratores poni in littore, qui litteras hujusmodi intercipiebant. 328. 1.
Osculum est publicum, & celebre gentibus pacis signum. 275. 1.
Osculum pacis negat Rex Angliæ D. Thomæ, quia juraverat se id nunquam daturum. 35. 2. 275. 1. Juraverat autem publicè in conspectu Francorum, apud montem Martyrum. 344. 2. Thomas verò, omnium consilio, sine osculo negat se rediturum in Angliam. 250. 2. Quia osculum fuerat pacis signum statutum à Papa. 100. 2. quia negatio osculi merito suspiciebatur, ut signum non synceræ pacis. 250. 2.





## P

PALLIUM est Insigne Metropolitanorum, 6. 1. in Angliam mittit illud Papa ad D. Thomam. *ibid.* Ad summam instantiam Regis & Episcoporum. 136. 1.
*Parcere subjectis, & debellare superbos*, est gentilium eminentia Romanorum. Et est lex Christi, quam posuit in ore gladii Romani Pontificis 285. 2.
Parisiorum, & studiorum istorum temporum laus. Lætitia illius populi, reverentia Cleri, totius Ecclesiæ majestas & gloria, comparantur scalæ Jacob. 76. 1.
Pastor tempore persecutionis, fugere non potest 194. 2.
Pastorale officium nullo modo potest à nutu sæcularis Principis dependere. 208. 2.
SS. Patrum gesta non sunt scripta ut fabula sint narrantium: sed exempla morum, & forma vivendi. 270. 2.
Patrum vestigia qui detractat imitari, non poterit intrare Regnum, quo illi gaudent. 159. 2.
Paterno jure tenemur ad Christi obedientiam; qua non observata, puniemur justa exhæredationis pœna. Potest enim Pater exhæredare filium 136. 1.
Pati pro justitia, est præmium: quia talium est Regnum Cœlorum. 116. 1.
Patientia minus ordinata, plus vitii habet quam virtutis. 138. 2. Patienter agendum est, & constanter. 224. 1.
Patientia in tolerando quod Ecclesiastica invadatur à Principe, est negligentia: nihil est omittendum. Nè quidem timore confiscationis, exilii & mortis. Exemplo, præiverunt Dominus & Apostoli. 101. 2.
Pauperibus non est multum litigandum. 1. 5. 1.
Pauperes Christi qui deridet, deridebitur in judicio. Qui hoc sibi non persuadet, videtur existimare mortales non morituros. 117. 1. Illis benefacientes, publica Evangelii manet retributio, quam confirmavit Christus charactere Crucis suæ, & insignivit sanguine proprio. 185. 1.
Paupertas nihil habet durius in se, quam quod homines ridiculos faciat. 175. 1. In paupertate melius Christum sequimur, quam in divitiis. 176. 1.
Paupertas obligat, dum propter divitias, deberemus Deum offendere. Tunc enim urget Exemplum Joseph, qui pallium reliquit in manu mulieris impudicæ, & adolescentis, qui relicta sindone, nudus profugit à facie persecutorum Christi. 176. 1.
Paupertas humilis remuneranda quidem est, sed & superba est punienda. 360. 1.
Pax sperata solatium est bellantium. 71. 1.
Pax exoptabilis est, sed quæ nec simulata sit, nec momentanea. Illa ab adversatio pendet; hæc à Deo. 170. 1.
Pax humana non est diuturna. 11. 2.
Pacem veram, sicut Mundus nescit, sic solus Christus agnoscit. 252. 1.
Paci sæpe plus prodest mansuetudo, quam severitas. 255. 2.
Pacem Ecclesiæ Episcopi non prodendam acceperunt, sed custodiendam. 126. 1.
Pace pro communi, possit unus litigantium promoveri ut amoveatur. 204. 1.
Pax inter D. Thomam, & Henricum II. Angliæ Regem. Reges & Principes illi operam dederunt. 80. 1. 81. 2. Summus Pontifex, quater misit legatos. *Vide*. Legatos mittit Romanus Pontifex. Rex Angliæ tandem intelligens, quod Papa non parceret illi, sicut neque pepercit Frederico ex-Augusto: illicò pacem facit, non præsumens quidem mutire de Consuetudinibus suis. 341. 1. Admittit D. Thomam ad alloquium. Primus salutat, detecto capite, loquens familiariter, ac si nulla unquam fuisset inimicitia. Flent omnes præ gaudio. Mirantur Regem conversum die S. Mariæ Magdalenæ. *ibid.* Rex benignè audit D. Thomam corripientem & monentem, ut bona restituat, & filium, non benè coronatum iterum coronari faciat. *ibid. & seq.* Acquiescit. 342. 1. 345. 1. Tum D. Thomas equo desiliens, humiliavit se ad pedes Regis: Rexque visus illachrymari, arrepto scansili, coegit eum ascendere: rogans amicitiam pristinam restitui, sed coram aliis honorari. 342. 2. Rex & D. Thomas & alii, in omnibus omninò observabant præscriptionem Sedis Apostolicæ. 343. 1. Pax conceditur omnibus exulibus. 345. 1. Rex discedit à D. Thoma petita benedictione. *ibid.* D. Thomas manet aliquamdiu apud Regem, ut omnibus notum esset, quod pacem inivissent veram. 343. 1 Lætitia super pace. Gaudent Papa, cum Cardinalibus. 349. 2. & Episcopi. 351. 2. Verum Pax non fuit omninò syncera: prout probavit exitus. 352. 1. Non enim secutæ sunt restitutiones. *ibid.* Scilicèt facta erat Pax in prato quidem amœnissimo, sed quod ab incolis, ex antiquo, dicebatur *Pratum proditorum*. 102. 2.
Peccatum non dimittitur nisi restituatur ablatum. 100. 2.
Peccata sua delinquentibus annunciare tenetur Sacerdotes. 298. 1.
Peccator faciliùs desperat quam justus. 175. 2. Peccatoris omnia opera non sunt peccata. 215. 2. Peccator, in prosperis, longo tempore crescit, sicut arbor; sed quæ una hora extirpari potest. 158. 1. Peccator publicus publicè debet absolvi. 250. 1. Peccator nisi pœniteat, absolvi non potest ab ipso D. Petro. 213. 1.
Peccabiles qui non credit etiam maximos, Davidem respiciat, & Petrum & alios, & D. Thomam Cantuariensem. 13. 2.
Pecuniis suis Rex Angliæ corrumpebat plurima. 212. 2.
Pericula sunt cavenda. 168. 1.
Periculosum est inter impios esse pium. *ibid. seq.*
Persecutio parit favorem, gloriam & honorem. 70. 2. Sic D. Thomæ plus profuit turbatio, quam profuisset ei quietis continuatio. *ibid.*
Perjurii aut fidei læsæ judicium ad Forum sæculare pertinebat, non ad Ecclesiasticum, juxta unam ex Consuetudinibus Angliæ, quam damnavit

navit D. Thomas. 117. 2. & Alexander III. 59. 2.
Petro, non Principibus aut Regibus dictum est, *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*. Hinc infert D. Thomas, non ad Principes & Reges pertinere, sed ad Episcopos, tractare negotia Ecclesiastica, ad salutem animarum spectantia. 97. 2.
Petri in fide & Doctrina, totius Ecclesiæ consurgit structura. 118. 2.
Petrus non accepit claves, quibus possit impœnitentibus januam aperire. 213. 1. perseverantem in scelere & voluntate peccandi, non possit absolvere. *ibid.*
Petrus & Paulus non sunt occisi, quia erant Petrus & Paulus, sed quia non tolerabant vitia. 217. 1.
Philosophia res quærit, non verba. 172. 1. 241. 2.
Philosophum nil magis decet quam professio veritatis, justitiæ cultus, contempus Mundi & paupertatis, cum necessè est, amor 172. 1.
Pilatus consuluit Tiberium Cæsarem, an Christus, qui tot & tanta fecerat, deberet coli ut Deus? Imperator consulit Senatum. Respondet Senatus: esse quidem colendum; sed quia Provinciales ipsum ut Deum colere cæperant, inconsulto Senatu, jam colendum non esse. 368. 2.
Pietas in parentem est tam necessaria, ut impietas puniatur usque in generationes generationum. 159. 1.
Pœnam inter & culpam semper conformitatem esse aliquam, demonstratur exemplis, & Scripturæ argumentis. 142. 2.
Pœnitentiam examinat Deus ex contritione cordis. 294. 2; Sine hac nemo nocens absolvitur. 82. 1.
Pœnitentiam nullus debet erubescere. 139. 1.
Pœnitentia humiliari coram Deo, neminem debet pudere: nè quidem Reges. Antiquis enim Regibus, nihil magis ad gloriam adscribitur, quàm pœnitentiæ titulus legis Divinæ zelus, veneratio Sacerdotii, & fidelissima virtutum custos humilitas. Exemplo Ezechiæ, Josiæ, & Constantini. 92. 2.
Pœnitentiam nisi agat Rex Angliæ, minatur D. Thomas, quod qui rogavit Deum pro ejus conversione, orabit tandem: *Exurge Deus, & judica causam meam, memor esto Improperiorum tuorum, & injuriarum, quæ à Rege Anglorum & suis, tibi & tuis sunt tota die.* 99. 2.
Pœnitentia injuncta Regi Angliæ à Cardinalibus, quia propter ipsum occisus est D. Thomas, erat hæc: 1. *Ut in dispositionem Templariorum contra paganos, aleret per annum ducentos milites: singulis dans trecentos aureos.* 2. *Ut renunciaret Consuetudinibus.* 3. *Ut Ecclesiæ Cantuariensi pacem restitueret & bona.* 4 *Ut iret in Hispaniam, si Papa mandaret, ad liberandam illam à paganis. Ultimò, impositæ sunt Eleemosynæ & jejunia in secreto.* 52. 1. 367. 2. Deinde Rex extra ostium Ecclesiæ ductus est, ibique flexis genibus est introductus. *ibid.*
Pontiniacensis conventus commoditas. 65. 2. est Ordinis Cisterciensis. 30. 1. Abbati commendatur D. Thomas à Papa, alendus & fovendus exul. 28. 1. Religiosi benevoli sunt in D. Thomam. 140. 2. Quod advertens Rex, scribit ad illorum Capitulum generale, ut aut D. Thomam ejiciant, aut quod exterminabit omnes eorum domus ex Anglia. *ibid. Vide* D. Thomas.
Possessionem ut allegent aliquando novi juris; student Episcopi irrepere quocumque modo. 80. 2. Sed possessionem allegare alicujus facti, & inde jus prætendere, non semper licet. Quia fit aliquando professio, & agnitio Episcopi, etiam jubente Papa, sic tamen ut nullum ex hoc præjudicium generetur, nec occasione hujus facti, novum aut indebitum gravamen aliquod inferatur. Sic Clarembaldus Abbas jussu est agnoscere Episcopum Thomam. 108. 1.
Posteriora mandata derogant anterioribus. 42. 2.
Potestate ligandi & solvendi se privat, qui hanc pro sua voluntate, non pro subditorum moribus exercet. 122. 1.
Prædecessores nostri, ubi sunt? Ipsi laboraverunt, & nos in labores eorum successimus. Quid ulterius? Sic transit Mundus & ejus gloria. 100. 1.
Prædecessores suos allegabat Rex Angliæ, ut probaret se rectè facere. Pulchrè reponunt Carthusienses: Si antiqui Angliæ Reges hæc inconsulta & inaudita, contra Ecclesias quæsierint; Quærere non debuissent. 223. 2.
Prædestinatis omnia cooperantur in bonum. 225. 2. Pro prædestinatis sic orabat D. Thomas. *Persecutores nostros, si prædestinati sint, convertat Deus.* Et pro Imperatore Schismatico Friderico, orat Joannes Saresberiensis: ut si prædestinatus sit, Deus ipsum convertat: Si non sit prædestinatus, castigatione crudeli corruat. 172. 1.
Præscribi non potest adversus Legem Dei. 105. 1. Nec Evangelii. 231. 1. Hæc enim sempiterna est, solvi non potest. *Ibid.*
Præsumptionibus licitè innituntur Judices, in favorem Innocentis. 216. 2.
Primas soli Romano Pontifici obedire tenetur in Ecclesiasticis. 67. 2.
Principes leniendi potius sunt, quam exacerbandi. 145. 2. Cum illis debent Episcopi semper amare pacem. 69. 1.
Principes tam superioris quam inferioris ordinis, & reliqui populi, non obedientes Prælatis suis, in rebus Ecclesiasticis, declarantur à B. Clemente infames & excommunicati. 137. 1.
Principibus invadentibus bona Ecclesiastica, quid proderit apud Dominum, si ad hæredes transmittant peccata sua, & hos quasi adversarios Dei & Ecclesiæ constituant in Testamento, ut Deum, quasi hæreditario jure offendant? 92. 1.
Principali agenti quæ non licent, non licent etiam ejus Procuratori. 138. 1.
Principiis malis obstandum est. 269. 2. Nè alioquin ea quæ prius erant facinora, fiant præsumptuosa exempla. 211. 1.
Principium debile, solet melior comitari fortuna. 145. 2.



Principia vehementia cavere debent, qui student quidpiam reformare. *ibid.*
Prioratus non à Principibus, sed à personis Ecclesiasticis concedi debent. 200. 1.
Privilegiis Monasterio concessis à Romano Pontifice contraire, est Decretis Patrum & Ecclesiasticis institutis authoritatem non exhibere. 75. 2.
Professio semel facta, sic obligat personam, ut nulla status sui mutatione liberari possit, donec in alterius transeat jurisdictionem. 77. 1.
Professionem fidelitatis iterare qui cogitur, violatæ fidei argui videtur. 242. 2.
Promoveatur, ut amoveatur. 204. 1.
Propositum mutare sæpius, non est semper contemnendum, si fiat in melius. 297. 2.
Prosperitas nimia in hoc sæculo, videtur esse reservatio pœnarum pro peccatis nostris, in diem judicii. 73. 1.
Providentia Divina disponit omnia, bona & mala. 175. 2.
Puer quidam litteras tradit Regi Angliæ. Cumque juxta Decreta Regis, litteras à D. Thoma vel Romano Pontifice, nulli in Angliam introducere liceret, sub gravi pœna: Rogatur puer unde illas acceperit: Puer recusat fateri. Incarceratur. Aqua calida ei per os injicitur, & digiti apponuntur, ad eruendos oculos, usque ad effusionem sanguinis: donec confiteretur se recepisse eas à Magistro Herberto. 89. 2.
Pugna est gravissima, in qua qui vincit, vincitur. 175. 1.
Puniri quod non audiunt, plerique existimant licere. 225. 1. Punitur per quæ quis peccat. 149. 1.

## Q

QUÆSTIO dum movetur magni momenti, hoc ordine est procedendum. *Primo, quærendum quid Lex Dei præscribat. Quæ si nil certi exprimat, ad Canones recurrendum est, & exempla sanctorum. Quod si nec aliquid hic certi occurrat: explorenda sunt ingenia & Consilia sapientium in timore Domini. Illique, seu pauciores, seu plures sint, cæteris præferantur qui honorem Dei commodis omnibus anteponunt.* 159. 2.

## R

RADULPHUS de Arundel favet D. Thomæ. 201. 2. Litteras Apostolicas præsentat Ecclesiæ Anglorum in Capitulo, contra Mandatum Regis. 202. 2. Relegatur ideò. *ibid.*
Radulphus de Faja, Consiliarius Reginæ Angliæ, persecutor D. Thomæ, exacerbat illam contra hunc. 83. 1. Ingeniosæ comparatur vulpi. 185. 2.
Rati habitio mandato comparatur. 231. 1.
Remensium civium seditio, contra Archi-Episcopum suum nitentem imponere civitati novas & intolerabiles servitutes. 196. 1. Offerut Cives duo millia librarum conferre in erarium Archi-Episcopi, si pateretur eos vivere Legibus, quibus usi sunt à temporibus S. Remigii, Francorum Apostoli. 96. 1. Episcopus non acquiescit. Tum illi amicos ejus ejiciunt è Civitate. *ibid.* Ille ad Regem Franciæ recurrit. Succurrit hic; dirutis quinquaginta domibus, recedit. Cives, in ultionem, domos evertunt illorum, qui favebant Archi-Episcopo. *ibid.* Hic porrò implorat auxilium Comitis Flandriæ. Comes cum suis adsunt. Cives deserunt civitatem, eamque sic evacuant, ut mille milites Flandrenses, quos Comes adduxerat, peritent pœnè inedia. *ibid.* Archi-Episcopus paciscitur cum suis; relinquit eis Leges antiquas: & recipit quinquaginta libras, in compensationem damnorum: post multas turbas concludens ignominiosam pacem. *ibid.* Et sic Remensis sedata est seditio. 208. 1.
Remense ad Concilium Papa convocat Episcopos Angliæ. Stephanus Rex non vult; mittitque Episcopos tres, qui excuset reliquos. Cantuariensis verò Episcopus solus obedit Papæ, contra mandatum Regis. 146. 2.
*Regalia*: id est jus recipiendi omnes reditus & exitus tamquam Dominicos, tempore quo vacabat Archi-Episcopatus, Episcopatus, Abbatia, vel Prioratus de Dominio Regis: Item, quod quando erat consulendum Ecclesiæ, Rex mandabat potiores personas Ecclesiæ, & de Regis assensu in illius Curia fieret electio, & electus præstaret homagium & fidelitatem Regi de vita sua & membris, & de honore terreno, salvo ordine suo, antequam consecraretur: erat una ex præterensis Consuetudinibus Angliæ. 59. 1. Quas Rex vocavit *dignitates Coronæ suæ.* 270. 2. 272. 1. Quas proposuit Synodo Nationali, quam in hunc finem congregavit apud Clarendonam. 13. 2. Quas ibidem admiserunt & juraverunt Episcopi. 14. 1. Quas defendunt coram Papa, rogantes eas confirmari. 139. 2. Sed quas Papa damnavit. 182. 1. Quas D. Thomas cassavit. 117. 2. Quas damnaverunt Patres, ante D. Thomam, *ibid.* propter quas exulavit D. Thomas per septennium, & tandem glorioso affectus est Martyrio. 58. 1. *Vide* consuetudines Angliæ. Hoc autem punctum erat præcipuum, cui se opposuit D. Thomas. 275. 1. Usurpationes bonorum similes, vocans rapinas. *ibid.* Protestans quod si hoc punctum solum superesset, mallet tameo mori quamcumque mortem, quam illi cedere. 241. 1. Fuit autem Regalia hæc, *primum punctum* cui se opposuit D. Thomas. Cum namque vacarent duæ Sedes Episcopales, Vigornensis & Herefordensis: Priore Episcopo mortuo, posteriore translato ad Sedem Londoniensem; Rex Episcopatus diu vacare fecit: *More prophano*, QUASI CHRISTO PROSCRIPTO, FISCO APPLICANS DOTEM VIDUARUM, CRUCIFIXI PATRIMONIUM, CALAMITOSORUM REFRIGERIA, ET EGENORUM SUBSIDIA. 10. 2. Tum D. Thomas amicissimum suum Regem, monere cœpit, rogare, increpare: expo-

exponens illi pericula, tam in temporalibus quam spiritualibus. *ibid. Vide* bona Ecclesiastica. Bona quidem Ecclesiastica licitè distrahuntur si concessum sit à Romano Pontifice. 66. 2. Sed jus percipiendi ista bona nulli potest Laico competere. 82. 2. 236 2. 237. 1. 276. 2. 130. 1. 81. 1. 117. 2. 241. 2. Jurare autem fidelitatem Regi, salvo ordine, est licitum. 298. 1. 299. 1.

*Regalia* pro ea parte qua est jus conferendi beneficia, quibus non est annexa cura animarum, fuit similiter prætensio Regis Angliæ, damnata. Beneficia conferebant Laici in Anglia passim, & investiebant Clericos, sua authoritate. 309. 2. Tam dantem quam accipientem, excommunicat D. Thomas. 261. 1. 2. 324. 1. & Alexander III. pronuntiat utrumque esse anathematizatum juxta patrum instituta. 309. 2. Similes collationes *authoritate D. Petri* cassat & irritat. Mandans sub excommunicatione, ut & fructus restituantur & beneficia. *ibid. Vide* Beneficia Ecclesiastica. Thoma Exulante, moritur prior Cantuariensis. Monachi, ac si Sedes exulis vacaret, recurrunt ad Regem. Rex Priorem constituit 199. 2. audiens hoc Joannes Saresberiensis: sic scribit: *Unde exordiar? unde Spiritus tristis & alieno consternatus errore, verbi sumet initium? .... missis ad Regem, ut*, QUOD AD EUM NON PERTINET, *Priore mortuo, vobis alium subrogaret. Quid aliud quæso fecit Israel absente Moyse, ab Aaron expetens ut Deos fabricaret, .... extorquens caput bovis pro numine, & pro Majestate adorans Idolum? ibid.* Videtur autem insuper Rex voluisse conferre curam animarum. 200. 1. Sic suspicatur ibidem Joannes, contra hoc magis invehens. *ibid.*

Reginaldus Cancellarius. 114. 1. Fit Episcopus Coloniensis, Schismaticum Instrumentum contra Alexandrum III. 102. 1. sceleratus, perfidus, & crudelis magister schismatis. 114. 1. Nec reverentiam Dei, nec hominum verecundiam habens, insanit & sævit adversus Deum, & Ecclesiæ unitatem: Incentor & Author Schismatis, præsumptor Ecclesiæ, maximus inter locustas, quarum potestas est in linguis & caudis earum. 171. 1. Inducit Fredericum Imperatorem ut consentiat & foveat Schisma. 114. 1. Quin & Imperator destitisset, nisi Reginaldus excitasset. 171. 1.

Rex Angliæ scribit se paratum consentire Schismati, nisi Alexander Tertius confirmet suas Consuetudines: rogatque confœderari cum Imperatore. 102. 1. Exultat Reginaldus: sic argumentans: vel Papa non confirmabit illas Consuetudines, & Regem sentiet adversarium, vel confirmabit: & tantò major ejus erit confusio. *ibid. seq.* Adducit Legatos Regis Angliæ ad conventum in Wiceburck, nomine Regis juraturos in schisma. 104. 1. Cogitur ab Imperatore primus jurare, reluctans, sed correptus super astutia sua. *ibid.* Nondum erat ordinatus, cogitur ordinari à Schismaticis, quorum criminis erat author. *ibid.* Nam antequam Imperator admisisset Paschalem Antipapam, & litteras distribuisset: Reginaldus authoritate sua sollemniter, cecinit, *Te Deum laudamus. ibid.* Imperator eum ideo proditorem appellat. *ibid.*

Reginaldus nominatim excommunicatur à Sede Apostolica. 173. 1. Convocat milites, accingitur ut eat in Italiam contra Pontificem. Corripitur duplici tertiana. 128. 1. Vovet, si convalescat, pacem suam se commissurum Regi Franciæ. *ibid.* quem per contemptum consueverat appellare *Regulum.* 171. 2. Moritur. 208. 1. Regnum poni sub interdicto, est interdici in Regno omne Officium Ecclesiasticum. 36. 2.

Regnum & Sacerdotium firmant sese mutuo. 111. 2. non sunt confundenda. 87. 2. Nam Potestates duas ordinavit Deus, Regnum & Sacerdotium. Huic dedit potestatem, illi reverentiam: qui verò huic vel illi de suo jure substrahit, Dei ordinationi resistit. 125. 2. Sacerdotium autem est superius. 169. 2. Mutuam sibi reverentiam, mutuam debent charitatem. 111. 2. Nam Rex & Sacerdos sunt duo Cherubin, obumbrantia Propitiatorium debentque sese mutuò diligere, sicut Cherubin non possunt faciem à se mutuò avertere. 149. 2.

Repulsam necessariò patitur, qui in petitionibus nescit modum. 214. 1.

Resistendum est impils, quia fides ubi periclitetur, & Dei pietas annullatur, ibi impium est non esse pium, malè enim fidelis est, qui fidei jura non servat. 89. 1.

Revocant interdum Romani Pontifices Privilegium, quod lapsu memoriæ inadvertenter est concessum. 118. 1.

Regis consecratio, sicut alia sacramenta, nulla sunt aut valida, si contra jus collata. 342. 1.

Regis boni descriptio, ex Elogio Regis Christianissimi, Ludovici VII. 228. 2.

Reges unguntur tribus in locis. In Capite, quod significant gloriam: In pectore, quod scientiam: In brachiis, quod significat fortitudinem. 97. 2.

Regibus Regnum datur à Deo. 202. 2. Idest eorum jura & privilegia sunt à Deo. 98. 2. Potestatem vero suam, inquit D. Thomas, accipiunt ab Ecclesia: Ecclesia à Deo. 97. 2. Et eo titulo sunt filii Ecclesiæ: nam per consecrationem Episcopalem promoventur ad Regnum. 250. 2. *Proinde Rex à Papa deponi potest, si sufficienter deliquerit. Auferri ei potest Regia dignitas, absolvi possunt subditi ab ejus fidelitate.* 230. 1. *Vide* Romani Pontificis authoritas in Regna. Rex Angliæ quia dici volebat filius Ecclesiæ, Rex Catholicus, &c. Convincit D. Thomas, convenire ipsum à Sacerdotibus discere, non docere. *in Ecclesiasticis* sequi, non præcedere: sicut filius non subjugat Patrem, nec discipulus Magistrum. 98. 2. Hortandi sunt ergo ut pii sint erga Ecclesiam. 87. 2. Regis honor judicium diligit. 312. 2.

Rex mendax, est res turpis. 221. 2.

Regum motus deliniendi sunt ab Episcopis, pro temporum qualitate. 67. 2. Nè detur ansa exacerbationis. *ibid.* Superandi potiùs sunt mansuetudine, quam violentia, quamdiu fieri potest.



potest. 87. 2. Possunt illis Episcopi occurrere, sed salva offensa Ordinis sui, Dei & Ecclesiæ. 138. 2. Et eo modo est Regibus deferendum per omnia. 67. 2.

Regibus autem quamquam sit obtemperandum, quia reddenda sunt Cæsari, quæ sunt Cæsaris, in illis tamen obtemperandum non est in quibus efficitur nè Rex sit. Videlicèt dum fit Tyrannus. 79. 2.

Reges quos elegit Dominus, glorificavit, & amplificavit, ingrati sunt Deo, si Potestate accepta abutantur ad afflictionem Ecclesiæ, & Ecclesiasticarum personarum. 99. 1.

Reges qui Clericorum judicia usurpant, usurpant quæ sunt Jesu Christi, in extremo examine, consimili judicio judicandi. 87. 2.

Rex non potest deponere minimum Clericum. 24. 2.

Regis non est Episcopis præcipere, vel excommunicare, trahere Clericos ad Sæcularia examina, judicare de Ecclesiis vel decimis, interdicere Episcopis nè tractent causas de transgressione fidei vel juramenti: ut habebant Consuetudines Angliæ. 97. 2.

Reges usurpantes Ecclesiastica sunt à Deo puniti. 99. 1.

Rex non salvabitur per multam virtutem, etsi subdantur ei Regna & Nationes, nisi se submittat judicio Ecclesiæ: Nam dicitur in Deuteronomio: *Homo quicumque fecerit, ut non exaudiat Sacerdotem aut judicem, morietur.* 125. 2.

Reges oportet contentos esse his quæ competunt Christiano, & Regi Regum sua Privilegia illibata relinquere. 314. 1.

Reges qui invadunt Ecclesiastica bona aut judicia, recordari debent, quomodo Rex Onias, dum thurificare voluit & Sacerdotis Officium usurpare, fuerit percussus lepra. 88. 1.

Regem invadentem Ecclesiasticam libertatem, Joannes Pictaviensis Episcopus non dubitat appellare tortorem. 65. 2.

Reges incurrunt pœnas Canonum æquè ac alii, dum violentas manus injiciunt in Sacerdotes Christi, Ecclesias spoliant possessionibus & libertate. Nam Canones nec Potestatem excipiunt nec Primatum, sed pariliter peccantes, pari condemnationis pœna percellunt. 224. 2. Immò Principes primò puniuntur à Lege Dei: sicut quando Israel cum Madianitis fornicatus legitur, dicit Deus: *Tolle cunctos Principes populi & suspende eos contra solem, in Partibus. ibib.*

Regem delinquentem excommunicari posse, erat sententia omnium, etiam faventium Regi Angliæ: sed negantium Regem deliquisse, ut concluderent eum excommunicandum non esse. 133. 2.

Reges decessores quamvis exegerint aliqua ab Ecclesiis, non sequitur quod successores exigere possint. 92. 1.

Regibus revelari omnia secreta Ecclesiastica ab Ecclesiasticis ipsis, duram & pessimam servitutem esse, lamentatur D. Thomas. 73. 2.

Regibus quod placere malint Ecclesiastici quidam quam S. Sedi, provenit ex eo quod magis quærant quæ sua sunt, quàm quæ Jesu Christi. 74. 1.

Regibus imputantur mala omnia, quæ scientes permittunt, & committunt fieri à suis. Alioquin David non erit reus sanguinis Uriæ. 231. 1.

Regum corda sunt in manu Dei, convertit illa dum vult. 35. 1.

Regum filii puniuntur sæpè pro delictis paternis. Sic Roboam est Regno ejectus, pro delictis Salomonis. 88. 1.

Regis Angliæ Regnum nè scindatur in prole sua, in pœnam contumaciæ, metuit Joannes Saresb. 151. 1.

Reges Angliæ quando consecrabantur & ungebantur, ponebant super Altare scriptam professionem, de servanda Ecclesiæ libertate. 98. 1.

Rex Angliæ Wilhelmus Angliam subjugavit. Coronatur ab Episcopo Eboracensi, quia Ecclesia Cantuariensis erat destituta Antistite. 341. 2. Wilhelmus Rufus, hujus Wilhelmi filius, coronatur à Lanfranco Cantuariensi Archi-Episcopo, præsente, nec contradicente Eboracensi. *ibid.* Henricus I. coronatur à S. Girardo Herefordensi Episcopo, tamquam suffraganeo S. Anselmi Archi-Episcopi Cantuariensis Exulis. Reducem Anselmum accedit, tradens Diadema, rogans coronari: petens sibi non imputari, quod factum est in ejus absentia, necessitate urgente. *ibid.* Archi-Episcopus approbat factum, & Regi Coronam imponit. 342. 1. Rexit circa XXXVI. annos. *ibid.* Stephanus coronatur à Wilhelmo Cantuariensi Archi-Episcopo. *ibid.* Rexit annis XIX. *ibid.*

*Rex Angliæ Henricus II.* è Duce Normanniæ & Aquitaniæ succedit Stephano. 3. 1. Titulo adoptationis. 342. 1. Nam Regnum ab Henrico I. transiit in aliam familiam. Sed multum operante Theobaldo Archi-Episcopo Cantuariensi, Henricus II. illius nepos, adoptatus fuit à Stephano. *ibid.* Coronatur à Theobaldo. *ibid.* Juvenis Rex consuetudinem habet cum muliere pulchra in Villa Stafordiæ. 3. 1. Ab Eudone Brytonum Comite, affine suo, in pacis obsidem recipit Eudonis filiam, illamquè impregnat. Eudo Regem arguit tamquam proditorem, adulterum, incæstuosum. 196. 2. Ejus laus à dotibus naturæ. 121. 2.

*Regis Henrici fortuna prospera.* Ejus divitiæ, victoriæ & triumphi. 297. 1. Habenas Regni ejus Deus multipliciter dilatat. 223. 1. Potentia & gloria superat Reges reliquos. 243. 1. Astutiam ejus reformidabant remoti, Vicini potentiam, severitatem subditi. 110. 2. Crebri verò successus & fortunæ gratia, fecerant eum tam delicatum, ut quidquid non obsequebatur ad nutum, duceret injuriam. *ibid.* Energica hominis descriptio. *ibid.* Quærebat potius gloriam, quam proventum: *Quod in Principe posset satis commendabile reputari, si gloriæ materiam virtus & veritas, non vanitas & dulcis meretricum adulatio compararet*: ait Ernulphus Lexoviensis Episcopus. 110. 2.

*Regis persecutio quomodo exorta sit.* Sui adulatores, Regi proponunt quod nullus Prædecessorum ejus habuisset tantas vires atque amplitudinem ac ipse: adeòque honoris ejus esse, ad statum Regni conservandum, undequaque bona colligere: etiam Ecclesiastica. Maximè quia juxtà consuetudines Angliæ

Angliæ id licebat. 111. 1. Regi placet honor & gloria. *ibid.* Episcopatus permittit diu vacare, fisco suo adscribens bona Sedis vacantis. 10. 2. Opponit se D. Thomas. *ibid.* Deinde solebant pecunias aliquas colligere, quas impendebant tuitioni Patriæ. Rex adscribere nitebatur eas fisco. Opponit se D. Thomas quia illæ pecuniæ secundum arbitrium dabantur: non poterat Rex pro reditu computare. 11. 2. Tertium accessit. Sacerdos quidam homicida damnatus erat ab Episcopis ad exauthorationem & perpetuum Monasterium. Rex similes Clericos delinquentes etiam mutilari voluit. 11. 2. Opponit se D. Thomas. 12. 1. Tum Rex exegit observationem omnium suarum Consuetudinum. *ibid.* 2. Respondent Episcopi servandas salvo ordine suo *ibid* Discedit Rex iratus, insalutatis omnibus. *ibid.* Citat omnes apud Clarendunam. 13. 2. Illic omnes succubuerunt usque ad D. Thomam ipsum. 14. 1. Sed Thomas facti pœnitens, resipuit. 14. 2. Convocat Rex Episcopos, apud Northantune. 16. 2. & illic Thomas perverti non potuit. 18. 2.

*Regis persecutio flagrat.* Omni populo, tam Clericali quam sæculari, jurandas mittit consuetudines & servandas. 72. 2. Appellantes ad S. Sedem, mandat captivari. *ibid.* Edictum violentum extat. 59. 2. Quisquis Papæ vel D. Thomæ litteras ferret in Angliam, puniendus erat tamquam proditor. *ibid.* Violentiæ ejus pro Consuetudinibus illis. 303. 1. Pronunciat suum publicum hostem, & Regni & honoris sui inimicum esse, quisquis attentabit minuere vel impedire suas consuetudines. 203. 2. occupat bona Ecclesiastica tempore Sedium vacantium. 31. 1. quanta bona invaserit Ecclesiastica. 285. 2. Ejus crudelitas adversus Ecclesiasticos. 205. 1.

*Rex Angliæ incipit deficere.* Non videns quod malitia suorum, armari non posset contra Deum, 150. 2. Incipit deficere. 148. 2. Ex quo surrexit contra Ecclesiam, ejus potestas incipit minui. 168. 2. Undique habet Bella. 218. 2.

*Rex Angliæ labitur in schisma.* Communicat Frederico Ex-Augusto excommunicato. Papa conqueritur. 84. 1. excusat quidem se Rex, affirmans se ignorasse, quod ille excommunicatus fuerit: 85. 1. verum cum Imperatore confœderatus fuit in schismate, dudum antè. 105. 2. Nam Legati ejus juraverunt publicè, illius nomine, in conventiculo Wiceburgensi, quod Paschali adhærerent, & Alexandrum rejicerent. 103. 1. Negat hoc quidem Rotrodus Rothomagensis Episcopus, rogans Henricum Cardinalem, ut hoc Papæ significet: 121. 1. Verùm extat perfida Regis Epistola, qua diu mente conceptum facinus aperit Coloniensi schismatico. Protestans quod diu studuerit occasionem reperire, schisma perficiendi. 102. 1. Jubet tandem ejurari nomen Alexandri tertii. 31. 1.

*Rex Angliæ qualiter egerit cum Papa.* Diligebatur à Papa propter multa, quæ contulerat aliquando Ecclesiæ beneficia. 87 2. Papam eum moneri jubet per Londoniensem & Herefordensem Episcopos, ut à pravis actibus desistat, & pro illis satisfaciat. Deum diligat, Matremque suam Romanam Ecclesiam veneretur. Non impediat appellationes, restituat D. Thomam, immobilis consistat in reverentia *D. Petri.* Ecclesiasticas personas non gravet, sed protegat, *Ut temporale et Regnum conservet Deus in terris, æternum daturus in Cœlis.* Monetur per dictos Episcopos. *ibid.* 2. Quod Papa ulteriùs in patientia sustinere non possit. Quod nisi errata corrigeret, iram Dei incurret, qui Regnum ejus diu stare non permittet; sed qui humilem exaltavit, è Regno dejiciet. *ibid.* Hæc monita humiliter & modestè suscipit Rex: respondens ad singula. Revereri se S. Sedem, agnoscere Alexandrum Patrem: indignatum se tamen utcumque, quia in omni fermè petitione repulsam passus sit. *ibid.* (Petiverat nempe confirmari suas Consuetudines. 67. 2.) Cetera in quibus erravit, correcturum, si juri vel honori Pontificis præjudicetur in aliquo. 85. 1. iterum monetur à Papa per Rothomagensem Archi-Episcopum. 114. 2. Rex verò non exaudit devotas preces Pontificis, nec Regis Franciæ. 147. 1. Incipit dicere, se modicum formidare minas Papæ. 89 1. Eo usque jam venerat, ut spem suam poneret in morte Papæ, vel D. Thomæ. 89. 1. 212. 1. 166. 2. Persuadens Papam capiendum ab Imperatore Frederico. 126. 1. Sed ita deceptus etiam fuit Achab. *ibid.* 7. Asserens se nunquam suscepturum ejus successorem quemlibet, nisi prius confirmasset consuetudines Angliæ. 166. 2. Studet corradere bona Papæ, ut sustentari nequiret in Urbe. 128. 1.

Rex conqueritur quòd Papa eum vocet persecutorem, & gravatorem. 202. 2. Queritur se proditum à Papa. Minatur se recessurum ab eo, nisi de D. Thoma faciat justitiam. 189. 2. Mitigatur. Scribit Papæ se paratum permittere ut D. Thomas redeat. Papa gaudet. 244. 2. Qui appellationes nitebatur evertere Romanas, ipse appellat ad Sedem Romanam contra D. Thomam. 145. 2. Devotissimè & humillimè rogat & supplicat tamquam filius Patri, ut eximatur à potestate D. Thomæ. 266. 2. Scilicèt non timebatur ampliùs ne fieret Schismaticus: Quia ita subactus erat Regi Christianissimo, ut ab obsequio ejus non posset separari. 302. 1. Recipit à Papa Comminatorias, & paulò post, mitiores. Diu ridet & irridet Epistolarum varietatem. 299. 1.

*Rex Angliæ habebatur tamquam excommunicandus à Papa, & deponendus.* Illum deponendum à Regno sicut depositus fuerat Fredericus Ex-Augustus, Catholicorum exulum spes erat ultima & unica. 230. 1. Eum excommunicandum habebatur tam certum, ut jam non nisi de die ferendæ Censuræ conjiceret. 153. 1. Illum excommunicandum probat D. Thomas, quia Lupus ab ovili facilè non arcetur, nisi clamore Canum terreatur, & baculo. 146. 2. *Pontificum plures, alii Reges, alii excommunicaverunt Imperatores* (ait D. Thomas ad Regem) considerandam relinquens illi consequentiam. 99. 2.

Rex enim erat istius genii, ut non posset nisi suppliciis emendari. 286. 2.

*Rex Angliæ qualiter se gesserit audiens sibi imminere excommunicationem.* Multoperè illam metuit, & interdictum sui Regni. 166. 2. Adeò ut, cum audiret certò certiùs, sententiam illam pronuntiandam, illicò acquieverit, Papæ obediens. 277. 1.



277. 1. *& vide Pax.* Erat autem excommunicatus ipso facto. 224. 2. Et in Aula ejus vix ullus erat, quin esset excommunicatus, vel ex nomine, vel, ex participatione. 32. 2. Metuens nè sententia ferretur, anteà curaverat omnes portus custodiri diligenter; mandans ferentem, si quis esset, puniri severè. 60. 1.

*Regis doli & insidiæ, astutiæque.* Describuntur. 326. 2. *usque.* 328. 2. Duplicitas cordis ejus fraudulenta. 146. 1. Quidquid facit, omnibus est suspectum. 225. 1. In omnibus ferè verbis suis, est sophisticus & captiosus. 275. 1. In omnibus propositionibus pacis utitur stratagemate. 33. 2. Tam astutè scribebat per anfractus & dolos, ut videretur Libertati Ecclesiasticæ concedere omnia, & nihil minus concedebat. 274. 1. Habebatur communiter deceptor: nudo verbo ejus fidem habere, stultum reputabat Rex Franciæ. 222. 1. Erat tam mendax, ut Vivianus Legatus, diceret se nunquam vidisse vel audivisse mendacem talem. 273. 2. Ait semper se affectu paratum obedire, & effectu volebat mordicus manu-teneri suas Consuetudines. 140. 2. Pollicetur se nihil agere nec acturum contra Libertatem Ecclesiæ, manetque interim in possessione Consuetudinum suarum. 140. 1. 142. 1. Obtinuerat à Papa quod D. Thomas non posset ferire Regnum ejus donec in gratiam rediisset. Gloriabatur: gratiam suam differens ad Calendas Græcas. 304. 2. Tristatur D. Thomas supra modum. *ibid. seq.* Gallicana scandalizatur Ecclesia. 325. 2. Et Rex Franciæ. *ibid.* Regina. *ibid.* Remense Capitulum cum suo Episcopo. 307. 2. Et Ecclesia universa. 306. 1. Gloriabatur quod Dominum Papam & omnes Cardinales habebat in Bursa sua, seque consecutum Privilegium Avi sui, qui erat *Rex, Legatus Apostolicus, Patriarcha, Imperator, & omnia.* 176. 2. Gloriabatur quod de Romana triumphasset Ecclesia. 212. 1.

*Rex qualiter egerit cum D. Thoma.* Audiens sanctitatem D. Thomæ, quem de Cancellaria promoverat ad Episcopatum, exultat. 10. 1. Sed reluctantem admittere suas Consuetudines pravas, frustra precibus aggreditur & promissis. 13. 1. Ut palliaret rapinam suam Bonorum Ecclesiasticorum, prætendebat à D. Thoma quadraginta quatuor millia Marcarum argenti, ratione redituum, qui fuerant ei commissi, quando adhuc egit Cancellarium. 180. 1. Thomas verò, qui nil Regi debebat, videns, emendari Regem non posse nisi ferula, parat se ad excommunicationis ferendam sententiam. 149 2. Quam distulerat, exspectans si fortè Divina inspirante gratia resipisceret. 118. 1.

Rex verò audiens, quod D. Thomas excommunicationis viam meditetur ingredi, LACHRIMATUR: dicens: THOMAS MIHI CORPUS ET ANIMAM AUFERT. 149. 2. Qui tam generosus fuerat, Interdictum metuebat & Anathema. *ibid.* Summa querelarum contra D. Th. erat, quod per excommunicationem quasi voluisset Regem exhæredare. 203. 2. Rex infirmatur. Hæcque est causa, cur distulerit D. Thomas eum excommunicare. 150. 1. Exhibentur Regi litteræ D. Thomæ, quibus Papa significabat se præparare Anathema in Regem. Indignatur Rex cum suis, irasciturque vehementer. 164. 2. Adeò odit D. Thomam, ut nulli liceat loqui bene de illo, in suo conspectu. 241. 1. 90. 1. Dedignatur eum appellare Episcopum, sed *Thomas*, inquit, *qui fuit Cancellarius.* 228. 1. *Ille proditor, & adversarius meus.* 266. 2. Arguit D. Thom. quod excitaverit Regem Franciæ ut bellum ei indiceret. 191. 1. 192. 1. Sed falsum id esse jurat Rex Franciæ. 192. 1. 194. 1. Optabat D. Thomam vel deponi ab Episcopatu, vel transferri: & ut hoc fiat, offert Mediolanensibus tria millia Marcarum. 287. 1. Item offert illis reparare muros suos. Cremonensibus offert duo millia Marcarum. Parmensibus mille, Bononiensibus totidem. Offertque Domino Papæ, quod liberabit eum ab omnibus exactionibus Romanorum, & insuper quod dabit Papæ decem millia Marcarum. Quodque permittet Papam in Anglia ordinare ad lubitum tempore Sedis vacantis. Et in hunc finem utitur opera Regis Siciliæ: sed frustra. 250. 2. Conqueritur quod D. Thomas spontè exulaverit: redeat spontè, sicut ivit. 204. 1. Juraverat se D. Th. numquam daturum oculum: vultque juramentum servare, etsi esset illicitum. 322. 1. Papa absolvit eum ab obligatione hujus juramenti. *ibid.*

*Rex qualiter egerit cum suo Filio Henrico Primogenito.* Pater Filium suum coronari cupit se vivo. Desiderat aliquem à Papa mitti, qui eum coronet. 278. 2. Vult eum Coronari per Archi-Episcopum Eboracensem. 313. 2. Papa iterato mandat, ut non coronetur nisi per Archi-Episcopum Cantuariensem, utpote totius Angliæ Primatem. 313. 1. *vide* Coronatio. Rex autem apud Londoniam, Filium suum donat cingulo militiæ: eundemque statim Eboracensis coronat. 337. 2. 36. 1. Pater in mensa servit Filio, Rex Regi. *ibid.* Pater Partes Transmarinas regebat filius Cismarinas. 43. 2. Pollicetur, post pacem, filium suum denuò coronandum à D. Th. 36. 1. Pœnitet verò Patrem, quod filium Regem creaverit, quem sentit rebellem, Absolonem, durum crudeliter persequentem Patrem suum. *ibid.*

Rex introducit Legatos Pontif. honorificè. Confert cum eis & Episc. aliis atque Abbatibus, per horas duas. Educens illos & valedicens, publicè, & Cardinalibus Legatis audientibus dicit, *Utinam numquam ampliùs videat oculus meus aliquem Cardinalem.* 180. 1. Lachrymans rogat Legatos ut intercederent apud D. Papam, ut liberetur à D. Thoma *ibid.* 2. Collachrymatur ei Wilhelmus, unus è Legatis *ibid.* Otto alter Cardinalis vix potest à cachinno abstinere. *ibid.* NIL ALIUD PETEBAT, NISI CAPUT D. THOMÆ IN DISCO. 181. 1. Agens de pace cum Ottone, proponit illas tantùm Consuetudines quas Antecessores suos habuisse constiterit juramento centum hominum de Anglia, centum de Nortmannia & centum de Andegavia 240. 2. Quod si nec hoc placeret D. Thomæ, se paratum stare judicio trium Episcop. Cismarinorum, & trium Episcop. Angliæ. Quod si nec istud: stabit judicio D. Papæ. Eo salvo, ut non exhæredentur Liberi ejus. *ibid.* Bona autem Ecclesiastica negat se habere. Affirmat expensa omnia in usus Pauperum & Eccles. Hinc re infecta discedunt Legati, 241. 1.

Recipit Litteras Papæ, quibus significantur venire Legati secundi. Turbatur. 246. 2. Legatos recipit cum multo honore, reverentia & humilitate. *ibid.* Recè Filius Regis adveniebat cum cervo capto, hunc totum obtulit Legatis. *ibid.* Agnoscit se Legatos hos, licet portarent sibi contraria, tam honorificè excepisse, *pro devotione debita Romanæ Ecclesiæ*. 257. 2. Sed brevi Rex solus exit iratus, videns se nihil obtenturum. 246. 2. Contumaciter dicens, *per oculos Dei ego faciam aliud*. *ibid.* Corrumpere eos studebat pecuniis 275. 2. 276. 1. Tandem post multa privata colloquia, cum Cardinalibus, Episcopis, & Abbatibus, acquiescere vult judicio Cardinalium. 190. 1. Legatis quartis promittit omnem pacem. 337. 2. 339. 2. Sed iterum retrahitur, absolutis suis ab excommunicatione, procurans dilationem pecuniis, & per Nuntios apud Papam, inter alios per Manuelem Imperatorem Orientis. 335. 2.

*Rex qualiter fuerit cum Episcopis suis*. Regi non imputanda fuit D. Thomæ persecutio potius quam Episcopis: Ille erat Minister, hi repertores. 80. 1. Ille acquievisset, nisi hi instigassent. *ibid.*

Rex Angliæ sollicitabat Episcopos ut eum subverterent: eum ipsi subvertebant. 143. 1. Excusant eum Episcopi adhærentes. 123. 1. 139. 2. Sed excusabant quidem, & excusabilis non erat ullo modo. 125. 1.

*Rex qualiter tandem consenserit Paci*. Pacem Rex Angliæ providebat, sed à longè, quia præsentialiter omnia turbabat. 142. 1. Proponit pacem cum clausula, *Salvis Dignitatibus suis*. Pax fraudulenta. Per Dignitates intelligit Consuetudines suas damnabiles. 251. 1. Clausulam nolunt admittere Legati & D. Thomas, qui sciebant venenum quod latebat. Rex appellat ad Papam. 255. 1. Vocat D. Thomam proditorem, perfidum, exprobrat Papæ obsequia præterita: &, si Papa occurrerit, pollicetur futura: comminans se aliter honori suo prospecturum, nisi Papa se audiat. *ibid.* Incipit formidare, videns quam fortiter excommunicati sint consultores sui amici. 287. 1. Verbo & scripto se obligat ad exequenda mandata Papæ. *ibid.* 2. Sed eo ipso quò facta est vox comminationis Apostolicæ in auribus ejus; qua intellexit quod subjiceretur Terra ejus interdicto, & cum illo ageretur, sicut egerat Supremus Pontifex cum Frederico, quem deposuit ab Imperio, Regiam illi auferens Dignitatem, sine discrimine pacem facit. 345. 2. 348. 1. Promittit quòd nec jota nec apicem præteriret, quin, quæ Papa mandat, penitùs adimpleret. 347. 1. Deponit generositatem & cum D. Thoma init pacem in Prato, quod vocabatur *Proditorum*. 37. 1. In die B. Mariæ Magdalenæ. *ibid.* 2.

Rex Angliæ conversus est timore pœnæ in solemnitate B. M. Magdalenæ. 341. 1. Petita benedictione à D. Thoma discedit. 345. 1. Scribit suo filio mandans, ut Thomæ & suis restituantur omnia sicut erant. Multa promisit, sed non nisi verba expertus est D. Thomas. 347. 1. Tandem iterum repromittit dicens Thomæ. o! Si voluntatem meam faceres, omnia traderem in manus tuas, quod Thomas interpretatur: *Omnia tibi dabo si cadens adoraveris me*. 38. 1.

Rex in die B. M. Magdalenæ promiserat restituere quædam Ecclesiæ Cantuariensi, sed postea promissum non servat. 37. 2.

Rex maledicit suis amicis quòd non vindicent Regem de uno Sacerdote D. Thoma. 41. 2. Milites hoc sæpe audientes conspirant in necem D. Thomæ *ibid. vide* D. Thomæ carnifices. Occiditur D. Thomas, à cujus sanguine Rex non est omninò innocens. 362. 1. 50. 1.

Rex audito D. Thomæ Martyrio pœnitet. Metuit nè sibi adcribatur quod factum est à suis. Triduo abstinet ab ingressu Ecclesiæ. In publicum non prodit, consolationem non admittit. 361. 2. 50. 1. Mittit Clericos cum litteris excusatoriis ad Fratres Cantuariensis. *ibid.* Curat corpus honestè sepeliri immemor præteritorum. 50. 1. Vadit argentolium, per quadraginta dies, mærens & solitarius, sæpè iterans, *Heu! Heu! accidisse!* 51. 1. Mittit aliquos ad Papam rogans consilium & pœnitentiam. *ibid.* 362. 1. Papa misit Legatos duos Cardinales.

Rex autem suprà Sancta Evangelia, præsentibus Cardinalibus, Episcopis, &c. Jurat quod nec mandavit, nec voluit ut Archi-Episcopus interficeretur. 51. 2. 376. 2. Quòd, audita Morte ejus, plus indè doluit, quàm lætatus est. *ibid.* Quod quamcumque pœnitentiam Cardinales ei injungerent pro satisfactione, plenariè exequeretur 51. 2. 367. 2. Quia propter ipsum, mors illa accidisset. 52. 1. Injungitur ei pœnitentia. *ibid. vide* Pœnitentia injuncta Regi Angliæ.

Rex eam benignè assumit, dicens, corpus suum in manu illorum esse. Juberent ut Hierosolymam vel Romam, vel ad S. Jacobi profiscereturr, se iturum. 52. 1. 363. 2. Ejus Filius jurat se executurum pœnitentiam Patris, casu quo moreretur. 52. 1.

*Regis Angliæ justa per Deum punitio*. Quatuor vel quinque annis post Martyrium; inter ipsum & Filium oritur seditio. Filio adhæret Rex Franciæ, omnes armantur contra Patrem. 52. 2. Exit Normannia, conversurus se ad illud, quod solum superest, Divinum auxilium. *ibid. Venit Cantuariam, nudis pedibus: vili habitu: tremens adit Martyris sepulturam*. *ibid.* UBI ALTER DAVID FUGITIVUS AB ABSOLONE FILIO SUO, OB PECCATUM IPSUM PERSEQUENTE, PERNOCTAT JEJUNUS ET PERVIGIL. *ibid. A Singulis Fratrum recipit virgæ disciplinam*. *ibid.* ABDICAT PRAVAS CONSUETUDINES. *ibid. Audit Missam, in honorem Martyris celebratam*. 53. 1. *Et eadem hora capitur Rex Scotiæ, maximus ejus inimicus, pauca manu*. *ibid.* Brevi Rex adipiscitur victoriam, quam soli Deo adscribit, & Martyri D. Thomæ. *ibid. & seq.* Pœnitentiam illam Regis, & victoriam, jam per illam obtentam prædixit D. Thomas adhuc vivus. *ibid.* Victoriam Rex deprædicat tanquam miraculum. 53. 2. *Moriuntur Regis filii, dysenteria*. 54. 1. Et ipse REX ANGLIÆ HENRICUS MORITUR, SUBITA MORTE, ET PLANGENDA. *ibid.*



*Henricus* Filius Regis Angliæ Henrici II. primogenitus, accipit Comitatum Andegavensem & Cenomanensem, cum onere fidelitatis præstandæ Regi Francorum. 221. 1. Coronatur Rex vivente Patre, in Ecclesia Beati Petri apud Westmonasterium. 36. 1. *Rebellat Patri* 36. 1. Moritur morbo dysenterico. 120. 1. ANTE PATREM. *ibid.*

Regis Henrici Filiam nubendam Filio Marchionis, rogant Abbas Sclusenus & Electus Hypponensis, sub pacto quod D. Thomam facient deponi. 143. 1.

Rex Danorum proscripserat Archi-Episcopum S. Jacobi: videns se pravum consilium fuisse secutum revocat illum, & consilio ejus agens omnia, colit eum ut Patrem. 151. 1.

*Rex Franciæ Ludovicus VII.* Altum ejus Encomium. 228. 2. Præcipuum est, quod inter Reges & Principes non sit, qui benignùs exaudiat preces, & Mandatis Apostolicis obediat humilius, qui Ecclesiam & viros Ecclesiasticos devotiùs, & studiosiùs honoret, quam *Rex Christianissimus*: Sedat inimicitias Principum. 66. 1. Ejus zelus pro Libertate Ecclesiæ Anglicanæ. 225. 1. Audit Legatos Regis Angliæ, & Legatos D. Thomæ: Statimque pollicetur operam suam in favorem D. Thomæ. 25. 1. Scribit ad Papam in favorem D. Thomæ. Iterum atque iterum se scripturum promittit, & acturum quod poterit viva voce. 76. 2 Benignè & liberaliter suscipit D. Thomam Suessione. 27. 1. Ejus in illum munificentia. 235. 2. Et in ejus coexules. 194. 1. Promittit *verbo Regio*, se excepturum D. Thomam non ut Archi-Episcopum, sed veluti in Regno Socium. 75. 1. Et patrocinatus est illi in omnibus, magis eum venerans quam Fratrem. 151 1. SACRUM ILLIUS DICTUM ERAT: *hoc de pristina dignitate est Diadematis Regum Francorum, ut exules, & præsertim personæ Ecclesiasticæ, Regum & Regni securitate & pace perfruantur, & à persecutorum injuria defendantur*. 25. 1. Audit, quod ad instantiam Regis Angliæ D. Thomas dimissus sit à Pontiniacensibus. Exclamat: *o! Religio, o! Religio ubi es?* Jubet D. Thomæ significari, quod totum Regnum suum paratum sit eum excipere. 30. 1. Providitque D. Thomæ postea ex Fisco. *ibid.* 2. *Pauci videbantur illi dies quibus aderat ei exul D. Thomas, & pauci sumptus, quibus subventebat exuli, præ amoris magnitudine*. 233. 1. Fortunam D. Thomæ reputabat ut suam 181. 2. Amor autem ejus purus erat, non tam erga Divum Thomam, quam erga Libertatem Ecclesiæ. Cum enim metueret, nè Rex Angliæ periret Ecclesiæ; minus affectuosè agit pro D. Thoma: timebat nè casus Regis imputaretur forsan sibi. 80. 1. Audit quæ spargat Joannes ab Oxeneford, quod Papa Legatos mittat contra D. Thomam: Dicit se eodem modo accipere, quod mittantur Legati qui agant contra Libertatem Ecclesiæ, *ac si destinarentur ad eripiendam sibi Coronam*. 166. 1. Deponit verò indignationem, audiens, melius utique informatus, quod Papa non dedisset authoritatem Legatis, nisi componendi Pacem *salva libertate Ecclesiæ* 193. 2. Ea autem erat ejus in Papam reverentia, ut quamquam existimaret eum malefacere, negando D. Thomæ potestatem excommunicandi Regem: dicat tamen, *Non habemus Papam accusare vel in manifesto arguere, quia Dominus est*. 307. 1. Omnem adhibet curam, ut Regem Angliæ dimoveat à suo proposito. Sed frustrà. 147. 1. Ipse verò sollicitatur à Rege Angliæ, ut D. Thomam è Terra sua ejiciat. Respondet, *Se numquam tam laudabilem hæreditatem* (excipiendi afflictos maximè pro Ecclesia) *hæreditatem Deo tam gratam, ex quacumque causa deserturum*. 286. 1. Scandalizatur quod Papa non feriat Regem Angliæ. 285. 1. Cum convenirent omnes ad conditiones pacis faciendas: D. Thomas nolebat condescendere, nisi *Salva Libertate Ecclesiæ*. Rex Franciæ iratus discedit. 34. 1. Omnibus autem putantibus quod D. Thomam ideò ejiceret; tantum abfuit ut hoc faceret: facti enim pœnitens, inter lachrimas fatetur se peccasse, solum sapuisse D. Thomam, solum vidisse oculis suis. Petit absolutionem ab hoc peccato, & obtinet, promittens magis favere D. Thomæ, quam favit unquam. *ibid.* Non credit ampliùs Regi Angliæ, à quo toties erat deceptus. 221. 2. stultum reputat, nudo ejus verbo habere fidem *ibid.* Audit tandem D. Thomam occisum. Ejus luctus & querelæ, vindictam petit à Papa, *Quod interempta sit pupilla Christi, lucerna Cantuariensis Ecclesiæ*. 361. 2. *vide* D. Thomæ Martyrium.

Regis Franciæ Ludovici vii filia est patri suspecta. Gratissimum sibi fore ait, si ab Angelis recepta esset in Paradiso, quippe à qua nil boni expectet. 76. 2.

Regis Franciæ uxor Regina scribit Summo Pontifici, modestè, at fortiter eum monens, affirmans quòd Rex Franciæ cum tota Gallicana Ecclesia, sint scandalizati, quòd Papa non magis subveniat D. Thomæ contra violentias Regis Angliæ. Addit, nisi permittat D. Th. in Regem ferre sententiam, quòd malum exemplum detur omnibus Principibus. 405. 2.

Rex Scotum maximus hostis Regis Angliæ, capitur à paucis militibus, eadem hora, qua Rex Angliæ supplex audit Sacrum antè Sepulchrum D. Thomæ Martyris. 53. 1.

Richardus Filius Henrici secundi Angliæ Regis obtinet filiam Regis Francorum cum Ducatu Aquitaniæ. 221. 1.

Ricardus Prior S. Martini succedit D. Thomæ in Episcopatu. 40. 2.

Richardus de Luci apud Regem Angliæ, tam mendaciter denigrat Thomam, ut miretur Rex audaciam ejus tam apertè fabulandi. 83. 1.

Robertus de Broc Clericus, in contemptum Archi-Episcopi decurtat jumentum ejus. 40. 2. Excommunicatur publicè à D. Thom. 41. 1.

Robertus de Broc, occisi D. Thomæ capiti vacuo mucronem infigit crudeliter. 46. 1.

Robertus de Broc excommunicatur publicè, &c. Canes recusant comedere panem quem contrectaverat, etsi avidè comederent panem & alia quæ mittebantur ab aliis. 41. 1.

Robertum Comitem Leicestriæ paternè monet Thomas per litteras. 82. 1.

Robertus Herefordensis, antè pius & fortis, in Episco-

Episcopatum tepet, timore humano. 86. 1. mandat ei Papa ut obediat D. Thomæ, Episcopo suo Metropolitano, illique assistat in causa Ecclesiæ Cantuariensis. *ibid.* Rogerius Eboracensis Archi-Episcopus, nefarii concubitus reus, accusatur à parente juvenis. Et parens improperat illi crimen. Rogerus parentem, nomine Walterum, oculis privari facit. Walterus pergit accusare: Rogerus corrumpit Judices, curatque accusantem suspendi. 369. 2. Tum Rogerus purgat se clam, in Capitulo Monachorum, coram Theobaldo Cantuariensi Archi-Episcopo. *ibid.* Indignatur Eugenius Papa quod clam se purgaverit. *ibid.*

Rogerus Romam proficiscitur. *ibid.* Ambit Archi-Episcopatum Cantuariensem. Invidet D. Thomæ. Admittit consuetudines Anglicanas, ut Regis gratiam sibi conciliet, in confusionem D. Thomæ. 62. 2. Habebat octo millia librarum in apotheca; quæ paratus erat servare & expendere, ad demoliendum D. Thomam. 40. 1. Invadit Primatum Angliæ, qui competebat Archi-Episcopo Cantuariensi. Crucem præ se fert, etiam per Parochiam Cantuariensem. Jussus abstinere à D. Thoma, appellat ad Papam. 107. 1. Pendente appellatione perseverat in sua prætensione *ibid.* Provisionaliter interdicitur illi ea delatio, tanquam innovatio, per Papam. 107. 2. Nisi ad tempus abstineat, abstinere debebit perpetuò. *ibid.* Obtinuerat facultatem à Papa, deferendi crucem per totam Angliam: verùm in secundis litteris excipitur Parochia Cantuariensis; donec aliter judicetur. 108. 1. Ejus tamen prærogativa excipitur à jurisdictione D. Thomæ Legati Apostolici, quia erat Legatus per Scotiam, & non solebat Legatus unus alteri subjici. 129. 1. 169. 1. Coronat Regem Angliæ Henricum tertium, contra authoritatem Episcopi Cantuariensis, non obstante mandato Apostolico. 36. 1. Fuit omnium obstinatissimus contra D. Thomam, pro Regis Consuetudinibus. Agitur de illius depositione & excommunicatione. 351. 1. Excommunicatur & suspenditur à Papa, quia Coronavit Regem. 354. 1. 355. 1. 356. 1. est præcipua causa quod Rex à pactis & promissionibus resiliat post pacem. 358. 1. Absolvitur præstito juramento. 366. 1. Excommunicatus fuit per annum, & amplius. *ibid.* 2. Fuit cooperatus morti D. Th. 362. 2. *Erat Cayphas istius temporis, persuadens ut unus moreretur D. Thomas, nè tota gens periret.* 369. 1. D. Thomam negabat Martyrem, et si miraculis videret coruscantem. Vocabat illum Pharaonem. *ibid.* Indignus ore sacrilego proferre nomen Martyris, quo procuravit Martyrium. *ibid.*

ROMA *est locus cui specialiter mandata est omnium Sacerdotalium causarum decisio.* 217. 1.

Romana Ecclesia est caput omnium Ecclesiarum, fons Catholicæ Doctrinæ. 118. 2. Romana Ecclesia omnium fidelium est caput, incolumitatem procurans Ecclesiis universis & singulis. 225. 1. in illa viget Divinæ legis custodia, & totius Sacerdotii Principatus. Hanc consulere tenentur afflicti, sicut Judæi in opportunitatibus suis, conveniebant Moysen & Aaron: & sicut recurrebant ad tabernaculum fœderis, ubi S. Sanctorum servabantur, id est Mandata Dei. 236. 1. Si Romana Ecclesia voluerit, *sola post Deum potest* liberare miseros de manu potentum, sicut Moyse elevante manus, percutiebatur Amalech. *ibid.* Illam Deus quasi in specula ordinavit ut omnium fidelium causas examinet; & pro merito in retributione pœnæ, aut præmii, respondeat universis. 347. 2. *Omnis fidelis anima* NECESSITATE JURIS *subjicitur Apostolicæ Majestati.* 306. 2. Sedes est Apostolica, cui obedientiam subtrahit solus infidelis, Henricus aut schismaticus, 129. 2. 131. 1. Illi, arctiori vinculo obligantur Episcopi, 129. 2. Illam Matrem suam vocat Pictaviensis Episcopus, quæ nullam isto tempore integritatis suæ patiebatur divisionem. 77. 1. Numquam, contra Privilegia sua, detulit Episcopo. 76. 2. Id Privilegii, & Auctoritatis habet, ut exulibus & oppressis subveniat; etiam contra Principum iras. 29. 2. Pallium mittit in Angliam. 216. 1.

Roma quod sit mora, conqueruntur exules cum D. Thoma 334. 1. Quod, si in principio restitisset, numquam Rex eò audaciæ pervenisset 345. 2. Romana verò Ecclesia, solet potiùs servata maturitate, damnum incurrere, quam in præcipitatione peccare; non solet in initio tam præcipianter procedere. 305. 1.

*Romanam Ecclesiam qui nituntur infirmare, eripiunt Jesu Christo, quod comparavit sanguine suo.* 73. 2.

Romanam Ecclesiam, tempore litis, verè expetivit Sathanas ut eam cribraret sicut triticum. 346. 2. Petri navis quasi Domino dormiente, fluctibus variis sæpè concutitur; sed quia de Christo Rectore confidit, semper ad salutis enavigat portum. 171. 1.

Romana Ecclesia an valeat uti jure & libertate sua in Anglia, prout uti debet, & utitur in cæteris Regnis, est unum ex palmaribus discriminibus, inter Regem & D. Thomam. 139. 1.

Romani metuebant summopere offendere Principes, non quod se crederent illis subjici, sed quod metuerent Ecclesiarum jacturam facere. 75. 1.

ROMANUS PONTIFEX *est illa Petra supra quam fundata est Ecclesia* 264. 2. *Imaginem gerit ipsius Christi* 317. 2. *Custos murorum Hierusalem* 364. 1. *Coadjutor Dei, in exterminium eorum, qui ut stabiliant iniquas hominum Traditiones, verbum Dei moliuntur confundere.* 237. 1.

ROMANUS PONTIFEX *est Minister per quem Spiritus Sanctus, totius falsitatis figmenta condemnat.* 213. 1. NON HABEMUS IN TERRIS REFUGIUM ALIUD POST DEUM, NISI AD IPSUM. 207. 1. *Ejus Consilia reguntur à Spiritu Sancto.* 283. 1. *Ejus nutui, DE JURE, totus se inclinat Orbis.* 26. 1. *Ejus exhibitione justitiæ, totus Mundus indiget.* 235. 1.

ROMANI PONTIFICI SOLIUS PERSONA SOLA EST JUDEX CONTROVERSIARUM. 195. 2. 236. 1.

ROMANI PONTIFICIS SOLIUS JUDICIUM SOLUM EST IRREFORMABILE: ADEO UT AB IPSO SOLO AD NULLUM IN MUNDO POSSIT APPELLARI. 264. 2 *Non est judicis inferioris*, inquit D. Th. *ut superioris sententiam solvat.* ET NULLI HOMINUM LICET INFIRMARE QUOD APOSTOLICA SEDES DECREVIT. 359. 2.





Fuitque hæc capitalis responsio D. Thomæ. *ibid.* D. Thomas nihil clamabat, nisi quod illius *solius judicio* esset standum in causa Ecclesiastica. 225. 1. Protestabatur se nullum, *post Deum*, agnoscere suum defensorem nisi Romanum Pontificem. 207. 1. Illius, utpote *Pastoris Supremi* judicia, *veneranda esse ovibus*, NON RETRACTANDA, scribit Meldensis Episcopus. 294. 2. Eratque hæc sententia totius Orbis Catholici. Ipsi adversarii D. Thomæ gloriabantur de privilegio Sedis Apostolicæ, dicentes se nulli responsuros, nisi Romano Pontifici. D. Thomas non respondet nisi quod abutantur hoc privilegio. 292. 2. 264. 2. *In eum* OMNIUM OCULI *directi erant*, expectantes quomodo causam terminaret Regis & D. Thomæ. 307. 2.

Romani Pontificis Primatum operosè describit D. Thomas. 118. 2. Obedientiam illi debet omnis Ecclesia. 329. 1.

Romanus quoque Pontifex vim habet coactivam *ibid.* Supremamque 131. 1. Non est sub sole qui possit aliquem de manu ejus eruere, quem excommunicavit. *ibid.* Divinitùs institutus est eradicare & disperdere *omnem potestatem & Altitudinem* extollentem se in injuriam & contumeliam Christi, SINE ULLA ACCEPTIONE PERSONARUM. 285. 2.

*Romani Pontificis indubitanda potestas in Principes, Reges, & Cæsares.* Potest rigore uti erga illos, sibi inobedientes. 299. 1. *Omnes adversarias cohibet Potestates*, Christo præside: Non tantum Humiles adducens in judicium, sed & Gloriosos terræ humilians, Ecclesiæ ministerio, adversus quam *nec portæ Inferi prævalebunt.* 119. 2. Data est illi omnis potestas in cœlo & terra, Gladius anceps in manibus ejus: est constitutus *Super gentes & Regna, ad alligandos Reges eorum in compedibus & Nobiles eorum in manibus ferreis.* 363. 2. Iratus Rex Angliæ, *per oculos Dei*, inquit, *ego faciam aliud.* Respondet Legatus Pontificius. *Domine Rex, noli minari: Nos enim nullas minas timemus, quia de tali Curia sumus, quæ consuevit imperare Imperatoribus & Regibus.* 247. 1. Rex non est ausus refragari *ibid.* Quia Romanus Pontifex tam diu tolerabat Regis contumaciam, tanquam stupendum clamabatur in plateis, prædicabatur per civitates & vicos, *non fit justitia Romæ de Potentibus.* 205. 2.

Romani Pontificis est concedere vel negare facultatem, ut quis coronetur Rex Angliæ. 303. 2. 146. 2. *est res nota* quòd Eugenius Papa hanc negavit Eustachio Filio Stephani. 303. 2.

Romani Pontificis est advertere Regum discordiis, & ad eas extinguendas intercedere. 199. 1. Romano Pontifici nolle acquiescere, est species idolatriæ. 329. 1. Ei non obedire, maximi sceleris instar est, & idololatriæ crimini comparatur. 223. 1. Quisquis Mandatis Apostolicis obedire contempserit, vitium Paganitatis incurrit. 364. 1. 131. 1. Qui contra illius Constitutionem peccat, à nemine absolvi potest, sine ejus authoritate. 343. 2. Romanum Pontificem posse in Anglia deponere quemcumque Episcopum, sententia erat Anglorum omnium. 141. 2.

Romani Pontificis sine Authoritate, nulli licet mutare Formam Ecclesiasticam. 299. 1.

Romano Pontifici omnia quidem licent, sed ea dumtaxat, quæ *jure Divino* Ecclesiasticæ concessa sunt Potestati. 213. 1. Et in hunc finem, quanquam à Regibus reprehendi non possit, potest moneri. 212. 2. Et consilium ei dari potest, non Præceptum. 295. 1.

Romanus Pontifex malè informari potest in quæstionibus Facti. 123. 2.

*Romanus Pontifex Alexander III.* post durum Schisma contra Octavianum Anti-Papam, & Guidonem Cremensem (Anti-Papæ post mortem Successorem) agnoscitur, & præstatur illi Sacramentum generaliter à Romanis. 67. 1. Fredericum Imperatorem schismaticum dejicit Imperio, auferens illi Regiam dignitatem. *vide* Fredericus.

*Romanus Pontifex Alexander III. qualiter egerit, & fuerit, in causa D. Thomæ & Regis Angliæ. In eum* OMNIUM OCULI *directi erant*, expectantes pacem, & pacis conditiones. 275. 1. Indubitata ejus Authoritas agnoscebatur ab omnibus qui erant prò & contra Divi Thomam & Regem. 65. 1. 2.

Regis familiares timidè transcribunt Regi, quoties accedatur Papa ab amicis D. Thomæ. *ibid.* Timebant graviter nè apud Papam accusaretur Rex. *ibid.* Pontificis industria. Prima fronte durum se perhibet, & quasi inexorabilem in causa D. Thomæ, cui tamen per omnia favebat. 91. 2. Iterum atque iterum jubet moneri Regem Angliæ per Archi-Episcopum Londoniensem. 101. 1. Archi-Episcopum incipit habere suspectum, minatur illi sua fulmina. 106. 1. Curat moneri Regem asperè & blandè, per Episcopum Meldensem & Abbatem S. Crispini: Ut restituat Rex bona D. Thomæ, & Ecclesiæ libertatem. 128. 1. Circumvenitur à fraudulento Joanne de Oxeneford: tamen fidelissimè producat negotium Ecclesiæ. 235. 2. ad illius instantiam mittit duos Legatos in Angliam, compositurus Pacem 164. 1. ejus fama patitur propter tales Legatos 212. 1. *seq.* 214. 2. Quod illi Rex Franciæ modestè indicat. 212. 2. Et Joannes Saresberiensis. 213. 1. Mandat Legatis ut non intrent Angliam quin primò restituatur D. Thomas; item, nullam dat eis authoritatem agendi contra libertatem Ecclesiæ, pro qua D. Thomas exulavit. 189. 1. Commonet Regem extremi judicii. 244. 1. Mittit secundos Legatos. 243. 1. Mittit sua mandata per tertios Legatos, quibus significat nisi Rex pacem det Ecclesiæ, quod permittet D. Thomam uti gladio D. Petri; quod si nec hoc audierit, concludit: *Ventura poteris formidare.* 298. 1. Mittit sæpe Nuntios ad D. Thomam nolens omnia credere chartæ. 178. 1. D. Thomam affectuosissimè commendat variis Regibus, aliisque. 94. 2. 95. 2. Gratias agens de bene incœpta misericordia. *ibid.* Henrico Comiti pro pœnitentia injungit, ut faveat D. Thomæ. 96. 1. Semper timebatur nè Rex Angliæ deficeret in Schisma. 304. 2. Cum autem dicerent Nuncii Regis, quod aut concedendum Regis sit quod petit, aut quod adhæreret Religioni perversæ: constanter respondet, posse Regem eligere viam pravam, se tamen non recessurum à via recta. 220. 2.

Mittit quartos legatos. 321. 1. 322. 1. Significat Episcopis totius Angliæ, se mandasse Legatis his, ut nisi Rex resipiscat, totam Angliam ponant sub interdicto. 325. 1. Nec preces amplius sustinet, sed ad Regem mittit sua mandata. 341. 1. Comminatur excommunicationem, quali percussus est Fredericus Ex-Augustus: & tunc secuta est illa qualiscumque Pax, *vide* pax inter D. Thomam & Regem Angliæ. Multi mirabantur, clamantes quod tam diu sustineret Regem quem jam pridem punitum oportuit; Pontifex autem, partim expectabat misericordiam Christi, *In cujus manu sunt corda Regum* 310. 2. Partim ut omnes viderent manifestam ejus rebellionem, postularentque illum feriri. 308. 2. Addit Pontifex ad Regem Franciæ, quod Regem Angliæ tamdiu toleraverit, *ad Medicinam*: sicut medici, qui de ægro desperantes concedunt omnia quæ petit, si fortè sic sanetur. 319. 2. Pontificis lætitia, audita Pace. 349. 2. Significatur illi Martyrium D. Thomæ, per Regem Franciæ. 361. 1. per Ernulphum Lexoviensem Episcopum. 361. 2. Per Wilhelmum Senonensem Archi-Episcopum, narrantem seriem rei. 362. 1. Turbatur supramodum. 365. 1. Undequaque excitatur ad vindictam. Ut hinc miseratio illinc moveat indignatio: quod unam debeat occiso filio, alteram Tyranno. 363. 1. Nuntios Regis Angliæ primò nec videre, nec ad Osculum, nec ad Pedes vult recipere. 364. 1. Sed postea admittuntur. Excusaturi Regem, nominant illius nomen: tota Curia clamat *sustinete sustinete*: quasi jam Papæ abominabile esset, nomen illud audire *seq.* Meditatur ferre sententiam in Regem & Regnum: idque in feriam quintam cœnæ Domini. 364. 2. Pepercit tamen Regi nominatim & Episcopis, ad preces Nuntiorum, Jurantium quod Domini sui, in omnibus, Apostolico essent parituri mandato. 365. 1. Solum excommunicavit Carnifices, & eos qui consilium dederunt vel assensum: & eos qui scientes in Terram suam receperunt carnifices foveruntque. *ibid.* Promulgat Litteras Canonizationis D. Thomæ. 60. 2. 370. 1.

S

SACERDOTES sunt Regum & Principum fidelium Patres & Magistri. 117. 2. In extremo judicio rationem reddituri sunt de ipsis Regibus. 99. 2.

Sacerdotes judicari non posse à Laicis, exemplo suo docuit Imperator Constantinus: ad quem cum offerrentur causæ Episcoporum, dixit: *Vos Dii estis à vero Deo constituti: Ite & inter vos causas vestras disponite: quia dignum non est, ut nos homines judicemus Deos.* 125. 2.

Sacerdotes sancti aliqui ex devotione singulis diebus celebrant, aliqui, ex reverentia, non tam frequenter. 7. 2. item aliqui tardè, aliqui celeriter, ex diverso motivo. *ibid.*

Sacerdotes qui questus gratia, non tantum semel in die, sed etiam libenter bis consecrant, non tam consecrant Filium Dei, quam dilaniant. 8. 1.

Sacerdotum impietas, Leges factas deserentium, ut sæcularium Principum sequantur desideria, comparatur sceleri Judæorum adorantium vitulum aureum. 69. 2.

Sacerdotes aliqui alienæ Ordinationis, sine scitu & venia celebrabant in Episcopatu D. Thomæ; excommunicantur nisi desistant. 261. 1.

Sacrificia non voluntaria Deus reprobat, pœnitentiam coactam & invitam non probat. 69. 1.

Sacrificia de Rapina non placent Deo, maximè si rapta sint de bonis Ecclesiæ, nisi fortè placeat Patri, quod immoletur ei ejus filius. 92. 1.

Sacramentum Eucharistiæ & pœnitentiæ. 77. 2. 78. 1.

Sancti aliquando excesserunt; eorumque excessus non tenemur sequi, sed progressus. 33. 2. Prætendebat Rex Angliæ pro Consuetudinibus suis, ut D. Thomas præstaret illi, quod Regi minimo præstitit D. Thomæ prædecessor Sanctissimus; reponit D. Thomas; non omnia opera quæ fecerunt Sancti, fuisse sancta. *ibid.*

Sancti in Resurrectione, suo Ordine fulgebunt singuli, sicut Stella differt à Stella in Claritate. 62. 2.

Sancti Canonizati, in æterna beatitudine percepe-runt triumphum. 60. 2. *seq.* Orandi sunt 370. 1. 60. 2.

Sanctos invocat, & eorum Reliquias visitat D. Thomas. 149. 2.

Sancti Thomæ de Reliquiis, festo, cultu, elevatione, translatione, Tractatus Stephani Cardinalis Cantuariensis Archi-Episcopi: 372. 1. *Usque in finem.*

Sapientes & fideles sunt organa Spiritus Sancti & ideo consuluntur. 156. 1.

Scandala necesse est evenire, ut tribulationibus probentur electi; sed væ illi per quem scandalum venit. 293. 2.

Scelus in authorem redit. 111. 2.

Schismaticus merito appellatur Hæreticus: quia etsi in articulis Fidei non introducat errorem, tamen in synceritate Ecclesiastici Ordinis, non sinit procedere veritatem. 168. 2.

*Schisma contra Alexandrum III.* Octavianus Anti-Papa inops non vivit nisi ex rapto. 68. 2. Fit Phreneticus, nec sui nec Dei memor, moritur post dies quindecim: feria quarta post octavam Paschæ, in urbe Lucensi. Negatur ei sepultura à Canonicis, malentibus Sedibus suis cedere, quam sepelire eum, quem sepultum existimabant in Inferno. Monachi extra civitatem degentes coguntur à satellitibus Imperatoris schismatici Frederici, cadaver sepelire, in suo Monasterio. 68. 2. Ejus mors annuntiatur Alexandro Pontifici: hic, velut alter David, persecutorem suum deflet extinctum, & Cardinales de morte illius exultantes durius increpat: Quia considerabat eum sic objisse, ubi tamen jactura animæ irreparabilis est, dum culpa non deletur per pœnitentiam. *ibid.* Sperabatur quod ejus morte sepultum esset Schisma, quodque hac occasione Imperator rediret ad unitatem. *ibid.* Sed aliter actum est: nam Conventum coegit in Wiceburch, & illic Guido Cremensis Anti-Papæ successor admissus fuit, dictus Paschalis. 104. 2. Corruerunt autem Schismatici per depositionem Impe-



Imperatoris, factam à Papa, authoritate Dei, de Privilegio S. Petri. 229. 2. *Vide* Imperator Fredericus.

Scholarum mores juveniles, notantur etiam in Episcopo superadulto. 162. 2.

Scienti nulla fit fraus. 120. 1.

Scripto non sunt committenda omnia, sed cautè & parcè. 178. 1.

Secretorum nostrorum non debemus quoslibet facere Interpretes. 318. 2.

Secretæ litteræ mittebantur ad D. Thomam ab Amicis, quibus & secretè respondebat. 112. 2.

Sæculare ad brachium qui recurrunt, ut opprimant justitiam Ecclesiæ, à D. Thoma excommunicantur. 261. 1.

Senectuti parcendum. 181. 1.

Sententia Pastoris, justa sit an injusta, est timenda. 127. 1.

Sententia pro iniqua acceptum, non licet mittere in Corbonam, quia pretium sanguinis est. 185. 2.

Simulanda est inimicitia, ubi aliter non potest prodesse amicitia. 112. 1.

Societas prava est fugienda, nè involvamur peccatis ejus. 168. 1.

Solus non est, qui cum Domino est. 134. 2.

Spes non confunditur, dum à charitate fulcitur. 114. 1.

Spiritus Sanctus docet hominem scientiam & absconditam revelat veritatem. 312. 1.

Spiritus Moysis, cujus partem acceperunt septuaginta, significat Legem. 118. 2.

Spiritus Religiosi cujusdam post mortem redit: significans D. Thomam solemniter intrasse in cœlum. 51. 1.

Status magnificentia, quo ad equitaturam & personarum numerum minuendus est in adversa fortuna, idque absque ignominia. 83. 1.

*Stigandus* tempore quo Nortmanni occupabant Angliam, occupat Ecclesias Cantuariensem, Vintoniensem, &c. contra inhibitionem Romani Pontificis. Capitur à Wilhelmo Rege Angliæ, & in Carcere diem obit. 341. 2.

Subtilitas parit contentionem. 111. 2.

Superior judicari non potest à suis subditis. 139. 1.

*Suspensio provisionalis contra non citatum, non auditum.* D. Thomas suspendit Jocelinum Episcopum Saresberiensem, citans eum personaliter coram se: quia contra Mandatum Papæ promoverat ad decanatum Joannem de Oxeneford excommunicatum. 120. 1. Jocelinus appellat ad summum Pontificem, quod suspensio illa esset prolata contra non citatum, non auditum, non convictum. 122. 1. Episcopi Angliæ hoc audientes calumniabantur D. Thomam, quod taliter processisset contra absentem. *Ordo judiciorum novus hic est* ajebant *huc usque legibus & Canonibus incognitus, primò damnare, & postremò de culpa cognoscere.* 133. 2. Quin & ipse Joannes Saresberiensis, amicissimus D. Thomæ, hunc monet ut attendat, *an sententia, quàm non præcessit citatio, sit robur habitura.* 187. 1. Verum Papa approbat & confirmat judicium D. Thomæ. 130. 1. Et D. Thomas probabat factum suum, quia crimen Jocelini erat manifestum & notorium. 125. 2. 137. 1. In manifestis & notoriis, non est opus citatione sed punitione. Sic Apostolus damnavit incœstuosum. *ibid.* Et rursus: D. Thomas excommunicavit Londoniensem Archi-Episcopum, non citatum, non auditum, non convictum. Sententiam illam esse contra juris ordinem, & nullam, & quod D. Thomas Aerem potius verberaverit, quam animæ vulnus inflixerit, operosè nititur probare ipse Archi-Episcopus excommunicatus. 265. 1. Et conqueritur Rex Angliæ apud Papam. 266. 2. Omnes Æmuli clamant *Quo juris ordine* id fecerit D. Thomas, etiam respectu aliorum non auditorum, non citatorum; Verum respondet Joannes Saresberiensis, quod crimina eorum fuerint adeò manifesta & notoria, *ut Cœlum & Terra darent testimonium.* Alioquin cum apud D. Thomam accusaretur absens Wilhelmus Supprior Cantuariensis, ac si Ecclesiam aliquam contulisset excommunicato, thesauros defuncti Prioris occupasset, & ordinem plus justo & solito resolvi permitteret: (quæ omnia erant magni satis momenti) in his tamen nondum est aversus animus D. Thomæ, *expectantis operum testimonium.* 210. 1. Delictum scilicet necdum erat manifestum. 209. 2. Proinde in manifestis & notoriis non requiritur citatio &c. in non manifestis requiritur; aut totum quod factum est, est nullum: Etiamsi præsumatur similis suspensio esse species citationis: nam suspensio Jocelini, etiam annexam habuit citationem. 120. 2. Et tamen nisi crimen ejus adeò fuisset notorium, sententia fuisset injusta & nulla. 133. 2. 137. 1.

Suspecta sunt omnia, quæ faciunt iniqui. Nec mirum, quia pax impiis esse non debet. 148. 1.

Suspicio temeraria contra castitatem D. Thomæ. 3. 2. hospes eum cum Meretrice putans concubere, dormientem reperit extra lectum, qui in somnum inciderat nudipes inter orandum. *ibid.*

Synodum Nationalem totius Ecclesiæ Anglicanæ convocat Rex Angliæ *in Northbautune.* 16. 2. *Illius Acta.* PRIMA DIE. *feria quinta.* Damnant D. Thomam Episcopi, quod citatus à Rege, non comparuerit personaliter. 17. 1. Pœna ejus erat, quod omnia ejus bona mobilia essent confiscata, nisi Regis clementia mitigaret. Quæ sententia vulgò sic dicebatur: *De omni mobili suo in Regis misericordia judicatus est.* Thomas audiens se judicatum, sic ait: *Quale sit judicium hoc, sæcula post futura non tacebunt, nova quippe Judiciorum forma hæc est: fortè secundum novos Canones apud Clarendune promulgatos*, (id est consuetudines Angliæ) *siquidem à sæculo non est auditum, quemquam Cantuariensem Archi-Episcopum, in Curia Regum Anglorum, pro qualicumque causa judicatum: tum propter dignitatem Ecclesiæ, tum propter authoritatem personæ, tum quia ipse* REGUM OMNIUM, QUI IN REGNO SUNT, *spiritualis Pater sit, & ob id semper ei deferendum ab omnibus.* 16. 2. SECUNDA DIE. *Feria sexta.* Adjudicant Regi quingentas libras Argenteorum, quas Rex dicebat se mutuò dedis-

se D. Thomæ adhuc Cancellario, & quas D. Thomas affirmabat se dono accepisse: sed probare non poterat D. Thomas compulsus est ponere fidejussores quinque: singulum fidejubentem pro libris centum. 16. 2. TERTIA DIE. *Actum est de* REGALIA. D. Thomas cum Episcopis intrant Conclave: clauditur hoc, Edicto Regis, obductis seris, nè pateret exitus. Proponitur contra Archi-Episcopum, quod plures habuisset vacantes Episcopatus & Abbatias: Adeoque multi essent Reditus tempore vacantium Sedium, per annos plurimos, qui inito computu, ascendebant usque ad ducenta triginta Marcarum millia. De quibus pecuniis nullam umquam rationem exhibuisset Regi Archi-Episcopus. Quod Rex eam nunc postularet, quippe cum essent Reditus competentes Regi ut Domino. Episcopi deliberant. Sed D. Thomas noverat, quid esset responsurus. 17. 1. Gilbertus Londoniensis Episcopus affirmat Regi cedendum, partim ob metum, partim, quia videns humilitatem, fortè universa restitueret. D. Thomas respondet: *satis innotuit, quid consultò responderit*. Henricus Vintoniensis Episcopus, negat cedendum Regi, quia Episcopi non debent permittere pravum exemplum, ut Antistites dependeant à nutu Principum. Tum Hilarius Cicestrensis Episcopus, gloriosus in verbis: *Nisi temporis instantia, & Catholicæ Ecclesiæ perturbatio aliud exigerent, standum utique esset verbis sententiæ*, (quam tulerat Henricus Vintoniensis) *verùm ubi nutat Canonum authoritas, plurimùm substrahendum est severitati, ut in eo proficiat dispensatio, quod posset destruere severa correptio*. CENSEO IGITUR CEDENDUM REGIÆ VOLUNTATI, SED AD TEMPUS: NE PROPERE PROCEDAMUS ID STATUERE, UNDE SEQUATUR DURIOR RES SIVE TRISTIOR. Lincoliensis Episcopus simplex homo non respondet ad rem. Exoniensis Episcopus censet D. Thomam condemnandum, quia *Satius est unum caput in parte periclitari, quam totam Anglicanam Ecclesiam inevitabili discrimini opponere*. Rogerius Vigornensis Episcopus nolebat determinare, dicens: *Nullum in hac parte dabo consilium; quia, si dixero à Deo susceptam animarum curam ad Regiam voluntatem, & comminationem oportere relinqui, contra conscientiam meam, & in Capitis mei condemnationem loquetur os meum. Si sentiam Regi resistendum, ecce, qui sui sunt audiunt, per quos idipsum innotescet Regi: statimque ejicerer extra Synagogam, & esset sors mea de cætero cum publicis hostibus, & condemnatis. Idcirco nec hoc dico.* 17. 2. Sedent omnes aliquamdiu in silentio. D. Thomas inquit *Volo loqui duobus Comitibus qui cum Rege sunt*. Comites intrant læti, cogitantes rem peractam; sed D. Thomas postulat inducias in crastinum, *tunc responsurus sicut Deus inspiraverit*. Solvitur hæc sessio. Tum Londoniensis Episcopus Regi indicat, quod Thomas inducias petiverit, parandis instrumentis, ad reddendam rationem Regi, quam postulabat. Rex mittit duos Comites rogantes D. Thomam, an illa esset ejus mens; Thomas constanter negat, affirmans se responsurum cras, sicut Deus inspiraverit. 17. 2. D. Thomas interim convocat pauperes, claudos & debiles, dicens *per talem militiam provenire posse Clericorum victoriam*. & impleta est domus ejus discumbentibus. *ibid.* QUARTA DIE. Nihil est actum, quia erat dies Dominicus. 18. 1. QUINTA DIE. Nihil est actum propter morbum iliacum, quo sæpe laborabat D. Thomas. *ibid.* Fictum morbum arbitrabantur aliqui, sed reverà infirmabatur: Pollicens se die altera compariturum, quamquam vehendus esset in lectica. *ibid.* Tum sermo percrebuit D. Thomam vel incarcerandum, vel occidendum. Monetur à Religioso ut priusquam vadat, Missam celebret in honorem Stephani Proto-Martyris. *ibid.* SEXTA DIE. Accedunt eum Episcopi hortantes eum artificiosè, ut Regiæ voluntati cederet: maximè quandoquidem aliquando consuetudines jurasset. *ibid. Tum D. Thomas locutus est. Fratres mei, sicut jam cernitis, fremit contra me Mundus; insurgit inimicus. Sed quod plango lachrimabilius, quia cæteris est detestabilius*, ET FILII MATRIS MEÆ PUGNANT CONTRA ME. ET SI EGO TACUERO, SÆCULA POST FUTURA ENARRABUNT, QUALITER ME SOLUM DESERUERITIS IN CERTAMINE. Et Episcopi obligaverunt se Regi, annuentes iis quæ petiit. *Vide* D. Thomas.

T

TACENS consentire videtur. 191. 2.
*Templarii.* 52. 1.
Temporalem afflictionem licite imprecamur peccatori donec convertatur. 318. 2.
Temporali pro lucro turpe est amittere nomen Philosophantis, perniciosius autem est abjicere propter hoc conscientiam Christiani. 170. 2.
Tentari Electos non sinit Deus supra id quod possunt. 246. 1. 315. 2. Fidelis enim est. 127. 1.
Tertia lingua multos commovet. 39. 2.
*Theobaldus* Archi-Episcopus Cantuariensis prædecessor D. Thomæ, bis à Sede sua expulsus est à Rege Angliæ Stephano: partim quia unicus fuit qui ivit ad Concilium Remense, vocatus à Papa contra voluntatem Regis: partim quia noluit coronare Eustachium Regis Filium, prohibente Eugenio Pontifice. 146. 2. Non definit Rex eum persequi, nisi dum Papa mandasset Regem excommunicari. *ibid.* Postquam rexisset Ecclesiam viginti duobus annis, moritur, vir omni sanctitate & Religione perspicuus. 4. 1.
*Theutonum* furor. 81. 2. ferunt Prophetissas aliquas fuisse prophetatas. *ibid.* Libenter invaderent Regnum Franciæ, si possent. 173. 1. Contemnunt Regem Christianissimum, quia non exercebat tyrannidem: quia non incedebat stipatus satellitibus, ut solet qui timet capiti suo. *ibid.*
D. THOMAS nascitur Londini à mediocribus parentibus. 2. 1. Puer venustus, & gratus omnibus. *ibid.* Macilentus, jucundus facie. 28. 2. Ab initio pietatem discit à Matre, & post Christum, in D. Virginem jactare fiduciam. 2. 1. Londoniensi Episcopo improperanti, quod de exili esset natus conditione, evectus à Rege ad dignitates summas D. Thomas respondet. 144. 2.



D. Thomas comparatur grano sinapis, crescenti in arborem. 1. 1. Magna pollebat memoria. 2. 1. Ad Curiales se transfert occupationes. *ibid.* Assumitur inter familares Theobaldi Cantuariensis Archi-Episcopi. 2. 2. Sæpè visitat Apostolorum limina *ibid.* Dat operam juri civili. *ibid.* FIT ARCHI-DIACONUS Cantuariensis. *ibid.* Præpositus Beverlaci: plurimas habebat Ecclesias & præbendas. 124. 2. FIT CANCELLARIUS ad instantiam Theobaldi, sperantis fore ut reprimeret Aulicorum mores. 3. 1. Ejus luxus & deliciæ in Aula: sed tamen est castus. *ibid.* 2. Quidam suspicans aliquid contra ejus castimoniam, reperit dormientem ante lectum, qui nudipes inter orandum inciderat in somnum. *ibid.* Erat *Magnificus nugator*, placebat omnibus, quia cum ipsis sectabatur scurriles ineptias. 217. 1. Impellebat Regem ad multa mala facienda contra Ecclesiæ libertatem. 149. 1. Præclara ejus gesta pro Rege. Fit tutor Henrici Regis filii. 3. 2. Multis molestiis affectus in Aula, declarat cum lachrimis, quod se tædeat vitæ suæ. *ibid.* FIT EPICOPUS. Rex ei offert Archi-Episcopatum Cantuariensem, mortuo Theobaldo. Thomas prædicit, si hoc fiat, se Regis gratiam amissurum, quippe non toleraturum exactiones ejus Ecclesiasticas. 4. 1. Reluctatur aliquamdiu, sed tamen succumbit Regis voluntati. *ibid.* 2. Eligitur in Conventu dicto *VVest-Munster*, omnium votis, excepto Londoniensi Episcopo. 15. 2. 136. 1. ætatis suæ anno quadragesimo quarto. 5. 1. In itinere vadens ad consecrationem suam, somniat sibi à Veneranda quadam committi decem talenta. 5. 1. Ponit sibi censorem vitiorum suorum Heribertum de Boseham. *ibid.* 2. Sabbatho post Pentecosten, Cantuariæ ordinatur Sacerdos: & altera die consecratur Episcopus ab Henrico Vintoniensi, præsentibus quatuordecim Episcopis, Rege & propè tota Aula, cum magno concursu populi. 6. 1. Susceptio Pallio ab Alexandro tertio, *sit Archi-Episcopus. ibid.* EJUS VESTITUS. Gestabat exteriùs habitum Clericalem, inferiùs Monachalem, infimè Cilicium. 6. 2. INCIPIT MELIUS VIVERE. Cancellariam abdicat, tamquam non sufficiens utrique muneri. 11. 2. Initio Archi-Episcopatus sui, non Religiosos, sed litteratores Nobiles sibi congregaverat. 93. 1. Quin & aliquibus suspectus erat de pigritia in obsequio Dei. 80. 2. Et idcircò Joannes Saresberiensis conatur eum abducere à lectione legum & Canonum, ad studium Librorum Piorum. *ibid.* Nec non accusabatur superbiæ, ac si veteres Cancellariæ mores servaret. 109. 1. Verùm Saulus mutatur in Paulum. 149. 1. Scrutabatur Scripturas. Prædicabat verbum Dei. 7. 2. In omnibus liberalis, & sobrius. 8. 2. Ex reverentia non sacrificat quotidiè. 7. 2. Quin & propter excessum quemdam statuerat numquam celebrare. Verùm Romanus Pontifex indicat illi hoc scandalosum esse: Pœnitentiam agat si peccaverit: & absolvatur. 77. 2. Properat ad Turonense Concilium, honorificè introducitur à Cardinalibus & Episcopis: Excipitur à Papa, & dimittitur, redit in Angliam. 10. 1. Inter initia Archi-Episcopatus resistit Regalibus Consuetudinibus. 109. 1. Triplici ex causa. 11. 2. Sollicitatur precibus & promissis, ut juret Consuetudines. Recusat. 12. 2. Sed superatus precibus importunis, labitur apud Clarendonam: jurat Regias Consuetudines. 13. 2. FACTI PŒNITENS. 14. 2. Plorat amarè, lachrimas miscens cum gemitibus. *ibid.* Injungit sibi ipsi pœnitentiam, abstinens ab Altaris Officio, jejunans, & asperè se vestiens. *ibid.* Absolutionem obtinet à summo Pontifice per litteras. 15. 1. Bis putans fugere, ut Papam adiret, bis mirabiliter impeditur *ibid* INCIPIT SE OPPONERE CONSUETUDINIBUS. Opponit se primò *Regaliæ*: idest juri quod prætendebat Rex Angliæ, adscribendi sibi fructus provenientes tempore Sedium vacantium. 10. 2. Regem rogat, monet, increpat, *ibid.* In hunc finem Rex convocat Synodum in Northantune. *Vide* Synodum Nationalem. In qua cum succubuissent Episcopi, & solus restitisset D. Thomas. 18. 2. Ipse ad Aulam properat. *ibid.* Sed ut monitus fuerat à quodam Religioso. 18. 1. Celebrat prius Sacrum in honorem D. Stephani, contra persecutores suos. 18. 2. & hanc quidem Missam, præter morem, eo die qui Festus non erat, celebravit cum Pallio: tacitè id considerantibus Ministris Regis qui aderant. *ibid.* Clàm confert Eucharistiam. Sumit Crucem à Capellano, & ipse eam fert: Sic properans ad Regem. *ibid.* Rex, audito quod Thomas sic armatus veniret, recedit in Conclave ulterius. 19. 1. Rex cum Episcopis damnant D. Thomam ut Proditorem, qui sic intraverit: ut perjurum, qui consuetudines impetat quas juravit. *ibid.* Et jam multi minabantur mortem. *ibid. seq.* Thomas autem generosus nihil movetur. Non dimittit Crucem. 19. 2. Tum Bartholomeus Exoniensis Episcopus studens D. Thomam pervertere, procidens ad ejus pedes ait: *Pater, miserere tui, miserere & nostri. Omnes enim hodie perimus, odia capitis tui. Exiit namque Edictum à Rege, ut qui amplius cum Archi-Episcopo staret, publicus hostis judicaretur in Capite puniendus.* Tum D. Thomas: *Fuge hinc, quia non sapis ea quæ Dei sunt.* 23. 1. Et omnes obligant se Regi, quod sint acturi pro viribus, ut deponatur D. Thomas. Et Rex eos eximit ab obedientia D. Thomæ debita. Quod D. Thomæ significat Hilarius Cicestrensis Episcopus, nomine omnium appellans ad Papam. D. Thomas respondet: *Audio.* 20. 1. Diu seorsim sedent in summo silentio. *ibid.* Et deinde damnant D. Thomam, ut Proditorem & perjurum. *ibid.* Tum Comes Licestriæ ad Thomam mittitur, mandans nomine Regis ut redderet rationem Regi, quam dicebatur promisisse se redditurum. *ibid.* Ipse verò non hoc promiserat: 17 2. Sed promiserat se ad Aulam venturum. 18. 1. Ratio autem quam exigebat Rex, erat de bonis tempore Sedium vacantium plurimorum annorum, ducentis triginta Marcarum millibus. 17. 1.
Thomas declinat judicium appellans à Rege & Episcopis ad Papam. 20. 1. Et ita *Catholicæ Ecclesiæ, & Sedis Apostolicæ authoritate discedit. ibid.* Insidet equo, Crucem bajulans, dans benedictionem poscentibus cum exultatione, clamantibus: *Benedictus Deus qui eripuit servum suum à facie inimicorum*

*micorum suorum*. Putabant enim eum esse extinctum. 20. 2. Tum D. Thomas, Pauperes respiciens, *Quàm gloriosa*, inquit, *Processio nos conducit à facie Tribulantis! Sinite pauperes Christi, & nostræ tribulationis participes omnes intrare nobiscum, ut epulemur in Domino ad invicem. ibid.* Accedunt in mensa duo Episcopi, rogantes, ut, cum Quæstio ageretur pecuniaria, cederet Regi duo Maneria, *Qiceford & Muncheham*. Pro pace communi, & quod Rex forte omnia restitueret. *ibid.* Thomas respondet: *Potius cuilibet periculo vel discrimini Caput istud opponerem. ibid.* discedunt indignantes. *ibid.*

D. THOMAS FUGIT. Tempore mensæ legitur historia de fuga Liberii Papæ. Item, hoc Evangelii, *Si vos persecuti fuerint in ista civitate, fugite in aliam*. Quod quasi sibi dictum intelligens, mittit ad Regem rogans securum è Regno exitum. Rex ait, Cras id referam ad Concilium. 21. 1. Duo fidelissimi Proceres, sub noctem, indicant ei cum planctu, viros magnos conjurasse in illius necem. *Ibid.* Ipsa nocte lectum sibi componi curat in Ecclesia D. Andreæ inter duo Altaria. Cum paucis psallit Psalmos Pœnitentiales cum Litania. Ad singulum Sancti nomen genuflectit. Fatigatus strato se projicit, simulans se dormiturum. Et clanculùm exiens per posticum, paulò ante Gallicinium, fugit. *ibid.* Illius fugæ visiones Propheticæ. *ibid seq.* ILLIUS ITER. 22. 1. 2. Latet nè cognoscatur. 22. 2. Indutus alba veste & Monachali cappa super scapulas posita. *ibid.* QUOMODO FUERIT AGNITUS. Propè agnoscitur. *ibid.* Iterum. 23. 1. appellit Gravelingam. Hospitatur. Vocatur à Sociis *Frater Christianus*. Hospes contemplans ejus elegantiam, & affectum distribuentis omnia quæ apponebantur mensæ, cæpit cogitare hunc esse virum magnum, quamquam in mensa locum occuparet extremum. Rumor percrebuerat de fuga Cantuariensis: Concludit hunc esse Archi-Episcopum. Indicat Uxori clàm. Illa Virum contemplatur, & *certè*, inquit, *Vir bone ipse est. ibid.* Tum cæperunt observare eum, & sollicitius ministrare. Post cœnam *Frater Christianus* hospitem juxtà se vult sedentem. Hic in terra secus pedes ejus sedens, *Domine*, inquit, *gratias ago quod dignus fuit ut sub Tectum meum intrares*. Et mox D. Thomas. *Nonne ego quidam pauper Frater sum, & dicor Christianus?* Tum Hospes. *Certè quicumque dicaris scio te magnum Virum esse, & Cantuariensem Archi-Episcopum*. D. Thomas confessus est, & hospitem secum duxit in crastinum, ne proderetur. 23. 2. Debebat autem D. Thomas latere, quia timebat Matheum Comitem Boloniæ, à quo odio habebatur, quia adhuc Cancellarius existens, contradixerat illi ineunti matrimonium cum Abbatissa quadam. *ibid. Benignè & liberaliter suscipitur Suessione à Rege Francorum.* 27. 1. Rex Franciæ sæpè illi obtulit hospitium. 109. 1. Non obstantibus precibus Regis Angliæ. Cujus Nuncii cum litteras ferrent, Rex Franciæ eas aperit, & cum legeret, *Thomas quondam Archi-Episcopus*: TAMQUAM ECCLESIÆ FILIUS DEVOTISSIMUS, percellitur æmulatione, & rogat quis cum deposuerit. *Certè*, inquit, SI CUT REX ANGLORUM, ET EGO REX SUM. VERUMTAMEN MINIMUM DE CLERICIS MEI REGNI DEPONERE EGO NON VALEREM. 24. 2. Et D. Thom. admisit. *ibid.* QUID EGERIT apud PAPAM. A Papa Senone benignè excipiitur. 27. 1. Causam suam dicit coram omnibus: Consuetudines Angliæ exhibens. *ibid.* 79. 1. Solemnis ei à Papa pœnitentia indicitur, quia illas apud Clarendunam juravit. 207. 2. Resignat Episcopatum in manus Papæ, dans ei annulum: *Quia non fuit Canonicè electus, sed per terrorem publicæ Potestatis intrusus.* 28. 1. Papa illi Episcopatum reddit. *ibid.* Commendatque eum alendum & fovendum Abbati Pontiniacensi. *ibid.* 108. 1. Habitum petit Monachalem à Papa: & suscipit vilem. 28. 2. INCIPIT ARCTIUS VIVERE. 29. 1. Noverat abundantiam & penuriam pati. 239. 2. Magnam eum Ecclesiæ Columnam vocat Summus Pontifex. 67. 2. FIT LEGATUS APOSTOLICUS. 78. 1. Promulgat facultatem suam. 129. 2. Legationem illam accepit pro omnibus laboribus suis. 129. 1. Non erat autem Legatus in Episcopatu Eboracensi. *ibid.* Quia Eboracensis erat Legatus in Scotia. 169. 1. Legatus non subditur Legato. *ibid.* EJUS PERSECUTIO FLAGRAT. Dimittitur à Pontiniaco, instante Rege Angliæ apud Capitulum generale Cisterciense, minanteque dura, nisi dimitteretur. 30. 1. Multa in eum machinantur adversarii. 164. 2. Inimici insequuntur eum fugientem velut Canes, & erant sui: adeò ut verè dicere potuisset cum Poeta, *Actæon ego sum, Dominum cognoscite vestrum*. 201. 2. Calumniantur eum apud Imperatricem. 93. 1. Exul deseritur à maxima parte suorum quondam Amicorum. 112. 2. Ejus paupertas. 191. 2. Tres tantum equos habebat. 231. 1. Ejus pecuniæ ita exhauriuntur, ut non habeat undè Nuntios mittat Romam. 304. 1. Multa contraxit debita. 259. 2. Adeò tamen ipsi providebatur postea ab extraneis, ut exul militaret suis stipendiis. 226. 1. Defendit se contra omnia objecta, ab Archi-Episcopo Londoniensi. 214. 1. EXUL REGIT ECCLESIAS. Ecclesias suas regit exul, etiam in causis non pertinentibus ad exilium suum. 128. 2. 224. 1. 227. 1. Improperat, arguit. 124. 1. punit, suspendit, delinquentes citat ad se. 120. 1. Hortatur, monet, mandat. *ibid.* 253. 1. 134. 1. excommunicat. 117. 2. 145. 1. EJUS GENEROSITAS. 86. 1. Generosa ejus constantia. 127. 2. 159. 1. 206. 1 Nihil timet. Affirmat plures adhærere sibi quam adversariis: Sanctos nempè in Cœlo. 261. 1. Mavult in exilio mori, quam sine libertate Ecclesiæ pacem facere posteris scandalosam. 125. 2. Mavult mori quam cedere justæ causæ. 211. 2. Stetit autem & restitit solus. 112. 2. EJUS CAUSA. Causa D. Thomæ non erat sua, sed Ecclesiæ. 65. 2. Semper ait, *salvo ordine, & fidelitate Ecclesiæ Romanæ*. 272. 2. Nihil clamat nisi *libertatem Ecclesiæ*. 184. 1. Nihil aliud postulat, nisi ut Rex permittat Ecclesiam frui pace & libertate sub se, *Tamquam sub Rege Christianissimo: Ecclesiam Romanam uti jure, & libertate, in terra sua, quam habere debet & habet in cæteris Re-*



*Regnis*. 139. 1. & Ecclesiæ Cantuariensi jura restituat & bona. *ibid.* Alioquin omnia habuisset à Rege, si voluisset cedere. 303. 2. *Vide* Causa D. Thomæ. Contristabatur supra modum, quod absoluti essent Londoniensis & Saresberiensis Episcopi. Lamentatur quod desertus sit. In his tamen angustiis est paratus mori pro Ecclesiæ fidelitate & libertate. 331. 1. Testem autem invocat Deum, quod dum postulat restitutionem bonorum, magis moveatur pernicie exempli, quam temporali jactura bonorum. 271. 2. 272. 1. Sic tamen censet illis bonis non esse cedendum, ut inquiat: *Melius nobis esset non fuisse natos, quam in Ecclesiam induxisse pestem tam perniciosi exempli*. 286. 2. Dum scribit illis, qui pro bonis temporalibus cedebant æternis, salutem illis dicens, addit: *Sic transire per bona temporalia, ut non amittantur æterna*. 117. 1. Dat rationem omnium eorum quæ fecit. 124. 1. QUÆ FECIT CUM LEGATIS. *Vide* Legati. Primos habuit suspectos. *Vide* Legatos primos. Accedit ad illorum colloquium inter Gisortium & Triam. 191. 1. Dicit se paratum exhibere Regi omnem reverentiam, *salvo honore Dei & Ecclesiæ libertate, & possessionibus ejus. ibid.* 194. 2. Consuetudines autem non vult jurare ullo modo. 191. 1. Ne quidem dissimulare. *ibid.* 194. 2. Postea mittuntur ei Nuntii ex parte Legatorum, prohibentium nè pendente Appellatione aliquid innovaret. 190. 1. Suspenditur ejus potestas anathematizandi Regem. Lamentatur apud Papam conquerens de violentia. 207. 1. Animat illum ut exerat gladium D. Petri. 188. 2. Urget Cardinales ut feratur in Regem Censura: nè appareat Posteris, quod Regis crimina sint impunè transacta. 205. 2. Suspensionem potestatis illius, Rex Angliæ nequiter prælegi facit divo Thomæ, in conspectu Regis Franciæ, cum convenissent ad formandam pacem. Indignatur Rex Franciæ, dolens supra modum. 214. 2. Posteà verò potestas illa fuit ei restituta. 336. 2. Et quando videbat Rex se excommunicandum, tunc secuta est illa qualiscumque Pax. *Vide* Pax. EJUS REVERENTIA ERGA ROMANUM PONTIFICEM. 129. 2. Cum diceretur ei quod Legati Apostolici, ad instantiam Episcoporum, rem terminaturi essent ad Regis voluntatem: D. Thomas quasi nihili hoc faciens, inquit: *Certum sit, quod nos operam nostram, vel causam Ecclesiæ non credemus, nisi judicio Domini Papæ, cui Ecclesia Anglicana stabit aut cadet*. 225. 1. 195. 2. Protestatur quod etsi eum Papa desereret, *nec mors* tamen, *neque vita, neque instantia aliqua poterit nos separare ab illius fidelitate*. 282. 2. *Vide* Romanus Pontifex. QUALITER EGERIT CUM REGE. Prophetat quod Rex adhuc in tantas cogetur angustias, ut liberandus sit, opera sua ex manibus inimicorum suorum. 53. 2. Et quod filius Regis morietur ante Patrem. 54. 1. Audiebat vocem in somno, dicentem *mors tulit una duos* (Regis filios scilicet, dysenteria mortuos) *tulit altera, sed malè Patrem. ibid.* Scribit Regi commonitorias, cautas & suaves, sed apertè significantes, nisi liberet Ecclesiam, cujus vinxit libertatem, quod Deus vindicabit suorum injuriam. 96. 2. Proponit ei pœnitentiam Davidis, & pœnas Salomonis, cujus in filio est divisum Imperium. 97. 1. Acerrimè monet Regem, ut desinat se immiscere Ecclesiasticis, nisi puniri velit à Deo pœnis sempiternis. 98. 1. 2. Minatur Regi excommunicationem. 132. 2. Studebat Regis animum lenire per Regis Matrem, per Regem Franciæ, per Nuncios Papæ, &c. 162. 1. Curat preces institui pro Rege, ut adsit ei Spiritus pœnitentiæ & pietatis. 147. 1. Postquam Regem sæpè rogasset, & minatus esset. 96. 2. *usque* 100. Adjurat eum in virtute Spiritus Sancti. 100. 1. Cum autem Rex minis non corrigeretur. 147. 2. Accingit se excommunicationi ferendæ de Mandato Papæ. 149. 2. In diem Pentecostes. *ibid.* Prius colit & invocat D. Virginem, & Sanctos: nominatim verò B. Dransium, Patronum pugnatorum. *ibid.* Audit Regem infirmari, differt anathema, sed quod minatur, nisi Rex resipiscat. 150. 1. Nihil omisit de contingentibus, ut Regem ad sanam mentem perduceret. 147. 1. Facultatem excommunicandi Regem obtinuerat à Papa. 240. 1. Quam petiverat, tamquam solum remedium, aperiens Regis fallacias, dolosas promissiones, obstinatam voluntatem. 199. 1. Sed illa potestas excommunicandi Regem (uti & ponendi totum Regnum sub interdicto) fuit revocata, ad instantiam Wilhelmi Legati Pontificii, conquerentis se alioquin cum socio, incarcerandum à Rege Angliæ. 240. 2.

D. Thomas confidebat semper, quod Rex esset puniendus à Deo, sicut punitus fuit Fredericus Ex-Augustus. 195. 2. Citatur ad colloquium cum Regibus: 248. 1. Ait se venturum quidem, sed timere fraudem. *ibid.* 2. Interdicit, & plurimos excommunicat, protestans quod jam nec parcet personæ Regis. 261. 2. Interdictio erat conditionata, nisi Rex intrà determinatos dies satisfaceret. 260. 2. *usque* 263. 1. Luget quod Regem tam diu toleraverit impunitum. 281. 2. Metuens nè in extremo judicio id sibi imputetur. 269. 2. Hortatur Papam ut procedat ad pœnam. *ibid.* Ejus manus pro tertia vice ligantur. 297. 1. 298. 2. Dissolvuntur sub conditione, si Rex non resipiscat. 296. 1. 297. 1. Iterum instantissimè urget Summum Pontificem: Validissimis argumentis ostendens, quod totum malum ortum sit ex nimia dissimulatione. 302. 2. Scribit humillimam ad Regem Epistolam, spondens servare ejus consuetudines *salvo ordine suo*, & ex juramento servare illi vitam & membra, & omnem honorem terrenum, & illi servire libenter. 298. 1. Colloquitur cum Rege Angliæ. Flectit: pacem petit. Spondet servare Regias Consuetudines *salvo honore Dei. Et salvo ordine suo.* 300. 2. 301. 1. 33. 1. Hinc jurgia oriuntur, affirmante Rege has clausulas esse captiosas. Rogat D. Thomam sibi præstare, quod minimo Regum Angliæ præstitit Cantuariensium Episcoporum sanctissimus. Resp. D. Thomas non omnia, quæ fecerunt & toleraverunt Sancti, fuisse Sancta. *ibid.* Omnes sunt contra D. Thomam, usque ad ipsum Regem Franciæ. 34. 1. *seq.* Manet constans contra omnes pro Ecclesia & libertate ejus. 34. 1. discedunt. *ibid.* Putabatur ideo desertus à Rege Franciæ. *Verum Rex Christianissimus post longam deliberationem,*

*vationem, inclinato capite, obortis lachrymis, cum singultis prosiliens, stupentibus omnibus, projecit se ad pedes D. Thomæ*, dicens & repetens cum Suspirio, *Verè Domine mi Pater tu solus vidisti: nos enim cæci fuimus, qui contra Deum tibi dedimus consilium in causa tua: immò ad nutum hominis, honorem Dei remittentes.* PŒNITEO *Pater*, & GRAVITER PŒNITEO. IGNOSCE ERGO ET AB HAC CULPA ME MISERUM ABSOLVE, SED ET DEO ET TIBI ME IPSUM ET REGNUM MEUM EXPONO. ET AB HAC HORA PROMITTO, QUOD TIBI VEL TUIS NON DEERO, QUAMDIU DEO AUTHORE VIXERO. Tum D. Thomas Regem absolvit. 34. 2. Obtinet à Papa authoritatem excommunicandi Regem, & ponendi totum Regnum ejus sub interdicto, omni Ecclesiæ cessante Officio, præter baptisma Parvulorum, & Pœnitentiam morientium, nisi Rex Pacem reddat Ecclesiæ Cantuariensi. 36. 2. Et tunc secuta est illa Pax (*Vide* Pax) si tamen pax: quæ inita est in Prato quod vocabatur *Pratum Proditorum*, in die B. Mariæ Magdalenæ. 37. 1. POST PACEM. Expectat in Francia, nolens reverti in Angliam, quamdiu unus Pes terræ manet ablatus de Ecclesia. 343. 1. Nec hoc de Ecclesia sua tantum, sed & aliorum. *ibid.* Nam Rex prætendebat à D. Thoma ex mutuo, quingentas libras Argenteorum: 17. 1. Et ratione Redituum ei Commissorum, quando adhuc egit Cancellarium, prætendebat quadraginta quatuor millia Marcarum Argenti. 180. 1. (Thomas verò nil debebat, ut ipse Rex est fassus postea. 271. 1.) posteà Rex prætendit de omnibus vacantibus Sedibus aliisque, ducenta triginta Marcarum millia. 17. 1. Idque ante exilium D. Thomæ *ibid.* Cum verò D. Thomas exulasset per quinquennium possederat toto tempore illo Episcopatum Cantuariensem, & omnium Exulum Bona. Item Lincolniensem, Herefordensem, Eliensem Episcopatus redegit in usus proprios. Et Landavensis Ecclesiæ possessiones ferè omnes distribuerat Militibus suis. Bangorensem ex tunc ferè decennio vacantem habuit, non passus quemquam ordinari. Abbatias detinebat, quarum numerus incertus erat. Et hoc quidem se licenter facere gloriabatur jure Consuetudinum quas *Ecclesia Romana* (inquit D. Thomas) *ab initio publicè debuerat condemnasse cum authoribus & observatoribus suis, tamquam Deo inimicas, & contrarias perpetuæ Legi.* 285. 2. 195. 2. Restitutiones tamen non fuerunt factæ. 352. 1. D. Thomas post Exilium septem annorum, redit in Angliam, non metuens mortem quæ sibi prædicebatur. 38. 2. Prædicit suam passionem. *ibid.* In Navi Crucem ponit, quam præ se ferunt Episcopi Cantuariensis. 39. 1. Appellit Sandunim, sex milliaribus Cantuaria distantem. Recipitur à Pauperibus cum exultatione. *ibid.* Mitissimè sedat animos Militum qui ad occidendum eum venerant. *ibid.* Cantuariæ recipitur cum gloria & exultatione. *ibid. seq.* D. THOMÆ MARTYRIUM. VERBUM HORRENDUM! FACINUS FLAGITIOSUM, QUOD QUICUMQUE AUDIET, TINNIENT AMBÆ AURES EJUS. NON EST AUDITUM IN THEMAN, NEC EST VISUM IN CHANAAN. 363. 2. Illam quidem mortem sæpe sunt illi machinati Æmuli. 128. 1. Sed & ipse D. Thomas sæpius hanc prædixit. *Ostendit*, inquit, *nobis Dominus, quæ & quanta oporteat nos pati pro nomine suo, & pro defensione Ecclesiæ. Necesse habemus, ores tu, & tota Ecclesia tibi commissa instanter pro nobis* (alloquitur Archi-Episcopum Herefordensem) *ut quod nostris meritis non valemus, tua & sanctorum Virorum intercessione sustinere valeamus.* 87. 1. Revelat Martyrium suum duobus Abbatibus, diu antè. Revelat autem quod quatuor Milites, in Ecclesia, Capitis summitatem, ubi Coronæ locus est, excoriaturi essent. 30. 2. Et iterum cum rediret in Angliam, illachrymatur vehementer, dicens: *Paratum me ad Mortem invenient. Faciant quod facere volunt. Scio quidem fili mi* (Reginalde) *& certus sum per Arma me moriturum: verumtamen extra Ecclesiam meam me non occident.* 49. 1. Postremò, in die Natalis Domini, die vigesimo septimo postquam venisset in Angliam, ascendit Pulpitum, prædicens in calce sermonis; *Quod instaret tempus dissolutionis suæ, & in brevi se migraturum ab eis.* 41. 1. Ipse verò hæc dicens lachrymabatur. Sed & Populus ejulabat, submurmuans, *Cur tam citò nos deseris, Pater, aut cui desolatos relinquis?* Tum D. Thomas constanter, sine lachrymis, percussit plurimos publico anathemate. *ibid. Rex Angliæ* intereà maledicens suis, quod nullus vindicaret injuriam quam patiebatur à D. Thoma (ut quidem putabat esse injuriam) qui Regnum turbabat, & suos exauthorare, & exhæredare quærebat, adjecit: *Unus Homo qui manducavit Panem meum, levavit contrà me Calcaneum suum. Unus Homo beneficiis meis insultans deboneſtat totum genus Regium, totum* SINE VINDICE *conculcat Regnum. Unus Homo qui manticato Jumento & claudo, primo prorupit in Curiam depulso Regum Stemmate, videntibus vobis fortunæ comitibus, triumphans exultat in Solio.* 41. 2. Atque hæc repetivit sæpius in furore, audientibus quatuor Concubiculariis ejus, qui fuerunt D. THOMÆ CARNIFICES. *ibid.* Fuerunt Quatuor: Reginaldus, Hugo de Morevilla, Wilhelmus de Traci; Richardus de Brito. *ibid.* (Quorum hic interfero nomina, ut memoria eorum sit in maledictione perpetua. 362. 2.) Multarum erant possessionum Domini, Milites strenui, & in ætate robustiori. 54. 2. Conspirant in Archi-præsulis necem, existimantes se obsequium præstituros Regi. 40. 1. Per varios portus intrant Mare: Et eodem tempore conveniunt ad Castellum dictum SALTWERDE. 41. 2. Adest Ranulphus de Broc cum multis Militibus. 42. 1. Tota nocte agunt de nece D. Thomæ. Altera vero die, qui est Innocentum, veniunt Cantuariam. Intrant D. Thomæ thalamum. Post silentium aliquod, ajunt se afferre Regia mandata. Cupiunt loqui D. Thomæ soli. Postquam D. Thomas Mandata audivisset, jubet suos ingredi. *ibid.* 2. Tum illi ut eum caperent in sermonibus suis. 44. 1. Explicant Regia mandata. 42. 2. Primò ut juraret fidelitatem Regi juniori propter Baroniam quamdam quam possidebat D. Thomas de Rege. Secundò permitteret Clericos jurare quos secum duxit in Angliam. Tertiò ut absolveret omnes quos excommunicaverat. 43. 1. Respondet D. Thomas, satis multa esse commissa perjuria, nec se perjuraturum, nec suos. *ibid.* Excommunicatos fuisse percussos de mandato Papæ & ipsius Regis. *ibid.* Se absolvere non posse quos Papa ligaverat. *ibid.* 362. 2. Regis Filium se diligere: quod paratus sit testari sanguine suo: Et tres ei libenter aut quatuor, si posset, Coronas se impositurum. *ibid. Pro nullo autem mortalium dimissurum justitiam, qualem potest & debet Archi-Episcopus exercere.* 44. 1. Carnifices præcipiunt Monachis ex parte Regis ut custodiant Pontificem. *ibid.* Tum D. Thomas inquit: *Quid est hoc? Numquid, me fuga labi velle putatis?* NEC PRO REGE NEC PRO ALIQUO VIVENTIUM FUGAM INIBO. *Non veni ut fugerem; sed ut grassantium rabiem, & impiorum malitiam exspectem. ibid.* Carnifices discedentes iratos inter minas, educit D. Thomas usque ad ostium Thalami. *ibid.* Tum Joannes Saresberiensis, conquestus est D. Thomæ, quod omnia illa ageret sine Consilio. Ad quod D. Thomas, qui sciebat se moriturum pro justitia & libertate Ecclesiæ, & qui ad mortis angustias suspirabat, tamquam ad quietis deliciias, dicebat, CONSILIUM JAM TOTUM ACCEPTUM EST. NOVI SATIS QUID AGERE DEBEAM. Dicunt ei insuper *Domine, Domine* Carnifices *armant se.* 44. 1. Respondet: *Quæ cura? Sinite armare. ibid.* Carnifices impetum faciunt, sed excluduntur à porta per Famulos. *ibid.* Introduciuntur à Roberto de Broc per gradus secretiores. *ibid.* Intrant Monasterium clamantes. *ibid.* D. Thomas facilè quidem potuisset fugere. 49. 1. Et fugam suadebant sui. 44. 2. *Ipse verò jubet Crucem ferri antè se, & properat ad Templum. ibid.* Clericis, volentibus occludere Ecclesiam, præcipit in virtute obedientiæ, dicens: *Dimittite meos intrare. ibid.* Et suis metuens, trahebat eos in Ecclesiam, ut dicere posset: *Quos dedisti mihi Pater, non perdidi ex eis quemquam. ibid.* Tum exclamabant Carnifices: *Ubi est ille Proditor, ubi est Archi-Episcopus?* 45. 1. Ille verò in spiritu sciens quæ erant ventura, occurrit eis respondens: ECCE EGO *non Proditor, sed Archi Episcopus.* (Sic Christus dixit: EGO SUM) Et unus manu apprehendens D. Thomam *Veni huc*, inquit, *captus es.* Thomas verò sciens & locum Martyrii sui ait: *Non veniam. Hic mihi facietis quæ facere vultis. ibid.* Et verbis ejus carnifex repercussus est ad duos vel tres passus. (Sic *Milites abjerunt retrò & ceciderunt in faciem suam. ibid.*) Tum D. Thomas inquit, ad Reginaldum Armatum: *Quid est Reginalde? Multa tibi contuli beneficia, & ad me in Ecclesiam armatus incedis?* (Sic dixit Christus, *Tamquàm ad latronem existis*, &c. *ibid.* Annunciat ei mortem Satelles. *Jam scies. Mortuus es. Impossibile est enim ut ampliùs vivas. ibid.* D. Thomas respondet constantior omnibus (quod pace sanctorum Martyrum dictum sit) *Et ego pro Deo meo paratus sum mori*, & PRO ASSERTIONE JUSTITIÆ ET ECCLESIÆ LIBERTATE. *Quod si caput meum quæritis, probibeo ex parte* OMNIPOTENTIS DEI, & *sub anathemate nè alicui sive Monacho, sive Laico, majori vel minori, in aliquo noceatis; sed sint immunes à pœna, sicut extiterunt à causa* .... MORTEM LIBENTER AMPLECTOR, DUMMODO ECCLESIA IN EFFUSIONE MEI SANGUINIS PACEM CONSEQUATUR ET LIBERTATEM. *ibid.* Christum est iterum imitatus dicentem: *Si me quæritis, sinite hos abire.* 45. 2. Videns ergo Vir Dei, mortem sibi jam imminere: 45. 2. Voluntariè se ipsum inter Crucis & Altaris cornua, pacificam Deo Hostiam offert. 362. 2. Proferens hæc verba novissima: DEO ET BEATÆ MARIÆ, ET SANCTIS HUJUS ECCLESIÆ PATRONIS, ET BEATO MARTYRI DIONYSIO, COMMENDO ME IPSUM, ET ECCLESIÆ CAUSAM. 45. 2. Recipit primum vulnus in capite à Wilhelmo de Traci. *ibid.* Genuaflectit, jungit manus, attollit oculos in Cœlum versus Aquilonem, inclinat caput, & recipit ictum secundum. 46. 1. Prosternitur: recipit tertium. Recipit quartum, adeò ut amputaretur magna portio Testæ. *Ibid.* Et qui numquam gemuit, non est locutus, nec manum appofuit. *ibid.* Atque ita, Pontifex, non sine sanguine, solus intravit in Sancta: Prius tamen probris & multis contumeliis affectus, ut nec ullo passionis Domini sui titulo fraudaretur. 362. 2. Occisus est: *Immò* PRO LIBERTATE ECCLESIÆ CRUCIFIXUS. 363. 2. quartò Kalendas Januarii. 46. 2. anno 1170. Vitæ verò ipsius anno quinquagesimo tertiò, feria tertia, hora quasi undecima. 49. 2. POST MORTEM SANCTI MARTYRIS. Robertus de Broc Mortui extrahit Cerebrum gladio, & spargit per pavimentum Ecclesiæ, clamans: *Mortuus est, eamus hinc.* Discedunt clamantes, REGALES MILITES, REGALES! Et alii: *Voluit esse Rex, voluit esse plusquam Rex. Modò sit Rex, modò sit Rex.* (Sic Christo insultabant dicentes: *Dixit enim quia filius Dei sum.* 46. 1. Carnifices spoliant Palatium, & Martyris vestes dividunt inter se. 47. 1. Inveniunt duo Cilicia D. Thomæ, consternati & stupefacti. Terrentur. Wilhelmo de Traci, uti fassus est pœnitens, terra visa est aperiri. Alii dicebant intra se: *Verè homo iste justus erat.* 47. 2. Statim accurrunt omnes ad Ecclesiam, & adorant Corpus. Testa in modum disci dependebat à Capite, per Cutis modicum fronti adhærens. 48. 1. Unusquisque aliquid sanguinis colligebat. *ibid.* Parte Cruoris reposita in vase, servanda. *ibid. seq.* Corpus sepelitur à fratribus festinanter, metuentibus nè diriperetur à Carnificibus. *ibid.* Inveniunt Fratres quod Cilicio indutus sit rigidiori quam ullus hominum, & veste Monachali. Flent omnes. *ibid.* Sepultus est autem *in Monumento novo excisо de petra, in quo necdum quisquam positus fuerat.* 49. 2. MIRACULA PATRATA PER SANCTUM. Facies ejus nec Corpus vulneribus sunt immutata, sed æquè planus & vividus, manet, ac si somnum caperet. 48. 2. Post passionem suam multis apparet, in ea forma qua occisus est. 48. 1. *Persuadens se non mortuum esse, sed vivere, & non vulnera, sed tantum vulnerum Cicatrices ostendens.* 362. 2. Ejus Martyrium, Sanctitas, & Miracula statim innotescunt in

in Oriente & Occidente. 371. 1. Quindecim dies post, Martyrium miraculosè innotescit & divulgatur Hierosolymæ. 50. 2. Claret miraculis. 368. 1. 370. 1. 60. 2. Coruscat gratia. 361. 2. In loco in quo passus est & sepultus, *Paralytici curantur, Cæci vident, Surdi audiunt, loquuntur Muti, Claudi ambulant, evadunt Febricitantes, Arrepti à Dæmonio liberantur*: Et quod à diebus Patrum istius temporis non erat auditum, MORTUI RESURGUNT. 49. 1.

D. THOMAS FUIT VERUS MARTYR. Martyr à pœna, & Martyr à causa. 364. 1. *Sicut omnis est testata Ecclesia. ibid.* Quem qui Martyrem negaret, peccatum in Spiritum Sanctum committeret, cujus operibus detraheret. 369. 1. Ejus Martyrium accomodatur Christi Passioni. 47. 1. CANONIZATUR AB ALEXAN. TERTIO. 60. 2. Reliquiæ ejus transferuntur de Mandato Honorii III. ad instantiam Stephani Cardin. Cant. Archi-Episc. 371. 2. Fuit autem ea die translatus, qua Rex Angliæ fuit sepultus. 378. 1. Tempore Translationis facit Miracula. *ibid.* 2. OB MORTEM D. THOMÆ LUCTUS. Plangit Rex Franciæ, à Papa postulans vindictam. 361. 2. Plangunt Episcopi, *ibid.* Suspirat & ululat Rex Angliæ. *ibid.* Et supra modum turbatur SUPREMUS PONTIFEX. *Singula vide suis locis.* 365. 1.

D. THOMÆ CARNIFICES. Apud Castrum Saltwerde gloriantur referentes quantum quisque in D. Thomam sævierit. 46. 1. Hierosolymam proficiscuntur: Publicam agentes Pœnitentiam. *Wilhelmus de Traci putrescit*, maximè in *Brachio*, quo primum ictum dederat. Moriuntur omnes intra triennium à patrato Sacrilegio. 54. 2.

D. THOMÆ AMICI. Proscribuntur à Rege propter D. Thomam Clerici cum Laicis, viri cum Mulieribus, Mulieres cum Infantibus in incunabulis. 135. 2. 140. 2. Usque ad Mulieres in puerperio existentes. 29. 1. Aliqui infirmiores remanserunt in Flandria, *ibid.* Alii exularunt usque in Siciliam. 95. 1. Alii verò in fame & siti detinebantur in vinculis. 140. 2. Et interimebantur. 270. 2. Exulum paupertas & miseria. 175. 1. 212. 1. Eos tamen nunquam deseruit Divina Providentia: & etsi non provideretur illis ex Anglia, providebatur tamen aliundè. 225. 2. Benignè suscipiebantur. 29. 1. Et fiebat illis benè. 226. 2. Adeò ut abundarent tandem temporalibus. 233. 1. Habebant autem quasi Communitatem inter se. 182. 1. Multi in exilio mortui sunt. 272. 1. 140. 2. *D. Thomæ Amici post mortem D. Thomæ promoventur. Heribertus Bosianensis* fit Cardinalis, & Episcopus Beneventanus. 55. 1. *Joannes Saresberiensis*, fit Carnotensis Episcopus, *ibid. Robertus Filioth* fit Herefordensis Episcopus. *ibid. seq. Reginaldus Lombardus* fit Bathoniensis Episcopus. 55. 2. *Girardus Puella* fit Conventrensis Episcopus. *ibid. Hugo Teminant* fit Conventrensis Episcopus, Girardi Successor. 55. 2. *Gilbertus de Glanvilla* fit Episcopus Roffensis. *ibid. Radulphus de Serra* fit Ecclesiæ Remensis Decanus. *ibid. Matthæus Ciceſtrensis* fit Decanus Cicestrensis. 56. 1. *Habertus Lombardus fit Pontifex Romanus dictus* URBANUS. III. 56. 2.

IN *his S. Thomæ Epistolis* sedulus Lector & devotus, Viri Dei Imaginem inveniet plenius depictam. Insuper Operum ejus vestigia si libet perscrutari, ibi inveniet DIGITO DEI FABRICATAM ARMORUM COPIAM. IBI POTERUNT SACERDOTALIS DIGNITAS ET AUTHORITAS EPISCOPALIS IN SUÆ MILITIÆ SPECULO SESE RECOGNOSCERE. Nec opus erit ampliùs longiùs evagari ut quærat quis, QUOMODO ECCLESIÆ LIBERTAS DEBEAT DEFENSARI. Per *Epistolas* ipsius Martyris iter recenseat, ET STATIM OCCURRET, QUID, QUALITER FUERIT AGENDUM, UT OBSEQUIUM REDDATUR CÆSARI DEBITUM ET HONOR DEO.